This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/



Digitized by Google

MENTEM ALIT ET EXCOLIT
K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK
56.N.1

Digitized by Google

Digitized by Google

53. N. 1.

Digitized by Google

Digitized by Google

RERUM ITALICARUM
SCRIPTORES
TOMUS OCTAVUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Masucci Delin. Girolamo Frezza scul: Roma con lic de supe

Digitized by Google

Digitized by Google

RERUM ITALICARUM SCRIPTORES

AB ANNO ÆRÆ CHRISTIANÆ QUINGENTESIMO AD MILLESIMUMQUINGENTESIMUM,

QUORUM POTISSIMA PARS NUNC PRIMUM IN LUCEM PRODIT

EX AMBROSIANÆ, ESTENSIS, ALIARUMQUE INSIGNIUM BIBLIOTHECARUM CODICIBUS.

LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS

SERENISSIMI DUCIS MUTINÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Collegit, ordinavit, & Præfationibus auxit,

NONNULLOS IPSE, ALIOS VERO

MEDIOLANENSES PALATINI SOCII

Ad MStorum Codicum fidem exactos, summoque labore, ac diligentia castigatos, variis Lectionibus, & Notis tam editis veterum Eruditorum, quàm novissimis auxere.

ADDITIS

Ad plenius Operis, & universæ Italicæ Historiæ ornamentum, novis Tabulis Geographicis, & variis Langobardorum Regum, Imperatorum, aliorumque Principum Diplomatibus, quæ ab ipsis autographis describere licuit, vel nunc primùm vulgatis, vel emendatis, necnon antiquo Characterum specimine, & Figuris Æneis.

CUM INDICE LOCUPLETISSIMO.

TOMUS OCTAVUS.

Antonius Gregolini inv. et del. *Hieronymus Rossi sculp.*

MEDIOLANI, MDCCXXVI.

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS PALATINÆ IN REGIA CURIA.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

I. Ferroni Pinxit et del.

Digitized by Google

WIRRICO. PHILIPPO. LAURENTIO.

S. R. I. COMITI. ET. DOMINO. DE. ET. IN. DAUN.

THEANI. PRINCIPI. &c.

AUREI. VELLERIS. EQUITI.

CAROLI. VI.

ROMANORUM. IMPERATORIS.

ET.

HISPANIARUM. REGIS. FOELICISSIMI.

INTIMO. ACTUALI. CONSILIARIO.

GENERALI. CAMPI. MARESCALLO.

SUPREMO. DOMESTICAE. ET. PROVINCIALIS.

REI. ARMAMENTARIAE. PRAEFECTO.

UNIUS. LEGIONIS. PEDITUM.

ET. ALTERIUS. PRAETORIANAE. TRIBUNO.

VINDOBONAE. URBIS. PRAEFECTO. PERPETUO.

INSUBRIAE. MODERATORI.

CAESAREI. CISALPINI. EXERCITUS. DUCI. &c.

IN. QUEM. UNUM. ABSENTEM. OLIM.

A. MILITARI. FORTITUDINE. CIVILI. PRUDENTIA.

CONSTANTIQUE. JUSTITIA. CUMULATAS. LAUDES.

ADMIRATI.

NUNC. REIPUBLICAE. SIBIQUE. PRAESENS. EJUS. IMPERIUM.

GRATULANTES.

TOMUM. HUNC. RERUM. ITALICARUM.

NOVIS. FOELICIBUSQUE. AUCTUM. AUSPICIIS.

MEDIOLANENSES. PALATINI. SOCI.

D. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google



EXC.^MO VIRO

WIRRICO PHILIPPO LAURENTIO

S. R. I. COMITI ET DOMINO IN ET DE DAUN

THEANI PRINCIPI &c.

INSUBRIUM MODERATORI

&c. &c. &c.

PHILIPPUS ARGELATUS BONONIENSIS

S. P. D.

Q*Uæ veteribus in dedicatione librorum optima ratio fuerat*, PRINCEPS EXCELL.^ME, *ad comparandam scilicet sibi gratiam, & adversùs detractores præsidium, jamdiu est, in adulationis ut plurimùm defecit argumentum, turpe sanè, ac non semel ridendum; quamobrem vix hodie superest officio pretium, nisi ab*

Digitized by Google

ipsa librorum materia, vel ex præstantia laudati Patroni accipiat. Hæc animo perpendentes Palatini Socii, *cùm edendis Rerum Italicarum Scriptoribus manum apposuimus, ac de comparando Collectioni nostræ Patrono deliberandum fuerat, communi omnium acclamatione sacrum* CÆSARIS *nomen imploravimus, librumque porrigentes ab omni laudationis genere abstinuimus, non quia periculum esset, ne modum excederemus; quis enim, utcumque disertissimus, virtutum illius partem attigerit? sed quòd in una parentis nuncupatione jure sibi debitam omnium ante se Principum laudem collatam opinabamur. Et sanè probatum à bonis omnibus consilium nostrum cognovimus, nec vitio fuit tacuisse nos ea, quæ nulla temporum series è memoria posterorum deleverit, vel atrox invidia venenoso dente infecerit: benignum quinimmo propitiumque sensimus numen ejus, cùm gratissimam parentis appellationem adhibuimus, patrisque amorem & liberalitatem beneficiorum copiâ experti sumus. Materiam item Collectionis nostræ non indignam* CÆSARE, *Majestatique ejus convenientem credidimus; Italiæ namque faciem per tenebrosissima tempora ex antiquorum commentariis expressimus, & novum quasi opere tessellato simulacrum effinximus, ne quidquam nisi vetus ac genuinum appareret, quod ipsis Principibus, populisque utile aliquando futurum ratio ipsa & experientia persuadet.*

Utram-

Utramque igitur ob causam Augustam dedicationem opus nostrum decebat; sed quoniam accessum nobis postulantibus ad tantæ Majestatis fastigium Procerum virorum benevolentia quasi per gradus incedentibus primò fuerat acquirenda, propterea felicis recordationis Prædecessorem Tuum Excellentissimum Comitem HIERONYMUM COLLOREDUM omni precum & officiorum studio coluimus, ut Augustissimi CÆSARIS gratiam & patrocinium commendatione sua impetraret, utque ille in literas animo erat pronus, adeò se propitium studiis nostris præbuit, ut brevî non tantùm ea, quæ nobis necessaria credebamus, CÆSARIS liberalitate concessa fuerint, sed longè plura, quàm precibus nostris, immo desideriis mente conceperamus; atque inde factum est, ut in tanta typographici apparatus penuria, quamdiu ille apud nos fuit, octo jam Tomi Collectionis nostræ assiduo intercedente labore adversùs infortuniorum frequentiam vulgati fuerint; sed erepto nobis, immo ab humanis optimo Viro, qui vix in Aulam redux migravit ad Superos, ut debitum bene administratæ provinciæ præmium consequeretur, dum ex illius in nos amore prospera cuncta spe promittebamus, tristi allato nuncio jam ferme animus concidit, timorque fuerat, ne incœptum opus fulcimento ejus destitutum mole sua corrueret; sed cùm ad Te PRINCEPS EXC.ME respeximus, iterum animus convaluit, & con-

fir-

Digitized by Google

firmatus est; nemini enim ex nostris dubium fuerat, quin novo hoc argumento Italia nostra lenitate studiorum, & memoria rerum præteritarum se Tibi iterum devinciret. Italia, inquam, illa, cujus maximam partem felici fortique dextera Tua Imperio jam ante vindicaveras, & adversùs hostium conatus firmasti, ac beatam fortunatamque fecisti perpetuo Justitiæ cultu, nunc verò administratione Tua pacis artibus recreas. Quam repetitam Neapolitano Regno felicitatem, & paulò ante CÆSARIS *clementiâ concessam Belgis, nuper & nos, qui diu eam animo expetebamus, tandem bonis avibus obtinuimus, maximo Insubrium nostrorum commodo, apud quos jam à sola nominis Tui fama obtinere incœpimus, quod ante vix pœnarum severitas, & Magistratuum assidua solertia tentaverat: propulsatos nempe à finibus nostris facinorosos homines jam Respublica gaudet, & restitutam civibus inter domesticos lares securitatem, bonorum omnium plausu, quibus constantis Justitiæ Tuæ, ac civilis prudentiæ præconium jam ante insonuerat, cùm absens esses à nobis, testimonio ceterarum nationum, & in præsentia confirmatum est illico sola observatione responsorum Tuorum, quæ brevitate ac pondere sententiarum vel ipsis oraculis comparanda nemo est, qui non laudet, qui non miretur; iisque in officio contines Magistratus, aulicam assentatorum garrulitatem comprimis, & querulorum*

la-

Digitized by Google

lamentationibus modum imponis. Ab his artibus PRINCEPS EXC.ME *probè cognoscimus quæ fuerit Neapolitanis lachrymarum causa, cùm à florentissimo Regno, cui pridem armatus terrori fueras, discessisti, & ob quam nuper effusos in obsequia Tua Belgas perpetuo Tibi amoris fœdere sociasti. Diuturnius nobis imperium Tuum jam cuncti ominamur, gratesque Superis, &* CÆSARIS *providentiæ referimus, quòd sortem nostram cum ceteris sibi subditis gentibus æquarit, dando Te nobis, in quo uno salutem suam Italia nacta est, cùm undique exterorum armis impetita maximum Te ferventissimi belli propulsatorem habuit Augustæ Taurinorum, quò vis omnis confluxerat tanto impetu, ut cessuram cuncti ornatissimam urbem timerent, nisi Tu fuisses, quem nullus labor, vel rerum penuria fregerit, cunctisque persuasum erat constantia & fortitudine Tua futurum, quod inter gratulationes post repulsos hostes interpellantibus militibus Tuis pronunciasti: Te numquam de rerum copia, vel Sociorum auxilio, sed de brachiis tantùm cogitasse, quorum usu valido nulla spes invadendæ urbis hostibus supererat: itaque sanè constantia hæc Tua advenientibus Sociis & victoriæ profuit, ut exacti belli laus jure merito Tibi tribuatur, & convenire fateantur omnes Optimo Duci* DAUNIÆ *gentis nomen, quod Germanica veteri dialecto repagulum sonat, & militarium clathrorum insi-*

Digitized by Google

insigne, *quod Sigumbertus posteris suis tradidit*, *cùm ob egregia belli facinora in* Abdiramum *Saracenorum Regem à* Carolo Martello *ampla ditione inter Treviros & Euffeliam in Regno veteri Austrasiæ donatus*, *arceque in media regione excitata*, *à circumpositis undique montibus etymologiam auspicatus*, *locum & familiam* DAUN *appellavit*, *in qua tot ferme insignes bellorum Duces numerantur*, *quot gradus*. *At hanc Genti Tuæ communem laudem mibi* PRINCEPS EXC.ME *calamo percurrendam hoc loco non propono*: *quæ Tua sunt in excursu attingo*, *non ut panegyricam orationem intexam*, *cui me parem non sentio*, *sed ut ea tantùm in memoriam revocem*, *quæ hactenus ad Italiæ beneficium cumulasti*, *non singulas militares virtutes Tuas excurram*, *quod brevis non patitur epistola*, *sed ex iis omnibus hoc alterum addam*; *cùm felices copias Tibi traditas trans Garilianum amnem ad vindicandum Neapolitanum Regnum duxisti*, *& ad invadendam Cajetam urbem convolasti*. *Non par ibi hostibus fortitudo & constantia*, *quam Tu Augustæ Taurinorum habueras*: *cedendum virtuti Tuæ fuit*, *& opima tradita sunt Tibi spolia*, *quo in uno* DAUNIO Fabii *patientiam*, & Scipionis *impetum ævo nostro restitutum Italiæ commodo contemplaremur*; *ita enim evênit*, *ut prima Insubria nostra*, *deinde Neapolitanum Regnum*, *re ubique semel exacta*, *bellorum flammis liberata sit*, *ac propulsando*,

&

Digitized by Google

& inferendo bellum, pacem, qua fruimur, restitueris. Cùm itaque tot ac tanta Tibi debeat Italia, novum alterum hoc debendi titulum à Palatinis Sociis *oblatum libenter accipe. De veteri etiam Italia benemerere, ut fecisti de præsenti, & collectionem historiarum nostrarum auspicio ac patrocinio Tuo juvare ne dedigneris, ut quod sub Prædecessore feliciter incœptum est opus, Te favente absolvatur, ob eamque causam hoc exiguum utcumque munus paravimus dedicatione noni hujus Tomi, qui sub ipso imperii Tui initio in lucem prodit. Nec ingratum* EXCELLENTIÆ TUÆ *futurum confidimus quod è Minervæ penu deducitur, licèt homini bellico minùs aptum; Nostra enim studia Summis utique viris, ac Ducibus, æquè ac popularibus comparata sunt. Quis enim utilitatis copiam non accipiat à memoria præteritorum temporum? Ex domesticis etiam studiis Familiæ Tuæ muneris nostri sortem argumentamur; ibi enim benignè habebitur literarum cultus, ubi inter vetera, & nova bellorum trophæa conspicuus etiam libris, & Minervæ instrumentis est locus, aditusque facilis in eam domum patebit, in quam Celebratissimi Viri confluxerunt ad institutionem Filiorum Tuorum, quibus exemplo Tuo, & doctrinæ adjumentis viam paras ad eam nominis æternitatem, quæ beatos homines facit.*

Ac-

Digitized by Google

Accipe igitur PRINCEPS EXC.ME *munus, quod Sociali nomine offero, & me, licèt immeritum, sub patrocinio Tuo confugientem, tuere; habebis namque me assiduo demissi animi obsequio addictissimum. Vale.*

Dabam Mediolani VII. Kalendas Junias MDCCXXVI.

Digitized by Google

ELENCHUS
TOMI OCTAVI.

GERARDI MAURISII Civis, & Judicis Vicentini Hiſtoria de rebus geſtis Eccelini de Romano ab anno MCLXXXIII. ad annum circiter MCCXXXVII. ex editione *Felicis Oſii*. pag. 1

ANTONII GODI nobilis Vicentini Chronica, quæ extant ab anno MCXCIV. uſque ad MCCLX. ejuſdem ferè methodi, & argumenti cum Gerardi Maurisii Hiſtoria; *Felix Oſius* artis Oratoriæ Interpres in Gymnaſio Patavino primus hæc ipſa tribus è MSS. Codicibus Vicentinis defœcavit, recenſuit, evulgavit. In præſenti verò editione ope duorum Codicum MStorum *Bibliothecæ Ambroſianæ* Clariſs. Vir *Joſeph Antonius Saxius* eidem Bibliothecæ Præfectus caſtigavit, & auxit. pag. 67

NICOLAI SMEREGI Notarii Vicentini de Burgo Beric æ Chronicon Gerardi Maurisii, & Antonii Godi monumentis affine ab anno MCC. uſque ad annum MCCLXXIX. adjecto Scriptoris Anonymi ſupplemento ab anno MCCLXXIX. uſque ad annum MCCCXII. *Felix Oſius* primus utrumque eruit, & emendatum ad MSS. Codicum fidem publici juris fecit.
Nunc verò ex duobus MSS. Codicibus *Bibliothecæ Ambroſianæ* auctum, ac caſtigatum prodit. pag. 95

RICIARDI *Comitis Sancti Bonifacii* Vita magnam rerum inter ipſum, & Eccelinos geſtarum partem accuratè complectens, incerto Auctore conſcripta, fide verò & opera *Felicis Oſii* bono rei literariæ publico recenſita. pag. 117

LAURENTII *de Monacis* Veneti Senatus à Secretis, ac Cretenſis Regni Magni Cancellarii Ezerinus III. ex ejuſdem Hiſtoriæ Libro XIII. excerptus, adjectis animadverſionibus *Felicis Oſii* iterum editus. pag. 135

ROLANDINI *Patavini* de factis in Marchia Tarviſina Libri XII. antea editi à *Felice Oſio*;
Nunc verò ope duorum Codicum MStorum *Ambroſianæ Bibliothecæ*, & alterius *Eſtenſis* caſtigatiores Hiſtoriam complectuntur ab anno circiter MCLXXX. uſque ad MCCLX. pag. 153

CHRONICA parva *Ferrarienſis*, ſeu *Chronicon parvum* ab origine Ferrariæ ad annum circiter MCCLXIV. Auctore Anonymo nunc primùm edita ex MSto Codice *Bibliothecæ Eſtenſis*. pag. 469

NICOLAI *de Jamſilla* Hiſtoria de rebus geſtis Friderici II. Imp. ejuſque filiorum Conradi, & Manfredi Apuliæ, & Siciliæ Regum, ab anno MCCX. uſque ad MCCLVIII. Adnectitur Anonymi ſupplementum de rebus geſtis ejuſdem Manfredi, Caroli Andegavenſis, & Conradini Regum ab anno MCCLVIII. uſque ad MCCLXV. omnia primùm edita à *Ferdinando Ughellio* ſub inſcriptione Anonymi de rebus geſtis Friderici II.
Nunc autem à quampluribus mendis expurgata, & non modicùm aucta ope MSti Codicis Illuſtriſſimi Viri *D. Vincentii de Miro*. pag. 489

CHRONICON *Veronenſe* ab anno MCXVII. ad annum uſque MCCLXXVIII. auctore *Pariſio de Cereta*; ab aliis verò continuatum ad annum uſque MCCCLXXV. nunc primùm è MSto Codice *Bibliothecæ Eſtenſis* eductum, atque evulgatum. pag. 617

MONACHI *Patavini* Chronicon de rebus geſtis in Lombardia præcipuè & Marchia Tarviſina ab anno MCCVII. uſque ad annum MCCLXX. ex editione *Felicis Oſii*;
Nunc verò ope MSti Codicis *Bibliothecæ Ambroſianæ* emendatum, & auctum. pag. 661

Digitized by Google

ANONYMI *Vaticani* Historia Sicula ab ingressu Normannorum in Apuliam usque ad annum MCCLXXXII. antea à Viro Clarissimo *Johanne Baptista Carusio* edita, nunc rursus emendatior in eruditorum commodum profertur. pag. 741

SALLÆ, sive SABÆ MALASPINÆ rerum Sicularum Libri VI. ab anno Christi MCCL. usque ad annum MCCLXXVI. antea editi à Clariss. Viro *Stephano Baluzio*. pag. 781

HISTORIA FLORENTINA Auctore *Ricordano Malespini* Patritio Florentino ab ea urbe condita ad annum usque MCCLXXXI. Italicè scripta, cum continuatione *Jacbetti* ex *Francisco Fratre* ejus nepotis protracta ab annum usque MCCLXXXVI. Nunc castigatior prodit. pag. 877

SYNODUS *Provincialis* anno MCCLXXXVII. Mediolani habita ab Ottone Vicecomite Archiepiscopo Mediolanense. Accedunt Constitutiones Guifredi S. R. E. Cardinalis, & Legati Apostolici. Omnia nunc primùm prodeunt ex MSto Codice *Bibliothecæ Ambrosianæ*. pag. 1049

MEMORIALE *Potestatum Regiensium*, gestorumque iis temporibus ab anno videlicet MCLIV. usque ad annum MCCXC. Auctore Anonymo Regiense nunc primùm editum ex MSto Codice *Bibliothecæ Estensis*. pag. 1069

INDEX Rerum, & Nominum. pag. 1181

Digitized by Google

GERARDI MAURISII
CIVIS, ET JUDICIS VICENTINI
HISTORIA
DE REBUS GESTIS
ECCELINI DE ROMANO

Ab Anno MCLXXXIII. ad Annum circiter MCCXXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN GERARDI MAURISII HISTORIAM PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

CIrciter Annum 1237. floruit Historiae hujus Scriptor, nempe *Gerardus Maurisius*, Civis, ac Judex Vicentinus. Tunc Civitati Vicentiæ dominabatur Eccelinus de Romano, sive Rumano, filius Eccelini Monachi, & agnomine Tertius, qui nuper Patavinam quoque Urbem suo adjecerat imperio. Hinc factum, ut Maurisius, quo Eccelinum dominum sibi demereretur, ejus gesta ad eum usque Annum describenda sumserit: hujusmodi nempe est praesentis Historiae argumentum. Praeterea in ejus majorum gloriam Maurisius excurrit, multasque laudes cumulat Eccelini ipsius, ejusque fratris Alberici, ac illustris Familiae de Onaria, sive de Romano. Petat autem aliquis: nonne hic Eccelinus ille est, quem tanta crudelitas, ac immania vitia non suo tantum, sed futuris etiam seculis infamem, execrabilemque effecit? Ita est: impius ille furcifer, ille teterrimus Tyrannus hunc habuit Historicum simul & laudatorem. Ergo, inquies, abeat in malam rem homo, qui probro sibi non duxerit monstrum omnium abominatione dignum per sua scripta commendare posteris. Sed bona verba. Quum hæc Maurisius scripsit, animadvertendum est, nondum Eccelinum humanitatem exuisse, nondum in scelera, ac belluinae feritatis facinora effusum. Adhuc erant in eo Virtutis semina, ac proinde potuit Maurisius sine dedecore ejus acta literis consignare. Nam quae ille egit infandae crudelitatis, pleraque serius egit, eaque in Patavina Urbe. Non est ergo mirum, si Maurisius Eccelino thus adhibet, quando tempora tantummodo subsequuta exosum hominem coelo terraque effecere. Quod ergo Gerardus Johannes Vossius de Histor. Latin. Lib. 2. Cap. 57. de Maurisio scripsit, nempe eum *exorsum Historiam Vicentinam ab Anno* 1183., *ac perduxisse ad Annum usque* 1240., *quemadmodum suis eum literis edocuerat Felix Osius*, omnino cum veritate non consentit. Nam, ut ut demus, ab Anno quidem 1183. ejus Historiae exordium sumi, at certe ipsa concluditur in *captione Fratris Jordani de Padua*, & in obsidione Castri S. Bonifacii ab ipso Eccelino de Romano facta: quae certe, Rolandino teste, contigerunt Anno 1237. scilicet antea quam Eccelinus feritati & vitiis lora solvisset.

Primus, qui *Gerardi Maurisii* Historiam e tenebris in lucem perducere meditatus est, fuit supra laudatus Felix Osius, eamque ab ipso jam paratam, ut ederetur, conjicio. At illius consilium simul ac vitam mors intercepit Anno 1631. Quare opera, ut puto, Clarissimi Viri Dominici Molino Nobilis Veneti haec prodiit Anno 1626. Venetiis ex Typographia Ducali una cum Rolandino, Monacho Patavino, Albertino Mussato, aliisque Marchiae Tarvisinae Scriptoribus. Anno deinde 1710. eadem Historia iterum vulgata est Hanoverae a Celeberrimo Viro Godefrido Guilielmo Leibnitio, & inlata in Tomum Secundum *Scriptorum Brunsvicensia illustrantium* pag. 23. Cur ille in Germanicae Historiae consortium Italicum hunc Scriptorem adsciverit, ea causa fuit, quod Maurisius tum de *Ottone IV. Augusto*, quem Serenissima Brunsvicensis Familia Romano Imperio Principem dedit, tum de *Marchionibus Estensibus*, communem cum Brunsvicensi Linea sanguinem habentibus, non pauca habet, quae alibi frustra requiras. Sed haec praestat audire ex Leibnitio ipso, cujus Praefationem propterea recudendam censui. Ceterum quum de Estensibus hic Scriptor agit, animadvertendum est, ipsum ab Eccelino stetisse, nempe adhaesisse homini, qui internecino odio in Estenses ferebatur; ac propterea dum ipse Historicus aliqua in eorum laudem profert, fidem prae reliquis exigere.

Digitized by Google

Digitized by Google

GUILIELMI GODEFRIDI LEIBNITII

PRÆFATIO.

CUm Felix Osius *Vir doctus, Professor Patavinus, hortatu* Dominici Molini *Senatoris Veneti, ab eruditis sui temporis passim celebrati, Historiam* Henrici *VII. Augusti, ab* Albertino Mussato *contemporaneo scriptam, edere moliretur: Scriptores aliquot alios ineditos addere constituit, qui de rebus* Marcæ, *quam olim* Veronensem, *hodie* Tarvisinam *vocant, idest, partis Longobardiæ, Venetis vicinæ scripserant. Obiit Osius, antequam editionem absolveret; quæ tamen Molini favore &* Laurentii Pignorii *cura perfecta est Anno Dom.* 1636. *Ex his Scriptoribus visus est nobis collectioni nostræ inseri dignus antiquior cæteris* Gerardus de Maurisio, *causidicus ac civis Vicentinus, & aliquando Judex urbis, ut habetur in fine operis, natus* Petro *quondam* de Maurisio *milite, qui stetit à partibus* Friderici *II. Imperatoris & Ecelini de Romano, contra Pontificem Romanum & Marchiones Estenses, idest, à parte Gibellina contra partem Guelfam; cùm contra* Monachus Paduanus, *ab Urstisio editus, &* Rolandinus *editus ab Osio, aliique penè omnes Pontificis partes tueantur, & in Imperatorem sint iniqui. Sed* Maurisius *ante ruinam Ecelini tertii (secundò nati) scripsit: cæteri fortunam secuti videntur. Quanquam ego Ecelinum hunc tueri nolim, cujus crudelitatem, & tyrannidem omnes in ore exagitant; quæ cùm Maurisius scriberet, nondum credo ad* ἀκμὴν *pervenerant. Sed cur* Maurisium *in hanc collectionem admitterem, duo fuere: primum quòd de Ottone IV. Augusto habet, quæ alibi non legenda, ad indolem tanti Principis noscendam faciunt; deinde quòd de rebus Marchionum affert, quæ nuperi Scriptoris Romani, viri docti sed Estensibus iniquioris, opinionem refellunt, qui de Pontificio in Comaclum jure Epistolâ Italico sermone scriptâ tractavit. Contendit Romanus Scriptor Estensibus Marchionum honorem non ante competiisse, quàm* Azo *Estensis ab Innocentio III:* Marchio Anconæ *renuntiatus est. Sed Maurisius noster adversus Estensibus, & hosti eorum favens, eoque credibilior, cùm ipsorum dignitati testimonium perhibet,* Azonem *jam* Marchionem Estensem *vocat ante Annum* 1204., *idest, multo ante, quàm Marchiam Anconitanam obtinuit. Narratque, Marchionem Estensem Ecelino Secundo, Senioris Ecelini filio, contra Patavinos astitisse; sed hunc postea Veronensibus contra Marchionem auxilio fuisse, qui ad potestatis honorem* Veronæ *electus, & deinde expulsus fuerat: mox tamen, repugnante licèt Ecelino, Veronam recepit. Idem Marchio tunc &* Salinguerram *Ferraria expulit, & jam cum amicis Veronam, & Vincentiam, & Ferrariam tenebat: quas tamen mox rursus amisit. Hoc rerum statu Otto IV. Rex, ad recipiendum Imperii Diadema in Italiam vênit, &* Marchionem, Ecelinumque, & Salinguerram *ad se vocavit, deditque operam, ut conciliarentur. Qua in re & moderatio Imperatoris & auctoritas enituit; & jucunda lectu sunt, quæ de colloquio ipsius cum Marchione, & Ecelino habentur, ubi & apparet, Ottonem Aug. Gallico sermone usum, & ab Italis fuisse intellectum. Et mutanda ibi nonnihil interpunctio est; nam pro:* equitando cum ipso in Francesco, dixit Dominus Rex, *&c. sic distinguendum est:* equitando cum ipso, in Francesco (*idest Gallicè*) dixit Dominus Rex. *Porrò rebus compositis, Azonem ad Marchiam Anconitanam (quam ei contulerat) regendam misit, Ecelinum secum Romam duxit; eique deinde reversus,* Vicentinæ *civitatis regimen credidit. Ex quibus intelligitur, Estenses dudum Marchiones fuisse, antequam Anconam obtinerent, & hanc ab Imperatore accepisse; etsi postea, Imperatore cum Papa colliso, hujus quoque concessionem Marchio expetierit. Quin multo ante sub Imperatore Friderico I.* Obitio Marchio Estensis *auctoris nostri testimonio firmatur. Ita enim non procul ab initio operis de Ecelino avo agens:* Hujus *(inquit)* tanta fuit discretio & scientia, quòd, quamvis gravissimè Lombardi Imperatoriam Majestatem læsissent, & non modicè contra illos fuisset Dominus Imperator indignatione commotus; tamen sic humiliter verbis & factis supplicavit eidem, quòd tam sibi, quàm dictis Lombardis & Obitioni Marchioni Estensi suam indignationem dimisit *&c. Itaque si* Scriptor Romanus *non minùs Maurisium, quàm Monachum Paduanum, & Rolandinum consuluisset, nunquam (credo) in animum induxisset suum, ut Marchionatus dignitatem, Principibus solis eo tempore convenientem, in Estensibus, à Pontifice Innocentio III. repetendam judicaret; quam penes ipsos fuisse vetustissimam, & jam decimo sæculo vigentem, aliunde certissimis documentis constat. Sed ut ad Marchionem Estensem, jam & Anconitanum factum, redeamus; ille deinde cum fortuna se circumagens, ab Imperatore ad Papam transit, & Fridericum II. contra Ottonem IV.*

secu-

Digitized by Google

secutus est, ac tamdem decessit, relictis duobus filiis, Aldobrandino & Azone, *dicto* novello. *Tum verò Patavini, spretâ Aldobrandini Marchionis adolescentiâ, Estense castrum cum burgo, tanquam in suo districtu situm, juris sui esse contendentes, auxiliante Ecelino, obsident, &, ut noster ait:* vênit tunc Marchio, tanquam devictus, ad voluntatem Communis Paduæ. *Monachus Paduanus rem ita narrat:* cùm Nobilis Marchio Aldrovandinus nollet Communitati Paduæ subjacere, Paduani arcem Estensem cum machinis obsederunt. Videns autem Marchio, se non posse amicos suos, qui obsidebantur, commodè adjuvare, pariterque sciens, quòd durum est contra stimulum calcitrare, coactus juravit, sicut civis, Communi Paduæ in omnibus obedire. *Hoc Scriptor Romanus arripiens, inde inferre non dubitavit, Estenses, antequam Marchiones Anconitani à Pontifice fierent, non nisi privatos fuisse cives nobiles Paduanos; parùm attendens ad illorum, de quibus loquitur, temporum faciem. Sanè animadvertere poterat, Aldobrandinum jam tum Marchionem fuisse Anconitanum. Nam volebat Pontifex, ut patri succederet, de Ecclesia Romana benemerito. Itaque civis Patavini appellatio non ideo privatum reddebat: idemque locum habebat, etiam antequam Marchiones Estenses Anconam fuissent nacti, cùm dudum ex primariis Italiæ Principibus haberentur. Nempe distinguendus erat Marchionatus feudum Regale, ab allodiali olim terra, qualis erat Estensis; in quam ob viciniam Patavini jus quoddam sibi vindicabant. Sciendum est enim, cùm illis temporibus primariæ Italiæ urbes, inter quas* Patavium *erat, speciem quandam Reipublicæ sibi quæque affectarent; vicina oppida, Dynastasque proximi tractus, in easdem leges adigere tentasse. Pulchrè rem explicat Guntherus in Ligurino diversis locis. Ita enim libro 2. canit de Italica gente:*

Consulibus rerum committere summam
Gaudet, & hos, triplici sumtos ex ordine, (fastum
Ne pariat diuturnus honor) mutare quotannis.
Vivere quemque suæ subjectum legibus urbis
Cogit, & *externos* sub eodem jure *potentes*
Alligat, ut terra vix inveniatur in illa
Aut *Comes*, aut alius, civili jure solutus.

Et idem mox libro tertio introducit Terdonenses Legatos, *urbem Papiam vel Ticinum accusantes, quòd vicinum Comitem, Regni Palatinum, in castro* Lunelli *residentem, sub sua jura coëgissent:*

Nam præter aliquas, quas aut servire coactus
Subdidit, aut captas evertit funditus urbes,
Aspice, quam turpi *Lunelli* nobile *castrum*,
Atque *Palatini Sedem*, fixosque penates,
Verterit illa dolo. Comitem civesque vocabat
Perfida, colloquio pacis de rebus habendo;
Incautosque viros, & nil hostile timentes,
Fraude mala captos in vincula dura coëgit.
Ipsaque non armis, nec belli jure, sed astu
Vel potiùs subversa dolo castella reliquit.
Et nunc ille *Comes*, consors est Regius Aulæ,
Ille *potens Princeps*, sub quo Romana securis
Italiæ punire reos de more vetusto
Debuit, injustè victrici cogitur urbi
Ut modicus servire Cliens; nulloque relicto
Jure sibi, Dominæ metuit mandata superbæ.

Itaque non mirum si juvenis Marchio Aldobrandinus *aliquando similia passus est, vi nihil derogante juri & dignitati. Cæterùm ab aliis narratur, quomodo expeditionem Anconitanam susceperit, & brevì extinctus fratri* Azoni *adolescenti dignitatem familiæ tuendam & propagandam reliquerit. Atque is est, qui postea (circa A. D. 1242.) Ferrariam stabili ditione, volentibus civibus, obtinuit. Obiter noto, errore, nescio quo, pro* Marchione Bonifacio *legi* Melchiore Bonifacio, *quod corrigendum est; & legi debet* Aldruvandinum Marchionem *alibi* Rambertinus de Bononia. *Cæterùm memorabilis est historia Fratris Joannis Vicentini Ordinis Prædicatorum, qui religionis auctoritate aliquamdiu civitates Longobardiæ in pace continuit: sed postremò, cùm ipse regimini manus admoveret, ausis excidit.*

GE-

Digitized by Google

Andreas Cratyin. del. Gio. Giuseppe Orely. fe.

GERARDI
MAURISII
CIVIS, ET JUDICIS VICENTINI
HISTORIA INCIPIT
PROOEMIUM.

QUi aliquorum merita, virtutes, & bona opera manifeſtè cognoſcit, ſi ſcribere, vel aliis nuntiare pigritatur, eidem macula deſidię non deſinit irrogari. Hinc eſt, quòd ego Gerardus de Maurixio, Cauſidicus Vicentinus, cognoſcens manifeſtè vitam, & operam, virtutem & potentiam Dominorum Eccelini, & Alberti (1) Fratrum de Romano, & ſuorum prædeceſſorum, volens ipſius deſidiæ maculam evitare, ipſorum acta mores, & vitam, potentiam atque virtutes, ut ſcientibus memoria non effugiat, & ignorantibus revelètur, ſub breviloquio ſcribere, & notare propoſui. Sed morem largi diſpenſatoris in hoc præſenti Opuſculo gerere cupiens, qui diverſorum ciborum genera recumbentibus ante ponit, ut ex diverſorum generum ciborum aſpectu diſcumbentium voluntates fortiùs gratulentur, & eligendi quæ maluerint, habeant poteſtatem, præſentis Hiſtoriæ curſum diverſorum generum dictaminis exponemus: ut, quod elegantius cuique viſum fuerit, in diſcendo præponat, & legendi copiam habeat laxiorem. Audiat nunc præſens ætas, nec ignoret futura

A posteritas. Audiant boni, ut glorificantes Deum, meliores efficiantur. Audiant eorum æmuli ſimiliter impii, & ſuperbi, ut terreantur, corrigantur, & elati deſinant ſuperbire. Videant ergo avidi diverſos dictaminis modos, & vel ex uno, vel altero, ſive tertio, vel ex omnibus ſimul diſcendi copiam habeant pleniorem. Verumtamen, ante noſtræ loquutionis initium, rogitare non ceſſamus, quatenus noſtræ non imputetur incuriæ, ſi in hac noſtræ loquutionis ſerie quidam verberibus acerbæ locutionis fuerint redarguti, quoniam non ex odii cauſa, ſed quia rei veritas & negotii qualitas ac natura nos talia dicere com-

B pellunt, erit à nobis ipſorum ſcripta redargutio, ſive increpatio. Et, ut bonus finis cum laudabili concordet principio, illius gratiam primitus invocare teneor, & benevolentiam captare, pro cujus amore, & gratia retinenda Beatus Petrus flevit amarè. Scriptum eſt enim, quòd omnia bene geruntur, & competenter, ſi rei principium fiat decens, & amabile Deo. Et Horatius:

Dimidium facti, qui bene cœpit, habet.

Et Ovidius: *Omnia principiis* (inquit) *ineſſe ſolent*. Et alibi. *Difficile eſt, ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio.* Et propter hoc dicitur, quòd *principium eſt* (2) *potentiſſima pars cujuſque rei*, quamvis

C alibi dicatur,

Debile principium melior fortuna ſequetur.

Hoc enim ſic debet intelligi, ut ſubaudiatur, *forſan*: vel, *ſi Dominus voluerit*, ut ſinè præſum-

(1) *Lege* Alberici.

(2) *Fortè* potiſſima.

sumtione aliqua tantùm remaneat in dispositione divina: non tamen est verisimile, vel credendum, sicut est credibile, & præsumendum, quòd bonum principium bonus finis subsequatur. Quid enim, si bene floruerint segetes? Quid, si bene floruerit vinea? Quid, si bene floruerint oleæ? certè præsumi debet, quòd abundantia fructuum florum multitudinem præcedentium subsequetur, sicut scriptum est per Ovidium.

Si bene floruerint segetes, erit area dives:
Si bene floruerit vinea, Bacchus erit:
Si bene floruerint oleæ, nitidissimus annus,
Pomaque, & eventum temporis hujus habent.
Flore semel læso, pereunt vitesque fabæque,
Et pereunt lentes, advena Nile, tuæ.

Itaque Dei Omnipotentis gratiam in nostro principio sic duximus invocandam,

Qui gradiens pelagi fluctus compescit amaros,
Vivere qui præstat morientia semina terræ,
Solvere qui potuit lethalia vincula mortis,
Principium præstet, medium, finemque gubernet.

De Majoribus Dominorum Eccelini III. & Alberici Fratrum de Romano.

EST igitur sciendum, quòd quidam Dominus Eccelinus fuit pater cujusdam Domini Alberici, qui Albericus fuit pater Domini Eccelini. Et hic Eccelinus pater fuit alterius Domini Eccelini, patris præsentium Dominorum Eccelini, & Alberici Fratrum de Romano. Pater ergo istorum fuit Dominus Eccellinus. Item Avus eorum fuit Dominus Eccelinus, eorum Proavus fuit Dominus Albericus; Abavus autem eorum fuit Eccelinus nuncupatus. Avorum autem, scilicet Abavi & Proavi, tanta fuit commendatio, & bona fama, quòd ipsius commendationis prolixitas, & omnium prædecessorum nostrorum plena nequitia, si lingua nostra de ipsorum commendatione conquiescat, nec in illorum laudibus, & relatione suas undas intorqueat, satis nos rationabiliter protegunt, & excusant.

De Eccelino Primo.

IPsis igitur duobus omissis, de primo Eccelino hoc est primitus notandum, quòd fuit Vir ille ditissimus, sapiens & discretus; largus, modestus, pacificus, & bellicosus; trux & placidus, & moderatus: & quæ duo, quamvis contraria videantur, tamen esse possunt, & debent in quolibet manere potenti, scilicet ut supplicibus sit facilis, placidus, & benignus: sontibus, & iniquis trux & horridus moderatè, sicut scriptum est:

Scilicet ejusdem est, quamvis pugnare videntur,
Supplicibus faciles, sontibus esse trucem.

Hic autem, quamvis talis fuisset & tantus; sic fuerat tamen lingua balbuciens, quòd sinè fastidio & labore vix poterat meditata proferre. Interim tamen ita moribus, & scientia cæteros præcellebat in omnibus, quòd, cum tempore quodam ivisset ultra mare, ibi Dominus exercitus Christianorum, & Dux belli, atque Vexillifer electus fuit, & constitutus. Cùm autem inter Paganos quidam tam fortissimus, & staturæ ingentificus cunctos Christianos sic bellando superaret, quòd nullus ei bellando resistere poterat, nec audebat, hic tantæ fuit audaciæ, quòd solitariè pugnavit cum eodem, ipsumque videntibus Christianis interfecit: quod profectò mirabile, & quasi monstruosum omnibus visum fuit. Unde super omnes Christianos ibi tunc gloriam habuit, & honorem, & cum laudibus & triumpho magnificè repatriavit.

Hic etiam fuit Potestas Vicentiæ, & ipsam cum magno vigore, ac pacificè rexit, excepto quòd tempore suæ Potestariæ filii Ganselmi interfecerunt gladio Gastonem Taliæ, qui per ipsum expulsi fuerunt de Civitate sinè spe redeundi; & cum ipsorum copiam habere non potuisset, proscribi fecit ipsorum bona, domos & turres ipsorum radicitus destruendo, & postea heredibus mortui concessit universa, quæ usque in hodiernum diem adhuc ab illis pacificè possidentur.

Hic etiam in diebus illis, cùm tota Lombardia, & Marchia cum Societate sua (3) finisset in Campo cum bonæ memoriæ quondam Domino Federico Invictissimo Imperatore, & Avo hujus nostri Invictissimi Imperatoris & semper Augusti, pro discordia, quæ inter ipsum, & Lombardos diu fuerat excitata, inspectis omnium hominum prudentia, moribus, & scientia, pro majori, & meliori factus est Dux, & Dominus exercitus Lombardorum, atque Vexillifer. Cujus tanta fuit discretio, & scientia, quòd quamvis gravissimè Lombardi Imperatoriam Majestatem læsissent, & non modicè contra illos fuisset Dominus Imperator indignatione commotus: tamen sic humiliter verbis, & factis supplicavit eidem, quòd tam sibi, quàm dictis Lombardis, & Obitioni Marchioni Estensi suam indignationem dimisit, & gratiam & bonam voluntatem recepit. Multa quoque privilegia ex Imperiali largitate, & voluntate benigna Dominus Imperator misericorditer Lombardis indulsit, sicut in pace facta, & firmata apud Constantiam scriptum reperitur, atque notatum. Hoc fuit sub MCLXXXIII. Indictione prima de mense Augusti.

Hic postmodum Domino Imperatori toto tempore vitæ suæ exstitit fidelissimus, devotus, & gratiosus, eidem reverentiam debitam, & obsequium magnificè ac mirabiliter impendendo. Lombardos etiam, secundùm suum gradum plurimum diligebat, ita tamen, quòd propter hoc Imperialis Majestas nullo modo gravabatur; sed potiùs præ ceteris ipsius Domini Imperatoris gratiam conservavit illæsam.

Hic tranquillam duxit vitam, & lætos dies stabili fine clausit, unde verè felix dici potuit, sicut dicitur,

Felix, tranquillam meruit qui ducere vitam,
Et læto stabili claudere fine dies.

De Eccelino Secundo.

SUccessit huic alter Eccelinus, pater præsentium Dominorum Eccelini, & Alberici Dominorum de Romano. Hic in opere, & sermone, vel facundia, & prudentia (4) mirabiliter exstitit, & permansit: in moribus, & scientia, sic patri suo æquipollens, quòd ab omnibus meritò commendabatur. Et quia facundus in sermone ceteros præcellebat, paternam gloriam minoravit in hoc, & etiam in divitiis, quibus dicitur abundasse.

Postea sub Millesimo CLXXXXIV. fuerunt duo viri Electores Potestatis constituti, scilicet

(3) *Legendum* fuisset.

(4) *Melius* mirabilis

cet Dominus Sulimanus Judex, & Pilius Vincentii, pater Alberti de Celsano, primus pro parte illorum de Vivario: alter pro parte Comitis Vicentini, quia tales erant tunc partes in Civitate, & Dominus Eccelinus erat amicissimus Dominorum de Vivario. Fertur, & verum fuit, quòd hic Pilius Vincentii, socio suo ignorante, sic corrupit Jacobum de Bernardo civem Bononiensem, quòd convênit, promisit, atque juravit eidem, quòd parti Comitis Vincentini, & amicis suis, erit favorabilior, quàm parti Vivariensium, si fuerit per ipsos Electores & electus, & Potestas Vicentiæ constitutus. De hoc quoque in fine suæ Potestariæ publicum (5) aperuit Instrumentum. Iste Jacobus per ipsos Electores electus fuit Vicentiæ Potestas, & constitutus. Et quamvis regendo Civitatem, secundùm promissa, parti Comitis esset in omnibus favorabilior, quàm alterius parti; tamen pars Vivariensium cum Domino Eccelino pacificè tolerabant. Verumtamen hic Jacobus occasiones quæsivit duce discordia, lites plantavit, inseruit odia, sicut ait Salomon, qui dixit: *Occasiones quærit, qui vult ab amico discedere*: sub levissima occasione inimicavit eidem Domino Eccelino, ipsumque banniri fecit, & sic inter ipsos orta est discordia. Partes insimul pugnaverunt, & tunc pro magna parte Civitas est combusta. Tamdem pars Vivariensium cum ipso Domino Eccelino expulsa est de Civitate, cum qua parte exivit tunc bonæ memoriæ Pistor Episcopus Vicentinus.

Fecit tunc idem Jacobus in secundo anno se in Potestatem eligi: & sic intus, & extra Civitatem, & circum circa bella committuntur, & prœlia. Rapinæ quoque, & violentiæ sic dominantur ibidem, quòd nil opus est legibus; sed viribus arma moventur. De quo Veronenses, qui naturaliter, & non fictitiè, Vicentinorum semper fuerunt amici, plurimum condolentes, venerunt ad Civitatem, & ipso Jacobo, tamquam impio & iniquo, licentiato, & de regimine, tam pravè suscepto, remoto, duos ibi posuerunt in Potestatem, scilicet Dominum Ottonellum de Turisendis pro parte illorum de Vivario, & Dominum Vermileum de Crescentiis pro parte Comitis Vicentini. Qui ambo dum pacificè regerent Civitatem, Comes Ugutio invênit quemdam Malofililmum civem Januæ, qui in oratione visitabat Ecclesiam Beati Marci de Venetiis; ipsumque cepit, & in Arce sua Medæ duxit, & in compedibus & carceribus posuit custodiendum, pro ipso dimittendo postulans ab eodem maximam pecuniæ quantitatem. Veronenses autem hoc audito cum Vicentinis contra Comitem hostiliter arma moventes, apud Arcem prædictam, ipsam diu obsidendo, castrametati sunt. Tamen ipse Comes, tamquam vir fortis, & audacissimus, viriliter se defendit. Itaque Veronenses, & Vicentini de victoria desperati, reversi sunt ad propria domicilia. Nec dimisit eum Comes, donec ipse captivus (6) pretium sexdecim millium librarum se redemit. Illas autem habuit quietè (7), & pacificè: inde Comes sinè aliqua molestia, vel contradictione.

Et, cùm de hoc humana potentia sumere vindictam non potuisset, divina sibi dispositio reservavit vindictam. Et in primis, cùm ipse Comes Arcem Altævillæ violenter intrasset, & pacificè detineret, quam se numquam restituturum Episcopatui, cujus erat, dicebat, donec Episcopus feudum, quod ei indicari fecerat, non restitueret: vênit tunc Dominus Pistor Vicentinus Episcopus cum paucis, & fecit insultum in illos, qui pro Comite Arcem custodiebant, qui sic celeriter fuere devicti, quòd nisi divinitus processisset, non poterat (8) accessisse. Perdidit ergo propter hoc Arcem prædictam, quia, tamquam bannitus, custodibus suis non potuit dare succursum. Et iterum in illis diebus, cùm duo filii Comitis ejusdem essent in quodam vehiculo, in fossato, in quo erat modicum aquæ, ceciderunt, qui tam celeriter perierunt, quòd nullum potuerunt habere juvamen (9), quod totum divinum judicium in vindictam creditur accidisse.

O Deus, o Divina veneranda Majestas, quàm admirabile, & tremendum judicium tuum! Nam quamvis potentiores pares non habeant, & per hoc credant remanere securi, humanam contemnentes potentiam; tuum tamen judicium evitare non possunt. Ecce nunc Comes iste universos Veronenses, & Vicentinos non timuerat, & una hora per te duobus filiis orbatus, exstitit cruciatus. Bene ergo scripsit Ovidius,

Litus ad Euxinum, si quis mihi dixerit, ibis,
Et metues, arcu ne feriare Getæ.
I, bibe, dixissem, purgantes pectora succos,
Quicquid & in tota nascitur Antycira.
Sum tamen hoc passus, nec, si mortalia possem,
Et summi poteram tela cavere Dei.
Tu quoque fac timeas, & quæ tibi læta videntur,
Dum loqueris, fieri tristia posse puta.

Mutatio Potestatum aliquot Vicentinorum, & de bello, quod Eccelinus gessit contra Vicentinos.

Mutantur Potestates, succedit illis Dominus Visredotus, Mediolanensis civis, in Potestatem, sub cujus Potestaria excitatæ sunt discordiæ cum Domino Eccelino. Unde die quadam equitavit cum Vicentinis contra ipsum apud Marosticam, & bello ac prœlio commissis, Vicentini Burgum totum violenter combuxerunt, & plures ibi ceperunt, & milites, & pedites, qui ducti fuerunt ad Civitatem, & in carceribus positi. Nunc versa (10) est, & tamen pars Domini Eccelini moratur in Civitate.

Mutatur Potestas, succedit huic in Potestatem Dominus Bonapax de Brixia, qui cùm ivisset cum exercitu ultra Brentam, apud Baxianum, ex utraque parte bellando plures sunt capti milites. Dominus autem Eccelinus ira & indignatione commotus, undique collectis amicis, paravit exercitum, inter quos amicos erant Dominus Azo Estensis Marchio, & milites, ac populus Paduanus. Paduanorum Potestas erat Jacobus Strictus de Placentia, qui quamvis Domino Eccelino promisisset exercitum contra Vicentinos; tamen per me ipsum, qui eram unus

(5) *Fortè* apparuit.
(6) *Meliùs* pretio.
(7) *Legendum fortasse*, & pacificè idem Comes.
(8) Accessisse *pro* Accidisse *in Maurisio frequens*.
(9) *Meliùs* quod totum divino judicio in vindictam creditur accidisse.
(10) *Adde*, res.

unus de captivis in Padua carceratus, verba pacifica talia misit ad populum Vicentinum, videlicet, quòd si Vicentini dimittere vellent de carceribus quinque suos milites, quos ceperant ibi apud Baxianum, ipse reddere volebat sex, quos habebat, ex Vicentinis ibidem captos, quorum ego unus fueram, & eram Procurator civitatis Vicentiæ. Quod si fieret, dicebat idem Dominus Jacobus Potestas Paduæ, quòd toto tempore suæ Potestariæ contra Vicentinos profectò Domini Ecceliui non movebit exercitum. Et insuper reddere volebat vigintiocto captivos, qui diu fuerant, & erant carcerati in Baxiano per Dominum Eccelinum. Hæc autem omnia cùm per me dicta fuissent in communi Consilio civitatis Vicentiæ, concorditer Consilium hoc facere recusavit. Unde ego indignatione commotus, in ipso Consilio, audientibus omnibus, rogavi Deum, & Beatam Virginem Mariam, quòd in brevi mihi captivo sociarent omnes concionatores, qui tam pacifica verba concionando contemserunt. Et sic cursu veloci eadem die reversus fui ad Civitatem Paduæ, & finita responsione legationis meæ, sinè mora Potestas Paduæ movit exercitum Paduæ contra Vicentinos tam immoderatè superbos. Venerunt itaque Paduani in servitio Domini Eccelini, usque ad Villam Carmignani de districtu Vicentiæ; & cùm Vicentini tantæ fuissent audaciæ, quòd cum ipsis ante pugnare præsumsissent, quàm verba supradicta tam pacifica recipere voluissent, bello commisso Vicentini versi sunt in fugam, & terga dederunt Paduanis. Capti fuerunt tunc ex Vicentinis numero duo millia, & ultrà inter milites & pedites, & permixtim ex utraque parte tam Vivariensium, quàm Comitis: denique sunt Paduæ in carceribus positi. Ego autem videns venire concionatores superbos carceratos, cum maxima affectione salutavi eosdem, referendo gratiam Deo, quòd oratione mea suscepta mihi sociaverat eosdem. Tunc verè impletum est illud proverbium: *Deus resistit superbis; humilibus autem dat gratiam*. Dominus autem Eccelinus cum magno gaudio, & triumpho revertitur Baxianum, & sic suppeditati sunt ab ipso Eccelino nunc Vicentini.

Ipsi autem Vicentini, tamquam devicti, petunt & implorant auxilium Veronensium, offerentes eisdem Castra, & possessiones suas, arbitrio Veronensium recipienda, si eisdem voluerint dare succursum contra Dominum Eccelinum, & contra Paduanos. Veronenses autem omnibus spretis, naturali amore, & pietatis intuitu commoti, in succursum Vicentinorum promiserunt exercitum, (11) nisi Nuntiis suis, & Legatis captivos redderent sinè mora. Missisque Nuntiis, & Legatis, cùm Paduani totum pro nihilo reputassent, cum exercitu magno, & cum Carrocio venerunt Veronenses, & Vicentini contra Paduanos, & contra Dominum Eccelinum, Castra destruendo, & comburendo Villas, usque prope Civitatem, & sic prope, quòd scintillæ ignis intra Civitatem cadebant. Paduani autem nimio terrore perterriti, in tantam multitudinem fugerant ad Civitatem, quòd vix poterant ibi esse; sed nec extra, timentes vigorem & potentiam Veronensium, audebant exire. Unde Veronensibus, & Vicentinis in Campo manentibus, Paduani omnes captivos liberos, & absolutos dimiserunt (de quibus & ego unum me fuisse recordor) hoc solum pro præmio reportantes Paduani, quòd liberè Veronenses & Vicentini redire deberent ad patrias. Sicque liberatis captivis, Veronenses & Vicentini revertuntur ad patriam.

Dominus autem Eccelinus videns vilitatem Paduanorum, & quia contra suam voluntatem restituerant captivos memoratos, de guerra prædicta, quam cum Vicentinis habebat, Paduanis non certioratis, juravit pro Communi Veronæ recipienti, attendere, & observare mandata Comitis Guelfi tunc Potestatis Veronæ, & dedit illi obsides; & Castra Baxiani, & Angarani, donec voluerit, pro Communi Veronæ possidenda. Vicentini autem & ipsi juraverunt similiter, & sic cum triumpho reversi sunt Veronenses ad domum suam. Post paucos autem dies in civitate Veronæ pax facta fuit inter Vicentinos, & Dominum Eccelinum, & restituta sunt ipsi Domino Eccelino Castra memorata.

Paduani autem plurimum indignati, quòd sic fecerat Dominus Eccelinus, intromiserunt sibi totam Curtem Onariæ, & usque ibi, quamvis diceretur Eccelinus de ONARIA, mutato ipsius cognomine, cognominatus est postea Eccelinus de ROMANO, quod cognomen usque in hodiernum diem Domini Eccelini certificat filios. Factus est tunc Dominus Eccelinus Paduanorum inimicus, eo quòd possessiones illas sitas in Episcopatu Paduæ sibi taliter detinent occupatas.

De conspiratione Eccelini contra Vivarienses, & de morte Pistoris Episcopi Vicentini.

MOdò mutatur Potestas Vicentiæ, succedit huic Dominus Jacobus de Vailardis, cujus tempore satis pacificè, & quietè Civitas permansit. Huic successerunt Consules, sub quibus conspiravit Dominus Eccelinus cum Comite Ugutione contra Vivarienses. Unde sumtâ audaciâ Comes Ugutio guarnimentum fecit contra illos de Scledo, & habuit in succursum homines de Baxiano per Dominum Eccelinum. Episcopus autem bonæ memoriæ Pistor nominatus, cum Vivariensibus, & propinquis suis ivit in succursum illorum de Scledo. Et commorantibus cum totis viribus apud Scledum, nocte una clam & occultè Comes Ugutio abstulit Castrum Belvexini Vivariensibus. Die autem veniente, cùm Castrum per Vivarienses obsideretur, Episcopus memoratus, cùm inermis esset, in aqua, quæ fluit apud Castrum prædictum, supra equum suum, sagittatus ab illis de Castro, (12) exulavit. Tunc venerunt Veronenses, & pro Communi Veronæ cœptâ discordiâ, Castrum prædictum restitui fecerunt Vivariensibus: & utriusque partis licentiato exercitu, omnes revertuntur ad propria domicilia. Episcopus autem mortuus ductus fuit ad Civitatem, sepelitusque fuit in Ecclesia Sanctæ Mariæ juxta sepulturas aliorum Episcoporum.

Qua-

(11) *Legerem lubentius si*.

(12) *Lego exhalavit*

Qualiter post Consules creati sunt iterum Potestates Vicentiæ: & quomodo Vicentini clauserunt aquam fluviorum labentium Paduam.

ISTis Consulibus succedit Marchexinus de Maynardis in Potestatem. Hic suo tempore contra Communitatem equitavit apud locum, quem Comes tenebat, qui dicebatur Saxeolum, non longè à Scledo, illumque locum captum comburi fecit, & ad Civitatem rediit.

Tunc temporis Vicentini cum Veronensibus à Tervisinis aquam Bachilionis, & Beronis fluviorum labentium per territorium Vicentinum ad Civitatem Paduæ clauserunt, & abstulerunt Paduanis.

Series Potestatum aliquot Vicentinorum, & rerum, quæ sub illorum Potestariis acciderunt.

HUic successerunt in Potestatem Vitadinus de Costa, & Martinellus de Benencà. Hoc in tempore Comes Albertus, cùm militando obviasset Mario de Porta Nova, interfecit eum.

Succedit istis in Potestatem Oliverius Enselbardus de Papia. Sub istius Potestaria interfectus fuit Andreas de Serratico in Villa (13) Lonici, prœliando pro illis de Castignunculo, & illis de Monticello contra Commune Lonici, currente Millesimo CCIV. die secundo exeunte Octobri.

Huic succedit Bernardus Vexillifer Papiensis. Sub isto vênit Studium Scholarium in Civitate Vicentiæ, & duravit usque ad Potestariam Domini Drudi.

Huic successerunt Comes Ugutio, & Vido de Vivario.

Istis autem successit Dominus Lombardus de Cremona. In exitu Potestariæ istius conspiraverunt insimul Comes Vido, & Conradus de Vivario, qui cum amicis suis armati tot fuerunt ad Consilium factum de Potestate eligendo, quòd violenter se se eligi in Potestates fecerunt, qui nimis sæventer, & perversè regebant Civitatem.

Et tunc temporis Dominus Oldricus de Vicecomitibus erat Potestas Veronæ, quia ipse cum Melchiore (14) Bonifacio, & cum Monticulis violenter expulerat Dominum Azonem Marchionem de Potestaria Veronæ, sumta occasione, quòd partem suam nolebat dare Marchioni Bonifacio, & sic se fecerat eligi in Potestatem Veronæ. Qua propter idem Marchio, undique conquisitis amicis, & cum Mantuanis contra ipsum, & partem, quæ (15) expulerat de Civitate, conspirando, intravit Civitatem Veronæ, & magnum paravit exercitum. In quorum Veronensium succursum nóbilis Eccelinus memoratus cum magna militum quantitate, contra eundem Marchionem similiter eamdem Civitatem intravit, cum quo ivit tunc Comes Albertus, filius quondam Comitis Ugutionis, (16) quia tunc temporis acceperat Dominam (17) Ymigram, filiam ejusdem Domini Eccelini in uxorem.

Interim autem discordia oritur inter Vidonem Comitem, & Conradum de Vivario, & cùm descendissent de Palatio Communis Vincentiæ, & ivissent ad domos proprias, Populares domum ascenderunt Communis, & ipsis de Potestaria remotis, elegerunt Dominum Gulielmum de Pusterla, Civem Mediolanensem in Potestatem. Qui cùm venisset, & sacramentum sui regiminis fecisset pacificè, audito rumore Veronensium, tam sibi, quàm Communi Consilio Civitatis placuit cum pleno exercitu ire ad Civitatem Veronæ pro bono pacis, & concordiæ, non ea intentione (18), quòd aliqua partium ipsorum læderetur occasione. Iverunt ibi, & apud Civitatem castrametati sunt. Et post multa colloquia facta cum partibus, videntes, quòd pacem ponere non poterant inter ipsas partes, reversi fuerunt ad Civitatem Vicentiæ. Mantuani autem in succursum Marchionis, & suæ partis totis viribus occurrerunt, & bello ac prœliis per totam Civitatem commissis, tandem obtinuit Marchio & pars illius, altera parte fugata & de Civitate violenter expulsa. Illo namque die vix evasit Dominus Eccelinus à manibus Marchionis cum militibus suis. Fugerunt ergo contrarii Marchionis ad arcem Gardæ, & Marchio cœpit dominare Civitatem, domos & turres inimicorum suorum radicitus destruendo. Tunc temporis etiam expugnavit cum Domino Salinguerra de Ferraria, ipsumque cum parte sua expulsit de Civitate Ferrariæ, & ipsam violenter detinet occupatam. Arcem autem Gardæ, ubi fugerant inimici illius, undique per terram, & aquam strictissimè obsidebat.

Dominus autem Eccelinus, videns amicos suos taliter fugatos, & destructos, cogitando qualiter amicis suis, qui obsidebantur in Garda, meliùs posset subvenire, cum maxima propriæ pecuniæ quantitate adivit Civitatem Brixiæ: ibique moram faciens multos comparavit amicos. Et cùm tam strictè per Marchionem amici sui obsiderentur in Garda, quòd omnia jam cibaria penitus illis defecerant, (19) ille fortissimus Eccelinus, vidente Marchione, & exercitu suo universo, cum cibariis necessariis per Lacum Gardæ armata manu, ferreis catenis fractis, ivit ad Gardam, & amicis suis bene ad annum unum necessaria tribuit cibaria, & sic reversus est ad Civitatem Brixiæ sinè cujusquam contradictione. Revertitur & Marchio cum exercitu suo ad Civitatem Veronæ cum nimia tristitia: & tamen dominatur Veronam, atque Ferrariam.

Nunc mutatur Potestas Vicentiæ, cui succedit Dominus Drudus de Buzarino de Mediolano, qui dicitur Buzarinus, qui, ut tutior permaneret, à pluribus Magnatibus Vicentinis filios pro obsidibus abstulit, & misit Mediolanum, inter quos erat Artuxius de Vivario, filius Domini Conradi, & Albertus de Celsano, filius tunc Pilii Vincentii, & alii quamplures. Marchio autem, & Comes Bonifacius de Sancto Bonifacio induxerunt Comitem

(13) *Aliter* Leonici.
(14) *Legendum* Marchione Bonifacio, *scilicet Estense, cujus dissidia cum Azone Marchione memoravi in Antiquit. Estens.*
(15) *Adde* eum *pro se more seculi.*
(16) *Fortè meliùs* qui.
(17) Imiam *alii.*
(18) *Aliter sic legi hæc possent* quòd aliqua partium ipsarum læderetur. Hac occasione iverunt ibi, &c.
(19) *Meliùs* ipse.

A mitem Vidonem, & Conradum de Vivario, ac Pilium Vincentii, & quosdam plures de parte sua ad hoc, ut occiderent, vel caperent ipsum Dominum Drudum Potestatem, & prædictam Potestariam sibi adsumerent ipsi Comes, & Conradus, quia dabunt illis auxilium, & consilium. Et cùm de hac proditione Domino Drudo diceretur à pluribus, ipse totum pro nihilo reputando propter obsides, quos habebat, manebat securus. Unde quadam die tertia, intrante Aprili, currente Millesimo (20) CCIX. manè tempestivè, die Veneris, Comes Vido, & ipse Conradus cum amicis suis quampluribus quorum filios habebat pro obsidibus, impias manus in ipsum injecerunt, & ipsum captum posuerunt in compedibus, B sicque ambo, Comes & Conradus electi sunt violenter in Potestates Vicentiæ, gaudentibus, & exultantibus Marchione, & Comite Sancti Bonifacii, quorum suasione fecerant prædicta. Tunc domus, ac turres quamplures amicorum Domini Eccelini, ipsis fugatis, destruxerunt. Modò habent Marchio, & Comes cum amicis suis Veronam, Ferrariam, & Vicentiam.

Deus autem, qui sibi vindictam in manibus reservavit, post paucos dies mirabiliter, & quasi monstruosè suam potentiam exercuit in eosdem. Nam ante XX. dies ab introitu suæ Potestariæ, cùm exiissent de Civitate persequendo C amicos Domini Eccelini, qui de Civitate exierant: & hospitati fuissent cum exercitu Vicentino in Villa Sandrici, manè tempestivè Jacobinus Guidotti de Tarvisio cum illis de Baxiano, & cum Comite Alberto, & paucis, qui de Civitate fuerant expulsi, & cum illis de Bregantiis fecit insultum in illos. Et quamvis turres, & munitiones haberent fortissimas, & essent etiam numero decies tantum; tamen fugato exercitu Vicentino, sic celeriter capti fuerunt Comes, & Conradus de Vivario, & Pilius Vincentii cum pluribus aliis de participibus sceleris, quòd impossibile erat hoc fieri, nisi divinitus processisset.

Sed quia, *Non habet eventus sordida præda* D *bonos*, voluit Deus Omnipotens, his proditionibus mirabiliter obviare (21), ipsos de sede tam praviter conquisita deponere. Ducti sunt in Castro Bregantii, ibique in compedibus carcerati custodiuntur. Cucurrit autem Comes Bonifacius de Sancto Bonifacio ad Civitatem, & se eligi fecit in Potestatem, detinendo & ipse Dominum Drudum captivum incarceratum. Tunc temporis palatium patris quondam mei, Petri Maurisii, cum duabus turribus destrui fecit idem Comes. Modò Comes cum amicis suis habet Veronam, Vicentiam, atque Ferrariam, & etiam Mantua favet eidem.

E Minantur verò Marchio, & Comes destruere Baxianum, & Castrum Bregantii, ubi stabant amici Domini Eccelini. Dominus autem Eccelinus, quamvis valde foret infirmus in Civitate Brixiæ, hoc audito repatriavit. Et, ut magna loquar, non auditu, sed visu, dico quòd pro honore Domino faciendo, Servi sui bene fuerunt centum, & ultra, de novis, ac pretiosis vestibus cum variis vestiti, qui, nullo alio mediante, in platea, quæ est à capite Pontis Baxiani fecerunt circulum circa ipsum, inclinando sese humiliter ad pedes ejus, quod profectò hilari facie, & gratulanter recepit.

Tunc Marchio, & Comes, exercitu parato cum Veronensibus, & Vicentinis, & aliis undique collectis amicis, venerunt supra Brentam, non longè à Baxiano, & minabantur transire Brentam, & expugnare & destruere Baxianum. Dominus autem Eccelinus, facto guarnimento, bene habebat circa mille milites, & misit Ambasciatores suos, quorum ego unus fui, ad Civitatem Tervixii pro succursu sibi faciendo. Venerunt Tervixini cum suo Carrocio, & pleno exercitu usque ad Castrum-Franchum, parati venire ad prœlium, & ad defensionem Domini Eccelini secundùm suam voluntatem.

Interim autem vir prudens, nobilis, ac bellicosus Salinguerra de Ferraria, armata manu in partem Marchionis, quæ Ferrariam tenebat occupatam, fecit insultum, & Civitatem occupavit violenter, fugatis amicis Marchionis. Hoc autem cùm intellexissent Marchio, & Comes, qui erant in exercitu supra Brentam, quasi fugiendo, revertuntur ad Civitatem Vicentiæ sinè mora cum exercitu, quos Dominus Eccelinus cum exercitu suo, sinè Tervixinis (22) tantum persequutus fuit usque ad Villam Bolzani, ipsam Villam comburendo & deprædando, quæ Villa ab Urbe distat tantùm per quinque milliaria. Et non mira; sed in scena testificata loquar. Duo de militibus Domini Eccelini, scilicet Pater meus, Petrus quondam Maurisii, & Grimaldellus de Bolzano, usque ad pontem Pusterlæ, apud portam Civitatis prosequuti sunt illos. Et, quia pons præ timore à fugientibus fuerat destructus, non potuerunt ultra procedere; sed videntibus eos illis, qui erant supra murum Civitatis, ipsi depositis galeis de capitibus, cum quodam vitreo, eis à quodam Burgensi porrecto, de optimo vino biberunt, pro quo facto Comes Burgensem in X. libras condemnavit, cui Burgensi postea Pater meus, nolens ipsum per hoc damnificari, restituit quinque libras. Ipsi quoque duo reversi sunt ad Dominum Eccelinum, qui versùs Civitatem cum toto suo exercitu venire proposuerat. Tantus enim erat timor, & tremor Vicentinorum, quòd ipsa die per Dominum Eccelinum capta fuisset Civitas. Erat enim tunc Rector Civitatis in tali statu, in quali erat rector ille, de quo dictum est per Ovidium:

Rector in incerto est, nec quid fugiatve, petatve,
Invenit, ambiguis obstupet ipse malis.

Quare autem non capta fuit Civitas, si aliquis diceret, responderi potest, quòd quidam Nuntius Domini Ottonis, tunc Regis, qui ibat Romam pro recipere diadema, dixit eidem Domino Eccelino, quòd sinè mora iret omnibus dimissis ad ipsum, ubi erat. Qui Dominus Otto jam erat in portis Orsanigi. Quapropter Dominus Eccelinus ad domum cum suis reversus est festinanter. Et licentiato exercitu suo, & Tervixinorum, altera die tempestivè movit à Baxiano, & ivit ad Regem, invenitque ipsum adhuc in portis prædictis. Qui Dominus Eccelinus quàm gratulanter, & magnificè per Regem fuisset receptus, vix posset ab aliquibus nuntiari ore, sicut ego, qui cum ipso fueram, testificor veritatem. Est

(20) *Pajarinus habet heic Annum* MCCVI.
(21) *Adde* & ; *vel pro* deponere, *quod sequitur, lege* deponendo.
(22) *Fortè melius* tamen.

Est nunc (23) in Cavam Dominus Eccelinus magnificè, & honorificè, & cum majori & pulchriori tentorio totius exercitus Regis, quod & statim donavit Spirensi Archiepiscopo, & videtur habere gratiam Domini Regis super omnes Principes, semper equitando, & stando prope ipsum Dominum Regem cum maxima domesticitate.

A Interim vênit in Curia Dominus Azo Marchio, qui & ipse videbatur habere gratiam Regis. Die autem quadam, cùm essent ambo coram Rege cum amicis suis idem Marchio, & Dominus Eccelinus, surrexit Dominus Eccelinus, & quasi querelando de Marchione, inter cetera quæ dixit, retulit contra Marchionem, quòd ipse de eo fecerat proditionem. Quia cùm essent non modica dilectionis affectione copulati, sinè aliqua nova ingratitudine, vel offensione, cùm essent ambo in Venetiis, & venirent simul per plateam Sancti Marci, tenente Marchione se ipsum per manum, & servientibus quibusdam currentibus cum gladiis ad occisionem sui, volens evitare mortem, & capere fugam, idem Marchio strinxit ei manum, nec dimittere ipsum volebat; & nisi violenter manum de manu ipsius extraxisset, non potuisset tunc mortis evitasse periculum: tantùm, quòd ipsum tenendo, ne fugeret, impedivit (24), quòd illi occisores vinxerunt milites Domini Eccelini, scilicet Dominum Busnardum, filium quondam Martinelli de Benencà de Pitocho, Civem Vicentinum, quem gravissime vulneratum dimiserunt semivivum. Alium autem militem, scilicet Bonacursium de Tervisio, interfecerunt. Et sic vix evasit Dominus Eccelinus, contra voluntatem ipsius Domini Marchionis, & de tanto scelere ipsum reum esse dicebat: & paratus esse dicebat, sinè mora personaliter probare eidem Marchioni, quòd ejus consilio & auxilio prædicta facta fuerunt. Accusabat etiam ipsum de proditione Domini Drudi, Potestatis Vicentiæ, & de proditione Domini Salinguerræ de Ferraria, & multa dicebat contra dictum Marchionem in illius obprobrium. Ipse autem Marchio respondendo prædictis verbis, quantum ad evidentiam astantium, viliter se excusando pugnam evitavit, dicens, quòd suo loco, & tempore pugnabit cum eodem Domino Eccelino extra Curiam Domini Regis, ubicumque Domino Eccelino placuerit. Et sic in rumore verba deducta fuere, talia Domino Rege tantùm audiente, & nihil statuente; sed tamen silentium indixit utrique.

Altera autem die post prandium, cùm Dominus Rex in campis extra Castra fuisset ad aucupandum cum accipitre, cum quo erat Dominus Eccelinus, & ego ibi eram cum illo, vidimus venientem Dominum Salinguerram de Ferraria bene cum centum militibus armatis, quorum quilibet habebat vexillum, & armaturas rudes. Quos cùm Dominus Rex à longè vidisset, celeriter aucupatione dimissa revertitur ad Castra. Dominus autem nobilis Salinguerra veloci cursu veniens, cùm potuisset directè ire ad tentorium Regis, in obprobrium Marchionis fecit circuitum, & ivit ante tentorium Marchionis, ut ipse Marchio videret ipsum, tam magnificè & honorabiliter venientem: & sic ivit cum omnibus militibus usque ad tentorium Regis, ibique descendit, & cecidit ad pedes Regis cum militibus suis, exponendo querelam de ipso Marchione, & accusando ipsum non solùm de propria proditione; sed etiam de facto Potestatis Vicentiæ, & de proditione, quam fecerat de Domino Eccelino, dicens, quòd de his omnibus paratus erat personaliter probare coram Rege, arbitrio Regis & sinè mora. Marchio autem inter cetera, quæ negando proponebat, semper evitando pugnam, respondit, quòd plures habebat fideles, & nobiliores ipso Salinguerra, qui pro ipso pugnarent cum eodem, si vellet pugnare. Et de hoc rixa magna mota fuit inter ipsos in conspectu Regis, unde ad compescendum tumultum Henricus Calandrini, evaginato ense, cum magna Theutonicorum multitudine utrique parti silentium interposuit. Quo rumore sedato, Dominus Rex imperavit omnibus, quòd pro his factis nullus ampliùs coram ipso dicat de pugna facienda. Et utraque pars revertit ad tentoria propria, Domino Rege cum Theutonicis remanente.

Qualiter Dominus Rex sedavit discordias Domini Marchionis, & Domini Eccelini.

Post hæc altera die, cùm equitaret Rex, & esset Dominus Marchio, & Dominus Eccelinus unus à dextris, & alter à sinistris equitando cum ipso, in Francesco, dixit Rex Domino Eccelino: *Sire Yccelin, Salutem li Marches*. Dominus autem Eccelinus, pileo de capite tracto, dixit eidem Marchioni, inclinato capite: *Domine Marchio, Deus salvet vos*. Cui respondit Marchio, retento pileo in capite: *Deus salvet vos*. Hoc autem videns & audiens Rex, iterum dixit Marchioni: *Sire Marches, Salutem Yccelin* (25): Quod Marchio, adhuc pileo retento, salutavit Dominum Eccelinum, dicens illi; *Deus vos salvet*. Cui iterum extracto pileo respondit (26), iterum: *Sic salvet ipse vos*. Hoc autem facto, sic equitando venerunt ad quamdam ripam, & Vallem, ubi sic erat stricta via, quòd vix poterant duo simul, unus juxta alium, equitare; & sic, Rege prætereunte, ipsi duo soli fuerunt insimul ad transeundum. Dixit autem Marchio Domino Eccelino: *Ite vos ante*: & Dominus Eccelinus eodem modo dixit eidem. Et sic ambo simul iverunt, & tunc cœperunt ad invicem quàm amicabiliter loqui, sic quòd omnes videntes plurimum mirabantur, & maximè Domino Regi valde visum fuit extraneum, & quasi molestum. Duravit (27) ipsorum colloquium bene per duo milliaria, sic equitando unus apud alium.

Cùm autem venisset Rex ad hospitium, & descendisset ad tentorium suum, vocavit primò Dominum Eccelinum, dixitque illi: *Eceline, dic mihi veritatem, quæ verba habuisti tu hodie cum Marchione?* Cui respondit Dominus Eccelinus: *Nos dicebamus insimul de nostro veteri amore*. Dixit Rex: *Et de me dicebatis quidquam?* Respondit Dominus Eccelinus: *Sic dicebamus*. Et ipse dixit. *Quæ verba dixistis, Domine Ecceline, de me?* Cui respondit Dominus Eccelinus: *Nos dicebamus, quòd*

(23) *Fortassis*: In Curia.
(24) *Melius* quare.
(25) *Melius* qui, *aut* quare.
(26) *Legendum fortassè pro* iterum, Eccelinus.
(27) *Adde* enim.

quòd quando vultis , vos estis super omnes homines placidus & benignus , nec habetis parem in Mundo omnium virtutum : & , cùm vultis , vos estis trux , horridus , & terribilis super omnes , & aliud de vobis non diximus . Ipse autem , dimisso Domino Eccelino , vocavit Marchionem , quem eodem modo interrogavit, cui ferè per eadem verba , ac si fuissent præmeditata , Dominus Marchio respondit Regi . Equitaverunt postea ad invicem , sic loquendo, usque ad Civitatem Imolæ; sed ibi Dominus Rex misit Marchionem in Marcham Anconæ , Dominum autem Eccelinum duxit secum Romæ, ad accipiendum diadema.

A

Qualiter Rex misit in Anconam Marchionem , & secum Romam duxit Dominum Eccelinum .

B

NUnc autem in ejusdem Regis præsentia, precibus ejusdem Regis, sibi ad invicem Marchio, & inde Dominus Eccelinus servitium & amorem promiserunt , & sic ivit Marchio in Marcham Anconæ, & Dominus Imperator ivit Romam, deducto secum Domino Eccelino . Cùm autem diadema recepisset Rex, factus Imperator, in reditu suo, Romani secundùm suam antiquissimam consuetudinem bello commisso & prœlio, pugnaverunt fortiter cum Imperatore . In quo bello quidam nobilis, & pulcherrimus miles Domini Eccelini , quem secum duxerat à Tervisio , mortuus est , ibique jacet sepultus. In ipso verò bello Dominus Eccelinus sic egregiè pugnavit , quòd super omnes bellandi obtinuit principatum . Unde fortiùs gratiam Imperatoris, & omnium Principum ampliavit.

C

Qualiter Rex factus Imperator condemnat Vicentinos .

REversus est nunc Imperator, & condemnat culpabiles Vicentinos in sexaginta millia libras denariorum Veronensium , sibi dandas , quas Dominus Eccelinus sibi dare promisit, si habuerit per ipsum regimen Civitatis Vicentiæ . Dominus autem Imperator, quia, antequam ivisset Romam , ceperat Comitem ipsum , quem detinuerat invitum , donec (28) fecit venire Dominum Drudum , liberum & de carceribus absolutum: & ibi pro suo Legato , & Rectore posuerat Dominum Gulielmum de Lando nobilem Civem Placentinum , qui Civitatem regebat pro Domino Imperatore, remoto & cassato Domino Comite Bonifacio de Sancto Bonifacio de sua (29) Potestaria . Præcepitque tunc eidem Domino Gulielmo , quòd regimen Civitatis Vicentiæ dimitteret eidem . Concedendo eidem Domino Eccelino Civitatis Vicentiæ plenissimam Legationem. Et Comiti Guidoni Guerræ de (30) Boblio, cui ipse in custodiam antequam ivisset Romam, concesserat omnes captivos, qui fuerant capti apud Sandrigum, præcepit , quòd de illis captivis se regeret arbitrio Domini Eccelini.

D

E

(28) *Meliùs* faceret.
(29) *Legendum* Potestaria præcipit tunc eidem , *&c.*
(30) De Bobbio .
(31) *Lege* sequi .

Quomodo Dominus Eccelinus habuit regimen Civitatis Vicentiæ à Domino Imperatore .

VEnit Vicentiam Dominus Eccelinus , & sumto regimine Civitatis utraque pars tam amicorum , quàm inimicorum juravit (31) sequendi ipsum , & habere in Rectorem , & Potestatem , ac Domini Imperatoris Legatum. Modò habet Dominus Eccelinus Vicentiam; Salinguerra Ferrariam ; Marchio, & Comes Veronam, & Mantuam : Comes autem Guido Guerra de Bobbio captivos per Dominum Eccelinum tenet, & custodiri facit . Quorum finis talis fuit, videlicet , quòd illa occasione Comes Guido, Pilius Vincentii , Holdracus, & plures alii occasione illa periisse dicuntur. Dominus autem Conradus de Vivario, precibus amicorum veterum Domini Eccelini , & quia ejus erat quasi domesticus , propinquus, & familiaris amicus , dimissus est de carceribus, & sanus & incolumis rediit ad Civitatem.

Nunc fugiunt de Civitate Vicentini quamplures , spretis Domini Eccelini mandatis , quos ipse bannivit, & eorum bona publicavit. Tunc Castrum Grancone , in quo fugaces (32) gueriando manebant, obsedit , & eo devicto destruxit . Fugiunt ad Sanctum Bonifacium, ad Civitatem Veronæ , omnesque inimicantur Domino Eccelino.

Pars autem Domini Eccelini de Verona fugata, vênit Vicentiam; & qui volunt, ibi securi morantur. Inter quos vênit Marchio Bonifacius , cum matre sua Vicentina , & morantur cum Domino Eccelino in Domo Palatii Vicentini, ad expensas Domini Eccelini. Magna guerra est inter Vicentinos, qui morantur intus, & Vicentinos, qui sunt extra Civitatem.

Interim eligitur in Potestatem Veronæ Dominus Bartholomæus de Palatio. Hic hortatu, & consilio Marchionis, & Comitis Bonifacii, movit exercitum contra Dominum Eccelinum, & contra Civitatem Vicentiæ, amicis ex omnibus Civitatibus undique conquisitis . Fuit ibi Mantua cum Cremona, Regium, Brixia, Papia, atque Verona cum magna militum quantitate, (33) & Verona totis viribus , & cum Carrocio. Expugnaverunt Villam Leonici, ipsâque devictâ, obsederunt & Castrum. Quo similiter devicto, veniunt prope Civitatem, usque ad Pontem Altum, qui distat ab Urbe per milliarium tantùm , ibique castrametati steterunt. Dominus autem (34) Eccelinus solummodo partem suam, & eos , qui remanserant in Civitate cum quantitate militum, & peditum de Tarvixio, quos precibus & amore quæsivit, habuit in sua defensione paratos . Qui, tamquam rugiens leo, tantæ fuit præsumtionis, & audaciæ, quòd cum illis extra Civitatem , Ponte Alto inter ipsos tantùm mediante, vênit in campum. Bello itaque commisso, Marchio , & Comes cum parte sua versi sunt in fugam . Capti sunt quamplures de majoribus & melioribus Civitatis Veronæ, & ex omni natione Civitatum prædictarum , quæ venerant in exercitu cum Verona, fuerunt plures capti. Fugit Marchio,

(32) Guerrizando *infra* .
(33) *Meliùs* sed .
(34) *Alii* etiam ,

Digitized by Google

chio, & Comes cum toto exercitu suo. Dominus autem Eccelinus cum magno triumpho reversus est ad Civitatem Vicentiæ: captivos autem duxit ad Angaranum, & Baxianum, ibique in compedibus & carceribus custodire facit illos.

Mors Marchionis, & Comitis cum Castro Estensi à Paduanis expugnato.

ILlis temporibus, & diebus naturali morte, non ultra mensem post hæc, tam Marchio, quàm Comes interiit infra octo dies, unus post alterum.

Interim discordia oritur inter Dominum Aldrevandinum Marchionem, filium quondam Marchionis prædicti, & Paduanos. Qui Paduani facientes exercitum contra ipsum Marchionem, apud Castrum Estensem castrametati sunt, & auxilium Domini Eccelini petierunt sibi dari cum instantia. Ipse autem cum Vicentinis, quos regebat, ivit in auxilium Paduanorum, & cum machinis propriis sic fortiter Castrum, sive Dolone, & Palatium Marchionis expugnavit, die noctuque intus lapidando, quòd totum fuit destructum, & devastatum. Venit tunc Marchio tamquam devictus ad voluntatem Communis Paduæ, & Domino Eccelino licentiato revertitur ad Civitatem cum suis.

Sicque regente Domino Eccelino Civitatem Vicentiæ, placuit Paduanis, de pace facienda se interponere inter Vicentinos intus & extra, & intra Veronenses similiter. Veniunt ergo Paduani ad Dominum Eccelinum, rogando ipsum, quòd consentiat illis in hoc. Ipse autem secum deliberans, & cogitans, quantam super ipsum Dominus mirabiliter suam misericordiam exercuerat, scilicet in dando sibi victoriam & triumphum contra tantas hominum multitudines: & quia sic in brevi Marchionem, & Comitem adversarios suos morti tradiderat, ipsam victoriam & triumphum per ipsum, qui eidem concesserat, recognoscens; pia etiam miseratione placatus, atque commotus, Paduanis concessit. Hic enim est ille, de quo verè dici potest, sicut scriptum est:

Est piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,
(35) Cuique dolet, quotiens cogitur esse ferox.
Qui vincit semper, victis ut parcere possit;
Clausit & æterna civica bella sera.
(36) Multa metu (37) cohibet, qui pœna parva coercet,
Et jacit invita fulmina rara manu:
Qui, cùm justè aliquid statuit, fit tristis & ipse,
(38) Cuique ferè pœnam sumere, pœna fuit.
Cùm sibi suscepta est legis vindicta severæ,
Verba velut cinctum singula virus habent.
Hostibus eveniat, quàm sit violentus in armis,
Sentire, & linguæ tela subire suæ.

Marinus Zeno de Venetiis facit pacem inter Vicentinos, & Veronenses, electusque est Vicentiæ Potestas.

FActum est, quòd Dominus Marinus Zeno de Venetiis pro ipso Communi Paduæ fecit jurare Vicentinos, & Veronenses sua præcepta, deque omnibus discordiis pacem fecit inter ipsos. Concordatus est Marchio Aldrevandinus cum Marchione Bonifacio, & missus est idem Bonifacius in possessione patriæ suæ in omni loco. Reversi sunt omnes tam Veronenses, quàm Vicentini ad proprios lares in Civitatibus, unde fugerant, & electus est idem Dominus Marinus Zeno Potestas Vicentiæ.

Dominus autem Eccelinus cum pleno gaudio, dimisso regimine Civitatis, vadit Baxianum, & alibi, per terras suas pacificè commorando. Videns nunc amicos suos in bono statu, & desiderii sui effectum fore consequutum, qui profectò nullus (39) erat, nisi, ut amici sui possent pacificè manere securi, Marosticam tunc vendidit Communi Vicentino pretio XL. millium librarum. Tali tamen pacto, sub gravissima pœna stipulatione firmata, quòd Castrum Marosticæ muniri non debeat, sed semper stare destructum. Quod Vicentini minimè servaverunt; immo fortiùs solito munierunt eumdem. Modò habent illud Castrum fortissimum, & valde munitum Domini de Romano. Quia, quamvis Marchio Estensis tempore suæ Potestariæ pro Communi Vicentino illud in custodiam habuisset, & sibi voluisset tenere usurpatum, tamdem Domini de Romano eumdem Marchionem compulerunt invitum ad sibi restitutionem faciendam.

De Eccelino Tertio de Romano.

FEcit tunc temporis divisionem inter filios suos Dominus Eccelinus, concedendo partem suam Domino Eccelino in Tervisiana, & Domino Alberico in Vicentina: & sic seculo quasi renuntians, armis dimissis, cœpit strictissimè facere pœnitentiam. Sub isto Marino Zeno Civitates Marchiæ in bono statu permanserunt, & fuere rectæ pacificè.

Mutatur Potestas Vicentiæ, succedunt Potestates huic Comes Albertus pro parte sua veteri, & antiqua, & Dominus Vido de Vivario pro sua: & satis communiter, & bono modo per ipsos Civitas recta fuit. Verumtamen Dominus Vido magis favebat alteri parti, quàm propriæ, in odium Domini Eccelini, quem ideo exosum habebat, quòd idem Dominus Eccelinus tempore suæ Potestariæ non patiebatur ipsum suæ voluntatis arbitrio imprimere, (40) quos volebat, & quia Potestariam Villæ Malati, quam volebat, denegavit eidem.

Istis Potestatibus successit Dominus Rambertinus (41) de Bononia. Hic se regebat secundùm voluntatem cujusdam Comitis noviter facti in Civitate Vicentiæ, in odium Domini Eccelini, & suæ partis. Cujus Comitis tanta erat potentia, quòd cùm partes consuetæ fuerint per (42) medium Officiales habere, tunc sibi tertiam partem omnium Officialium adsumebant, quod in Potestaria Comitis, (43) & Domini Vidonis præcedentium primò fuerat illi Communi concessum. Et favebat Commune prædictum parti Comitis in totum, quam-

(35) *Al.* quique.
(36) *Al.* prohibet, pœna qui parva coercet.
(37) *In vulgatis.* Multa metu pœnæ, pœna qui pauca coercet.
(38) *In iisdem.* Cuique ferè pœnam sumere pœna sua est.

(39) *Desideratur* alius.
(40) *Legendum videtur* opprimere.
(41) *Vocant alii* Rambaldum de Rambaldis: *alii* Lambertinum de Lambertinis.
(42) *Meliùs* per medietatem, *ut infra*.
(43) Comitis Alberti.

Digitized by Google

quamvis se Commune fictitiè faceret nominari: & sic pars Domini Eccelini non habebat, nisi partem tertiam, & pars Comitis duas. Et in hac conditione per duos annos continuos rexit idem Rambertinus Civitatem. Multum tamen displicebat Domino Nicolao Vicentino Episcopo, qui tunc regebat, & ministrabat Episcopatum Vicentinum, quòd Officiales æqualiter, secundùm veterem consuetudinem, partibus pro medietate non dabantur. Unde cùm successisset huic Dominus Albertinus de Castronovo in Potestatem, pro medietate concessit Officiales partibus, contemto Communi prædicto, tamquam iniquo, & fraudulento Communi. Hic bono modo, & tranquillo statu rexit Civitatem.

Successit huic Dominus Albertus Tetavegla de Vercellis, qui cùm & ipse communiter, & bono modo regeret Civitatem, Ugutio Pilii, favore Comitis memorati, indignati ob id, quòd partem tertiam Officialium non habebat, tumultum movit contra Potestatem, & in ipsum fecit insultum, ipsumque in Palatio Communi tamdiu expugnavit, quòd devictus Potestariam renuntiavit, seque fecit in Potestatem eligi. Exierunt quidam amici Dominorum de Romano de Civitate, & morabantur apud Baxianum, & per terras ipsorum Dominorum de Romano. Sic enim dicto, & facto contemnebat Dominus Ugutio illos de Romano, ac si forent plebei, & populares, omnia obprobria dicens adversùs illos cum audacia nimia.

Post suum exitum eligi fecit iterum Dominum Rambertinum de Bononia, ideo quòd valdè inimicus erat illorum Dominorum de Romano, & quia suo arbitrio aliis temporibus rexerat Civitatem. Cùm autem sic regeret Civitatem arbitrio Ugutionis, nullam, vel modicam partem Officialium dando parti illorum de Romano, Dominus Eccelinus indignatione commotus, ob id, quòd amici sui taliter sunt destituti, & omni honore privati, & quòd taliter (44) vilipendunt. Dominus Eccelinus sumtis militibus, & peditibus de Baxiano, ivit ad Sanctum Petrum Enguti (45), pro læsione facienda Vicentinis, & inde revertendo vênit ad Bulzanum deprædando, & comburendo. Vicentini autem hoc cognito, illi (46) tenderunt insidias, & tacenter ultra Villam Bresanviti expectabant ipsum Dominum Eccelinum transiturum, volentes ipsum capere, vel occidere. Ipse autem hoc cognito, quamvis essent triplo plures, convocavit suos, & dixit illis: *Referamus Deo gratias, quia fecit nobis copiam cum hostibus debellandi: omnis homo sit prudens, & viriliter pugnet cum illis, quia Domino dante eos occidemus, vel capiemus*. Et pœnam mortis imposuit fugienti, vel viliter pugnanti. Et sumto (47) magnanimo, dentibus stridens, & more leonis rugiens, videns inimicos, in ipsos impetu facto veloci, ipsi omnes versi sunt in fugam; quamplures de majoribus, & melioribus Civitatis capti sunt per ipsum (48), quos Baxiani, ibi in compedibus, & carceribus fecit custodiri.

Hoc autem fuit primum factum, in quo bellando pugnavit Dominus Eccelinus. Tunc venerunt Paduani, & sic composuerunt inter eosdem, quòd pars Domini Alberici reversa est ad Civitatem, & captivi sunt de carceribus liberati. In illis diebus Dominus Ugutio Pilii factus est amicus Dominorum de Romano, & in illorum partem esse juravit. Unde in fine Potestariæ Domini Rambertini, cùm Domini de Romano, & pars sua pugnasent cum ipsa Potestate, & parte adversa, idem Ugutio fuit cum iis de Romano, pugnando contra alios; & tunc, Civitate pro magna parte combusta, vix evasit Dominus Rambertinus. Fuit tamen, bellando apud domum Domini Ugutionis, in fronte vulneratus.

Huic successit Dominus Gulielmus Amatus, qui, cùm venisset in Civitatem, invênit cives undique prœliando. Sic tamen auxilio Potestatis Paduæ, qui venerat pro rumore sedando, tunc fuit operatum, quòd prœliis cessantibus, sui reginimis pacificè fecit sacramentum. Et licentiato Domino Rambertino pacificè rexit Civitatem, & bono modo. Sub istius Potestaria Dominus Albericus de Romano Dominam Beatricem duxit in uxorem, & in palatio Comunis fecit nuptias, & ipsius Dominæ virginitatem defloravit. Iterum in fine Potestariæ ipsius Domini Gulielmi, Dominus Eccelinus Dominam Ziliam, sororem Comitis Rizardi de Sancto Bonifacio, similiter in uxorem duxit, & Comes Rizardus duxit Dominam Cunizam, sororem istorum Dominorum de Romano. De quo facto Monticuli, & pars Dominorum de Romano valde dubitabant. Verumtamen ipsi Domini dicebant eisdem, quòd propter hoc nihil dubitarent, quia eorum amorem perdere non proposuerant; sed potiùs pro consueto modo, & antecedenti proposito contra omnes illis dabunt auxilium, & favorem.

Succedit huic Dominus Laurengus (49) de Brixia, vir nobilis, prudens, atque facundus. Hic favebat nimis popularibus, & cuidam Communi fictitiè facto: & in tantum, quòd etiam partem Officialium dabat illi Communi. Quapropter Magnates conspiraverunt contra ipsum Dominum Laurengum, inter quos fuerat Dominus Albericus, Comes Albertus, Albertus de Celsano, qui tunc factus fuit amicus Domini Alberici. Et fuerunt etiam omnes Domini de Bregantiis, & plures alii volentes contradicere Domino Laurengo (50). Quod tamquam prudens & discretus, hoc cognito, vocavit ipsos, quòd venirent ad sua mandata. Qui cùm venire contemsissent, ipsos fecit banniri, & ad offendendum eos se viriliter præparabat. Verumtamen, ut securiùs de ipsis posset vindictam sumere, tamquam providus & discretus, misit Brixiam pro amicis suis. In cujus succursum venerunt milites ducenti. Et cùm vellet contra ipsos equitare, venerunt Paduani, & Frater Jordanus cum illis, & fecerunt ipsos omnes venire in plena concione ad mandata ipsius Domini Laurengi, promittendo ipsis Magnatibus (51) conservando eos indemnes à prædicta Potestate: nec enim aliter ad hoc faciendum potuerunt induci. Dominus autem Laurengus statim in eadem concione, præsente ipso Fratre Jordano, & Domino Guidone de Landriano, condemna-

(44) *Meliùs* vilipenduntur, sumtis militibus *&c.*
(45) *Alii* in Gude.
(46) *Pro* tetenderunt.
(47) *Fortè meliùs* magno animo.
(48) *Meliùs* quos Baxianum, missos, ibi *&c.*
(49) Laurentius, *aliis*.
(50) *Pro* quare, *nisi* qui *legere malit*, *pro* quod.
(51) *Pro* conservare.

demnavit eos in septem millia librarum, quos denarios solverunt Paduani pro Magnatibus Domino Laurengo, qui postea Potestariam suam usque ad finem rexit cum magno vigore.

Successit huic Portius (*) Amatus de Cremona, frater prædicti Gulielmi Amati. Hic similiter rexit Civitatem consilio popularium, & Communis fictitii, non bene tractando partem Dominorum de Romano.

Successit huic iterum frater ejus Dominus Gulielmus Amatus, qui & ipse, eodem modo malè tractando partem Dominorum de Romano, Civitatem rexit.

Huic succedit Dominus Otto de Mandello, civis Mediolanensis, qui & ipse modum tenens prædictum, minùs bene tractabat partem suprascriptorum Dominorum. Sub Potestaria istius, cùm esset Potestas Veronæ Dominus Guifredus de Piroano, per Monticulos, & amicos suos captus, & de Potestaria remotus est, cui successit Dominus Leo de Carcere. Et tunc Dominus Eccelinus erat in Civitate Veronæ, scilicet cùm fuit captus Potestas, & positus Dominus Leo: nec voluit in illo facto, sicut poterat, capere partem. Habebat enim jam Comitem exosum, ob id, quòd, cùm Brixienses venturi erant Vicentiam pro succursu faciendo Domino Laurengo, ipse cum fratre suo Domino Alberico totis viribus operam dederat, rogitando ipsum Comitem de Sancto Bonifacio, ne pateretur ipsos Brixienses facere transitum super suum, quod eisdem facere denegavit. Et ideo de ipso multùm non curaverat; ipsum tamen offendere nolebat. Unde ipso Comite in Civitate relicto, cùm repatriaret, invênit insidiatores sibi ordinatos in partibus Comitis, qui in ipsum volebant insultum facere. Unde volens evitare periculum, & cognito, quòd de hoc fuerat Comes culpabilis, reversus est ad Civitatem Veronæ festinanter. Quod cùm in rumore fuisset deductum, Monticuli, & pars illorum arma capientes, ceperunt Comitem prædictum, & plures alios, qui culpabiles dicebantur de proditione prædicta. Ipse autem Leo Comitem captum insugavit, propter quod Commune Veronæ ipsum de Potestaria removit, & electus est tunc Dominus Eccelinus Potestas Veronæ.

Cum quanto autem vigore regat Civitatem Veronæ, & quantum ab omnibus ibi commorantibus commendetur, & diligatur, nullus ignorat: nec possent illius laudes à quoquam breviter nuntiari. Fugit tunc Comes, & sua pars, & guerram maximam faciunt cum Domino Eccelino, & sua parte.

Interim mutatur Otto de Mandello, cui succedit in Potestatem Vicentiæ Dominus Albrighetus de Faventia, qui cùm ipse foret Dominorum de Romano, & Domini Salinguerræ de Ferraria specialis inimicus, Dominos de Romano, & partem suam penitus vilipendendo, pessimè tractabat eosdem. Et, ut posset manere securus, omnes turres, & munitiones partis illorum de Romano per Cives Paduanos custodiri faciebat.

Dominus autem Albericus videns se, & amicos suos sic malè tractari, fremens spiritu, tamquam miles fortissimus, & audacissimus, & discretus, cogitare cœpit, quomodo istum Albrighetum posset de Potestaria repellere. Et habito cum fratre suo Domino Eccelino tractatu, & cum paucis amicis suis secreto, statuit pugnare cum ipso Potestate, & munitiones amicorum suorum auferre Paduanis, qui eas custodiebant. Ac die certa statuta Dominus Eccelinus cum quantitate militum, & peditum in succursum Domini Alberici, & amicorum suorum venire promisit. Sicque factum est, quòd die una tempestivè Dominus Artusius de Vivario insultum fecit in custodes, qui erant supra turrim suam, ipsosque devicit, & turrim suam statim recuperavit. Dominus autem Albericus cum guarnimento magno cucurrit. Comes Ugutio, & Ugutio Pilii erant cum eodem Domino Alberico. Pugnæ, & prœlia committuntur per Civitatem. Paduani venerunt in succursum Potestatis. Dominus autem Eccelinus vênit recto tramite per stratam Veronæ cum militibus, & peditibus Veronensibus, & violenter per Portam Novam Civitatis intravit. Et commisso bello cum Paduanis, & Potestate devicti sunt Paduani, & ipsorum multi fuerunt capti: quos postea Domini de Romano dimiserunt; spolia tamen perdiderunt. Capta est Potestas, & licentiata recessit.

Factus est tunc Dominus Albericus Potestas Vicentiæ, & Dominus Eccelinus cum suis, & pleno triumpho revertitur ad Civitatem Veronæ. Nunc habet Dominus Albericus Vicentiam, & Dominus Eccelinus Veronam.

Multi autem exeunt de Civitate Vicentiæ, & Episcopus Vicentinus cum illis, & morantur in Brendolis guerrizando cum Civitate; & Valerianus de Bragantiis cum illis guerram facit Civitati. Dominus autem Albericus primò Castrum Granchonæ destruxit, postea Castrum Domini Valeriani etiam fortissimum juxta Villam Maxonis diu obsedit, & illud destruxit. Civitatem autem, & illos, qui sibi obediunt, sic laudabiliter regit, atque gubernat, quòd usque in hodiernum diem ab omnibus meritò commendatur. Et Civitatem rexit per viginti novem menses.

Sub istius Potestaria Dominus (52) cepit Castrum Fontis, & filium quondam Domini Gerardi de Campo Sancti Petri. Paduani autem, & Tarvisini de hoc indignati, moverunt exercitum cum Carrociis contra illos Dominos de Romano, & venerunt contra Baxianum, comburendo Villam, & incidendo vineas. Dominus autem Albericus cum Vicentinis se defendere conabatur. Interim vênit Dominus Eccelinus, pater istorum Dominorum Eccelini, & Alberici, & plurimùm lagrimando Dominum Eccelinum filium suum rogitavit, quatenus Castrum redderet memoratum, & filium Domini Gerardi de Campo Sancti Petri. Quod quamvis sibi durissimum, atque gravissimum videretur, tamen annuit paternis precibus, & omnia ipsius arbitrio restituit Paduanis, & Tarvisinis. Sicque reversi sunt exercitus omnes, maximo tamen damno dato Domino Alberico, & hominibus de Baxiano.

Dominus autem Eccelinus Veronam rediens, volens parcere laboribus, & expensis ipsorum, de voluntate etiam amicorum suorum, ad preces Lombardorum, passus est alium ibi poni in Rectorem, & Potestatem, scilicet Comitem Bonifacium de Radaldesco. Et sic, pace firma-

(*) *Alii* Pontius.

(52) *Lege* Dominus Eccelinus.

Digitized by Google

firmata, regit iste Comes Civitatem auxilio & consilio Zuliani quondam Rainaldi Osterii, qui Capitaneus erat cujusdam Communantiæ noviter factæ in Civitate. Cujus Zuliani tunc maximus vigor fuerat, & omnia ferè suo disponebantur arbitrio.

Isti autem Comiti successit Dominus Promus Encoardus in Potestatem.

Huic successit Dominus Rainerius Zeno de Venetiis, qui cum magno vigore prædictam rexit Civitatem, tenendo Castrum Sancti Bonifacii in sua virtute, & potestate, toto tempore suæ Potestariæ.

Huic quoque successit Matthæus Justinianus, similiter de Venetiis. Sub isto Costantinus, filius quondam Aldelardini, fregit pacem, vulnerando quemdam de parte Monticulorum; & sic, rixâ commotâ, captus est Comes, & amici sui.

Item Dominus Eccelinus Potestas est constitutus. Positus est Comes, & amici sui in compedibus, & carceribus. Cùm autem nimis severiter custodirentur, Dominus Eccelinus, pater præsentium Dominorum de Romano, quamvis seculo renuntiasset, tamen viscera pietatis contra captivos aperiens, ivit ad ipsos, & eisdem cibaria necessaria, quæ penitus illis fuerant subtracta, dari fecit & concedi.

De tractatu Lombardorum cum Eccelino caussa pacis.

MOdò venerunt iterum Lombardi, rogitando Dominum Eccelinum, & partem suam, quòd arbitrio ipsorum sibi, & amicis suis placeat componere, ipso Domino Eccelino dicente, quòd Comes, & sua pars pacis fœdera non servabunt, nisi Castrum Sancti Bonifacii auferant eidem Comiti. Unde Lombardi promiserunt Domino Eccelino, & Communi Veronæ, quòd non dimitterent Comitem, & alios captivos liberos & absolutos, nisi primùm dederit Castrum illud in virtute, & potestate Communis Veronæ, & Potestatis futuræ.

Statuerunt etiam, & jurare fecerunt septem Civitates, Brixiam, Mantuam, Veronam, Vicentiam, Paduam, Tarvisium, atque Ferrariam, quòd bona fide, operam dabunt ad hoc, quòd pax observetur firmiter: &, si qua partium aliquarum istarum septem Civitatum, pro alia fuerit de Civitate expulsa, omnes aliæ Civitates taneantur adjuvare partem expulsam in Civitate redire: & si Domini de Romano in hac societate intrare quoquo tempore voluerint, quòd recipiantur. Quo taliter statuto, & firmato, Dominus Eccelinus captivos tradidit Lombardis, & passus est ibi poni Dominum Guidonem de Rode in Potestate, Lombardi autem miserunt Comitem Placentiæ; & Dominus Eccelinus domum rediit, dimisso Domino Guidone Rectore, & Potestate.

Instat nunc Dominus Eccelinus, & pars sua, quòd Lombardi dari faciant Castrum Sancti Bonifacii Potestati Veronæ, secundùm præcedentem promissionem. Quod cùm de die in diem semper promittendo differrent, tamdem Lombardi fecerunt colloquium apud Bononiam, ad quem, videntes illi Domini de Romano, quòd colludebantur à Lombardis, placuit eisdem mittere Procuratores suos, ad rogandum Lombardos, quòd attendant promissa sibi facta, & maximè, quòd reciperentur in societatem septem prædictarum Civitatum. Fuerunt illorum Procuratores Dominus Bonifacius de Piro Tarvisinus Canonicus, & Ego. Qui facta petitione nostra, Ambasciatores Veronæ, Mantuæ, atque Ferrariæ apertè contradicebant, eos non esse recipiendos. Detinuerunt nos ibi bene per mensem unum, dilatando responsionem suam. Unde, quasi ira vehementi commotus, dixi inter Lombardos, me plurimùm admirari, quare non audiebant, & tantum differebant petitionem Dominorum de Romano, quoniam adhuc tanta erat ipsorum potentia per se, & amicos suos de Verona, quòd omni die possent expellere partem Comitis de Civitate, si vellent, & dominari ipsam, sicut ante faciebant. Quod totum Gualvagnus de Turrisendis, cum his, qui erant ibi Ambaxiatores illorum Dominorum, respondit, & confessus fuit verum esse, præsentibus Ambaxiatoribus, qui contradicebant. Dixi etiam majora Lombardis, scilicet, quòd si Domini de Romano volunt Domino Imperatori favere, per se solos tantam habent potentiam, quòd per terras suas possunt conducere ipsum Imperatorem in Marchia, invitis & contradicentibus Lombardis: nedum, quòd in Verona tanta est potentia eorum, ut supra dixeram. Unde dicebam, quòd non erant contemnendi, & taliter vilipendendi ab ipsis Lombardis, si rectè cupiunt facere negotia Lombardiæ. Nec volebamus nos Procuratores ampliùs ibi expectare: & verè irati venire cœpimus sinè ipsorum Lombardorum licentia. Ipsi autem nobis retrovocatis, responderunt, nobis, facturos quæcumque volebamus, & sic recepti fuimus pro ipsis in societate illarum Civitatum, quam societatem observare juravimus in animabus eorum, procuratorio nomine, sicut nos facturos nostra publica Instrumenta dicebant.

Post hæc nostra fuit petitio, quòd festinanter mitterent Ambaxiatores Paduanis, quòd sub debito juramenti, & sub banno Lombardorum, eisdem Dominis de Romano nullum damnum darent in terris, & possessionibus eorum; quoniam, ad instantiam Feltrini, & Bellunensis Episcoporum, Paduani promiserunt exercitum facturos contra Dominum Eccelinum apud Opitergium, quod Castrum possidebat idem Dominus Eccelinus pro suo, quamvis Episcopus memoratus diceret ad se pertinere. Impetravimus ab eis, quidquid voluimus, & venimus cum Ambaxiatoribus disertis, & sapientibus, ad nostram petitionem per hoc destinatis, quod, sicut habebant in mandatis, optimo modo expleverunt. De hoc, nescio de socio, sed de me scio, quòd adhuc debeo remunerari.

Instant nunc Lombardi, quòd Comes juret societatem Lombardorum, qui & ipse juravit, & receptus est, atque liber, absolutus, atque dimissus, & habet Castrum suum de Sancto Bonifacio, & omnes possessiones suas, inconsulto, & inscio Domino Eccelino, & parte sua. Unde cùm peterent Lombardi, & Potestas Veronæ immoderatè instaret, ad hoc, quòd & ipsi jurent societatem Lombardorum, Domini de Romano, videntes, se se, & partem suam proditos, & per Lombardos deceptos, totis viribus Lombardis contradicunt. Et cùm Potestas nimis ad hoc instaret, & quasi violenter vellet ad jurandum partem Dominorum de Romano compellere, Dominus Eccelinus

Digitized by Google

linus festinanter Veronam adivit, & cùm non posset blandis verbis Potestatem à suo proposito deviare, cepit ipsum supra domum Communis Veronæ, dicens illi, quòd faceret venire obsides amicorum suorum, quos miserat Mediolanum; ipsumque captum detinuit, donec obsides habuit memoratos. Dicebat autem idem Dominus Guido: *Ego laudo, quod facitis; nec pro malo habeo quod etiam de me facitis; & quòd adjuvetis vos, consulo vobis, & cum Imperatore, & aliis, sicut potestis, quia sinè dubio Lombardi vos deceperunt, & decipient adhuc, si poterunt, graviùs*. Iterum Dominus Eccelinus incœpit regere Civitatem, & taliter videns se, & partem suam proditos, & deceptos jurant partem Domini Imperatoris, & Civitatem Domini Imperatoris arbitrio disponendam committunt. Nunc guerra maxima incipitur; Lombardi favent Comiti, Dominus autem Eccelinus se viriliter defendit.

De Alberico de Romano Eccelini fratre.

MOdò redeat calamus ad Dominum Albericum. Ipse enim in exercitu suo eligi fecit Potestatem, sicut sacramento tenebatur adstrictus, & electus fuit Dominus Ubertus de Concorezo, civis Mediolanensis. Qui cùm venisset, facto jam sui regiminis sacramento, & esset in domo, & palatio Communis pro Potestate, ortâ rixâ in Civitate, eo quòd pars adversa Dominorum de Romano favere nolebat eidem, cucurrerunt Potestas Paduæ pro suo Communi, & Dominus Zulianus Rainaldi Osterii pro sua Communantia de Verona, & cœptâ discordiâ, licentiato prædicto Domino Uberto, sibi suo ficto ante soluto, eligerunt Dominum Philippum Zulianum de Venetiis in Potestatem, virum discretum, & audaciæ maximæ. Hic bene, & cum maximo vigore rexit Civitatem Vicentiæ.

Tempore istius conspiraverunt quidam contra Dominum Albericum, & ejus Masnatam, & faciebant se vocari *Partem liberorum*: & altera Pars dicebatur *Masnata*. Sumserant enim audaciam ob id, quod inter Dominum Eccelinum, & Dominum Albericum steterat quædam indignatio; & in tantum exolevit stultitia, & ipsorum præsumtio, quòd nedum Masnatis; sed & Domino Alberico minabantur. Dominus autem Eccelinus, tamquam providus, & discretus, naturali ratione, & fraterna motus affectione, non habito respectu ad præcedentem indignationem, violenter & manu potenti Baxianum intravit, ipsosque proditores expugnando superavit. Quidam fuerunt peremti, quidam capti, & ceteri fugati sunt de Baxiano, qui fugerunt alii ad Comitem Sancti Bonifacii, alii ad Marchionem Estensem, alii ad Dominum Tisonem de Campo Sancti Petri, propter quod à Sapientibus susceptores tales de proditione prædicta creduntur auctores. Venerunt etiam quamplures ad Civitatem, conquerendo de Domino Eccelino, & Domino Alberico, & sua Masnata, allegando, quòd non habebat ibi Dominus Albericus Comitatum, nec jurisdictionem aliquam. Dominus autem Philippus Zulianus Potestas vocavit Dominum Eccelinum, & Dominum Albericum ad sua mandata, & alteram partem similiter. Et quamvis Dominus Eccelinus de sua non fuisset jurisdictione: tamen vênit ad mandata ipsius, cui pro se, & parte sua, maxima pignora præcepit, & juratores quamplures, & alteri parti similiter pignora præcepit, & juratores. Et in fine auditis, & cognitis propositis hinc inde, definitivâ sententiâ, in plena concione pronunciavit Potestas, Comitatum, & jurisdictionem Baxiani esse Domini Alberici, & ad ipsum pertinere. Dominum autem Eccelinum pro se & parte sua, & juratores illius condemnavit pro banno Communis in sex millia librarum denariorum Veronensium: alteram autem partem condemnavit in duo millia librarum, & ipsa ab omnibus bene exegit.

Tempore istius Paduani, Vicentini, & Mantuani moverunt exercitum contra Veronam, & Dominum Eccelinum; expugnaverunt Portum, & Lignagum, comburendo, deprædando, & omnia destruendo: & sic Dominus Eccelinus rediit ad Civitatem, ibique se defendit. Itaque ad Civitatem ire non audent, circumcirca tamen damna gravissima intulerunt, & revertuntur ad patrias.

Mutatur Potestaria Domini Philippi Zuliani, cui succedit Dominus Guido de Rode, civis Mediolanensis. Timens autem iste potentiam Magnatorum, credens planiùs regere Civitatem, Magnates quamplures misit in Lombardiam, præcipiens eisdem in banno, & sacramento, quòd sinè sui licentia non auderent reverti, & fuerunt ex utraque parte Magnates, (53) inter quos fuit Ugutio Pilii, Dominus Petrus Comes, Siginfredus de Arzignano, Dominus Panensachus de Drissino, Ugolinus Amistadis de Berica, & Dominus Artusius de Vivario; sed iste propter infirmitatem cum licentia Domini Guidonis reversus fuit. Alii autem, ad invicem contra Potestatem conspirantes, sinè Potestatis licentia redierunt, talis videlicet propositi, quòd mandata Potestatis propter hoc non jurabunt. Et sic Potestas iratus ipsos coram se convocavit venturos, qui omnes unanimiter ipsum contemnendo, coram ipso venire contemserunt. Unde ipse illis banna, & pœnam maximam imponit, nisi ad diem certam venirent pro omnibus suis præceptis observandis. Quod & ipsi totum pro nihilo reputaverunt, & omnes apud Monticulum cum Domino Ugutione commorantur. Ipse autem Potestas, non immeritò indignatus, equitavit contra ipsos.

Interim venerunt Paduani, & cum sacramento reverenter astricti ad adjuvandum Potestatem, induxerunt prædictos ad jurandum præcepta Potestatis: hac tamen intentione, quòd ipsi Paduani promiserunt eisdem de hoc facto ipsos indemnes conservare. Quo facto rediit Potestas, & ipsi omnes ad Civitatem. Et cùm Potestas banna sua, in quibus inciderant, ab illis vellet exigere, & punire de tanto commisso, Paduani hoc ei facere vetuerunt, quod profectò immoderatè, nec immeritò, fuit sibi molestum. Sed & ipse aliud facere non poterat: tanta erat potentia Paduanorum, quoniam Civitatem quasi occupatam tenebant, & omnes munitiones Civitatis custodiebantur per Paduanos Cives, expensis tamen Vicentinorum.

Huic succedit Dominus Gulielmus Sivoletus.

(53) *Adderem* expulsi.

tus. Sub isto vênit Comes Rizardus de Sancto Bonifacio ad Lonicum, & turrim partis illorum de Romano destruxit, & adversam partem posuit in Castro. Tunc temporis, cùm precibus, & amore meo Bonifacius de Orbana cum quibusdam suis sociis esset cum guarnimento apud Baxianum cum Domino Alberico, placuit eidem Domino Alberico, quòd idem Bonifacius veniret cum Erro de Lonico, &c, si possent intrare Castrum, quòd hoc facerent velociter. Ipsi autem minùs cautè venientes, intraverunt Villam, ignorantes, quòd Comes esset ibi, & haberet ipsam occupatam. Cùm autem cognitus fuisset, idem Bonifacius vix evasit, & cum tanto periculo, quòd vix posset ab ignorantibus credi. Captus fuit Scutifer ipsius, amisit equum, & arma, & viginti sex solidos magnorum Venetorum. Socius autem unus ejusdem alium equum amisit & arma, & vix, & inermis evasit. Duo alii sui socii capti fuerunt per Comitem, qui tradidit illos Marchioni, & ipse eos decollari fecit. De hoc nullum habui ego, cujus erat damnum, nec ipse aliquod restauramentum adhuc; & in veritate damnum fuit, sinè morte virorum, ducentarum librarum, & ultra. Eodem autem tempore pars Dominorum de Romano, expulsis aliis de Castro, occupaverunt illud: altera autem pars, collectis amicis à Comite, & aliis amicis, obsidebant illos, qui erant in Castro, & cum machina, quam posuerant in domo mea propria, lapidabant intus Castrum, & hanc machinam miserat illis Comes cum hominibus de Sancto Bonifacio. Exierunt tum quidam de Castro, & quidam venerunt ab altera parte contra illos, quosdam occiderunt, & boves abstulerunt, & machinam: & sic omnes versi fuerunt in fugam. Petitur nunc Castrum per Potestatem Vicentiæ: & per Paduanos illis, qui intraverunt de novo, quamvis prioribus nihil dictum fuisset, cum effectu redditur Castrum Potestati, & Paduanis. Ponunt ibi Paduani custodes ad expensas Communis Lonici, & ambæ partes morantur in Villa, quæ ad invicem damna sibi dabant, & dari faciebant occultè per extraneos, excusando se se, quòd non erant culpabiles. Unde consilio Paduanorum, qui erant Capitanei tunc in Civitate, & cum consilio suæ Curiæ, & consilio Civitatis, idem Dominus Gulielmus tale firmavit Statutum, videlicet, quòd si cui partium damnum daretur de cetero alterutri partium, quòd Dominus Tiso, filius Domini Alberici de Lanfranco pro parte sua cum illis totum damnum restituere debeat illi, qui damnum passus fuerit ex altera parte: & Dominus Gabriel de Lonico eodem modo pro sua parte facere debeat; & sic illis fecit nuntiari.

Post hæc, cùm boves mei essent de parabola Capitanei Castri in pratis Lonici, pro vehendo fœno, consilio illorum de parte Comitis, qui erant meliores boves totius Lonici, Comes misit milites, & abstulit boves meos, & dedit illos illi, cujus fuerant boves, qui machinam traxerunt memoratam. Dominus autem Gulielmus prædictum Tisonem condemnavit in restitutionem mihi faciendam, & ipsum fecit sic banniri, quòd exire (54) de Baxiano non posset, nisi primò damnum restituat, secundùm sententiam: quæ sententia

A nondum mandata est executioni, propter nimiam potentiam, quam idem Tiso habet, & habuit in Curia. Sub Potestaria istius divinitus combuxit totum Castrum Calderii cum magna virorum, & mulierum multitudine, quod & Dominus Eccelinus festinanter occupavit.

Tempore isto vênit Dominus Imperator apud Portum Naonem, & ivit ad illum Dominus Albericus, qui magnificè per ipsum receptus est. Et cùm de pluribus ad invicem loquerentur, inter cetera, quæ Dominus Albericus dixerat, dixit eidem, *quòd poterat intrare Veronam, & habere ipsam ad suam voluntatem, quia Dominus Eccelinus frater suus*
B *erat ibi, & ad honorem Imperatoris defendebat illam à Comite Sancti Bonifacii, & Lombardis, cum quibus jam communiter conspiraverat contra eumdem Dominum Imperatorem.* Ad hoc respondit Dominus Imperator: *Bene dicis, & verum est, quòd potestis eam mihi dare, & quòd possum intrare illam; sed non habeo in præsenti tantam gentem, quòd honorificè possem eam tenere. Foret enim maximum opprobrium Imperatoriæ Majestati nostræ, si homines nostri possent nos ibi obsidere securi, vel nobis impunè resistere; sed placet nobis, quòd defendatis ipsam usque ad tale tempus, tempore designato. Et ibi usque ad illud tempus veniemus cum tam horribili gentium multitudine,*
C *quòd nobis non inveniemus resistere valentes*: quod & se facturum pro se, & fratre Dominus Albericus promisit eidem. Revertitur Dominus Imperator, & Dominus Eccelinus detinet Civitatem Veronæ.

Tempore isto Paduani cum Vicentinis obsiderunt Rivaltam, & habuerunt eam à Domino Ugutione, cujus erat, tali pacto, quòd sibi debebat restitui. Et quamvis valde dissipatam, tamen Paduani eam restituerunt Domino Ugutioni de Crescentiis, cujus erat, qui tamquam prudens, & discretus, atque vir, & miles fortissimus, & omni largitate decorus, ipsum locum valde fortiùs solito munivit, ipsamque inimicis suis omnibus invitis
D detinet honorificè, & cum magno vigore.

Exivit iste de Potestaria, successit huic Henricus de Rivolis, & facit guerram Domino Alberico, sicut (55) potest, & adjuvat Comitem Sancti Bonifacii contra Veronam. Ugutio autem Pilii & ipse modis omnibus, quibus potest, palàm, & occultè lædit Dominos de Romano, & vilipendendo ipsos verbis & factis, multa illis inferendo obprobria indecentia.

Paduani autem tunc valde inimicabantur Tarvisinis. Unde Dominus Albericus contra Paduanos conspiravit cum Tarvisinis; & die quadam, secundùm voluntatem Tarvisinorum, ipse cum militibus suis equitavit ad
E Cittadellam, & ante portam bello, ac prœlio commissis, ibi egregiè ac fortiter pugnavit Dominus Albericus, & circumcirca ipsam combuxit, sanusque & incolumis reversus est Baxianum. Et est notandum, quòd usque ad illam diem hostiliter, & palàm non audebant Tarvisini, nec Vicentini lædere Dominos de Romano, ad quorum prohibitionem fortè multùm faciebant literæ, quas ego pro ipsis impetraveram apud Precinam à Domino nostro præsenti Invictissimo Im-

(54) *Fortè* banno.

(55) *Sive* patet.

Digitized by Google

Imperatore, & semper Augusto, de protectione ipsorum, sigillatas cum bulla optimi auri, tenor quarum talis est:

Literæ Federici Imperatoris semper Augusti.

Federicus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex. Cùm in conspectu Principum Orbis terræ fides clareat subditorum, quæ meritis insignit hominum, & suis imitationibus favorem Dominantis acquirit, eò potiùs fidelium est facienda devotio, & prærogativâ gratiâ munienda, qui se non dubitant pro suorum fidelitate, ac servitio Dominorum inter dubios vitæ casus exponere, non parcentes rebus pariter, vel personis, ut vivere ac mori pro Dominis summam reputent gloriam & honorem. Hinc est igitur, quòd nos habentes præ oculis fidem puram, & sinceram dilectionem Eccelini de Romano, & Alberici Fratris ejus, nostrorum expertorum fidelium, quam pro nostro, & Imperii servitio demonstraverunt, personas, & omnia bona eorum nostris, & Imperii honoribus exponentes; attendentes insuper, quòd indefessis laboribus pro nostra, & Imperii fidelitate inconcusè persistunt: ipsos, familias eorum, homines, Castra, Villas, possessiones, & omnia bona eorum, sub nostra, & Imperii protectione, & defensione recepimus speciali, universis, & singulis auctoritate præsentium inhibentes, quatenus nullus Marchio, Comes, Potestas, Rector, Persona sublimis, vel humilis, Ecclesiastica, vel Mundana ipsos offendere in personis, vel rebus, seu guerram, vel damnum inferre, aut in aliquo contra præsentis protectionis, & defensionis nostræ paginam molestare, vel impedire præsumant. (56) Quodque præsumserit, in sua temeritatis vindictam ducentas libras auri compositurum se cognoscat, medietatem videlicet Fisco nostro, & reliquam medietatem injuriam patienti. Ad hujus itaque nostræ protectionis memoriam, & perpetuam firmitatem, præsens privilegium fieri, & bullâ aureâ, typario nostræ Majestatis impressâ, jussimus communiri. Hujus rei etiam sunt (57) Hert Panormitanus, & Jacobus Capuanus Archiepiscopi, Comes Thomas de Acerra, Comes Simon de Tetis, Comes Gerrardus de ..... (58) Gerrardus de Arnescen Sacri Imperii in Italia Legatus, Comes Antebonus, Manfredus Marchio Laniza (59), Bacem Camerarius, & alii quamplures.

Acta sunt hæc Anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo tricesimo secundo, mense Decembri sextæ Indictionis, Imperante Domino nostro Federico Imperatore semper Augusto, Hierusalem, & Siciliæ Rege, Anno Imperii ejus tertiodecimo, Regni Hierusalem octavo, Regni verò Siciliæ trigesimo quinto feliciter. Amen.

Data apud Precinam Anno, mense, & Indictione præscriptis.

Sunt & literæ tales, videlicet:

Literæ aliæ ejusdem Federici Imperatoris semper Augusti ad Episcopos Paduanum, Vicentinum, & Tarvisinum.

Federicus Dei gratiâ Romanorum Imperator semper Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex, Venerabilibus Paduano, Vicentino, & Tarvisino Episcopis, fidelibus suis, gratiam suam, & bonam voluntatem.

Notum facimus fidelitati vestræ, quòd, cùm expertos fideles nostros Eccelinum de Romano, & Albericum fratrem ejus sub nostra, & Imperii protectione recepimus speciali cum omnibus bonis suis, sicut in indultæ sibi protectionis privilegio continetur, volentes, quòd nullus in ipsis partibus se valeat per ignorantiam excusare, fidelitati vestræ firmiter præcipiendo mandamus sub debito fidei, & juramenti nobis, & Imperio (60) præstati, injungentes, quatenus unusquisque vestrum privilegium protectionis ejusdem debeatis solemniter publicare, & auctoritate nostra cunctis præcipiatis ab omnibus observari, denuntiantes transgressoribus, quòd pœnam in privilegio contentam non evadent. Ipsum verò privilegium ad opus prædictorum fidelium, & insuper præsentes literas resignabitis portitori, ut industriam singulorum possimus exinde commendare.

Data Porcinæ (61) tertio Decembris, sexta Indictione.

Has literas sinè mandato, propriis expensis, impetravi ego, de quibus, & omnibus obsequiis præcedentibus expecto adhuc remunerationem.

Post hæc autem paravit exercitum Commune Paduæ, vênitque Baxianum, & Commune Vicentiæ cum illis vênit ad Monticulum Precalcini, & tunc intolerabile damnum datum fuit in Baxiano, & Muxolento illis de Romano. Verumtamen, antequam reverterentur Paduani milites, Tarvisini venerunt in succursum Domino Alberico. Qui Dominus Albericus, tamquam fortis, & audacissimus miles, exivit contra Paduanos; & bello commisso, ibi mirabiliter, & more Leonis pugnavit: multosque ibi milites de majoribus, & melioribus Paduanorum cepit, quos carceratos habuit in Baxiano, & postea dedit illos Tarvisinis, qui duxerunt ipsos secum, & ibi fuerunt in compedibus positi, & carcerati. Paduani autem cum opprobrio separati, reversi sunt ad patriam suam, & Vicentini similiter.

Tunc vênit Dominus Eccelinus cum Veronensibus, quos regebat apud Sanctum Bonifacium, & cum illis, tamquam miles fortissimus debellavit, & partem munitionis Castri combuxit violenter: sic & ipse reversus est cum suis. In bello autem facto apud Baxianum, meis precibus erat cum Domino Alberico quidam Bonifacius de Orbana, cui ego equos dabam & arma; & ipse mei amoris intuitu, præter etiam voluntatem Domini sui Domini Marchionis Estensis, serviebat Dominos de Romano in omnibus illorum factis, & guarnimentis, unde Marchio ipsum habebat valde exosum. Hic, cùm esset in prœlio, sic enormiter cum lancea inimicos, & eorum equos vulnerabat, quòd inde condoluit, & lancea dejecta, evaginato ense, infra hostes, ubi erat etiam multitudo maxima militum, cucurrit, & Samaritanum nobilem militem magnum, & fortem cepit ad collum, & violenter ipsum duxit ad suos, non timens innumerabiles ictus, quos ab inimicis recipiebat, ipsumque dedit, & designavit Domino Alberico.

(56) *Fortè*, Quique, *aut* Quòd si quis.
(57) *Lege* Testes.
(58) *Fortè* de Camino.
(59) *Lege* Lanzia, *vel* Lancea.
(60) *Mel.* præstiti.
(61) *Supra legitur* Precinæ.

Digitized by Google

rico. Qui, postquam captus fuit, cognovit eum', quòd sibi erat nimia parentela conjunctus; sed nihil sibi profuit, cùm non poterat post captionem per ipsum decenter dimitti. Unde nihilominus ipsum Domino Alberico designavit.

In hoc facto, cùm duceret illum captum, quidam Bonacursius de Folzasse sic enormiter per invidiam equum captivi vulneravit retro, quòd valens sanus ultra libras centum, taliter vulneratus datus fuit pro XV. Equus autem Bonifacii in pede retro vulneratus fuit, nec postea fuit alicujus valentiæ. Item alium dextrarium similiter, quod pro illo facto emeram eidem, in diebus illis equitando sic devastavit, quòd penitus nullius erat momenti, & ad nihilum deveni de ipso. Et de hoc facto adhuc expecto remunerationem. Ille autem Bonifacius seculo renuntiavit, & Domino serviens meliorem partem elegit.

De potentia Paduanorum.

TUnc temporis tanta erat potentia, & superbia Paduanorum, quòd non solùm Vicentiam sub occasione innocentiæ tenebant occupatam, verumetiam Feltrem, & Bellunum, & Coneglanum violenter sub sua jurisdictione usurpaverant. Conspiraverant etiam cum Aquilegiensi Patriarcha, & cum his omnibus contra Tarvisium, & illos de Romano, guerram maximam illis faciendo continuè.

De Fratre Joanne Vicentino, viro valde religioso.

INterim apparuit quidam Frater Joannes de Ordine Prædicatorum, civis Vicentinus, & Manelini Causidici filius, vir valde religiosus, de quo mira, sed in Scena testificata loquar. Inauditum est enim, quòd à tempore Nostri Domini Jesu Christi in nomine ipsius, per alicujus prædicationem tot fuissent insimul homines congregati, quot & quantos sub occasione pacis fiendæ, ipse congregavit in unum, unanimiter Jesum Christum laudibus, & hymnis magnificantes. Vênit enim primùm Paduæ, & ibi prædicando pacem, de omni discordia, quam habebant, compromiserunt in eumdem suo arbitrio determinanda. Vênit Tarvisium, fecerunt Tarvisini illud idem. Sic fecerunt Feltrini, & Bellunenses. Sic quoque Domini de Camino. Sic & illi de Conegla-no; & idem fecerunt Domini de Romano. Idem quoque Vicentini, Veronenses, Mantuani, Brixienses, & Comes Sancti Bonifacii, & ejus pars universa. Tantam habuit potestatem super omnes, quòd in omni Civitate, Statutis ipsarum acceptis, suo emendavit arbitrio, addendo, & detrahendo. Captivos autem, ubicumque fuerant, dimitti fecit. Et statuit certum terminum pro pace facienda, & firmanda apud Civitatem Veronæ, præcipiendo prædictis Civitatibus, & personis, quòd essent tunc ibi coram eo pro prædicatione audienda, & laudum pacis inter omnes.

Fuit ibi Brixia, Mantua, Verona, Vicentia, Tarvisium, Feltrini, & Bellunenses, & Domini de Romano, & illi de Camino: Paduani: & de aliis Civitatibus, Castris, & Villis homines, & fœminæ innumerati. Fuit & ibi Aquilegiensis Patriarcha cum omnibus Episcopis prædictarum Civitatum. Fuit ibi Marchio Estensis, & Frater Jordanus: Presbyteri quoque, & Clerici, milites, & populares: omnes ferè istarum Civitatum inermes, & cum vexillis cruciatis fuerunt ibidem. Tanta fuit ibi innumerosa multitudo, quòd (sicut dictum est) à tempore Jesu Christi, in hoc, per alicujus prædicationem tot non fuerunt congregati in unum: & in reverentiam ipsius pro majori parte fuerant discalciati. Erant quoque Civitates cum Carrociis suis quamplures.

Prædicavit inter illos, & (quod est mirabile) vox illius ab omnibus audiebatur mirabiliter, & clarissimè. Facta prædicatione pacem pronuntiavit, & laudavit inter omnes, & ordinavit tunc matrimonium inter Dominam Adelehitam, filiam Domini Alberici de Romano, & Rainaldum filium Marchionis Estensis. Cujus dictum ab omnibus cum magnis laudibus fuit gratissimè confirmatum. Ipse autem transgressoribus anathematis pœnam, & Jesu Christi indignationem, & omnem maledictionem indixit: conservantibus autem, Dei Omnipotentis gratiam, & suam benedictionem concessit, & sic revertuntur ad patriam, quisque ad locum suum, magnificantes Deum, & eidem gratias referendo. Multi enim mortales inimici, proprio motu pacem faciendo, osculabantur ad invicem, prædicatione ipsius ad hoc inspirati: habebatur enim quasi Propheta per omnes. Hujus etiam tanta fama erat, quòd etiam Domnus Apostolicus reverebatur eidem. Nec mirum, quia Fratres Minores publicè prædicabant (sicut & egomet ipsos audivi prædicantes apud Ecclesiam Majorem Civitatis Vicentiæ) quòd ejus precibus, & orationibus decem fuerant mortui suscitati. Et à languoribus suis infirmi, per orationes illius, mirabiliter curabantur.

Hoc facto, vênit idem Frater Joannes Vicentiam, & dixit in pleno Consilio, quòd volebat esse Dux, & Comes illius Civitatis, & omnia suo arbitrio disponere, quod totum ei laudatum fuit, atque concessum. Unde tunc acceptis Statutis Civitatis, sicut voluit, emendavit, addidit, detraxit. Et Vicentini sperantes, quòd removeret, & poneret ibi aliam (62) communionem, per quam utraque pars communiter regeretur, ipse hoc prætermisso, factis Statutis, & Ordinamentis ivit Veronam, ibique similiter petiit Ducatum, & Potestariam illius Terræ, quod factum est, & concessum eidem. Fecit venire Comitem, & partem ipsius in Civitate: accepit obsides ab utraque parte: accepit in se Castrum Sancti Bonifacii, & Castrum Illaxii, & Hostiliam, & omnes munitiones, sicut voluit. Hic persequutor fuit ibi hæreticorum, sic, quòd plures comburi fecit. Pluribus diebus rexit Civitatem, habendo se Ducem, atque Rectorem, & tamquam Dux, & Rector multa Præcepta fecit, & Statuta. Tamdem elegit Nicolaum Tonisсum in Potestatem Veronæ, de Venetiis civem. Cùm autem multum redargueretur, quòd sic reliquerat Civitatem Vicentiæ, Potestate non mutata, & vellet habere Ducatum ibi sibi concessum. Ugutio Pilii, & illi de Camino, & Paduani consilio Fratris Jordani, cujus consilio Paduani regebantur in totum, induxerunt Potestatem Vicentiæ, & partem con-

(62) *Fortè* communitatem, *vel* communem.

Digitized by Google

contrariam illis de Romano ad contradicendum eidem Fratri Joanni. Et sic fecit venire Potestas custodes cives Paduæ, & munivit Civitatem fortiùs solito. Hoc audito, Frater Joannes minùs cautè, & cum parva militum quantitate, vênit ad Civitatem Vicentiæ, cui obviavit maxima populi multitudo. Ipse autem credens habere favorem, atque constantiam populi in propria persona, cœpit ire per Civitatem, petendo domos, turres, & munitiones sibi dari. Cùm autem venisset ad domos filiorum quondam Domini de Zachame, illi sibi rebelles exstiterunt. Vênit ad domum Communis turba, quæ sequebatur ipsum, & capta Potestate, suis Judicibus, & familia, & exspoliatis & destructis libris Statutorum, & Forbannitorum Communis Vicentiæ, descenderunt de domo, Potestate & sua familia relictis exspoliatis. Interim venerunt Paduani cum Ugutione Pilii, & adversa parte illorum de Romano, & in ipsum Fratrem Joannem, ad Palatium Episcopatus, ubi erat, fecerunt insultum, &, bello commisso, captus est Frater Joannes, & sui omnes versi sunt in fugam. Veronenses autem audito, quòd captus erat Frater Joannes, extimantes, quòd consilio Comitis de Sancto Bonifacio, & suæ partis illud factum fuisset, ceperunt omnes, qui venerant ad Civitatem de parte Comitis, qui fuerunt alicujus valentiæ; sed reverso Fratre Joanne, & invento, quòd culpabiles non fuerant, omnes dimissi fuerunt incontinenti. Ipsi autem timore perterriti fugiunt omnes de Civitate. Ipse autem Frater Joannes regit Civitatem, sicut potest, sua Potestate ibi posita pro nihilo reputata. Obsides autem Monticulorum, & suæ partis hoc audito clam, & occultè reversi sunt ad Civitatem.

Instat nunc Comes, quòd sibi reddat obsides suos, & Castra similiter. Frater autem Joannes munierat Castrum Hostiliæ per Bononienses, & Castra Comitis, & Illaxii per amicos suos Vicentinos. Castrum Calderii, & Castrum Sancti Bonifacii restituit Comiti, quamvis fuisset fictitiè factum, quasi invitis custodibus fuisset ablatum. Item obsides eidem restituit. Castrum Illaxii restituit Veronensibus; sed Castrum Hostiliæ non restituit Veronensibus: sicque dimissis Veronensibus, & Vicentinis, ivit Bononiam; & sic Ugutio Pilii, Paduani consilio Fratris Jordani, & illi de Camino fregerunt pacem Fratris Joannis; sicque pro nihilo reputatum est factum Fratris Joannis. Hoc totum propterea creditur (63) accessisse, quòd ambitiosè petiit Ducatum ab hominibus, contra dictum Salomonis, qui dixit: *Non petas Ducatum ab hominibus*.

Nunc guerra gravior revivixit (64) undique solito more. Dominus autem Eccelinus iterum vadit Veronam in succursum amicorum suorum, & regit Civitatem: Dominus Albericus cum magno guarnimento moratur Baxianum, & in terris suis.

Mutatur Potestas Vicentiæ; succedit illi Arditio Advocatus de Vercellis, cujus tempore Dominus Albericus præter consilium amicorum suorum de Vicentia, fecit colloquium cum Ugutione Pilii, videntibus (65) hoc magna quantitate amicorum, qui de hoc valde dolebant. Et tunc ipsorum amor erga ipsum Dominum Albericum valde refrigescit. Et tunc consilio ejusdem Ugutionis conspiravit cum eodem, & Comite Guidone, & illis de Drissino, & Arzignano, & cum maxima quantitate Magnatum intus, & extra Civitatem, inter quos erat Albertus (66) de Celsano, & illi de (67) Bregantiis. Indignati sunt amici illorum de Romano valde, quorum consilio hoc factum non fuerat. Et quia conspiratio fiebat contra Usurarios, cum illis sociati sunt amici Domini Alberici, & induxerunt Potestatem ad puniendos ipsos. Qui cùm citari fecisset illos, ipsi contemnendo ipsum, coadunati sunt apud Monticulum, auctore contradictionis principe existente prædicto Ugutione. Tunc venerunt Paduani, & fecerunt ipsos jurare præcepta Potestatis, & Communis Vicentiæ; sed tamen non dimiserunt Potestatem illos punire, de quo valde sunt indignati Usurarii, & eorum sequaces. Nunc regitur Civitas consilio Usurariorum, & illorum, qui sequuntur illos, per prædictum Potestatem.

Cùm autem mutari debebat (68) Potestas, amici veteres Dominorum de Romano, consilio alterius partis, & omnium Usurariorum, dixerunt Domino Alberico, quòd volebant ipsum eligere in Potestatem, & dare sibi dominium, & regimen Civitatis, si ipse vult Ugutionem dimittere, cum quo conspiraverat, & facere rationem de usuris secundùm jura, & consuetudinem, & Statuta Vicentiæ. Qui Dominus Albericus, quamvis aliquando talibus verbis (69) amissis, & aliis, quibus promiserat: ipsi verò videntes, quòd non poterant diu resistere tantis Magnatibus, putantes se se meliùs defendere, conspiraverunt & ipsi contra Magnates, & Dominum Albericum, & primò corruperunt Albertum de Celsano, qui pro certa pecuniæ quantitate fregit fidem promissam, & juravit esse cum Usurariis.

Postea, cùm tractaretur de eligendo Potestate, consilio Ugutionis Pilii, electus fuit Frater Jordanus, qui eligeret Potestatem, affirmans ipse Ugutio, quòd Frater Jordanus non eliget Marchionem. Jam enim clandestinè & ipse fregerat fidem illis de Romano, & sinè illis veniebat ad Consilia Civitatis, dicens illis, quòd melius erat, quòd ipse ibi esset: & sic Frater Jordanus commisit electionem Fratri Joanni de Verzario, qui Marchionem Azonem elegit, sicut creditur, quod erat statutum cum ipso Ugutione, & cum Usurariis in detrimentum illorum de Romano (70). Et cùm usque ad electionem diceret idem Ugutio, quòd Marchio esse non posset, minimè ipse voluit electori contradicere, sicut fecit Aldrighetus de Drissino, qui se appellavit ab illa electione: immo statim factus est amicus Marchionis præ ceteris contra Dominos de Romano: & cum Usurariis omne malum, quod potest, dictis & factis operatur adversùs illos, & amicos eorum Dominorum: & sic juravit sequimentum Marchionis, aliis demissis & contemtis.

Tunc Legati venerunt Domini Papæ, qui pacem fecerunt inter Veronenses in aqua, & navibus; sed pars Comitis voluit intrare Civitatem, unde guerra nihilominus perseveravit,

(63) *Mel.* accidisse.
(64) *Pro* revixit.
(65) Pro vidente.
(66) *Legunt aliqui* de Caxatio: *Alii* de Coxatio.
(67) Bragantiis *alii*.
(68) Pro *deberet*.
(69) *Fortè* annuisset.
(70) *Mel.* Nam cùm &c.

vit, & meritò pax non duravit, quia in aqua facta, rediit in aquam.

Veniunt nunc Domini Nicolaus Episcopus Reginus, & Tyso Episcopus Tervisinus, & intromittunt se de pace facienda ex ammonitione Domini Papæ, qui tantum suâ prudentiâ fuerunt adoperati, quòd pacem fererunt, & Comitem, & suam partem reverti fecerunt ad Civitatem, dando & concedendo Comiti, & suæ parti domos, turres, & munitiones, etiam partis Monticulorum, quascumque voluerunt habere, ad hoc, ut in Civitate manerent securi. Item pro Domino Papa ibi Potestatem posuerunt, & pronuntiaverunt tunc concorditer, quòd Castrum (71) Hilasii destrui deberet, quod postea per Potestatem positum destructum fuit. Regebat autem iste pacificè Civitatem, donec fuit manifestè proditor inventus, ut infra dicetur, & ob id, sicut infra dicetur, remotus fuit per Dominum Eccelinum, & ejus partem.

Nunc Marchio cum Ugutione Pilii, & Usurariis facit guerram Domino Alberico, & Comiti, qui cum eo tenet. Corrumpunt illos de Bregantiis, qui consueverant esse amici Dominorum de Romano, & amicos eorum.

Et tunc filii quondam Anselmi de Bregantiis vendiderunt Castrum Plovenis Communi Vicentiæ, quamvis illud ante vendidissent Comitissæ Vicentinæ. Corrumpunt etiam Sigisfredum de Arzignano cum nepotibus. Pauci sunt, qui teneant fidem Domino Alberico, & Comiti Vicentino; & omnes ferè venerunt ad mandata Marchionis, timentes potentiam suam propter Paduanos, & istos, qui primò fidem promissam fregerunt. Nunc guerra magna est inter Cives, & Dominum Albericum, & Comitem, qui cum eo tenet. Quasi modò soli sunt Dominus Albericus, & Comes, qui contradicunt Marchioni, & civibus Vicentinis.

Tunc temporis Otho de Mandello, Potestas Paduæ pro Communi Paduæ, & Frater Jordanus de pace facienda inter Paduanos, & illos de Romano, & Vicentinos, & Tervisinos, & illos de Camino facti sunt mediatores. In qua pace Rainaldus, filius Marchionis Bonifacii (72), desponsavit Dominam Adeletam, filiam Domini Alberici de Romano, quamvis Rainaldus non esset adhuc annorum duodecim. Et omnia ferè facta sunt inter Paduanos, & Dominos de Romano, & Tervisinos, & illos de Camino, sicut Frater Joannes statuerat. Verumtamen hic Frater Jordanus invidus, quòd tantum bonum (73) pallium posset explicari, impediendo primum, quod statutum fuerat, fecit ipse postea, volens sibi laudes quæri, atque honorem; sed certè malus fuit Hypocrita, sic perturbando, quoniam ante hanc pacem, quæ primò facta fuerat, usque ad hoc tempus, per guerram, quæ perseveravit, innumerabiles homines ex utraque parte gladio perierunt. Duxit autem Rainaldus ipsam Dominam in uxorem. Solverunt Paduani Dominis de Romano quindecim millia libras denariorum Veronensium: & Tervisini illis de Camino, sicut præceperat Frater Joannes. Dominus autem Otho definivit quæstionem inter Vicentinos Usurarios, modum certum imponendo in usurarum exactione, quamvis Usurarii illum modum observare noluissent; & tunc Dominus Eccelinus fecit se civem Paduæ.

Modò facti sunt amici Dominus Eccelinus, & Marchio, & Dominus Albericus. Verumtamen, inscio Domino Alberico eodem, idem Marchio, consilio Ugutionis Pilii, & Usurariorum fecit iterum se eligi in Potestatem, & post electionem, quam fieri de se fecerat, misit Domino Alberico, quòd nolebat ipsam Potestariam ipso invito, nec volebat facere sacramentum regiminis, nisi sibi placeret. Ad hoc, tamquam vir providus, & discretus omnia recognoscens, dixit, quòd omnis honor Marchionis sibi placebat. Unde Marchio Potestariam sequentem taliter ambitiosè recepit, & juravit, & hoc fuit ante tempus eligendi Potestatem.

Tempore isto Dominus noster Imperator, cùm esset in Alemannia, misit literas suas, continentes gratiam, & bonam voluntatem, Civitati, & Communi Vicentiæ, præcipiendo, quòd ad certum terminum deberent esse Vicentini ante ipsum apud Perniam. Ad quem terminum interesse non potuit propter guerram, quam faciebat Duci Austriæ, & has literas vix Marchio voluit recipere. Post hæc Marchio cœpit habere suspectos veteres amicos Domini Alberici, ipsosque consilio Ugutionis Pilii, cujus consilio omnia faciebat, relegavit in Insulam (74) Venetis, inter quos suspectos & relegatos fuerunt Oldricus Carnaroli, Thomas Vincentii, qui & ibi periit morte naturali, Bonifacius de Sancto Urso, & plures alii. Præcepit autem filiis Meliorantiæ de Drissino, quòd non exirent de Civitate sinè sui licentia. Ipsi autem hoc contemnentes, fugerunt ad Drissinum. Ugutionis autem consilio, & hortatu, Marchio bannivit illos, & post bannum ipsos hostiliter invasit, dando illis damna maxima in terris suis.

Tunc filii Anselmi de Bregantiis reversi sunt ad partem suam, & facti sunt amici Dominorum de Romano. Quibus & maxima damna dedit Marchio cum exercitu Vicentino in terris suis. Tum etiam Marchio valde ..... (75) & fecit venire custodes de Padua ultra quingentos de novo, & specialiter de Terris suis. Post hæc Marchio consilio Ugutionis Pilii, clam (76) icto, & habito tractatu cum Comite Sancti Bonifacii, & parte sua de Verona, quæ pacificè in Civitate morabatur sub Potestate, quem ibi posuerant Episcopus Reginus, & Tervisinus, & cum Mantuanis & Paduanis, volentes capere Veronam, movit Marchio clam exercitum, & ivit usque ad Villam Montis-belli, expectando nuntium, quòd rixa sit in civitate Veronæ commissa. Quæ cùm commissa fuisset, & expectarent Marchionis succursum proditores, qui rixam commiserant, & incœperant: Dominus Eccelinus, qui consuevit etiam pro amicis (77) exponere, hoc audito, & cognito, palàm hoc sciente Marchione, & tota Marchia, dimissis, & contemtis omnibus possessionibus suis, cum paucis militibus, quasi volitando per aëra, sic cele-

(71) *Alibi* Illaxii.
(72) *Bonifacii*. Scribendum *Azonis*, ut aliunde constat, & Monachus Paduanus testatur.
(73) *Legunt nonnulli* per alium.
(74) *Pro* Venetiis, *sive* Venetiarum.
(75) *Supplent aliqui hanc lacunam legendo* Timet, *alii* Tumet.
(76) *Melius* inito.
(77) *Desideratur* Vitam, *sive* Animam, *ut infra ubi inquirit etymologiam nominis Eccelini*.

Digitized by Google

celeriter Veronam intravit, & alteram partem subjugavit, quòd non habuit ab aliquibus, nec potuit habere succursum. Et ut miranda loquar, frigus erat intolerabile, glacies & nix gravior solito, nec transire poterat, nisi ante ipsum nix frangeretur, quam (78) fregi fecit per emtos effractores.

Revertitur Marchio contristatus. Potestas Veronæ de proditione culpabilis inventus, captus fuit, & terram tradidit Nuntio Imperatoris, licentiata Potestate. Tervisini autem mittunt pro ipso, quòd debeat redire sub pœna destructionis omnium bonorum suorum. Ipse autem totum contemnendo, maluit omnia perdere, quàm fidem Domino Imperatori promissam violare, & Veronam destructionis periculo dimittere. Unde Tervisini, Paduani, & Vicentini hostiliter contra Terras ipsas arma moventes, ejus Villas, Castra, & bona destruxerunt omnia, præter Castra fortissima, quæ destrui non potuerunt. Damnum autem illius tam enormiter dicitur exstitisse, quòd credibili vix possit nuntiari loquela. Ipse autem totum pro nihilo reputando, magis & magis favebat Nuntio Imperatoris ibi præsenti, volens fidem promissam, & debitam fidelitatem Domino Imperatori modis omnibus, contemto rerum, & personæ, (79) illæsam conservare. Revertuntur Paduani, Tervisini, & Vicentini ab exercitu.

Bannum posuit tunc Marchio, quòd nullus audeat Imperatorem nominare, nec illius rationem tenere; & qui contra fecerit, etiam gladio percutiatur impunè.

Et tunc temporis vênit Imperator de Alemannia, & intravit, & habuit Veronam, misitque Nuntios suos Vicentiam, scilicet Judicem Cyprianum, & Judicem Ranifredum, quos noluit Marchio recipere, nec literas Domini Imperatoris videre; sed potiùs bannum imposuit contra omnes, qui loquerentur eisdem Nuntiis Imperatoris. Et, ut verum loquar, ex parte Marchionis mihi Vassallus.... Communis Vicentiæ interdixit sub banno mille librarum, ne irem ad Episcopatum, ubi erat Dominus Cyprianus. Unde, cùm non fuissem ausus ad Episcopatum ascendere, vocavi ipsum inferiùs, & ei consului de his, quæ ipsum mihi fuerat visum facturum ad honorem Imperialis Majestatis. Iterumque consulendo misi sibi literas Baxianum, ubi erat. Marchio autem me illis diebus Paduam misit. Verùm, quia gravi fueram tunc infirmitate detentus, precibus amicorum meorum, inspecta infirmitate, me redire dimisit; minabatur tamen me mittere in parte longiori, & graviori.

Tunc autem, cùm Dominus Imperator vellet ire in Lombardiam, occurrerunt undique Lombardi, qui contradicunt eidem, totis viribus parati ad contradicendum sibi transitum, & itinera. Ipse autem cum suis militibus, & cum Veronensibus, illis de Romano existentibus juxta illos, transivit, nec fuerunt ausi pugnare cum ipso. Tunc cepit ipse Mercariam; & Episcopatum Mantuæ, & Brixiæ pro magna parte destruxit. Fuit prope Civitatem Mantuæ, nec fuerunt ausi Mantuani exire Civitatem. Tamdem ivit in Lombardiam.

Nunc Paduani cupientes destruere Veronam, ut commodiùs ire possent ad eam obsidendam, cum Tervisinis, & Vicentinis venerunt cum exercitu, totis viribus parati contra Veronam, & apud Rivaltam, locum Domini Ugutionis de Crescentiis, castrametati sunt, illudque Castrum obsederunt diu strictissimè. In quorum succursu venerunt Mantuani, atque plures Lombardi insimul contra Dominum Imperatorem fœderati, & conspirati. Nam illis diebus, consilio Ugutionis Pilii, dolosè & clandestinè fecerat Marchio jurare homines Vicentinos Societatem Lombardiæ contra Imperatorem; quod semper homines de Vicentia in omni consilio facere denegabant. Unde Marchio ignorantibus, quid jurarent, fecit jurare Vicentinos, sicut continebatur in quodam Brevi. Sed cùm cognoverunt, quòd fecerat ipsos taliter jurare, statim cœperunt habere Dominum Marchionem exosum omnes Vicentini, exceptis illis, quorum consilio hoc faciebat, quorum nomina, si expediret, breviter possent nuntiari.

Et tunc Lombardi maxima damna dederunt Veronensibus in Episcopatu suo, & recesserunt. Dominus autem Eccelinus, cùm esset ibi in Castro, dimissis tamen necessariis ad loci defensionem, ivit pro succursu, quem intus manentibus ad certam diem dare promisit. Illi autem succursum expectando, cum nimia resistebant audacia tot Civitatibus. Nam videntibus omnibus quandoque exibant de Castro, & vulnerabant, & occidebant quamplures de exercitu; immo etiam quinque ædificia contra ipsos Paduanos (80) parata ad læsionem, ipsis palàm exeuntibus combusserunt cum maximo Paduanorum obprobrio; & intrabant, & exibant contra ipsos tamen quandocumque volebant. Aliunde autem exire non poterant, quia Dominus Eccelinus pontem destruxerat.

Misit ergo Dominus Eccelinus narrando negotium Domino Imperatori, qui iverat jam Cremonam, ipsius postulando subsidium, & juvamen. Quo audito, ipse tamquam benignissimus Dominus, condolens cum fidelibus cruciatis, ira commotus propter nimiam audaciam infidelium, verè quasi per aëra volitando, cum toto suo exercitu sic celeriter succurrit, quòd à Cremona movit die Veneris, & vênit usque ad Sanctum Bonifacium, de quo parte combusta, ibi prope hospitatus est. Quo cognito Paduani, Vicentinis & Tervisinis ignorantibus, die Sabbati tempestivè cum Carrocio suo versi sunt in fugam; Vicentini autem, & Tervisini videntes Paduanorum fugam, & ipsi fugierunt, multa spolia in Campo, & ædificia omnia dimittendo. Cupiebat autem Marchio cum Vicentinis ad Civitatem redire, pro ipsa defendendo. Dominus autem Imperator, consilio sagacissimi Eccelini, sic festinanter eodem die Sabbati prævênit eosdem, quòd ante fuit ad Civitatem cum pleno exercitu, quàm Marchio etiam currendo ibi potuisset adesse. Cupiens autem benignissimus & misericors Dominus Imperator pacificum habere Civitatis introitum, nolens ipsam lædere, ob id, quòd manifestè cognoverat, quòd Vicentini ad resistendum sibi ducebantur inviti, petiit à custodibus, & illis, qui erant intus Civitatem, & supra murum, quatenus sibi pacificum non denegarent ingressum. Qui cùm penitus ei fuisset denegatus, hortatu Domini Eccelini, irato modo prœ-

(78) Pro frangi.
(79) Adde discrimine, *sive* periculo.

(80) *Legendum videtur* à Paduanis.

prœliando, per murum Civitatis violenter ascendendo, & descendendo intraverunt Civitatem, fugatis custodibus, & aliis Marchionis resistentibus, Civitatem combusserunt totam; omnia spolia tam virorum, quàm fœminarum, & aurum, & argentum, omniaque mobilia sibi assumendo, & rapiendo.

Plures quoque ceperunt in illa hora, de quibus & ego, quamvis Imperatoris fidelissimus, per Theutonicos captum, & cum nimio obprobrio ligatum me fuisse recordor. Vidi & Albertum Datarum, Causidicum Vicentinum, nudum captum per Theutonicos duci, atque ligatum. Et nos duo eramus digni non ligari, nec capi; sed potiùs per Dominum Imperatorem eramus magnificè honorandi, & remunerandi. Nam, cùm nullus palàm concionari foret ausus in Civitate de statu & honore Imperatoris, nec vetare Societatem Lombardiæ, ipse solus, & ego semper palàm, & apertè, & in omni Consilio vetavimus Societatem Lombardiæ faciendam, & dicebamus ea, quæ ad honorem & gloriam spectabant Imperatoris. Multos enim habebamus, de Societate non facienda contra Imperatorem sequaces, & tot & tantos, quòd in omni Consilio obtinebamus, contra voluntatem etiam Marchionis, & aliorum malignantium. Quidam enim favebant Imperatori non propter ipsius amorem, sed propter invidiam. Exosos enim habebant quidam Mediolanenses, & ceteros Lombardos, eo quòd non contradixerunt Dominis de Romano, cum ceperant Civitatem Vicentiæ; remoto Albrigero de Faventia de Potestaria. Et in hac opinione erant omnes, qui non erant in partem Dominorum de Romano. Alii autem, sicut & ego, id faciebamus propter amorem Dominorum de Romano, & propter gloriam, & honorem, quem affectabamus Domini Imperatoris. Primi ergo, qui per invidiam faciebant, non erant laudibus commendandi, nec remunerandi; secundi sic, quia bono zelo justitiam prædicabant. Simile fuit de Christo. Pater videlicet tradidit & ipse semetipsum pro nostro amore, & ideo laudatur à Christianis quotidie: Judæi autem tradiderunt ipsum, sed per invidiam, & usque in hodiernum diem vituperantur, & malam remunerationem expectant. Modò mirum est valde, quòd Albertus Datarus de parte Marchionis jam recepit per Imperatorem initium mercedis sic in remunerationem bonam; & ego, qui sum de parte Dominorum de Romano, & Domini Imperatoris, quam (81) prædicando tuba fidelissima, sum omni parte destitutus. Ex quo enim literas cum bulla aurea de protectione Dominorum meorum de Romano impetravi apud Precinam ab ipso Domino Imperatore. Ego visâ justitiâ, quam super subditos suos exercebat, ejus gloriam, laudem, & suos justissimos mores publicè, tamquam forem de Ordine Prædicatorum, in prædicando Fidem Christi, non desivi prædicare Nuntiis suis, scilicet Domino Thomasio de Brandicio, & Fratri Bastiano: (82) in honorem Imperatoriæ Majestatis in suis beneplacitis obtuli me, & mea gratulanter; sæpe ipsos cum militibus, & conducta conducendo securos. Nunc, quia sum denudatus, & omnibus exspoliatus, non me cognoscit Imperator, non Domini de Romano, non propinqui, non affines, non amici, nisi pauci. Nunc mihi succurrat Dominus, qui cuncta creavit, & quidem (83) paucis populum multum bene pavit. Propinquis autem, & amicis gratias ago copiosas, quoniam per hoc mihi libertatis munera tribuerunt. Cùm enim gratis illis meum tenebar impendere patrocinium, nunc ob id, quòd per tres dies, ipsis videntibus, quasi nudus, & vilissima veste coopertus ambulavi per Civitatem, nec invêni coopertorem, talis est mihi data libertas, quòd nullis de cetero gratis meum patrocinium dare promitto, quamvis talis stipulatio de jure valeat cavillari. Paucos autem excipio, inter quos nominetur primò Dominus Balzanellus, filius quondam Domini Manfredini de Sancto Ursio, qui primam vestem donavit. Secundò, Dominus Singifredus, & Nepotes de Arzignano, qui pecuniam mihi dederunt ad recuperandos libros, quos perdideram. Tertiò Jordanus de ...., qui pro victualibus mihi dedit de frumento. Quartò filii quondam Bartholomæi de Ziribello de Baxiano, qui mihi donaverunt clamidem. Excuso etiam Dominum nostrum Imperatorem propter ignorantiam, quia me notum non habuit. Illos quoque de Romano similiter excuso, propter majora eis imminentia. Illis enim sive pauper, sive dives, semper fui fidelis, & gratis servire paratus: quod & nunc me facturum promitto suo loco, & tempore, de remuneratione habenda remanendo securus, & certus.

Vidi quoque multas mulieres, & nobiles, & populares per Civitatem quasi nudas, & exspoliatas transeuntes, scilicet viduas, virgines, nuptas, magnas, parvas, juvenes, & senectutis vitio occupatas. Tantus ibi fuit timor, & tremor, quòd alter alterum vix poterat rectè cognoscere. Puniti fuerunt justi cum peccatoribus: quod quare fuerit, audire cupientibus breviter denotabo. Dictum est enim per Apostolum: *Estote subditi Regi, tamquam præcellenti*. Et Dominus dixit: *Reddite, quæ sunt Dei Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari*. Unde cùm tributum daret Cæsari in terra, ubi erat ipse, pro se fecit Cæsari dare tributum. Et in Decretis dicitur: *Si ea, de quibus Deus vehementer offenditur, insequi vel ulcisci differimus, ad irascendum itaque divinitatis patientiam provocamus*. Nonne Achor, filius Zaræ, præteriit mandatum Domini, & super omnem populum Israël ira ejus incubuit, & ille erat unus solus homo, & ut solus periisset in scelere suo. Mandaverat enim Dominus filiis Israël, quòd expugnarent quandam Civitatem, ipsamque devictam cum omnibus intus inventis ignibus concremarent. Achor filius Zaræ, cùm invenisset auream linguam, nolens ipsam comburere, sub radicibus cujusdam arboris ipsam abscondit. Statim tanta crevit clades, & pestilentia inter ipsos, quòd ex improviso ultra mille mortui ciciderunt. Tamdem putantes sapientes, quòd Domini mandatum fuerat præteritum, projecerunt sortem, quæ Divino judicio cecidit super Achor, unde morti condemnatus exulavit, &, aureâ linguâ combustâ, statim cessavit clades. Sic fuit in facto præsenti. Dei præceptum fuerat per Vicentinos, & paucos contemtum, cùm nollent esse subditi Imperatoris

(81) *Melius* prædico.
(82) *Adderem* &c.
(83) *Fortasse* qui de paucis panibus.

ratori, tamquam præcellenti secundùm dictum Apostoli; nec vellent, sicut ipse fecit, & præcepit, tributum dare Cæsari. Et quòd justi cum impiis perierunt, ideo fuit, quòd justi plures erant, & poterant de impiis sumere vindictam, qui, cùm hoc facere noluerunt, vel vanè timuerunt, Dominum provocaverunt ad iram, sicque in vindictam unus pro altero periit, alter propter culpam commissam, alter propter negligentiam vindictæ.

De Clementia Domini Imperatoris adversùs Vicentinos.

TUnc Dominus noster Serenissimus Imperator, atque misericors, quamvis læsæ majestatis crimine (84) ...... cunctos perdere posset Vicentinos, ab Omnipotenti Domino suam victoriam recognoscens, misertus est super illos, & non solùm illis peccata impunita dimisit; verùm etiam servos suos justissimè factos, pristinæ libertati restituit, & possessiones suas immobilium rerum cuilibet concessit, exceptis contumacibus captivis non dimissis. Commisit enim benignissimus Imperator Domino Eccelino, quòd captivos dimittendos dimitti faceret, & detinendos detineri. Qui Dominus Eccelinus, cùm officium aliis commisisset, multi sunt liberati ex specialibus inimicis Dominorum de Romano, & Domini Imperatoris. Et amici fuerunt dimissi, de quibus ego unum me fuisse recordor. Nudum tamen, & exspoliatum omnibus me Theutonici de media nocte dimiserunt.

Gratiam quoque Vicentinis concedendo, eisdem dedit pro Capitaneo, & Rectore Dominum Gulielmum (85) Vicecomitem, nobilem & discretum, Mantuanum civem & militem, quem jurare fecit regimen Civitatis in plenissima concione, ad honorem Dei, & Beatæ Mariæ Virginis, & Beatorum Martyrum Felicis & Fortunati, & Imperatoriæ Majestatis, & Communis Vicentiæ. Sub istius regimine destructæ fuere domus, & turres Ugutionis Pilii, & aliorum suorum amicorum contumacium, & Serapionis quamvis captivi.

Hoc facto, in vindictam malefactorum, equitavit hostiliter Dominus Imperator contra Paduanos, & Tervisinos, quorum Oppida, Villas, & possessiones partim cepit, & partim destruxit, & concremavit, &, quantitate militum Dominis de Romano dimissis, cum Comite Geboardo suo Generali Capitaneo ivit in Alemanniam, dans in mandatis tam Capitaneo, quàm militibus, quòd arbitrio illorum de Romano cuncta regant, atque procurent.

Interim Domini de Romano sua industria, & prudentia de melioribus, & majoribus Civitatis Paduæ Domino Imperatori, & sibi fecerunt fideles, & amicos, qui guerram cœperunt facere ceteris Paduanis (86) continuaciter existentibus. Unde quadam die, cùm multi Cives Paduani exivissent de Civitate contra illos apud Carturiam, Domini de Romano hoc cognito, cùm essent Vicentiæ, nocte una sic celeriter cum suis militibus, & Comite Geboardo cum suis, iverunt ad ipsam, quòd summo mane bello cœpto, capti sunt omnes ferè. Et fuerunt bene circa centum de majoribus Civitatis Paduæ capti, & apud Castrum Montis-silicis fuerunt in compedibus positi, & carcerati. Illo namque die vigor apparuit Domini Alberici, qui visis inimicis, cùm ante iret cum paucis militibus, cum tanta illos invasit audacia, quòd ex solo vigore tremuerunt undique inimici: ac viriliter prœliando, quos capere non potuit, vertit in fugam. Dominus autem Eccelinus, qui ceteros præcellens in prudentia, vir bellicosus, & morigeratus (87) imbellis cum Comite Geboardo prædicto contra hostes cum maxima militum multitudine veniebat, strictissimè, & ordinatè ad bellandum: (88) Verumtamen, jam fugatis & captis inimicis, non invenerunt rebelles, & sic apud Montem-silicem commorantes, ad expugnandam Civitatem Paduæ faciunt apparatum. Cives autem immoderatè perterriti, tamquam devicti, mittunt ad illos verba pacifica, dicentes, quòd volunt obedire Domino Imperatori, & illius Nuntiis, & specialiter Dominis de Romano. Quæ verba miserunt illis per Fratrem Jordanum, totius discordiæ Marchiæ Auctorem, & Principem usque in illam diem. Sicque factum est, quòd venerunt obviam illis omnes Cives Paduani reverenter, homines & fœminæ, humillima voce precantes specialiter Dominum Eccelinum, quòd ipsius Civitatis Potestariam recipiat, & regimen, & suo arbitrio regendi, & dominandi habeat potestatem. Dominus verò Eccelinus honorem Imperatoris præferendo, noluit regimen recipere memoratum; sed potiùs illud Imperatoris Nuntio fecit dari & concedi. Verumtamen ipsius consilio, & voluntate cuncta disponuntur, & fiunt per Paduanos. Obsides à Civibus, & Magnatibus pro tutiori statu, tam ipsius, quàm Civitatis, & pro attendendis Domini Imperatoris mandatis, de cunctis excessibus contra ipsum factis atque commissis, plures, & in magna quantitate recepit, quos in suis Terris illi Domini de Romano faciunt custodiri. Habent nunc Domini de Romano cum Nuntio Imperatoris Civitatem Paduæ, tamquam devictam, & suppeditatam, & (quicquid dicatur) ipsi Domini de Romano ipsam regunt atque gubernant: & habent similiter Civitatem Vicentiæ.

Tervisini autem multos Nuntios mittunt Comiti Geboardo, & illis de Romano, quòd recipiant Civitatem Tarvisii, quoniam & ipsi parati sunt pro Domino Imperatore ipsorum obedire mandata. Intraverunt Tarvisium, & pacificè per Nuntium Imperatoris ibi positum possiderunt, & suo arbitrio habent Civitatem, & similiter arbitrio illorum de Romano regitur, & disponitur Civitas Tarvisina. Modò habent illi de Romano sua industria, & prudentia Civitates Veronæ, Tarvisii, Paduæ, & Vicentiæ, quamvis immoderatè destructæ, ad honorem Imperatoris acquisitas, & sibi subditas, & suppositas; & sic totius Marchiæ nunc habent dominium, & potestatem, excepto, quòd à quibusdam, & paucis tantùm impediuntur pacificè commorari, qui severissimè per Imperatorem meritò sunt puniendi.

Verumtamen Dominus Albericus volens in puniendo rebelles Domino Imperatori, & sibi, præ-

(84) *Addi non incommodè posset* Reos.
(85) De Vicedominis *aliis*.
(86) *Fortasse* contumaciter, *pro* contumacibus.
(87) *Legendum* in bellis.

(88) *Videtur abundare hæc dictio*, Verumtamen, *aut certè*, qui *in illis* Dominus autem Eccelinus, qui ceteros præcellens *&c.*

Digitized by Google

prædicti Domini Imperatoris prævenire vindictam, apud Montursium, Castrum Ugutionis Pilii, qui auctor fuit (89) conspirantium contra Dominum Imperatorem, castrametatus est, illumque per quadraginta dies strictissimè obsidendo, die noctuque cum machinis, & trabuchis, & balistis, militibus, & peditibus expugnando, tamdem obtinuit; sed inimicis, qui erant in Castro montis, & captivitatis veniam, intermediantibus Vicentino Episcopo aliisque viris religiosissimis, misericorditer indulsit; & ipsius Castri dominium retinet, & Potestatem: quod factum sic per rythmos accipias Lector, per me ipsum (90) esse notatum.

Albericus nobilis, volens nunc puni)
Illum, qui præ cæteris solet superbi) re
Ugutionem Pilii, viribus imbu)
Illi vult adimere locum valde tu) tum
Montursium nomine, locus nuncupa)
Ut per hoc asperitas loci cognosca) tur
Sicut Ursus aspero tactu nos pave)
Sic gressus asperitas loci nos vile) scit
Ille tamen providus, sagax Alberi)
Uguzonis meritò factus inimi) cus
Obsidendo taliter expugna)
Quòd devictis hostibus ipse triumpha) vit
Locum modò possidet idem Alberic)
Ploret nunc Ugutio taliter devict) us
Locus hic pro modico poterat muni)
Sic quòd ipsum capere nulli possent vi) ri
Quòd non fuit tutus, fecit avari)
Et ipsa nocere potuit pigri) tia
Nam, qui cupit aliis sæpe noce)
Sua debet cautiùs cuncta provide) re
Quod cùm is non fecerit, dignè potest fle)
Pauper factus incipit nunc ege) re
Nunc dicat Ugutio, quas possessio)
Cunctæ præstent undique regio) nes
Nam, si verum loquimur, omnibus priva)
Est, nisi Monticulo, ubi stat fuga) tus
Quòd si non prospexerit, idem Alberi)
Factus erit Dominus, ejus inimi) cus
Nam avarus meritò cunctis spolia)
Qui suum nil possidet, ut scripta fa) tur
Ne dum quòd pro crimine læsæ Majesta)
Cuncta debent procedere, sicut scimus fa) tis
Quòd propria culpa Castrum sic perdit amœnum,
Perpetuò doleat pigrititate sua.

De captione Fratris Jordani de Padua.

POst hæc Dominus Eccelinus providus, & discretus, invento, quòd Frater Jordanus Hypocrita cum pluribus contra Imperatorem conspiraverat, (91) volentes Civitatem Paduæ de manibus, & potentia Domini Imperatoris eripere, ipsum Fratrem Jordanum captum misit in partibus suis custodiendum, donec Dominus Imperator venerit. Et cùm Episcopus Paduanus de hoc fuisset indignatus, & cum maxima multitudine Clericorum, & Religiosorum venisset coram ipso Domino Eccelino, increpando, & redarguendo ipsum, quòd tantæ fuerat præsumtionis, in ipsum Fratrem Jordanum manus (92) injicèret violentas; ipse hoc audito, ira & indignatione maxima commotus, nolens ab aliquibus Laicis, vel Clericis in obprobrium sui, & Imperatoris impunè contemni, ab ipso Episcopo pignus duo millium marcarum argenti abstulit incontinenti, & eidem de prædicto facto imposuit silentium: pro quo facto plures Religiosi, quasi culpabiles sceleris, de Civitate fugierunt.

Post hæc die Veneris proximè venientis ivit Dominus Albericus ad exercitum Veronensium cum Vicentinis, & apud Castrum Sancti Bonifacii castrametatus est cum trabuchis, illud Castrum fortiter expugnando. Et Dominus Eccelinus cum exercitu Veronensium ibi die Lunæ præcedentis positus erat ad obsidionem, & Commune (93) Sancti Bonifacii cum Lombardis obsidendo Pischeriam. Die Jovis XII. exeunte hoc mense Augusto, separaverunt se ab obsidione, & data fuit illius loci potestas per pactum tantum (94) amicis Dominorum de Romano, & suæ parti de Brixia, ut haberet occasionem recedendi.

(89) *Fortè meliùs* conspirationum.
(90) *Sapit Glossema* * esse.
(91) *Pro* volentibus.
(92) *Meliùs* injecerunt.
(93) *Legendum videtur* Comes.
(94) *Fortasse* tamen.

Explicit hic Historia Gerardi Maurisii Judicis, & Civis Vicentini.

Quid

Quid significent Nomina, & Cognomina Eccelini, & Alberici fratrum de Romano.

QUi verborum significationem non intelligit, hoc dicente (1) Doctore morum, qui ait: *Legere, & non intelligere, est negligere*. Et per Apostolum dicitur: *Si nesciero virtutem vocis, ero tibi barbarus, & tu mihi barbarus eris*. Ut igitur negligentiæ, ac barbaricæ locutionis vitium valeat evitari, quid significent Nomina, & Cognomina Dominorum Eccelini, & Alberici fratrum de Romano, breviter exponendo proponam. Sonat enim hoc Eccelinus, idest, *Venit lenitor*: *Ecce lenitor noster, atque defensor* (2): cùm ipse sit asperorum lenitor, superborum, atque elatorum corrector, atque depositor. (3) Ipse enim de civibus Vicentinis, & Veronensibus, qui quasi diu carcerati fuerant per Paduanos, & Mantuanos immoderatè superbos inclusi, & per potentiam ipsorum sub ditione Marchionis Estensis, & Comitis Sancti Bonifacii, tàmquam sclavi, & non liberi constituti. De quo facto in tantum cum ipsis condoluit, ut pro ipsis liberandis, non solùm proprias contemneret facultates, verùm etiam animam pro ipsis ponere mortis periculo non (4) dubitavit, sicut ipsum facturum Joannes Apostolus indicavit. Dixit enim, quòd frater pro fratre animam ponere debet, sicut & Christus suam pro nobis ponere non dubitavit. Et qui animam pro alio ponit, nihil sibi est reliquum. Hoc verè fecerunt Domini de Romano, donec tantam superbiam compescerent, & ipsos superbos de sede deponerent, & à servitute, & ditione maligna populos liberarent memoratos. Ergo verè sui nominis consequutus est significationem Dominus Eccelinus, quia vênit, & aspera lenivit, superbos & elatos cum fratre suo Domino Alberico deposuit, & supeditavit; humiles autem exaltavit, & in suam pristinam libertatem restituit. Ecceline, magnum & mirabile est nomen tuum, sed tuum grandius reperitur ingenium, sicut scriptum est:

Mens tua sublimis supra gentes eminet altè,
Grandius ingenio nec sibi nomen inest.

Ecceline nobilis digne corona)
Cuique favent omnia, quibus impera) ri
Calent infra, desuper, terra, quoque ma)

Salva salutifera tibi Præfectu)
Cui totius Marchia stat commissa cu) ra'
Nunc te laudat meritò quævis creatu)

Tu Dominus rerum cùm sis, lux alta dierum,
Et cui posse datum nunc maxima suppeditare,
Ac qui de parvis maxima sæpe facis,

Laudes Christo referas tuo Creato)
Qui te fecit (5) placidè nunc Imperato) ri
Per te rogent Dominum Angelorum Cho)

Vivas, vivas tempore longo saluta)
Tibi numquam valeat quis æquipara) ri
Et in fine valeas pleniùs bea)

Ista dicit Vicenti)
Est qui modò peregri) nus
Et Gerardus nomina)
Ut à cunctis cognosca) tur.

Vel Albericus, albus ricus, nuncupa)
Quia cunctis ditior verè nomina) tur

Qui divinam gratiam, & humanam ten)
Nihil sibi deficit, cùm in illis hær) et

Sicut facit Alberi)
Est qui dicitur albus ri) cus
Dives hic est verè dic)
Sit à Christo benedic) tus.

Albericus sonat *albus color*. Est enim ab albedine meritò nuncupatus. Nam sicut per albedinem advenientis diei non solùm noctis obscuritas repellitur; verùm etiam claritas, quæ in stellis apparebat, absconditur, & fugatur: sic per apparentiam, & Domini Alberici potentiam, non solùm perversi populares, qui obscuritatis locum obtinent, eidem tamquam victi suppeditantur; verùm etiam Magnates, qui quondam etiam claritatis lumine radiabant, supponuntur eidem. Nam sicut est manifestum, albedo, idest claritas, caliginis non timet obscuritatem. Unde per Beatum Joannem Evangelistam dicitur: *Lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non comprehenrunt*. *Ricus* autem, idest *dives*, ideo dicitur, quia non solùm humanarum possessionum dives est, verùm etiam Dei, & Hominum gratiam possidet; & qui talis est, nihil amplius habet ad postulandum, cùm etiam solummodo Dei, & Cæsaris gratia omnium faciat (6) complimentum, sicut dixit Ovidius:

DI tibi se tribuant cum Cæsare semper amicos,
Nec potuit votum plenius esse meum.

Ergo fratri suo sociatus, omnium virtutum ipsos constat esse perfectos. Ipsi enim sunt fontibus truces, supplicantibus placidi, & misericorditer benigni. Sunt quoque modesti, pacifici, & cùm expedit fortissimè bellicosi: largi, & quandoque fortissimè tenaces, sicut ego sentio manifestè. Fortissimi sunt milites & sagaces, facundia & pulchritudine decorati plurimùm. Catholici sunt ambo, & hæreticam pravitatem despiciunt, & ipsam odiendo gravissimè

(1) *Catone*.
(2) *Paucula hinc lineæ, absque ullo tamen sententiæ detrimento, sublatæ sunt. Quia dum Auctor circa hanc Etymologiam temerè nugaretur, eò devenerat, ut Eccelinum cum ipso etiam Christo Domino conferret*.
(3) *Et hæc ita melius se haberent*: Ipse enim de civibus Vicentinis, *&c.* constituti in tantum cum ipsis condoluit, ut *&c.*
(4) *Melius* dubitarit.
(5) *Desideratur aliquid, vel pro* Imperatori *legendum* imperitari.
(6) *Meliùs* complementum.

vissimè persequuntur, & puniunt. Sunt enim discreti in silentio, utiles in verbo, nec tacenda proferunt, nec dicenda reticescunt. Et in summa, in immensum sic ab omnibus eorum fama commendatur, quòd ex boni odoris suavitate Deus pariter, & homines satiantur.

Vivit enim in vobis facundi lingua parentis,
Et res (7) heredem reperit illa suum.

Hinc est, quòd Dominus, tamquam propriis nuntiis, sic obsecundare videtur, quòd non solùm impios, iniquos, & contumaces comprimunt, verùm etiam totius Marchiæ obtinent principatum. Domini quoque nostri Friderici Invictissimi Imperatoris, & semper Augusti præ ceteris gratiam possident, & bonam voluntatem. Nil ergo eis, nec in eis deficit, sicut & supra notatur. Hos igitur ambos is protegat, atque defendat, qui in secula seculorum vivit, & regnat. Amen.

De Parentela illorum de Romano.

DE Romano autem cognominantur, quoniam perfidis, impiis, & sibi contumacibus manus rodunt, & amputant. Nam sicut homo manibus amputatis corporeis, viribus evacuatur, & ab omnibus contemnitur, sic eorum ubique rebelles suppeditantur eisdem, & pro nihilo reputantur. Dicuntur etiam de Romano, qaia illius Castri dominium habent, & Comitatum antiquissimè acquisitum, & quandoque ibi cum familia demorantur.

Alberice Domine, de te volo fa)
Audiant nunc homines, terra, quoque ma) ri
Ut à cunctis valeas per hoc commenda)
Ostia tu numquam claudis te justa peten) ti
Cuilibet & tribuis, quæ scis fore congrua men)
Quicquid est in aliquo, undique perfec)
Erat in te verissimè semper vultu læ) to
Sicut ego proferam nullo facto rec)
Fama sonat latè generis tua nobilitate,
Nobilitate viges, nec mentis acumine friges.
Et tua mens etiam supra gentes eminet al) te
Nec sinis ingenium calcari nobilita)
Non manet hoc nostro tam prudens viribus æ) vo
Non caret hic omni membro, vitii quoque næ)
Pectore, sub cujus stat sapientia Salomo) nis
Atque manent verè prudentis verba Cato)
Nobilis, & sapiens, prudens, humilisq; pudi) cus
Hic manet, & talis Christi dicetur ami)
Adde, quòd hic semper socius vult esse bono) rum
Adde, quòd & numquam socius vult esse malo)
Hic numquam vestes laceravit Philosoph) iæ
Sed fuit hic verè nutritus lacte Soph)
Nunc quoq; sic prudens, ut cùm bona verba se-)
qua) ris
(8) *E libro vitæ conscribi tu merea)*
Ergo cum Sanctis tu verè sis socia) tus
Cui Vicentinus stat nunc servire para)
O Alberice grande est nomen tuum,
Et grandior est nobilitas, & tua fama decora.
Si tua nobilitas, probitas, & fama decora
Laudentur, velut est, par tibi nullus erit.

A *Nec tua carminibus major sit gloria, nec quæ,*
Ut major fiat, crescere possit habet.
Dic modò, cur talis, cur tantus est Albericus?
(9) *Fisicus respondit, quia talia reddere novit,*
Hæc natura facit, sed prodest optima conjux
Bene dixit Physicus, quia
Quem natura docet, per se bonus esse proba) tur.
Moribus ille tamen, alterius auxilia)

Sicut scriptum est.

Sponte quidem per se mea est laudabilior uxor,
Fit tamen admonitu melior ipsa tuo (10).
Nec dubitans oro; sed flumine sæpe secundo
Augetur remis cursus euntis aquæ.
B *Acer & ad palmæ per se cursurus honorem;*
Si tamen hortetur, fortior ibit equus (11).
Fortibus assuevit tubicen prodesse, suoque
Dux bene pugnantes incitat ore viros.
Nam quæcumque solent per se perpensa placere,
Alterius potiùs juncta decore placent.

De Domina Beatrice, Uxore Domini Alberici de Romano.

Dic modò, quæ conjux, & qualis ipsa voca) tur
Per quam tot mores, ut dicis, amplifica)
Beatrix nomine ipsa nuncupa) tur
C *Et felix in omnibus ipsa judica)*
Nam Beata dicitur, Felix esse mul) tis
Quæ prudens, & sapiens moribus stat cunc)
Et quòd dignè jungitur illa tanto vi) ro
Qui cunctos exsuperat valde modo mi)
Nil potest beatius illa posside) re
Quàm si suam gratiam valeat tene)
Hæc est illa Domina inclyta, præcla) ra
Quæ, cùm decet omnibus, stat in multis cla)
Est speciosa nimis, vultu serena jucun) do
Et cunctas alias superat spectamine mun)
Est habilis, sapiens, humilis, flos & mulie) rum
Ut fatear verum, stat & pulcherrima re)
Ut licitè dicam, tam pulchra, tamque pudica,
D *Non sinit esse decor (12) nive, valeque precor.*
Nam quodcunque boni potest facit ipsa liben) ter
Præstans exemplum vivendi sic sapien)
Præconium veræ virtutis debet habe)
Quæ numquam cessat per prospera (13) ven-) re
ta stude)
Huic igitur sit nostra salus lux maxima De--
Insuper ascende cum Sanctis . . . .
O Reverenda nimis, tua sunt præconia tan) ta.
Quòd nullus posset, mihi credite, dicere quan)

Est igitur hæc illa mulier, de qua dicitur per Salamonem: *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum thesaurum, & hauriet fœcunditatem à Domino*. Et iterum in libris Jesu filii Syrach: *Mulieris bonæ beatus vir, numerus* E *enim dominorum illorum duplex* (14); Et infra: *Mulier fortis* (15) *oblegat virum suum, & annos vitæ ipsius in pace implevit* (16). Et iterum: *Pars bona, mulier bona, in parte bona timentium Deum, dabitur viro pro factis* (17) *bo-*

(7) *Idest* facundia.
(8) *Meliùs* in.
(9) *Meliùs* Respondit Physicus.
(10) *Corrupta hæc ita legenda ex Ovidii III. de Ponto Eleg. XI.*
Sponte quidem per seque mea est laudabilis uxor,
Admonitu melior fit tamen illa tuo.
(11) *In Ovidii laudato loco sic legitur:*
Si tamen horteris, fortiùs ibit equus.
(12) *Meliùs* vive.

(13) *Pro eventa, legunt alii* cuncta.
(14) *Lege* Mulieris bonæ beatus vir. Numerus enim dierum illorum duplex.
In vulgatis. Nam numerus dierum ipsius conduplicatur.
In aliis. Numerus enim annorum illius duplex. *Eccl. 26.*
(15) *Legendum & hic*, oblectat.
(16) *In vulgatis*, illius in pace implebit.
(17) *Inibi* suis.

Digitized by Google

bonis. *Gratia mulieris sedulæ*, (18) *delectavit virum suum*, *& ossa illius signabit disciplina illius danda*. Et iterum: *Gratia super gratiam mulier sancta*, *&* (19) *pudica*. Et iterum: *Sicut Sol oriens mundo in altissimis Dei*; *sic mulieris bona species*, *& ornamentum*. (20) Item: *Columnæ aureæ super bases argenteas*,

A (21) *pedes firmi super plantas stabunt mulieris*. Et iterum. *Fundamenta æterna super petram solidam*, *& mandata Dei in corde sanctæ mulieris*. Cùm ergo talis sit, & tanta, ab omnibus est verissimè commendanda...... Hanc Deus exaltet cœlorum.

Sequuntur Rythmici versus
THADÆI NOTARII VICENTINI
A GERARDO MAURISIO
PRODUCTI.

Sicut recumbentibus largus ministra) tor
Diversorum generum est ciborum da)
Ut quæ malunt eligant, & refician) tur
Gratiùs, quàm fieret, si pauca ponan)
Sic auctor hic voluit varia dicta) re
Ut Lectores valeant gratiùs nota)
Prosam legant igitur, sicut est dicta) tum
Vel, si placet meliùs, sicut est rythma)
Ut vel uno valeant modo recrea) ri
Vel utroque pariter possint satia)
Etsi Lector videris versus hac scriptu) ra.
Diligenter audias, tua mente pu)
Trine Rex altissime, pater alti cœ) li
Qui coronam gloriæ tribuis fide)
Hìc mihi facundiam præsta gratio) sam
Mitem, dulcem, placidam, nulli odio)
Federicus Dominus summus Impera) tor
Auctor Regni providus, summus triumpha)
Quod nunc volo canere, dignetur audi) re
Licèt non sit desuper mihi datum sci)
Sic ornata ponere dicta, neque cla) re
Quæ sint coram Domino tanto digna sta)
Supplico, si noverit scripta divulga) ta
Suis de fidelibus, quæ sunt hìc nota)
Ista si non viderit, hoc quod supplica) vi.
Non detur pro crimine, dignum hoc puta)
Duces, atque Comites audiant face) ti
Audiendo talia semper adsint læ)
Milites, ac (1) *Domine audiant liben) ter.*
Vera, non mendacia dicam nunc paten)
D *Eccelinos discite duos jam fui) sse*
Inclytos, ac nobiles, quos (2) *fert jam steti)*
Avus hujus Domini, stantis hìc præsen) tis
Eccelini providi, moribus fulgen)
Atque pater, indolis affuit qui ple) nus.
Quibus factis voluit, permanens amœ)
Eccelinus tertius ergo nuncupe) tur.
Præsens; nam præ cæteris sapiens habe)
Primus fuit placidus, & morigera) tus.
Largus, & (3) *pacificus moribus orna)*
Bellicosus etiam fuit, & mode) stus
Bonis benefacere non sistebat mœ)
Erat sed balbutiens ei lingua la) ta
Poterat exprimere vix vix medita)
E *Sensu, ac potentia cunctos præsta) bat*
Omnis vir magnificum ipsum nomina)

B *Ipse quoque tempore summi Federi) ci*
Cui Lombardi fuerant omnes inimi)
Cùm inter Imperium esset, ac Lombar) dos
Quos ad jura didicit ipse fore tar)
Tempore discordia suo suscita) ta
Horrida, terribilis, gravis, atque la)
Factus est Dux, Vexillifer, & Domina) tor
Gentis tunc Lombardicæ, sicut Impera)
Pro sua constantia fuit hoc, & me) re
Pro sua prudentia, magnoque (4) *vigo)*
Ejus tunc discretio tantùm labora) vit
Ac instando plurimùm taliter tracta)
Quòd Lombardi, Dominum quamvis of- fendi) ssent
Majestatem etiam graviter læsi)
C *Quòd eis tunc gratiam tamen Rex dona) vit*
Et offensas penitus factas relaxa)
Post quæ privilegia fecit illis mul) ta
Majestas Imperii, quæ tunc erat cul)
Sicut in Constantiæ Pace sunt nota) ta.
Majestatis inclytæ signoque signa)
Huic tanto Domino Eccelino, vi) ro
More qui negotia gessit cuncta mi)
Vir successit providus alter Ecceli) nus
Cui dedit industriam Rex cœlorum Tri)
Mirus hic in opere fuit, & sermo) ne.
Sat coronæ (5) *subitus stetit ratio)*
Debita servitia sibique dona) vit
Neque reverentiam illi denega)
Hic Lombardos etiam verè dilige) bat
D *Majestatem taliter quòd non offende)*
Sed ejusdem gratiam semper hic adi) vit
Ac sibi servitium tradidit, ut sci)
Patrem fuit moribus bonis hic (6) *su) tus*
Sensu, ac scientia erat quoque imbu)
In hoc patris gloriam iste minora) vit
Ipsum quòd facundia plurimùm orna)
Fecit iste plurima, quàm sint supra dic) ta
Quæ cessamus scribere, ne sint fastidi)
Si quis illa breviter cupiat audi) re.
Ubi prosa loquitur, debeat redi)
Eccelinus Tertius iste Curia lis
Qui cunctis à sordibus perfugit, & ma)
Æquipollet viribus, & lingua facun) da
Patri, nec vult aliqua nisi bene mun)

Lar-

(18) *Alia lectio*, delectabit.
Eadem, & ossa illius impinguabit. Disciplina illius datum Dei est.
(19) *Ibidem* pudorata.
(20) *Alia lectio*, sic mulier prudens in ornamentum domus suæ.
Alia, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ.

(21) *Aliter*, & pedes firmi super plantas stabilis mulieris.
(1) *Meliùs* Domini, *vel* Dominæ.
(2) *Deest* fama, *vel quid simile*.
(3) *Meliùs* pacificis.
(4) *Aliter* honore.
(5) *Lege* subditus.
(6) *Lege* secutus.

Digitized by Google

Largitas, scientia sat (7) hunc deco)
Illum non immeritò Majestas bono) rat
Plus honorem diligit, atque probita)
Quàm censum, vel aliam ullam dignita) tem
In immensum taliter unde commenda)
Quòd nemo similis jam illi reputa) tur
Est enim veridicus, non deceptor exst)
Hic à multis fallitur, quibus fidem præst) at
Animam exponere numquam dubita)
Pro personis omnibus, jure quas ama) vit
Cùm in quodam tempore Marchio Esten)
Et cum ipso pariter Comes Veronen) sis
Ex favore tradito ipsis à Padua)
Et à malignantibus semper Mantua) nis
Amicos expellere urbe de Vero)
Eccelini cuperent, digni laude bo) na
Contradictor exstitit ipse pro ami)
Et triumphum habuit (8) veteres inimi) cis
Tunc expulsus permanet extra Civita)
Comes cum sequacibus, nolens equita) tem
Quòd quicquid mali poterat, semper ordina)
Nam Veronam capere scelere para) bat
Tamdem truces, perfidi, pessimi Lombar)
Qui, ceu patet, permanent super bono tar) di
Inter illos subditos se mediato)
Statuerunt pariter, & composito) res
Et (9) posset ut firmiùs ipsa (10) permane)
Inter illos etiam pacem firmave) re
Civitates insimul septem jurave)
Quæ (11) verò ad invicem sibi promise) re
Ut hæc Pax permaneat hinc, & perseve)
Quòd ipsarum quælibet opus in hoc fer) ret
Et expulsa fuerit ulla si pars Ur)
Ex quaque permaneat (12) memorare tur) be
Tribuet quòd operam, ut pars reverta)
In Urbe, ac solita pace peruta) tur
Padua, Vicentia, Brixia, Vero)
Brixia, Ferraria Salinguerræ pro) na
Istæ, ac Tervixium dictum juramen)
Perfecerunt insimul, quamvis foret len) tum
De Romano Domini recipi debe)
Hac in turba protinus, esse cùm vole) bant
Et Potestas posita sic fuit Vero)
Cuncta quòd æqualiter starent ratio) ne
Bono statu veriùs in Verona stan)
Et æquali pondere cuncta gubernan) te
In hac esse socios ipsi volue)
Sed turba (13) Lombardicæ vix hos recepe) runt
Interim sed perfidi Paduani ve)
Hæc sub innocentiæ causa tractave) re
Optantes destruere illos de Roma)
Qui servire Domino noluerunt va) no
Qui urbem Vicentiam sic occupave)
Marchionem Dominum ibique fece) runt
Qui, tamquam vir pessimus, multùm conaba)
Veronam pessumdare, nec vereba) tur
Et tractatu pessimo facto cum Padua)
Ac cum dicto Comite, & cum Mantua) nis
Violenter voluit Veronam intra)
Fidem tunc Imperii volens viola) re
Et clam cum exercitu ivit Vicenti)
Montebellum, rediit capite sed incli) no
Postquam nefas didicit fortis Ecceli)
Qui vocari meritò potest Palati) nus
Paucis cum militibus urbem tum intra)
Volens vi defendere viros, quos ama) vit

A *Nix magna non potuit ipsum impedi)*
Frigus, nec glacies, ex quo cœpit i) re
Ivit per montaneam, nivem destruen)
Et fractores plurimos bene persolven) do
Ivit cursu celeri, quamvis cum labo)
Timens, ne periculum esset magnum mo) re
Sensus cujus exstitit, vigor atque ta)
Victisque (14) rebellibus pessimis & ma) lis
Tunc Veronam habuit, atque Potesta)
Quæ consulta noverat jam in æquita) tem
Potestatem perfidam ipse carcera)
Ac urbem (15) quoque Domino posteà dona) vit
Urbi nempe postea cœpit supere)
Majestatis æmulis semper & obe) sse
B *Frater ejus nobilis miles Alberi)*
Cui cœlorum Dominus semper sit ami) cus
Æquipollens moribus quoque suo pa)
Talibus negotiis suo favet fra) tri
Et honorem Domini semper exalta)
Voluit præ ceteris, hoc sciatis cla) re
Et cùm contumaciam isti reperi)
Multam, & superbiam pariter vidi) ssent
In Lombardos pessimos, & in Padua)
Quos de jure possumus dicere profa) nos
Hinc, & inde generos (16) eventos Tarvisi)
Et in quosdam etiam cives Vicenti) nos
Qui nolebant subditi Majestati sta)
Sed eidem tempore quolibet obsta) re
Morem illi patrium dignè consecu)
Servaverunt undique fidem sicut tu) ti
C *Sed rebelles Domini, truces, & iniqu)*
Exponentes æmulos, sicut inimic) os
Fides, & Constantia tanta fuit ho)
Militum nobilium, Fratrum relato) rum
Quòd præsenti Domino, nunc Imperato)
Quem extollant, deprecor, Angelorum cho) ri
Debitum auxilium dare promise)
Ipsi cum consilio, nec timue) re
De quo cùm existerent valde commendan)
Et à cunctis meritò ritè veneran) di
Lombardi degeneres, atque Padua)
Vicentini quidam, sic & Tervisa) ni
Supra bona talium simul irrue)
Et ubique taliter sic (17) destruxe) re
D *Damni quòd enormitas vix posset narra)*
Tanti, vel ab aliquo verè nuntia) ri
Fratres hoc pro nihilo totum reputan)
Erant omni tempore magìs procuran) tes
In laudem, & gloriam Federici Imperato)
Romæ Felicissimi, justi pleni mo) ris
Et cùm tunc rebellium posse (18) sic fui)
Quòd ubique oppida horum obsedi) sset
Atque specialiter in urbe Vero)
Eccelinum Dominum, dignum laude bo) na
Noster Invictissimus Imperator he)
Federicus, perfidis qui manet auste) rus
Erga fidelissimos tales Majesta)
Volens vim ostendere, ac benignita) tis
Pervenit celeriter manu cum poten)
E *In succursum talium, more condecen) ti*
Et cùm urbs Vicentia, & gens Padua)
Et secum Tervisium, cui est fides va) na
Obsiderent oppidum quoddam cum virtu)
Quod Rivalta dicitur, stante (19) sibi tu) te
Extat de Crescentiis quòd Ugutio)
Qui fidus Imperio permanet cum bo) nis

Maje-

(7) *Adde* &.
(8) *Meliùs* priscis, *aut* victis inimicis.
(9) *Meliùs* possent.
(10) *Fortasse* ista.
(11) *Fortasse* verè.
(12) *Meliùs* memoratæ turbæ.
(13) *Lego* Lombardiæ, *aut* turbæ.
(14) *Lego* victis quòd.
(15) *Abundare videtur ista vox* quoque.
(16) *Lego* in degeneres.
(17) *Adde* hi.
(18) *Pro* tale.
(19) *Lego* stantes ibi.

Digitized by Google

Majestatis cognito tunc eventu cla) ro
Et succursu pariter (20) perfidus ama)
Exauditu (21) penitus solo fugier) unt
Paduani, socios atque reliquer)
Fugierunt etiam illi Tarvisi) nis
Nondum fugam noverant ipsi Vicenti)
Quod videntes alios cunctos recessi) sse
Solos & (22) in prædio relictos sui)
Versùs tunc Vicentiam omnes devener) unt
Urbi sed succurrere tardi levaver)
Nam (23) serenis, Dominus, felix Impera) tor
Qui divinâ gratiâ mansit triumpha)
Habito consilio Eccelini for) tis
Qui, dum servit Domino, sprevit minas mor)
Vicentinos taliter prævenit in ho) ra
Ipse, quòd Vicentiam cepit absque mo)
Ferè totam ignibus urbem concrema) vit
Atque bonis omnibus ipsam expolia)
Antequam ad propria possent remea) re
Viri domicilia, quò solebant sta)
Erant anni Domini cum mille ducen) ti
Sex triginta pariter, dico nescien)
Diem vobis referent sexdecim sequen) tes
Versus, finem perlegant hanc scire volen)
Annis elapsis venerabilis Omnipoten) tis
Milleque triginta sex junctis, atque ducen)
Pondere crudeli fuit urbs Vicentia ple) na
Facta (24) sibi fuere contraria maxima pœ)
Præda, rapina (25), focum nocuerunt civibus Urb) is
Heu dolor, & fletus nocuerunt undique turb)
Urbs combusta fuit, vacuataque rebus, & æ) re
Vestibus & raptis Dominæ nudæ fugie)
Tunc cives grati, captique fuere ligati;
Nemo vel patri potuit succurrere fratri
Imperatoris virtus metuenda doloris
Verbere vexavit Urbem, quæ non sibi favit.
Majestate tenus fuit Eccelinus amœnus
Cum quo Verona dedit urbi noxia dona.
Prima Novembris homo fuerat lux tibi prono
Et gens cunctorum celebrabat festa (26) Priorum,
Cùm rei pro crimine læsæ Majesta) tis
Vicentini fuerint viri, vos scia)
Qui misericordia Imperator mo) tus
Qui manet à sordibus omni parte lo)
Rationabiliter animadverten) di
Cùm sibi potentia foret, ac læden)
Ipsos ipsis, ac bonam volunta) tem
Reddidit, & gratiam, atque liberta)
Illos ab infantia cunctos libera) vit
Ac possessionibus suis cunctos reforma)
Nisi quosdam imperio sceleris detec) ti
Qui nullis temporibus debent stare læ)
Hoc facto, quod quilibet jure guberne) tur
Et quod scire ratio à nullo conculce)
Urbis Capitaneum fecit Mantua) num
Gulielmum, militem nobilem, ac pla)
Hic discretus permanet vir, ac Curia) lis
Justa petens, omnibus perfugit à ma)
Post suum exercitum versùs Padua) nam
Duxit summus Dominus, & in Tarvisa)
Et intolerabile illi damnum dan) do
Castra, villas undique ivit populan)
Atque in Alemanniam Imperator i) vit
Et parare exercitum ibi probè sci)
Expedire viribus ad hos compescen) dos
Qui rebelles fuerant hic (27) destruen)

A Excellentes Domini Fratres de Roma) no
Qui sunt fidi Cæsari, sicut vobis ca)
Rebelles Imperio, atque contuma) ces
Volentes compescere, qui non sunt sequa)
Exaltando Principem, antequam veni) ret
Vel quòd de negotio tanto quidquam sci)
Mortis se periculo non dubitave) re
Ponere, ceu noscere cuncti value)
Suis cum militibus, & cum Vicenti) nis
Equitaverunt, horridis non timentes mi)
Contra multùm pessimos, infidos Padua) nos
Quos credo per prœlia valde fore va)
Qui cùm contradicere vellent Ecceli) no
Albecico pariter, viro Palati)
Vicentinis etiam, hos qui sequeban) tur
B Qui Leones prœlio fore videban)
Capti sunt, & carcere omnes sunt inclu) si
Qui rebelles aderant, sistunt, & abu)
Sed cùm Fratres nobiles vellent introi) re
Civitatem Paduæ, violando mi)
Paduani maximum timentes vigo)
Fratrum, qui secuti sunt Federicum Imperato) rem
Tunc inermes obviam, ceu victi, vene) re
Et mandata Domini tota jurave)
Ac ejus arbitrio cuncta gubernan) da
Commiserunt, pariter atque vindican)
Et sic nostrum Dominum noscunt supera) ti
Altum, Serenissimum, quia sunt prostra)
Et noscunt potentiam Fratrum inclyto) rum
C De Romano, nomina dixi vobis quo)
Tarditatis vitium licèt imputa) ri
Ipsis modò vellent, qui stabant ama)
De Romano Dominos nunc cognoscant mo) res
Et eorum fortiter timeant vigo)
Lector nunc intelligas, ne decipia) ris
Nostra non sunt penitus hæc, quæ modò fa)
Tadæus composuit, sicut est dicta) tum
Scripsit atque primitus, sicut fuit rythma)
A scriptura dicta, Trine Rex altissi) me.
His (28) benedicavit omnia elarissi)

Cetera nostra manent, dico certissimè Lector

D Immemor accepti quia boni, cœlique prioris,
Tarvisium, terras validi populans Ecelini,
Sontibus assensu præbens, hæret Paduanis
Externus membris, prudentem lædere tentat
Auctorem capitis, qui vitam, corpora, membra,
Negligit, ut justum servet caput, atque coronam,
Per caput illæsum . . . . restituenda.
Nam cùm solus (29) mali miles de Cami) no
Tarvisinos undique læderet omni)
Et quæsisset socios perfidos Padua) nos
Et adhuc degeneres cunctos Conegla)
Quorum tunc potentia creverat in tan) tum
Quòd vix posset auribus nuntiari quan)
Civitatem cominus ibant destruen) do
Milites & pedites, plures capien)
E Eccelinus audiens, in Verona stan) do
Quòd sic currunt undique (30) populan)
Tamquam Leo rugiens, stridens, suspiran) do
Revolvens in anima, cuncta cogitan)
De Verona rediens, is repatria) vit
Et pro sua patria fortiter pugna)
Hic destruxit oppida, plures quoque vill) as
Valde dolent æmuli, qui struxerunt ill)
Gue-

(20) Meliùs perfidis.
(21) Fortè & hic rectiùs exaudito, vel ex auditu.
(22) Lego in prœlio.
(23) Serenus rectiùs hic se habet.
(24) Fortè fata.
(25) Meliùs focus.

(26) Lege piorum.
(27) Meliùs isthic.
(28) Fortasse bene dictavit.
(29) Legendum Guecili.
(30) Adderem cuncta.

Guecilum cum oppido cepit de Cami) no
Donans cuncta populo falso Tarvisi)
Per hunc Tarvisium sic hostes supera) vit
Quòd in cunctis prosperè per hoc triumpha)
Et pro bono merito mala tribue) runt
Hunc lædendo graviter, sicut potue)
Nam qui dignus fuerat omni laude ple) na
Per hoc factus dicitur dignus gravi pœ)
Et qui debuerat dignè crucia) ri
Laudibus, & gloria cœpit domina)
Factus est Vexillifer Guecilus in ur) be
Et Dux, atque Dominus Tarvisinæ tur)
Tunc vesanus populus cum his de Cami) no
Damna valde grandia dantes Eceli)
Publicatas literas de protectio) ne
Congregato populo & in Concio)
Quas Imperator populo misit Tarvisi) no
Ne quisquam molestiam ferat Eceli)
Auri ducentorum pœnam transgresso) rum
Librarum imposuit, atque contemto)
Tarvisinus populus hæc vilipenden) do
Pœnæ stat obnoxius ista contemnen)
Audi modò perfida turba Tarvisi) na
Pulia, Calavria, tota cum Misi)
Si pro contemtoribus aurum vellent da) re
Suum, non sufficeret: dicam vobis, qua)
Nam cùm pœna teneat singulos in to) tum
Aurum quòd deficeret omnibus est no)
Timeat & Padua, ploret Vicenti) na
Quæ sunt dignæ pariter simili rui)
Nam fuerunt sociæ pœnam contemnen) do
De Romano duos simul offenden)
Ergo, nisi Domini fuerint placa) ti
Contemtores omnibus fuerint spolia)

Fecimus hos rythmos; sed carmina sunt aliena.

Defenduntur, quæ dicta sunt de Alberico de Romano.

Si dixerit aliquis: nunc verum apparet, quod scriptum est:

Non bene cernit amor, videt omnia lumine cœco,
Fallitur in multis anxietate sua.

Ecce propter nimiam dilectionis affectionem de Domino Alberico, sua nimia dicacitate, laudeque immoderata, & falsitate permixtam, ipsum prudentem, diligentem, & omnium virtutum esse decoratum protulisti: modò responde, si potes. Nonne die Mercurii, intrante hoc mense Augusti, eunte Domino Alberico ad exercitum Veronensium, apud Castrum Sancti Bonifacii, cum multitudine militum, & peditum competente; & (31) vidisset inimicos prope Monticulum contra se venientes, vano timore perterritus aufûgit, dimissis spoliis quampluribus, & uno mortuo, & pluribus captis de militibus suis, qui fugere non potuerunt? Quomodo ergo verum est, quòd sit diligens, & prudens, fortis, & bellicosus?

Respondit Vicentinus. Quod fecit tunc Dominus Albericus, ab eo fuerat faciendum. Et si auditores dentes suos mordaces comprimant, & non lumine cœco, quod secutum intueantur, ipsum in omnibus verissimè commendabunt. Cùm enim à Vincentia movit Dominus Albericus, præceperat militibus de parte sua propria, & militibus de altera satis in congrua quantitate, quòd secum moverent, & unâ horâ venirent, signis statutis sonantibus,

A sinè mora. Ivit ergo credens, quòd turba cuncta sequeretur eumdem, sicut & bene usque ad illam diem facere consueverat. Et cùm fuit ibi prope Monticulum, visis hostibus, & suis, qui secum fuerant, computatis, habita diligenti scrutatione, quid sibi fuerat faciendum, quia invênit milites suos inter omnes circa numerum LXX. de quibus partes quatuor erant de parte contraria, quamvis moventur in Civitate, & præ ceteris eum timeant; tamen quia talis timor sinè caritate persistebat, inspectis etiam viribus & inimicorum quantitate, non erat ei tutum ipsorum audacia, & succursu pugnare cum inimicis, ideoque bellum, seu pugnam pro meliori & tutiori consilio sibi placuit evitare. Hoc enim Socrates

B fecisset, & Plato, & quilibet diligens, & fortis ad arma miles. Est enim diligentissimi Ducis, ante bellum, suas & inimicorum vires prævidere, & diligenti examinatione tractare, an sibi pugnare expediat, vel evitare pugnam. Nam etsi tutissimum videatur quandoque pugnare, tamen Mars semper dubius est. Unde dicitur:

Mars dubius, nec certa Venus, victique resurgunt,
Quosque neges umquam posse jacere, cadunt.

Sapientis igitur est ab initio prævidere, quia jacula prævisa minùs feriunt. Si ergo quilibet hoc fecisset diligentissimus, nulla valet ei vilitas, nec aliud imputari. Si quis dicat, propter

C hoc negligentia non valet excusari, cùm ipse sinè suorum amicorum turba, non (32) debuerat tam longiùs equitare. Respondeo: Non (33) enim poterat rationabiliter extimari, quòd aliquis tantæ reperiretur audaciæ, vel negligentiæ, & maximè amicorum suorum, quòd tantam moram, & tam periculosam faceret in equitando. Unde nihil est omnino, quod valeat ei imputari, dum tamen amici, præcipuè qui cum ipso fuerant venturi, sic de sua negligentia, & tarditate puniantur, quòd tam ipsi, quàm ceteri de tarditate consimiliter terreantur. Excusamus igitur eum, & maximè in hoc

D facto commendamus plurimùm, cùm tantum in hoc suæ virtutis, & audaciæ fecerit temperamentum, quòd majus evitare periculum recognovit. Dixit enim ejus Avus sapientissimus, Dominus Eccelinus, vir bellicosus & fortissimus, in dubio simili, cùm redargueretur à quibusdam de fuga quadam, quam fecerat: *Melius est, quòd dicatur, hic fugit Eccelinus, quàm hic captus fuit Eccelinus, vel mortuus*: quod exemplum usque in hodiernum diem ab omnibus Sapientibus, tamquam tutissimum commendatur. Sileant ergo invidi, & linguosi, qui de tali facto increpationis obprobrium inferebant eidem; sed potiùs (34) infrascriptis omnibus ipsum verissimè teneant commenda-

E tum. Licèt ergo supra dicatur:

Non bene cernit amor, videt omnia lumine cœco:

Alibi tamen dicitur:

Plurima certus amor lumina semper habet.

Et ideo, cùm noster in ipsum certissimus amor existat, nihil de suo facto possumus ignorare, cùm, *Plurima certus amor &c.*

Se-

(31) *Meliùs* & cùm vidisset, *vel* vidente.
(32) *Meliùs* debuisset.
(33) *Abundat* enim.
(34) *Adderem* ex.

Digitized by Google

Sequuntur alii versus THADÆI NOTARII VICENTINI de significationibus Nominum, & Cognominum Eccelini, & Alberici Fratrum de Romano, juxta prosam GERARDI MAURISII, à quo & allati sunt.

SUpra diximus per prosam, quid significent Nomina, & Cognomina Dominorum Eccelini, & Alberici Fratrum de Romano, sed precibus nostris Thadæus Notarius prosam nostram in hunc modum rythmavit.

De Nomine Eccelini.

Vir, qui non intelligit verbum, quod loqua)
Esse per Apostolum barbarus monstra) *tur*
Qui fert: si nescieris tu virtutem vo)
Ero tibi barbarus talibus in lo) *cis*
Et tu mihi barbarus frater per hoc e)
Dum non intellexero, dicere quod quæ) *ris*
Eccelini scilicet, hinc & Alberi)
Qui cœlestis Domini semper sunt ami) *ci*
Nomina significent quid, hic denote)
Linguæ quòd barbaricæ vitium vite) *mus*
Hoc enim verissimè sonat Ecceli)
Qui linitor vénit superborum si) *nus*
Si parvis in grandibus licèt nobis u)
Exemplis, hoc possimus divulgare tu) *ti*
(35) *De discreto possumus Eccelino ver*)
Dicere, quod sequitur, cùm non sit acer) *bum*
Ecce noster inclytus, & verus lini)
Ac defensor permanet, in quo sensus ni) *tor*
Dei providentia dedit sibi ta)
Nomen, ut arbitror, dictum adest qua) *le*
Cùm linitor maneat ipse aspero)
Pariter depositor status superbo) *rum*
Venit tamquam nuntius Redemto)
In hunc Mundum, liniat ut fugatos mo) *ris*
Aspera qui noverit, atque linien)
Et quòd hic prohibeat facta prohiben) *da*
(36) *Hic enim de civibus bonis Vicenti*)
Ac de Veronensibus (37) *pleniùs tunc rui*) *nis*
Qui jam diu fuerant quasi carcera)
Tamquam sclavi, malo nec erant libera) *ti*
Marchionis stantibus tunc sub ditio)
Ac prædicti Comitis sub jugatio) *ne*
Potestatem dederant quibus Paduæ)
Et cum his nequissimi truces Mantua) *ni*
In tantum condoluit, quòd pro liberan)
Ipsis, ac crudelibus Dominis necan) *dis*
Sat contemsit ipse proprias faculta)
Aulas, Villas, Oppida, quasque dignita) *tes*
Animam exponere neque dubita)
Dum dilectos, liberos esse reputa) *vit*
Hæc Joannes loquitur, fide vera rec)
Qui servivit Domino clarus, neque tec) *tus*
Debet frater animam ponere pro fra)
Idem fert Apostolus, doctus trino pa) *tre*
Vir, qui ponit animam, nihil sibi re)
Vera credo talia, dum scriptura præ) *stat*
Eccelinus Dominus istud fecit cla)
Dum ipse compescuit superbos ama) *re*
Ergo sui Nominis ethimologi)
Consequutus fuit, talem tenens vi) *am*
Quia vénit, aspera & cuncta lini)
Superbos deposuit, ipsos atque tri) *vit*
Exaltavit humiles, & in liberta)
Pristiuam restituit, & tranquillita) *tem*

A *Dei tamquam nuntio, illi sit æter*)
Laus, atque gloria, vita sempiter) *næ*

De Nomine Alberici.

Albericus dicitur albus esse co)
Quo colore penitus factus extat o) *lor*
Extat ab albedine meritò voca)
In hoc verè nomine sensus extat la) *tus*
Sicut per albedinem lucidi di)
Cui splendorem tribuit Phœbus alti di) *ei*
Non solùm obscuritas pellitur noctur)
Sed quoque (38) *donant sydera claritas diur*) *na*
Alberici Domini sic (39) *potenta*)
Et per apparentiam, quam habet, vel fa) *tum*
B *Non sunt solùm populi, qui obscurita*)
Atque noctis obtinent locum, pro prostra) *tis*
Sed Magnates plurimi sunt suppedita)
Qui splendoris lumine stabant radia) *ti*
Claritas, ut arbitror, permanet, albe)
Patens est, si sperneritis credere, quod e) *do*
Lux lucet in tenebris, *ut Joannes di*)
Scriptor Evangelii, qui peccatum vi) *cit*
Et fert, lucem tenebræ non comprehende)
Hoc cuncti Sanctissimi Patres credide) *runt.*
De Romano Dominos igitur creda)
Si, quod verum fuerit, dicere cura) *mus*
Omnibus virtutibus esse decora)
Ac præ cunctis omnibus moribus orna) *tos*
C *Ipsi enim fontibus valde sistunt tru*)
Hinc & supplicantibus placidi sunt du) *ces*
Cum bonis pacifici, non sunt odio)
Cum malis fortissime manent odio) *si*
Ambo sunt Catholici, nolunt pravita)
Quam putant hæretici, vel malignita) *tem*
Sed Cœlorum Dominus sic obsecunda)
His, ut suis nuntiis, sic videtur cla) *re*
Quòd totius Marchiæ ipsi principa)
Obtinent, & gloriam, atque bonum sta) *tum*
Habent ipsi gratiam ac Imperato)
Præ cunctis hominibus, suntque pleni mo) *ris*

De Cognomine de Romano.

D *De Romano Domini quare sunt voca*)
Dicam. Hoc cognomine sunt cognomina) *ti*
Quia malis, ac perfidis ipsi manus ro)
Dum cædunt, & scelera tunc se nolle pro) *dunt*
Sicut quando perfido manus amputa)
Viribus corporeis totus vacua) *tur*
Sic qui nolunt Dominis talibus noce)
Solent totis viribus meritò care) *re*
Christus illis augeat, & donet bono)
Virtutem, & gloriam, simul & vigo) *rem*
Supra impressa de Domino Alberico etiam alia est Ethymologia.
Si quis illam breviter cupiat audi)
Ubi prosa loqutur, debeat redi) *re*
Quia Albericus dicitur albus, ricus, ut ibi
E dixi, & exposui manifestè.

---

(35) *Desiderantur aliqua, respondentia sublatis è prosa Maurisii.*
(36) *Ob caussam, superiùs allatam, hìc etiam aliqua prætermissa sunt.*
(37) *Fortè* plenis.
(38) *Fortè* donat.
(39) *Adde* per.

Rythmici alii versus Gerardi Maurisii de Commissione libri sui facienda.

A

Dicat modò Physicus, cui custodien) dum
Opus hoc nos dabimus, atque retinen)
Ut non possint perfidi carpere de scrip) to
Illis, quæ contraria permanent in is)
Sed legendi teneant plenam potesta) tem
Publicandi ceteris atque largita)
Ut hoc viso perfidi terrean) tur
Et qui boni fuerant, plus effician)
Physicus excogitans, taliter respon) dit
Qui suum consilium bonis non abscon)
Beatricis Dominæ committatur cu) ræ
Quam commendant meritò quævis creatu)
Nos credendo Physico taliter dicen) ti
Librum illi mittemus, & incontinen)
Concedendo Dominæ plenam liberta) tem.
B
In gerendis omnibus, atque potesta)
Accipe nunc, Domina, digna corona) ri.
Librum, quem præcipimus tibi soli da)

Alii de Nomine, & Cognomine suo.

Hunc ego Gerardus, *quamvis in dogmate tardus,*
Scripsi, laudando tis mores, auxiliando,
Da veniam scriptis, quoniam non gloria nobis
Causa fuit; certos potiùs sed reddere cunctos
Is qui salutifera suis verbis e) dit
Nunc præ cunctis Physicus veniam conce)
Hic Buratus *nomine verè nuncupa) tur*
Nam per ipsum cholera sæpiùs purga)
Ut farinæ furfures buratellum cer) nit
Sic per istum quilibet cuncta mala sper)
Est enim veridicus Physicus, peri) tus
Non est illi similis quaque parte dic)
Dignus est meritò hic cum bonis mane) re
Et cunctorum gratiam plenè posside)
Ergo Christi gratia tali conceda) tur
Et cum Sanctis gloriam ipse merea)
(40) *Finem nullum facimus modò de prædict) is*
Nam speramus plurima ponere cum ist)

(40) *At fecit, sive morte præventus, sive alia de caussa præpeditus, nihil enim amplius his adjecit, quod sanè exstet.*

F I N I S.

M.A. Palk In. et Sculp

ANTONII
GODI
NOBILIS VICENTINI
CHRONICA, QUÆ EXSTANT
AB ANNO MCXCIV. USQUE AD MCCLX.

Ejusdem ferè methodi, & argumenti

CUM GERARDI MAURISII
HISTORIA

FELIX OSIUS
ARTIS ORATORIÆ INTERPRES IN GYMNASIO PATAVINO

Primus hæc ipsa tribus è MSS. Codicibus Vicentinis defæcavit, recensuit, evulgavit.

In præsenti verò editione ope duorum Codicum MSS.

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ

CLARISS. VIR JOSEPH ANTONIUS SAXIUS

EIDEM BIBLIOTHECÆ PRÆFECTUS

Castigavit, & auxit.

Digitized by Google

Digitized by Google

AMICO LECTORI
JOSEPH ANTONIUS SAXIUS
BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTUS.

Brevia hæc Chronica rerum Vicentinarum ab Antonio Godio, & Nicolao Smerego conscripta, primus vulgavit Felix Osius, superioribus voluminibus laudatus, & perenni memoria dignus ob amorem suum eximium erga literariam Rempublicam, quam pluribus eductis è privato pulvere Manuscriptis Codicibus liberaliter ditavit. Ea denuo in lucem proferre, pro suo ac Palatinæ Societatis instituto, necessarium duxit Clariss. Muratorius *; sed cùm à me admonitus per literas foret, duo eorundem exemplaria in Ambrosiana mea Bibliotheca adservari, rogare non destitit, ut quantocyus cum illis conferrentur, ratus inde effectum iri, ut accuratior, gratiorque Eruditis Viris editio posset parari. Nec voto suo cecidit Vir Doctissimus; nam adhibito in partem laboris diligentissimo Viro* Philippo Argelato, *alterum ex prædictis Codicibus à Vincentio Pinello collatum, castigatumque ad fidem antiquiorum exemplarium, repertum est variis melioribus lectionibus adeò contextum, ut vix temperaverimus ab edendo per columnas, unà cum editis libris Osii, Codice Ambrosiano, quemadmodum in Ottonis & Acerbi Morenæ historia superiùs peractum est. Ne tamen Lector geminata earundem rerum lectione confertim oneraretur, ea, quæ majoris momenti visa sunt, seligere placuit, atque ad calcem remittere. Adjectæ itidem sunt loco eodem variæ lectiones ex Ambrosiano altero Codice depromptæ, qui tamen, utpote recentior, cum edito Osii textu fermè consentit; quin immo, ut nihil in votis esse posset, eas quoque, quas margini apposuerat Osius, suis locis reddidimus signatas nomine ipsius atque aliorum, quos ipse descripserat.*

Ut verò aliqua de Scriptoribus ipsis disseram, candidè fateor, nihil à me repertum in historiis fuisse, quod Nicolai Smeregi ætatem ac scripta posset docere; cùm huc usque nonnisi opus hoc nomenque ipsum eidem affixum, ac Notarii, ut profertur, officium emerserit, atque apud ipsosmet Scriptores, qui de Viris Illustribus Vicentiæ sermonem habuere, altum de ipso silentium occurrat.

Celebrior est fama Antonii Godii, cujus familiam describit libro VII. Vicentinæ historiæ Baptista Pajarinus, inquiens, ab antiquis appellatam de Gudis, à recentioribus verò de Godis, eamque temporis vetustate, nobilitate sanguinis, juris civilis scientiâ, & opibus multùm valuisse. Ætatem ipsius ad Annum MCCCXLIV. profert Jacobus Marzari in historia sua Vicentina Italicè scripta libro II. eumque ait Ferreti vestigia sequutum, qui Patriæ suæ discordias, & bella cum Paduanis gesta narraverat; Incœpisse autem ab Anno M. *opus suum, illudque usque ad memoratum Annum traduxisse, ac facem veluti prætulisse in suis contexendis Annalibus Baptistæ Pajarino. Attamen cùm Marzarius idem profiteatur nullum hujusmodi historiæ indicium suo tempore extitisse, habenda potior ratio est Pajarino ipsi, à Gerardo quoque Job: Vossio relato, qui hæc scribit.* Anno à Nativitate Christi MCCCXIII. (*Osius MCCCXI.*) fuit Antonius de Godis, qui Vicentinorum res gestas, atque Urbis desolationem scripsit, cujus historiam vidi, multaque ab ea excerpsi, quæ huic nostræ lucubratiunculæ adjeci. *Exorsum certè illum fuisse historiam suam non ab Anno* M. *ut retulit Marzarius, sed ab Anno MCXCIV. docent ejusdem exemplaria tum edita, tum manuscripta; definit verò in Annum MCCLX. Num autem aliqua perierint usque ad initium seculi XIV. quo ipsum fuisse Pajarinus affirmat, incertum prorsus est; Præterire quidem nequeo turpi nimis anachronismo peccasse Lodovicum Morerium, qui auctorem hunc nostrum cum Henrico Antonio Godio confundit, fortasse in errorem adductus à Job: Imperiali, qui in suo Musæo historico inter antiquos illustres Viros Vicentiæ eundem enumerat, inquiens floruisse illum Venetiis* Oratorum Jureconsultissimum, & Jurisconsultorum eloquentissimum tam celebri reorum patrocinio, ut ab Judaica natione decem aureorum millia, susceptæ semel tantùm tutelæ merito sit lucratus. *Attamen non ea antiquitas est hujusmodi Henrici, quæ illum æquare possit ætati Godii memorati; Marzarius siquidem superiùs adductus non modò tempus quo floruit, sed illustrem, doctamque ejusdem progeniem singillatim enunciat, tradens illum ducentis fermè annis post Antonium hunc Godium tam nobili ingenii sui experimento Venetiis effulsisse, ut alter seculi sui Demosthenes appellaretur.*

Cæterùm ut ad Ambrosianæ meæ Bibliothecæ exemplaria revertar, alterum inde beneficium Lector excipies, triplicem nempe familiarum nobilium Vicentinæ Urbis Elenchum, quem Vincentius Pinellus adjecit, professus eumdem ex Herculis Fortitiæ Codice fuisse descriptum. Complectitur autem iste tum veteres familias, quarum memoriam injuriosum tempus penè abrasit,

Digitized by Google

rasit; tum eas, quæ in ea Urbe splendidiùs efloruere; tum etiam, quæ ex alieno solo deductæ ibidem sedem fixere. Eas quidem protulerat post historiam suam editam Venetiis anno MDXCI. Marzarius supra laudatus; sed cùm promiscuè recentes antiquis adnumeret, nulla etiam facta loci, unde prodierint, mentione, opere pretium fuit vetustum hoc exemplar imprimere. Demum in nostris Codicibus digesta est per capita historia universa, quæ continuato fermè textu in Osii Codice excurrit, ut proinde Lectori tœdium hinc etiam levetur.

Hic quoque advertere licet, unà cum præmissis auctoribus impressa in hoc volumine fuisse quæ Felix Osius excerpsit de Ezerino III. ex libro XIII. historiarum Laurentii de Monacis, quamvis Scriptor iste longè ab hoc seculo sit, scribens, Osio ipso teste, sub Annum MCCCCXIV. Integritati siquidem Historiæ consulere maluimus, quàm Instituto præsentis Operis religiosè nimis inhærere. Vale.

ANTO-

Digitized by Google

ANTONII GODI
NOBILIS VICENTINI
CHRONICA,
QUÆ EXSTANT.
PROLUDIUM.

ENarrare deliberanti miserias, afflictiones, oppressiones, clades, depopulationes, stupra, incendia, calamitates, & cædes, quas Civitas Vicentiæ, ejusque districtus hactenus passa est: Potestarias, & regimina, quæ in ipsa Civitate rexerunt, potissimè ab Anno Domini MCCCXI. citra (1), quo anno ipsa Civitas extracta, & liberata fuit de servitute, jugo gravi, & iniquo dominio Paduano, sicut inferiùs apparebit, occurrunt aliqua (2) anteriora de statu, & opulentia Civium, Districtualiumque ipsius: Civitatisque ejusdem flagellis, calamitatibus, & ruinis, quas ipsa Civitas, & Districtus antea passa fuit, quorum (3) in præsenti opere aliquam (4) faciam mentionem, & ab ipsis incipiam (5), ut per ea apertius cognosci (6), & discerni possit, quid tunc fuerit ipsa Civitas, & Districtus, quid postea, quid (7) nunc sit, omissis guerris, conjurationibus, eversionibus, & cladibus, quæ hìc multo tempore viguerunt temporibus Marii, Felicisque Vicentinorum Civium, ipsisque (8) complicibus adversantibus ad invicem, & in ruinam ponentibus ipsam Civitatem, & Districtum totum (9).

De statu veteri Vicentiæ, & Districtu ejus.

SIcut ab antiquis Vicentinis audivi, & potissimè ab olim Patre meo, qui curiosus (10) perscrutator fuit ab Antiquis Vicentinis, ut Domino Arloto (11) de Raynone, qui valde à se, & antecessoribus suis res antiquas, conditionesque Civium de Civitate, & districtu Vicentino noverat, Magistro Bono Coperio antiquissimo, aliisque Senibus, scientibus de gestis, & rebus antiquis: Districtus Civitatis extendebatur (12) jam versùs districtum Veronensem usque ad torrentem Alponis, ubi sunt (a) Cotolongu, Mentecleda (13), Villanova: citra Alponem, Ocharia, Sanctus Bonifacius, Arcule (14), Lumilla (15) (b), & ut audivi Colonia, quas Villas certi Gibellini (16) Cives, ac Commune Vicentiæ, conditionibus & pactis tradiderunt Veronensibus possidendas ad diu jam finitum tempus, ut tuerentur Civitatem, & Districtum Vicentinum à continuis injuriis, & incursionibus (17), quas Vicentini à Patavis (18), Guelforum suggestionibus, quotidie tolerabant. Ex alia verò parte versùs Paduanum districtum protendebatur usque ultra Brentam (19), ubi sunt Solagna (c) Roxana, Cismone, Baxianum, Cartigianum (20), Sancta Lucia, Frata, & Fontaniva: quas Terras injustè nunc Patavi potentia detinent Vicentinis, prout inferiùs declarabo. Igitur Districtus erat maximus, & in quavis re, homini necessaria (21), fertilis & abundans: Civitasque populosa, ornataque nobilibus Magistratibus, Civibusque. Cincta Civitas erat, ut hodie est; sed magis populosa, & plena. Protendebatur (22) à Porta Burgi Sancti Felicis usque ad Sanctum Blasium, sicut veterum hodie apparent vestigia fovearum; à Ponte verò Sanctæ Crucis, Burgi Portæ Novæ usque ad Sanctum Bartholomæum Burgi Pusterlæ extra Portam. In Burgis verò S. Petri apparent valles veterum fovearum: hæ quoq; cinctæ erant, spaldatæ & munitæ betifredis (23), ac foveis amplissimis undique circumdatæ. Intra hanc verò Civitatem erant (24) habitationes, & domus egregiæ. In Civitate autem erant Turres, & potentium virorum Palatia; sed in Districtu tot erant Castella, quot Magnates (nam quasi in qualibet Villa erat Castrum aliquod, quod custodiebatur per aliquem Nobilem, seu potentem Civem) quæ per discordias latentiaque odia, inter eos vigen-

(1) *MS. Ambrosianus I.* ab A. D. MCXCI. citra.
(2) *MSS. ambo* occurrit mihi aliqua repetere anteriora de statu &c.
(3) *MS. Amb. I. non legit* quorum.
(4) *MSS. ambo* aliqualem.
(5) *MSS. ambo* incipere.
(6) *MS. Amb. I.* conjici.
(7) *MS. Amb. I.* quidque.
(8) *MS. Amb. I.* ipsis cum complicibus &c.
(9) *MS. Amb. I. addit* videlicet.
(10) *MS. Amb. I.* curiosiùs.
(11) *MS. Amb. I.* ut à Domino Ancilloto. *Alter MS.* Abrilotto.
(12) *MS. Amb. I.* extendebantur.
(a) *Pajarinus* Costalonga, Monticleda &c.
(13) *MS. Amb. I.* Monte de Celeda.
(14) *Idem* Areula.
(15) *Idem* Cumella. *Alter MS.* Lumellum.
(b) *Pajarino* Zumilla.
(16) *MS. Amb. I.* Ghibellini *semper*.
(17) *Idem* invasionibus; *ita & in altero*.
(18) *MS. Amb. I.* Patavini *semper*.
(19) *Idem* versùs Paduanum districtum protendebantur ultra Brentam.
(c) *Pajarinus* Rosana, Cisnone.
(20) *MSS. ambo* Castilianum.
(21) *MS. Amb. I.* eratque etiam in quavis re usui hominis necessaria &c.
(22) *MSS. ambo* sed Burgi populosi & pleni protendebantur à Porta &c.
(23) *MS. I.* benifradis.
(24) *Idem* Intra has verò cinctas erant &c.

gentiæ, paulatim ipsis crescentibus, direpta & explanetata sunt (25), adeò ut ferè non (26) sit hodiè eorum, quorum fuerunt, ipsis Civibus radicitus dissipatis, memoria (27). Audivi præterea, quòd multi ex Nobilibus tàm Veronensibus, quàm Patavinis ex aliqua stirpe Vicentina processerunt, ut Comites de Sancto Bonifacio, Maltraversi (28) de Montebello, Carrarienses, Domus Monticulorum, quæ traxit originem antiquissimè à certis Nobilibus de Monticulo Precalzini. Si verò Cives Vicentini sic commune Bonum tòto affectu appetissent, ut Veneti faciunt, & fecerunt, se adinvicem diligentes, & statum suis bonis augmentantes, ut debebant, Civitas Vicentiæ non fuisset impotentior Civitatibus Veronæ, & Paduæ. Sed nequeo præterire afflictiones, desolationes (29), adulteria, incendia, & clades, quæ Vicentiæ fuerunt temporibus Dominorum de Romano, qui primò (30) posuerunt sub jugo servitutis Civitatem, & Districtum: incendia quoque, & derisiones: ultimò & stupra, quæ passa fuit tempore sævissimi Federici Imperatoris (*).

De primis novitatibus hujus Codicis.

IGitur post reditum Domini (31) Eccelini de Romano, qui propter aliquod impedimentum linguæ Balbutiens (**) dicebatur, quique ab (32) Imperatore Federico contra Saladinum Soldanum transitaverat (33), ubi ab Imperatore, totoque Christianorum exercitu, propter ejus strenuitatem audaciam & virtutem, Dux & Vexillifer totius exercitus dignè meruit ordinari; idem electus fuit in Potestatem Civitatis Vicentiæ. Cujus regiminis tempore filii (d) Ganselini Gottonem (34) Taliæ interfecerunt, qui ante per eumdem expulsi de Civitate fuerant, domusque eorum, & turres usque ad fundamenta subversæ.

Post cujus mortem fuerunt electi tres Potestates Vicentiæ (35), videlicet Dominus Solimanus Judex pro parte Vivariensium, & (e) Pileus (36) Pater Vincentii de Zancano (37) pro parte Comitis (38), suggestione dicti Pilei in Potestatem electus fuit quidam Jacobus de Bernardo de Bononia. Anno Domini MCLXXXXIV. qui in secreto promiserat favorabilior esse parti Comitum, quam Vivariensium. Hic in ejus regimine lites plantavit, & odia, bannirique fecit Dominum Eccelinum Secundum, filium alterius Eccelini, qui propter ejus bonitatem Monachus dicebatur. Itaque partes ad pugnam veniunt (39), quæ tunc ad invicem querelantes (40), incensa & combusta fuit major pars Civitatis Vicentiæ die XXI. Decembris Millesimi suprascripti, parte Domini Eccelini, & Vivariensium succumbente, cum qua tunc exivit Dominus Pistor (41) Episcopus Vicentinus, post quam (42) intus, extraque oriebantur graves inimicitiæ, prædationes, & bella.

Interim Veronenses, amici Communis Vicentiæ, venerunt Vicentiam brachio potenti, & eumdem Jacobum, in secundo sui regiminis anno, removentes de regimine, posuerunt Vicentiæ Potestates duos, unum videlicet Dominum Octonellum de Turrisendis (43) pro parte illorum de Vivario, alterum verò (f) Zeumillium de Chricetis (44) pro parte Comitum Vicentiæ.

Post quos successit (g) Gunfredotus (45) de Mediolano in regimine, sub quo excitatæ fuerunt contra Dominum Eccelinum discordiæ, & guerræ; & prœlio commisso apud Marosticam, quæ tunc erat Dominorum de Romano, Vicentini totum Burgum combusserunt.

Huic in regimine successit Dominus Bonapax Faha (46) de Brixia Anno MCLXXXXIX. (47) Qui cùm exercitum Vicentinum ultra Brentam contra Baxianum duxisset, plurimi ex parte utraque capti, & mortui fuerunt. Post quæ idem Dominus Eccellinus, undique amicis collectis, scilicet Estensi Marchione, totoque populo Paduano (48), ivit ad Villam Carmignani, & cum exercitu Vicentino dimicando, Vicentini occubuere; eoque prœlio capti fuerunt plures, quàm duo millia, ex Vicentinis, Pataviumque (49) conducti. Vicentini verò ad Veronensium præsidium (50) recurrentes, promoverunt, eos contra Patavos exercitum validum ducere cum Carrocio, brachio potenti Paduanorum districtum currentes, nemini parcendo, Villas, & Castra sternendo, prædando, incendiaque ponendo usque prope Civitatem Paduæ, ita ut scintillæ ignis in Civitate caderent. Postmodum facta pace, relaxatis captivis Vicentinis de Paduanis carceribus, Vicentinorum, Veronensiumque exercitus (51) revertitur.

De relaxatione autem Vicentinorum facta præter scientiam Domini Eccelini, idem gravissimè indignatus, se cum Veronensibus, atque Vicentinis, & Comite tamquam (***) Guelfo conjunxit (52). Quapropter Paduani indignati valido exercitu invaserunt Curiam Honariæ, quæ antea cognomen fuerat Dominorum de Romano usque in diem illum, qui postmodum cognominati, & dicti fuerunt de Romano. An-

(25) *MSS. ambo* crescentibus diruta, & paulatim explanata sunt.
(26) *MS. I.* ut non *desiderat*.
(27) *Idem* memoria sublata.
(28) *Idem* Maltravorsi de Monte-bello.
(29) *Idem* desolationes, & oppressiones &c.
(30) *Idem* qui quasi posuerunt &c.
(*) *MS. Amb. II. addit* & ab ipsis incipere.
(31) *MSS. ambo pro* Domini *legunt* primi.
(**) *MS. Amb. I.* Balbus.
(32) *Idem pro* ab *legit* cum.
(33) *Idem* transfretaverat.
(d) *Maurisius* Ganselmi Gastonem Taliæ.
(34) *MS. Amb. I.* Ganselmi Castonem.
(35) *Idem* post cujus mortem cùm duo facti essent electores Potestariæ Vincentiæ, videlicet &c.
(e) *Maurisius* Pilius Vicentii pater Alberti de Celsano.
(36) *MS. Amb. I. pro* Pileus *legit* Julius *semper*.
(37) *Idem* de Zaulano. *MS. II.* de Celsano.
(38) *Idem* Comitum.
(39) *Idem* venerunt.
(40) *MSS. ambo* qua tunc ad invicem bellantibus, incensa &c.
(41) *MS. Amb. I.* Pistorius. *MS. II.* Pastor.
(42) *MS. Amb. I.* post quæ.
(43) *Idem* de Turtilendis.
(f) *Maurisius hunc vocat* Vermileum de Crescentiis.
(44) *MSS. ambo* Vermillium de Crescentiis.
(g) *Maurisio* Vifredotus.
(45) *MS. Amb. I.* Confredus.
(46) *MSS. ambo* Faba.
(47) *MS. Amb. I.* MCXCVII.
(48) *Idem* iterum apud Villam Carmignani cum exercitu Vicentino dimicando &c.
(49) *MS. Amb. I.* Paduamque.
(50) *Idem* præsidia occurrentes.
(51) *Idem* exercitus domum revertitur.
(***) *MS. Amb. II.* quamquam.
(52) *MS. Amb. I.* & Comite quanquam Guelfo univit.

Digitized by Google

Anno MCCI. Potestate Vicentiæ Domino Marchesino (53) de Mainardis de Ferraria, confœderatis ad invicem Vicentinis, Veronensibus, & Tarvisinis, aqua fluminis Bachilionis (54), quæ per potentiam Paduanorum recta Paduam currebat, factâ validâ ad Cerum rostâ, ablata fuit in totum Paduanis, & posita fuit per rectum alveum Riperiæ: de cujus fluminis remotione apparet (55) vetus scriptura in Ecclesia Sancti Georgii in Curia Montis Berice, quam ego pluries legi.

Potestate autem Domino Uliverio (h) Engelbardo (*) interfectus fuit Dominus Andreas de Seratico in terra Leonici, prœliando pro illis (i) de Castro Vinculo, (**) & de Monticello contra Commune Leonici, Anno MCCIV. die XXX. Octobris.

Succedente post prædictum Domino Bernardo Vexillifero de Papia, Studium Generale fuit in Civitate Vicentiæ, Doctoresque in Contrata Sancti Viti manebant: ut etiam hodie apud Priorem Sancti Viti apparent Privilegia (K) collationis (56) Studii.

Potestate verò Domino Drudo (l) Buzarcarino (57) de Mediolano, idem pro suæ personæ securitate misit ex Civibus Vicentinis Mediolanum obsides, Artusium Domini Corradi de Vivario, Albertumque filium Pilei (m) Vicentini de Zancano (58), pluresque alios ex nobilioribus. Qui cùm contra voluntatem partium Vicentinarum, ipsos sicut obsides retineret, indignati Marchio Estensis, & Comes Bonifacius de Sancto Bonifacio persuaserunt Comiti Guidoni (59), & Corrado de Vivario, & Pileo Vicentinis, ceterisque aliis de parte sua, ut eumdem Dominum Drudum interficerent. Qui die III. Aprilis (n) MCCIX. ipsum Potestatem ceperunt, seque in Potestates eligi fecerunt prænominati Comes Guido, & Corradus de Vivario, hortatu & favore Marchionis, & Comitis de Sancto Bonifacio. Tunc verò Domos, & Turres plures amicorum multorum Domini de Romano, ipsis fugatis, straverunt in terram.

Cùmque grandi exercitu persequerentur amicos Domini Eccelini, & partem suam in Sandricum, fortè ab eorum regiminis introitu viginti diebus (o) Sadolinus (60) Guidoti, & Comes Albertus de Tarvisio cum illis de Bregantiis (61), & certis aliis expulsis de Civitate cum eis, cum adunatione & guarnimento, cum festinatione, & expulsorum subsidio, viriliter pervenerunt contra exercitum Vicentinum: ubi commisso certamine exercitus Vicentinus succubuit, captique ibi fuerunt idem Comes, & Corradus de Vivario, similiter Pileus Vincentii, & multi alii de complicibus, & fautoribus suis, & in Castro Bregantiarum turpiter captivati.

Postea statim cucurrit Vicentiam Comes Bonifacius de Sancto Bonifacio, seque in Potestatem Vicentiæ decerni fecit. Qui in ejus regimine destruxit Palatium Petri Morisii cum duabus Turribus. Cùmque idem Comes esset quasi Dominus Veronæ, Vicentiæ, & Ferrariæ, favente sibi Mutina, conspiravit ipse, & Marchio, Baxiani (62), & Bregantiarum Castra destruere. Et scientes Dominum Eccelinum ægrotare in Brixia, facto guarnimento Veronensium, Vicentinorum, aliorumque amicorum, cum exercitu valido equitaverunt ultra Brentam, castrametatique sunt contra Baxianum, ubi erant amici Domini Eccelini pro tutela (63).

Dum autem hæc ad notitiam Domini Eccelini ægrotantis in Brixia pervenissent, mox ipse collectis amicis, quos secum potuit ducere, & facto guarnimento de mille equitibus, auxilio quoque Tarvisinorum requisito, qui statim cum Carrocio, & grandi exercitu in auxilio Domini Eccelini, & suorum amicorum venerunt (64), Dominus Salinguerra de Ferraria partem Marchionis invasit, ipsamque fugatis amicis suis totaliter occupavit. Hæc autem dum ad aures prædictorum Marchionis, & Comitis pervenissent, jam ad expugnationem Baxiani cùm parati essent, sinè mora ulla cum exercitu toto Vicentiam revertuntur. Dominus quoque Eccelinus hoc sentiens cum suo exercitu ipsos acriter presequebatur usque ad Villam (p) Sandrici, occidendo, capiendo & deprædando, incendio & prædæ ponendo Villas, & Domos, nemini parcendo. Cucurrerunt quoque aliqui de exercitu, à persecutione non cessantes, usque ad Pontem Pusterlæ prope Civitatem. Tantus quoque tunc timor, & tremor fuit Vicentinis, quod nisi tunc Literæ supervenissent (q) Domino suo (65) ex parte Regis Octonis, qui Romam pro Imperiali diademate suscipiendo pergebat, ut ad eum finè induciis festinaret, Civitatem Vicentię expugnasset, eamque vi cepisset.

Anno Domini MCCIX. jussu Regio relaxatus fuit de carceribus, & de regimine depositus Comes Sancti Bonifacii, & positus fuit Vicentiæ pro Vicario Dominus (r) Gulielmus de Lando (66) Placentinus. Post cujus Regis coronationem rediit Vicentiam Dominus Eccelinus pro Vicario, & Rectore Domini Imperatoris. Qui ut regimen sumsit, occasionibus inventis, bannivit & condemnavit quammultos Vicentinos, adjiciens, eos contra ipsius mandata de Civitate Vicentiæ recessisse. Castrum quoque Granconæ funditus evertit, ad quod ex eis aliqui confugerunt. Tunc finaliter Civitas, & Districtus disciplinam cœpit (s) argumentari (67) guerris, scandalis, di-

(53) *Idem* Marchettino.
(54) *Idem* Bachilonis.
(55) *Idem* apparet quædam vetus scriptura.
(h) *Aliis* Enserbardo. *Osius*.
Maurisius Enselbardo.
(*) *MS. Amb. II.* Eliverio Enselbaldo.
(i) *Maurisius* de Castignunculo.
(**) *MS. Amb. II.* Uniculæ de Monticello.
(K) *Aliis* collati. *Osius*.
(56) *MS. Amb. I. pariter legit* collati.
(l) *Aliis* Buzmarino. *Osius*.
Maurisius Buzarino. *Pajarinus* Boccarino. *Smeregbus* Buzacarino.
(57) *MS. Amb. I.* Buzacarino.
(m) *Aliis* Vincentii. *Osius*.
(58) *MS. Amb. I.* filium Julii Vicentii de Zausano.
(59) *Idem* Comiti Guidoni, Corrado de Vivario filio Vincentii, certisque aliis de parte sua &c.

(n) *Utrobique Pajarinus* MCCVI.
(o) *Maurisius* Jacobinus Guidotti.
Pajarinus Udalinus de Guidottis.
(60) *MS. Amb. I.* Jadolinus.
(61) *Idem* Bragantiis *semper*.
(62) *Idem* Marchio Estensis Brassanì.
(63) *Ibidem* ubi amici Domini Eccelini pro tutela confugerant.
(64) *Idem* venientes.
(p) *Maurisius* Bolzani.
(q) *Melius* Domino Eccelino. *Osius*.
(65) *MS. Amb. I. pro* suo *legit* Eccelino.
(r) *Pajarinus* Johannes de Placentia.
(66) *MS. Amb. I.* Guilielmus de Landeo.
(s) *Fortè* augmentare. *Osius*.
(67) *MSS. ambo* civitas, & districtus cœpit augmentari, guerris &c.

discordiis, & odiis clam, & palàm quotidie, intus & extra pullulantibus absque (t) medio (*). Quamobrem tractatu, & hortatu Marchionis, & Comitis Sancti Bonifacii, vênit grandi exercitu, viribus totis Dominus Bartholomaeus de Palatio Potestas Veronæ, ad quorum servitia venerunt Mantua, Regium, Cremona, Brixia, & Papia; sed & Verona cum Carrocio & exercitu, contra Leonicum, ipsumque expugnaverunt vi: eoque victo, omnia prædæ & rapinæ ponentes, equitaverunt usque Pontemalkum prope Vicentiam, ubi prœlio commisso cum Domino Eccelino, & Tarvisinis, qui ad præsidia Vicentiæ venerant sinè mora, pars Marchionis, & Comitis occidit in conflictu (68), & ignominiosè in fugam conversi, & victi quammulti ex eis trucidantur, interficiuntur, & capiuntur, factaque tunc fuit mirabilis præda ex illa victoria (69).

(MSS. Ambros. ambo)

De pace facta cum Civibus extrinsecis.

Anno MCCXIV. Tempore Regiminis Domini Marini Zeni, Potestatis Vicentiæ, pax, & tranquillitas magna fuit in Civitate Vicentiæ & districtu, restitutis omnibus extrinsecis bannitis in domos, ac eorum bona. Eodemque tempore Dominus Eccelinus vendidit Communi Vicentiæ Marosticam, pretio quadraginta millium librarum parvorum, pacto adjecto, quòd Castrum per Vicentinos nullatenus deberet reparari.

Potestate Vicentiæ Domino (u) Luzertino (70) de Bononia, quem in Rectorem eligi fecerat Dominus Ugutio Pilei, quoniam amici Domini Eccelini Tertii, qui ab aliquibus Hæreticus vocitatur, malè tractabantur, & ipse quasi privatus erat jurisdictione ponendi Potestates, & Officiales in Civitate Vicentiæ, contra conventiones exhibitas prædecessori suo, (71) tertiaque pars Vivariensibus pertinebat; reliqua verò Comiti remanebat: indignatus, cum plurima tam peditum, quàm equitum quantitate venit de Tarvisio Sanctum Petrum in Gude; deinde Bulzanum, omnia prædæ, rapinæ, & cædi ponendo. Dum autem Vicentini cum suo exercitu eidem juxta Villam (x) Braydi Sancti Viti insidias posuissent, ut arte (**) ipsos improvisò caperent, à quibusdam amicis secretò præmonitus de insidiis, gentibus suis animatis ad bellum, quamquam multo adversariorum numero paucioribus, adjiciens mortis supplicium, si qui suorum terga verterent, magna audacia contra Vicentinos irruit. Quare sua virtute, & probitate Vicentinos deduxit in conflictum, ubi capti, cæsi, & vulnerati fuerunt ex Vicentinis in maxima quantitate, & tota Contrata subjecta (72), & posita maximæ prædæ, stupris, & adulteriis, sævientibus inimicis pro libito. Hæc autem fuit prima (73) victoria Tertii Eccelini post mortem Patris. Tunc Paduanorum interventu Dominus Eccelinus fit amicus Domini Ugutionis Pilei. Dum autem intestina odia, latentesque discordiæ iterum pullulassent, partes in Civitatem ad pugnam venerunt (erat enim Dominus Ugutio Pilei cum Domino Eccelino, & pars sua) in qua graviter Dominus Luzertinus Potestas vulneratur, & strages maxima, & effusio sanguinis sævissimè exercetur: necnon horribundum (74) periculum (y), totaque Civitas incendio, & rapinis subjicitur.

Potestate postmodum Domino (z) Aldrigheto (75) de Faventia, omnes turres, munitionesque Dominorum de Romano tradidit idem Potestas pro sua securitate in custodia Paduanorum. Unde Dominus Albericus graviter indignatus, tractatu habito cum fratre suo Domino Eccelino, tunc Potestate Veronæ, die quadam tempestivè Dominus Artusius de Vivario irruit armatus cum guarnimento contra Custodes suæ turris ipsamque recuperavit: cucurrerunt & Dominus Albericus, Comes Vivariensium, Ugutioque Pilei, & Dominus Eccelinus cum præsidio Veronensi. Ex alia quoque parte Paduani potentes in auxilium Potestatis Vicentiæ, & partis suæ venerunt, commissâque pugnâ in Civitate, pars Potestatis Vicentiæ Paduana (76) succubuit, factaque fuit illa die cædes maxima, multique ex majoribus Vicentinorum effugiunt de Civitate, Anno MCCXXVII. Episcopus quoque Vicentinus cum multis, qui ad arcem Brendularum confugerunt, contra Civitatem prœliatur. Idem fecit Valerianus de Bregantiis cum suis. Dominus verò Albericus cum exercitu valido equitavit Granconam, Castrumque cepit. Corruit similiter & Castrum Valeriani fortissimum (a) .... (77) Villam Mansionis perdiu obsessum, Civitatemque Vicentiæ viginti octo continuis mensibus gubernavit, & rexit.

Anno (b) MCCXXIX. Potestate Domino Philippo (c) Juliano de Venetiis, surrexerunt quidam de Baxiano, qui se Liberos appellabant, contra Masnadas Domini Alberici, & partem suam, dicentibus Liberis, Dominos de Romano nullam habere jurisdictionem, & Comitatum in Baxiano. Quare venientes ad arma, pars illorum de Romano superatur. Dominus autem Eccelinus hoc sentiens, gravissimè animatus, potenti brachio celeriter equitavit Baxianum, & cum inimicis dimicando eos bello superavit & vicit. Sed cùm de eo querimonia Potestati Vicentiæ fieret, ex hoc idem Potestas vocatis ad se præfatis Dominis de Romano, & adversariis suis pro discordia sedanda, demum maxima diligentia, & deliberatione cognitis & auditis juribus, & alle-

(t) *Meliùs fortasse* modo. *Osius.*
(*) *MS. Amb. II.* absque remedio.
(68) *MS. Amb. I.* pars Marchionis cecidit in conflictu.
(69) *Idem* factaque fuit tunc ultra modum mirabilis præda in illa victoria.
(u) *Maurisius* Rambertino. *Pajarinus & Smeregbus* Lambertino.
(70) *MSS. ambo* Lambertino *semper.*
(71) *MS. Amb. I.* in civitate Vincentiæ pro tertia parte juxta Conventiones exhibitas prædecessoribus suis; tertia pars &c.
(x) *Maurisius* Enguti: *idem* Bresanviti.
(**) *MS. Amb. I.* putantes ipsum improvisum capere.
(72) *MS. Amb. I.* & tota contracta subruta fuit.
(73) *Idem non* prima *legit, sed* tertia.
(74) *Idem* horribile.
(y) *Fortè legendum* prœlium. *Osius.*
(z) *Maurisio* Albrighetus.
(75) *MS. Amb. I.* Albrighero.
(76) *Idem* & pars Paduanorum succubuit.
(a) *Exple lacunam istam ex Maurisio:* juxta villam Maxonis &c. *Osius.*
(77) *MS. Amb. I.* juxta villam Mansionis per eum diu obsessam.
(b) *Pajarinus* Anno MCCXXXI.
(c) *Maurisius* Zuliano.

allegationibus partium, diffinitivâ ſententiâ in A
publica concione pronuntiatum, ſententiatum,
& declaratum fuit, juriſdictionem, & Comitatum prædictum de jure præfatis Dominis de Romano ſpectare, & pertinere.

(MSS. Ambroſ. ambo)

De quadam magna contra Civitatem Veronæ incurſione.

Per idem quoque tempus Padua, Vicentia, Mantua moverunt contra Civitatem Veronæ exercitum. Portum quoque, & Leniacum expugnaverunt, comburendo, & in prædam cædemque totam Contratam ponendo. Et cùm circum circa Civitatem Veronæ cuncta depo- B
pulaſſent, omnes ad propria prædia mox remearunt (78).

Anno MCCXX. (79) Dominus Guido de Rode fuit Vicentiæ Poteſtas, qui timens potentiam Magnatum, quamplures ex Nobilioribus Vicentinis relegavit in Lombardiam ex parte utraque, inter quos fuerunt Ugutio Pilei, Dominus Petrus Comes, Singofredus (80) de Arzignano, Paninſacus de Triſſino, Ugolinus Amiſtadii de Berica (81), Dominus Artuſius de Vivario. Interim facta conjuratione omnes de confinibus receſſerunt, Domino Artuſio dumtaxat excepto, qui infirmus cum licentia remeavit ad patriam. De hoc Poteſtas
turbatus, eos fecit certa die (82) coram ſe C
comparere, qui mandata ſpernentes, ſe Monticulum, apud Ugutionem Pilei, pro eorum tutela reduxerunt: furoreque commotus Poteſtas equitavit illuc cum exercitu Vicentino, & cum eo Paduani; erant enim adſtricti ſuccurrere, cùm opus eſſet. Qui tamdem ſinè bello rebelles (83) induxerunt ad mandatis Poteſtatis obediendum venire cum plena fiducia, & ſecuritate ipſorum. Habebant illo tempore Paduani potentiam maximam in Civitate Vicentiæ, Civitatis fortalitia, munitioneſque, eorum arbitrio gubernantes, & poſſidentes.

Anno MCCXXX. (84) Poteſtate Domino
(d) Julio Sivoloto de Alexandria, Comes D
Rizardus de Sancto Bonifacio equitavit Leonicum, & Turrim Dominorum de Romano deſtruxit. Poſt hæc Paduani exercitum moventes contra Baxianum, & Vicentini contra Monticulum Præcalcini de parte illorum de Romano (exoſos enim habebant Patavi Dominos de Romano) (*quare*) graviſſima damna, prædationes, & clades ibidem, & etiam in Muſolenio (85) ſinè menſura fecerunt. Tarviſinis quoq; magno certamine (*) ad ſolatia Domini Albrici perventis, pugna valida commiſſa, Paduani ceciderunt in conflictu: ubi captis quammultis ex majoribus Paduanis, omnibus eorum arneſiis & apparatu relictis,
cum maximo dedecore, & jactura non parva E
redit Paduam Patavinus exercitus: ſimiliter

& Vicentinus Vicentiam, (e) quæ tunc erat quaſi ſub dominio, taliter infocati, (86) quòd contra Paduanos ullum aliquid contradicere valebant. (87)

Surrexit quoque his diebus quidam Frater Joannes de Scledo (88) Ordinis Prædicatorum, vir eximiæ facundiæ innocentiæque (89) vitæ apparens, mirabiliumque effector operum, qui ſua prædicatione reduxit inimicitias graves, & odia ad veram concordiam, dilectionem, & pacem. Et non ſolùm Vicentiæ, Tarviſii, & Feltrii inter Dominos de Camino, illos de Coneglano, & Dominos de Romano; ſed & Veronenſes, Mantuanos, Brixienſes, & Comitem Sancti Bonifacii. Tantæque fuit eloquentiæ, & auctoritatis, quòd in dictis Civitatibus Statuta, & Ordinamenta ejus emendaret & confirmaret arbitrio. Captivos quoque Civitatum prædictarum omnes liberos relaxare fecit: & (quod mirabilius videtur) cùm certo die ordinato in Civitate Veronæ conveniſſent populi Civitatum, & locorum præmiſſorum, eorum Epiſcopi, & Clerus univerſus cum Vexillo Civitatis, (90) Aquilejenſis Patriarcha, Marchio Eſtenſis, & quidam Frater Jordanus vir magnæ famæ, quorum numerus vix connumerari potuiſſet, in quadam ejus prædicatione in Civitate Veronæ ſuper ſedandis inimicitiis, & ſcandalis univerſis, ferè cunctis diſcalciatis, omnes adſiſtentes, clarè & ad intellectum apertè potuerunt ipſum Patrem (91) prædicantem audire: finitaque prædicatione omnes, cunctis injuriis remiſſis & facta pace, ad eorum patrias revertuntur, Deo de prædictis gratias plurimas deferentes (92). In tantæ poſtmodum temeritatis prorupit Homo hic veſaniam, quòd ſub ſpecie innocentiæ (93) ſimplicis, & ſanctæ vitæ, omnibus vir bonus apparens, præſumptuosè in majori Conſilio Vicentiæ eligi ſe fecit in Ducem, & Comitem Civitatis, Statutaque Communis correxit, emendavit, & ſtatuit pro libito voluntatis, Officialeſque, quos voluit, poſuit in Civitate veluti Dominus naturalis. Rebus quoque ſic taliter ordinatis, Veronam acceſſit, & illud idem ibidem fecit; verùm pro ſuæ ſecuritate perſonæ acceptis quibuſdam obſidibus, ſumſit & Caſtrum Sancti Bonifacii, Ilaſiumque, Oſtiliamque & munitiones Veronæ. Sed cùm Vicentiæ rumor eſſet, quòd Poteſtas non mutaretur, & quòd iſte Frater Ducatum in Civitate Vicentiæ tali modo quæſitum obtinere vellet, Ugutio Pilei, illi de Camino, Patavique Fratris Jordani conſilio, per quem tunc tota Padua regebatur, induxerunt Poteſtatem Vicentiæ rebellare Fratri Joanni prædicto, & parti Dominorum de Romano: & venientes Patavi Vicentiam, munierunt fortalitia Civitatis ultra ſolitum. Hoc autem cùm audiſset Frater Joannes (94), parvâ equitum comitivâ Vicentiam vê-

(78) *MSS. ambo* ad propria præda cum maxima remearunt.
(79) *Corrige ex MSS. Ambroſianis typographi errorem ſcribendo* Anno MCCXXX.
(80) *MS. Amb. I.* Sigonfredus de Arzignano, Panneſaccus &c.
(81) *Idem* de Beriſa.
(82) *Idem* certa die citari, coramque ſe &c.
(83) *Idem* rebelles ire duxerunt, & ad &c.
(84) *Ibidem* Anno MCCXXXI. Poteſtate Domino Guilielmo Syvoloto &c.
(d) *Maurifius* Gulielmo Sivoleto, *Pajarinus* Gugelmo Sivolato anno MCCXXXII. *Smeregbus* de Sonellis.
(85) *MS. Amb. I.* Muxolento.
(*) *MS. Amb. I.* conamine.
(e) *Legerem*: quare tunc erat quaſi ſub dominio Paduanorum infocata, quòd contra Paduanos &c. *Oſius*.
(86) *MSS. Amb. ambo* ſimiliter & Vicentini Vincentiã, qui tunc erant quaſi ſub dominio totaliter ſuffocati, quòd &c.
(87) *MS. Amb. I.* nullum aliquid contradicere audebant.
(88) *MS. Amb. I.* de Seledo.
(89) *Idem* innocuæque.
(90) *Idem* cum vexillo Crucis.
(91) *Idem* ipſum fratrem prædicantem &c.
(92) *MS. Amb. I.* gratias quamplurimas referentes.
(93) *Idem* innocuæ, ſimplicis &c.
(94) *MSS. Amb. ambo* non parva &c.

Digitized by Google

vênit, favorem populi pro se putans habere. Dum verò iret per Civitatem, Turres, & munitiones peteret, veniensque ad domum illorum de (f) Zançanis (95), invênit ibi aliquos sibi contrarios, & rebelles. Inde autem recedens vênit ad domum Communis, ubi per turbam suam captus est Potestas, Judices sui, & tota ejus familia: &, laceratis Statutis Communis, librisque forbannitorum, deposuit omnes de Palatio. Hæc verò dum Patavis nota forent, statim Vicentiam cucurrerunt guarnimento non parvo, & sic Dominus Ugutio Pilei: & insultum contra ipsum Fratrem, & partem suam unanimiter facientes in Episcopali Palatio, tamdem ipsum cum ejus familia (g) ceperunt; Postmodum, sedatis rebus, Frater Joannes Veronam revertitur, non tamen tanto favore, & audacia, ut solebat. Castrum quoque Calderii, & Castrum Sancti Bonifacii restituit Comiti, & obsides relaxavit. Et quoniam hujus Fratris Joannis verbum (96) non à Deo, sed ab homine processerat, ideo hoc modo subitò evanuit. Voluit enim quæ hominis erant exercere, rei (97) ad se non spectanti turpiter immisceri, volendo sibi Comitatum, & Ducatum acquirere contra debitum rationis.

Resurgentibus hic postmodum intestinis discordiis, & scandalis, intus & extra sævior (98) asperior guerra committitur. Nam cùm novus Potestas deberet eligi, non concordantibus Magnatibus ad invicem, consilio Domini Ugutionis Pilei electus fuit quidam Frater Jordanus sub spe, ut non eligeret Marchionem Estensem in Rectorem (timebatur enim de eo, quòd se cum Dominis de Romano confœderaverat) ipse Frater, tamquam Pseudopropheta, commisit electionem hanc Fratri Joanni de Verzario, qui statim elegit Marchionem Azonem Potestatem Vicentiæ, qui (ut infra notabitur) fuit mors, & destructio Civitatis. Hic verò Potestas cum Domino Ugutione Pilei, & parte Vivariorum, (99) quæ potens tunc erat in Civitate Vicentiæ, guerram movet sævissimam contra Dominos de Romano, Comitem Vicentinum, & partes suas (100) Anno MCCXXXVI.

Hujus regiminis tempore Imperator Federicus, in Alemannia adhuc existens, per suas Imperiales literas scripsit Potestati, & Populo Vicentino, ut certa die coram ejus Majestate interesse deberent in Lombardia, apud Parmam. Conceptaque ex hoc suspicione, amicos Dominorum (1) de Romano Potestas Vicentiæ relegavit in Insula Venetiarum, inter quos fuerunt Oldericus Carnaroli, Thomas Vincentii, & Bonifacius de Sancto Ursio: præcepitque filiis Meliorantiæ de Trissino, ne præter ejus (2) licentiam Civitate Vicentiæ exeant. Qui dum, spreto mandato, Civitate exivissent, eosdem bannivit, damnaque maxima in terris suis dedit.

Cùm verò Imperator venisset Veronam, misit (3) Legatos suos, scilicet Cyprianum, & Judicem (h) Rofredum (4), quibus Marchio noluit audientiam præbere; sed neque Imperiales literas audire, gravem pœnam imponens loquentibus cum eis. Lombardis quoque transitum Imperatoris in Lombardiam conantibus impedire, pugnâque commissâ, Lombardi vincuntur. Cùm verò in Lombardiam transivisset, Paduani, Vicentinique Paduanorum inductu, sub quorum quasi erant dominio; Tarvisini etiam maximo apparatu exercitum ducunt contra Veronenses, castramentatique sunt apud Castrum Rivaltæ Domini Ugutionis de Crescentiis, in quorum etiam præsidium venere Mantuani, quampluresque Lombardi, conspiratione adversùs Imperatorem facta. Eisque sic deprædantibus Veronensem districtum, undique igni & ferro, præda & cæde ponendo, Dominus Eccelinus tunc Veronæ Potestas hæc Imperatori notificat, qui erat Cremonæ, subsidium quærens. Mox Imperator non piger (5) in hoc; sed veluti Hirundo per æthera volitando, quadam die Veneris de Cremona recedens, vênit ipsa die apud Sanctum Bonifacium pro magna parte combustum. Mox autem ut ad exercitus Paduanorum aures Imperatoris rumor advenit, die statim sequenti totus exercitus sinè ordine (6) convertitur relictis tentoriis, spoliis, & divitiis multis. Cùm autem Imperator prædictum recessum scivisset, velociori cursu, & per compendia eos prævenit, antequam Civitatem Vicentiæ ingredi potuissent, accedensque ad muros Civitatis Imperator, invênit ipsos hortatu Marchionis, Potestatis Vicentiæ, pro defensione munitos. Imperator quoque cognoscens, quòd hæc rebellatio potiùs (7) à Marchione, & à Patavis processerat, noluit statim vi Civitatem expugnare, sed dulciter admonuit, & tentavit colloquiis intrinsecis (i), ut cum fiducia personarum (8) suarum, absque quæstionibus eidem præbeant introitum Civitatis. Quibus malè respondentibus, jussu Imperatoris gentes suæ furore processerunt ad murum Civitatis, vique ipsum acriter expugnantes, tamdem ascendunt murum Civitatis, & inde venientes ad portam Civitatis, ipsam vi aperuerunt. Quod cernentes Potestas, & Paduani hic existentes, nulla defensione facta, statim per quamdam Pusterlam versùs Camartium, Civitate desolata relicta, aufugiunt. Tunc Imperator tamquam Draco sævissimus cum Theutonicis, & Veronensibus Civitatem ingressus est. Excurrerunt (9) tunc stipendiarii, & Veronenses ipsam, totam incendio ponentes, occidentes pariter, & prædantes quoslibet, & spoliantes tam Viros, quàm Mulieres, & Reverendos Dominos (10), per Civitatem totam stupra, & vituperabilia adulteria, & alia sævissima opera undique commit-

(f) *Maurisius* de Zachame.
(95) *MS. Amb. I.* ad domum filiorum Zachariæ. *MS. Amb. II.* filiorum de Çelsanis.
(g) *Maurisius* cum ejus familia apud Perniam ceperunt, *id ipsum legitur in Pajarino*.
(96) *MS. Amb. I. pro* verbum, *legit* turbo.
(97) *MS. Amb. I.* & rei &c.
(98) *Idem* sævior, & asperior &c.
(99) *Idem* Usurariorum.
(100) *MSS. ambo* interim, rebus sedatis, confirmatus fuit in Rectorem Civitatis Marchio præfatus per dictum Dominum Albericum, & partem suam in MCCXXXVI.

(1) *MS. Amb. I.* amicos Dominos de Romano &c.
(2) *Idem* mandatum, & licentiam &c.
(3) *Idem* Vincentiam misit Legatos.
(h) *Maurisius* Ranifredum.
(4) *MS. Amb. I.* Rafredum.
(5) *Idem* impiger.
(6) *Idem* sinè ordine in fugam convertitur &c.
(7) *Idem pro* potiùs, *legit* potissimum.
(i) *Lego* intrinsecos. *Murat.*
(8) *MSS. ambo* personarum, rerumque suarum.
(9) *Idem* cucurrerunt.
(10) *Idem* & reverentes Dominas.

Digitized by Google

mittendo: nulli ætati, sexuique parcendo. Arserunt tunc carceres Civitatis, & Communis Turris campanæ quoque cecidere, tunc .... & facti sunt Custodes Turris. Unus autem videns ipsam intus ardere se vivum projecit, quanto citius potuit, de turri, & cecidit super stationes Ovetariorum, & periit; alter verò igne extinctus est (11). Postea elevata fuit Turris, & factus fuit in ea de muro revoltus pro tutela Campanarum, & turris Custodum. Illo namque pestifero die audiri potuit per Civitatem totam ploratus, & ululatus multus. Tunc extinctus fuit honor, & decus Civitatis, ipsaque flammis tradita, & patribus (12) cæsis, adulteriis & rapinis undique per Civitatem exactis, quod fuisse narratur in die Omnium Sanctorum Millesimi supradicti.

Recedens Imperator de Civitate reliquit Dominum Sigibertum de Mantua (13) (K) in Potestatem, & Vicarium suum. Ante tamen ejus exitum Civitatis volens experiri quemdam suum Astrologum, ut, qua egressurus esset via, eidem ediceret, Astrologus facto Brevi, & clauso in manibus Imperatoris tradito, oravit, ut eo non aperto, qua parte vellet, Civitate exiret. Qui per quamdam fracturam muri Civitatis, quam novam fecit, Civitatem exivit, apertoque Brevi invênit (l) repertum: PER PORTAM NOVAM EXIBIT REX. Exinde verò Imperator Astrologum habuit majori honore, & reverentia sibi carum.

Cùm Dominus Imperator in manibus Domini Eccelini regimen, & dominium Civitatis Vicentiæ commendaret, ignoransque ipsum esse tam dolosum ad (14) scelera committenda, existentibus ipsis in Viridario Episcopatus Vicentiæ, dixit Domino Eccelino, accepto in manu cultellino: *Volo te docere, quomodo debes dominium, & regimen Civitatis firmiter obtinere*, cœpitque decapitare herbas longas. Quo viso ait Dominus Eccelinus: *Mandata Domini Imperatoris firma mente teneho.*

Dum postmodum, existente Domino Eccelino in exercitu cum Veronensibus, Vicentinis, Paduanis, Tarvisinisque, ad exercitum equitaret Dominus Albricus de Romano, Ugutio cum suis sequacibus insultum fecit contra eum Anno MCCXXXVII. die Mercurii V. Augusti, taliter quod relictis spoliis vix evasit, quamquam alia die ad dictum exercitum attigerit postea. Duodecimo die Mensis prædicti ablata fuit Pischeria per Lombardos Civitatis (*) Veronæ.

Anno MCCXXXVIII. fuit Dominus Henricus de Ebulo de Apulia Potestas Vicentiæ pro Domino Theobaldo Francigena, Vicario Domini Imperatoris in Verona, Vicentia, & Padua.

Anno MCCXXXIX. die Sabbati XII. Maji Dominus Albricus cum auxilio illorum de Camino abstulit Tarvisium de dominio Imperatoris Federici. Die verò Veneris X. Junii dum Imperator equitaret de Leonico Veronam, & secum duceret Marchionem Estensem, Petrum Comitem de Montebello, Ugucionem Pilei, pluresque alios Vicentinos, & Paduanos, cùm fuit prope Sanctum Bonifacium, fingentes se prædicti Marchio, Ugutio, & Petrus velle visitare Comitem, cum licentia tamen Domini Imperatoris, intraverunt Castrum, sed postmodum non sunt reversi cum omnibus suis, qui equitabant cum eis. Eadem quoque die abstulit Petrus Comes Montebellum de manibus Imperatoris, & Ugutio Monticulum; Imperator verò Veronam accessit. Die Jovis XXIII. Junii Gabriel de Leonico, tunc pro Imperatore Leonici Potestas, tradidit Villam, & Castrum Leonici Domino Albrico de Romano, Comiti de Sancto Bonifacio, & Ugutioni Pilei, qui omnes juraverunt contra Dominum Imperatorem, & Dominum Eccelinum de Romano.

(MS. Ambrof. II.)

De executione facta per Dominum Eccelinum juxta monitionem Domini Imperatoris, dum in Viridario Episcopatus incidisset cum cultello herbas longas.

Anno MCCXL. die XXI. Aprilis decapitati fuerunt in Platea de Domo Gulinus (**) quondam Zenelli Judex, Vivianus Judex, Vicentius Brutosante, & Bonus (15) quondam Adæ Judices: & Guidolinus Rainaldi (***) in tormento vita privatur per Dominum Theobaldum Francigenam, tunc Potestatem Vicentiæ, mandato Domini Eccelini. Sensit (16) enim eos proditoriè Civitatem Vicentiæ tradere velle Domino Alberico de Romano.

Die XVI. Augusti Vicentini recuperaverunt Castrum Montis Vitalis (17). Et die XXVI. dicti Mensis Dominus Eccelinus Joannem Bisonum (18) de Hostilia, & quemdam BoKenum (19) Notarium, qui nolebant Hostiliam ei tradere, decollavit.

Die VII. Septembris decapitatus fuit prope Palatium Communis Paduæ (20) Advocatus de Padua per Dominum Theobaldum Francigenam, pro Imperatore Potestatem Paduæ.

Eodem Millesimo, circa finem Mensis Octobris, Guido Comes Vicentinus dedit Castra Sancti Ursi, & Scledi Domino Eccelino de Romano, Avunculo suo, & rediit ad partem cum Vicentinis. Die verò Sabbati X. Novembris, dum partes in Pojana ad invicem prœliarentur, Dominus Eccelinus intravit Villam, & Castrum Pojanæ, & pacificè habuit. Altera verò die sequenti (21) quietè habuit Castrum Noventæ. Cùmque die Martis sequentis Dominus Eccelinus putaret absque certamine intrare, & habere Leonicum, Leoni-

(11) *MSS. Amb. ambo* Campanæ quoque cecidere tunc de turri, & fractæ sunt. Custodum turris unus videns ipsam intus ardere, nec aliam viam salutis inveniens, projecit se, quanto cautiùs potuit, de turri, & cecidit super stationes Ovetariorum indemnis, nec periit; alter verò igne extinctus est.

(12) *MS. Amb. I. pro* patribus, *legit* pluribus.

(13) *Idem* reliquit Dominum Guillielmum Vicedominum de Mantua.
MS. II. Dominum Gugelmum de Mantua.

(K) *Maurisius* Gulielmum Vicecomitem: *Smeregbus* Gulielmum de Vicedominis.

(l) *Meliùs se baberet* scriptum. *Osius*.

(14) *MS. Amb. I.* ad quæque scelera &c.
MS. II. ignoransque ipsum non esse dolosum ad scelera &c.

(*) *MS. Amb. II.* civitati Veronæ.

(**) *Idem* Guttinus. *Amb. I.* Guillielmus.

(15) *MS. Amb. I.* Bonapax.

(***) *MS. Amb. II.* Arnaldi.

(16) *MSS. Amb. ambo pro* sensit, *legunt* finxit.

(17) *MS. Amb. I.* Montis Medii.

(18) *Idem* Bosonum.

(19) *MSS. ambo* Bonzenum Notarium, quia volebant Hostiliam tradere Mantuanis, decollavit.

(20) *MS. Amb. I.* Pandus Advocatus.

(21) *Idem* in sequenti *non legit*.

Digitized by Google

A nicensibus cum Comite Sancti Bonifacii, Petro Comite Vicentino, & Ugutione Pilei, cum amicis suis se ad defensionem loci viriliter exponentibus, non fuit ausus appropinquare Castro; sed cùm viderent se nullo modo posse Eccelino resistere, die XXI. ejusdem Mensis se tradiderunt, & Terram cum Castro Domino Eccelino, & Domino Theobaldo Francigenæ Potestati Vicentiæ pro Domino Imperatore, qui ibidem pro Capitaneo, & Potestate posuerunt Araldum de Monticello; Montem verò de Monticello in Pojana, & Jordanum de (m) Bugolongo de Monticello in (n) Zauzano (22).

Anno MCCXLI. Cùm Dominus Eccelinus,
B Theobaldus Francigena, & Dominus (o) Ricardus Thibaldinus (23), Potestas Vicentiæ, essent cum exercitu apud Sanctum Bonifacium in quodam congressu facto die Dominico V. Maji, interfecti fuerunt Henricus Luscus, Conradus Vicentii (24) de Bregantiis, & Trentinus Zignonis de Malado, qui erant in exercitu Vicentino. Hic Dominus Ricardus pro Domino Imperatore regimen tenuit (25) Civitatis Anno MCCXXXIX. & duravit usque MCCXLII.

Die quoque XXX. Maji facta depopulatione, & guasto circa Sanctum Bonifacium, Monticulum, Montebellum, Seraticum, Mon-
C tursum Clampum (26) Granconam, in ipso reditu ceperunt Castrum Meledi (27).

Die Jovis V. Septembris equitavit cum exercitu Vicentino Dominus Ricardus Potestas Vicentiæ contra Clampum, positisque insidiis proditoribus, capti fuerunt ex ipsis tres Milites, & quinque fuerunt mortui. Facto guasto revertitur exercitus Vicentiam.

Die Primo Novembris Pileus Ugutionis Pilei, fecit amputari manus & pedes, nasumque & oculos effodi Desiderato: Gazo (28) quoque fodi (29) fecit de capite luminaria, nasum verò, & pedes amputari: quos tamquam proditores ceperat in Campanea Monticuli.

D Die Sabbati XXIV. (30) Novembris Potestas Vicentiæ equitavit cum exercitu contra Sanctum Joannem, & Clampum, & facto guasto, & præda de decem paribus Bovum, Capris, Porcisque non paucis, & captione quammultarum personarum rediit exercitus Vicentiam.

Anno MCCXLII. Dominus Matthæus de Sciedo fuit electus Potestas Leonici. Die VII. exeunte Novembri, dum Dominus Theobaldus Francigena, Vicarius Imperatoris, & Dominus Eccelinus summo studio ad interitum rebellium Domini Imperatoris congregassent in Civitate Vicentiæ exercitum copiosum, Dominus Ugutio Pilei, & Petrus Comes de Montebello (31) miserunt Vicentiam ad Dominos Theobaldum, & Eccelinum de pace
E tractanda cum eis: & taliter processit negotium, quòd Dominus Theobaldus, & Eccelinus cum quibusdam accesserunt Altamvillam, ubi cum fiducia venere Ugutio Pilei, Petrus ejus filius, & Comes Petrus, & filius, ac Milites de Seratico, qui Seraticum detinebant. Et in colloquio Ugutio pro se, & complicibus suis exposuit, quòd omnes, qui secum erant (32), volebant beneplacito Dominorum Theobaldi, & Eccelini firmiter obedire, qualibet conditione omissa. Cui Dominus Eccelinus respondens, ait, quòd de hoc erat valde contentus; tamen volebat, quòd honor hujus compositionis exhiberetur Domino Imperatori. Quo dicto omnes prædicti pro se, & aliis complicibus suis juraverunt in manibus Dominorum Theobaldi, & Eccelini mandata Domini Imperatoris, ac ipsorum, & Communis Vicentiæ in personis, rebus, castris, & munitionibus suis attendere, & observare; & hoc modo Dominus Eccelinus eos recepit ad gratiam.

Die quoque sequenti Dominus Eccelinus equitavit Monticulum, & habuit Castrum, indeque recedens, ivit Montebellum. Castro quoque cum munitionibus recepto, statim ivit Leonicum, dieque sequenti ivit Seraticum, & Castro munito rediit Vicentiam.

Die XVI. Junii, exercitu Vicentino existente ad Sanctum Joannem in la Rogna, ad Villæ, & Contratæ depopulationem parato, Dominus Henricus Malacapella timens potentiam & nequitiam Domini Eccelini, & volens ad suam gratiam venire, dedit pro obside Dominum Manfredum Rizzardi Cesniario, (33) Potestatem Vicentiæ, & sic ipso recepto, de mandato Domini Eccelini universus exercitus ad patriam revertitur. Die verò XXIV. Octobris D. Galvanus ...... (34) juravit Potestariam Civitatis Vicentiæ, & in sero hoc fuit maximus terræmotus, eademque die captus fuit Dominus Marcobrunus ...... (p) eundo Baxianum, per homines Domini Alberici de Romano.

Cùm autem proditoriè die Martis IV. Novembris Comes Sancti Bonifacii clam insidias posuisset illis de Leonico, & aliquos dolo venire fecisset versùs Leonicum, omnes (35) minùs providè in eos irruentes, & eos fugientes persequendo, inciderunt in manus inimicorum, ubi capti fuerunt Dominus Paltonus Mundinus, Guizerinus de Montecavagni, & multi alii, & vix evasit Dominus Matthæus de Scledo, Potestas Leonici.

Cùm verò per Imperatorem cuncta in Verona, Vicentia, Padua, ac Tarvisio in manibus Dominorum Galvani, Theobaldi Francigenæ, & Eccelini de Romano essent posita, consilio & hortatu Domini Eccelini, summo voto ad dominium prædictarum anhelantis, qui etiam potentior aliis duobus videbatur, prosternuntur funditus turres, & palatia Dominorum de Pileo, Scipionumque, quorumdam quoque Nobilium Civium amicorum suorum. Castrum insuper Montursii valde fortissi-

(m) *Pajarinus* Uchalonga.
(n) *Idem* Celsano.
(22) *MS. Amb. I.* Zausano.
(o) *Smereghus* Rizardus Thibaldini.
(23) *Idem* Fibalduinus.
(24) *MS. Amb. I.* Uzerini.
(25) *Idem loco verbi* tenuit, *legit* incœpit.
(26) *Idem* Montarsium campum.
(27) *Idem* Muleti.
(28) *Idem* Ganzo.
(29) *MS. idem* effodi fecit.
(30) *Idem* XXIII.
(31) *Idem addit* Legatos miserunt &c.
(32) *MSS. ambo* qui secum venerant pura mente volebant beneplacitis &c.
(33) *MS. Amb. I.* D. Manfredum Ricium de Lesmanio. *MS. Amb. II.* Manfredum Rizzardi ... Potestatem &c.
(34) *MS. Amb. II.* Dominus Galvanus Lancia.
(p) *Pajarinus: fortè is* Marcabrunus de Vivario.
(35) *MS. Amb. I. non* omnes *legit, sed* homines.

Digitized by Google

A tiſſimum, diu obſeſſum & captum, radicitus ſubvertitur, & idem de Caſtro Monticuli Majoris factum eſt. Tunc in tantam prorupit inſaniam, & furorem Dominus Eccelinus, quòd cuncta regebat, & ſumma ſagacitate detinuit omnes illorum de Pileo, tam maſculos, quàm feminas, qualibet omiſſa reverentia. Et maſculos quidem fecit ſpadari (36), oculis de capite effoſſis: Dominas autem variis tormentis affecit exciſis mamillis.

Proſterni, & dirui fecit Caſtrum *dell'Iſola*, eminens in Civitate Vicentiæ, quod poſtea ſub dominio Paduano reparatum fuit.

Duravit afflictio, & flagellum dominationis perverſæ illorum de Romano uſque MCCLVIII. ut infra notatum eſt. B Sed nec hujuſmodi peſtis ſæviit tantùm contra omnes de Pileo; ſed contra amicos eorum, & indifferenter contra quoſcumque Magnates, Cives, & Diſtrictuales Civitatis Vicentiæ, ſed & Veronæ, Paduæ, & Tarviſii. Sed exceſſit furoris modum contra Patavos. Duodecim mille Paduani, qui ſecum erant in Civitate Veronæ, in quodam guarnimento, crudeliter igne extincti in domo à Mileo, audita Paduæ rebellatione ad inſtantiam venerabilis Legati Domini Philippi Ravennatis Archiepiſcopi, qui ipſam Civitatem (37) ſuo dominio ſubegit, regnante Papa Alexandro Summo Pontifice, quod fuiſſe narratur Anno MCCXLVI. (38) C Poteſtate Vicentiæ Domino Antonio (q) Broſima Paduano, qui ſtetit in regimine Civitatis Vicentiæ per ferè duos annos pro Domino Eccelino.

Favente quoque fortuna, Patavi, hortatu Legati, qui collecto exercitu Paduæ equitavit ad Roſtam Ceri, pertinentiæ (39) tunc Cuſtozæ (nam ſub vocabulo Cuſtozæ comprendebant Longaram, & Seculam) *Die decimo exeunte Julio, in crepuſculo diei, aciebus in ordinem ſtructis ad Villam de Longare, agri Vicentini, cum ſono tubarum, & clamore hominum venerunt, ut Roſtam illic à Vicentinis obſtruſam rumperent, aquamque per conſuetum alveum Paduam labi facerent. Vicentini igitur* D *magno tumultu, & fortiori animo cum multis, & militibus & peditibus, Gentibus Eccleſiæ, & Paduano populo obviam iverunt, ne Patavi aquam obſtruſam aperirent. Illic igitur ex utraque parte pugna eſt commiſſa* (r), & in dicto (40) certamine cum exercitu Vicentino ſuccubuerunt Vicentini. In eodem conflictu Dominus Antonius Poteſtas interfectus eſt, & per vim capta (41) fuit Roſta prædicta, quam à ſubreptione (*) Paduæ per ferè unum menſem recludi fecerat Dominus Eccelinus, quam- multis aliis ex melioribus Civibus Vicentinis etiam in conflictu prædicto cadentibus.

Poſtmodum abſque modo (42) ubique in Civitate Tarviſii, diſtrictu Paduæ, Vicentiæ, Veronæ, in lociſque ubique perverſæ dominationis ipſius immanitas ſævit, poſtpoſita omni reverentia, nulli ſexui, & ætati parcendo, acerbiſſimè inſontes puniendo, ſceleratoſque, & nefarios ſublimando: uſque dum divinâ contra eum deſuper ſententiâ ultio proceſſit. Nam idem Eccelinus, cuncto affectu intentus pejora prioribus cumulare, recedens de Brixia exercitu copioſo caſtra fixit in Campeſtribus Urceorum, volens ad partes Cremonæ tranſire. Cremonenſes quoque undique amicitiis collectis viriliter contra ipſum unanimes (43) juxta Caſtrum Soncini ſua tentoria poſuerunt. In quorum auxilium non tardè venere Mantuani, & Ferrarienſes cum Marchione Eſtenſi, Mediolanenſibus quoque magnificè venientibus. Cremonenſes celeriter obviam euntes, nitebantur ſtruere pontem ſuper flumen Olei, per quem exercitus Mediolanenſis pertranſiret. Interim (44) tractatu occulto habito cum quibuſdam Magnatibus populi Mediolani de arripiendo Civitatem Mediolanenſem, qui etiam filios proprios pro ſervitute (45) tribuerunt, nocte conſurgens occultè remiſit cunctum populum (46), & exercitum Brixienſem; ipſe verò cum octo millibus equitibus armatis, in quibus erat numerus (47) electorum militum, avidus ad Mediolani aſpirare dominium (48), per Palazolum flumen Olei pertranſivit: venienſque ad Aduam, fluvium tranſvadavit, ubi occurrentibus tractatus Mediolanenſibus conſciis, animo clariſſimo (49), tamquam ſecum conſequuti prædam Mediolani, velociter percurrentes (50) cum iis, aliud, quàm putabant ſibi evênit. Nam Martinus della Turre Vir procerus (51), & Capitaneus Civitatis, qui cum Mediolanenſi exercitu in auxilium Cremonenſium ibat, præmonitus à certis Pergamenſibus de omni tractatu, & itinere Domini Eccelini, ſtatim retrocedens cum exercitu ſuo, celeri curſu prævênit Dominum Eccelinum, & gentem ſuam. Qui cùm tractatus Mediolano proditus eſſet (52) omnes armis Civitate exeuntes irruerunt contra gentes Domini Eccelini. Qui videns, ſe in cogitatione ſua fruſtratum, ad invadendum Burgum (ſ) converſus eſt; ſed Burgenſes armis ſe viriliter defenderunt (*), ita ut ad invadendum Caſtrum Tricii converteretur, ſed ab ipſius expugnatione armis recedere coactus eſt, Burgo tamen igne, & præda vaſtato (53). Qui

cùm

(36) *Idem pro* ſpadari, *habet* caſtrari.
(37) *Idem* Civitatem eripuit è manibus Domini Eccelini, eam ſubigendo Leghæ contra eum factæ, ſuo dominio &c.
(38) *Idem* MCCLVI. die XVIII. Junii.
(q) *Pajarinus* Broxima.
(39) *Idem* Pertinentiarum Cuſtozæ; nam ſub vocabulo Cuſtozæ comprehendebantur villæ Longaris, & Secula.
(r) *Oſius* „ viſum eſt hæc addere, quæ deſiderari „ videbantur, ex Pajarino, qui multa è Godio „ tranſcripſit.
Iſta quoque in Ambroſianis MSS. non reperiuntur.
(40) *MS. Amb. I.* & inito certamine.
(41) *MS. Amb. I. pro* capta, *legit* aperta.
(*) *MSS. Amb. ambo* à ſubverſione Paduæ &c.
(42) *MSS. Amb. ambo* abſque medio.
(43) *MS. Amb. I.* unanimiter coeuntes, juxta &c.
(44) *Idem* Interim Eccelinus tractatu &c.
(45) *MSS. Amb. ambo* pro ſecuritate tribue rant.
(46) *MS. Amb. I.* Populum Mediolanenſem venientem ad pontem, & exercitum &c.
(47) *Idem* in quibus erant tres mille electorum militum &c.
(48) *MSS. Amb. ambo interſerunt* nocte conſurgens.
(49) *MS. Amb. I.* animo alacri.
Murat. fortaſſis clariſſimo.
(50) *MS. Amb. I.* velociter percurrens.
Murat. legendum videtur percurrere cœpit cum iis; ſed aliud &c.
(51) *MS. Amb. I.* vir ſtrenuus.
(52) *Idem* qui cùm tractatum in Mediolanenſibus prodidiſſet, omnes &c.
(ſ) *Adde* Modoetiæ, *ſive* Montiæ. *Murat.*
(*) *MS. Amb. II.* ſed Burgenſes armis viriliter deſcenderunt, ita ut &c.
(53) *MS. Amb. I.* præda conſumpto. Inde recedens Vicum-Mercati cum ſuis gentibus introivit, credens ſe ibidem reficere.

Digitized by Google

cùm Vicomercatum cum suis gentibus introisset, credens eas ibidem reficere; audientes hæc Veronenses, & Mantuani cum exercitu magno cucurrerunt velocissimè, figentes eorum castra juxta flumen Aduam, custodientes vada fluminis, quia putabant Dominum Ecelinum posse flumen transmeare: & alia quoque ex parte exercitus Mediolanensium commotus est contra ipsum. Timensque Dominus Eccelinus in Castro includi, & ad flumen, & ad alia incommoda pervenire, disposuit confirmata acie (54), prœlio aut vincere, aut per acies inimicorum transire. Cùm itaque ad expugnationem pontis fluminis accessisset, inito certamine, jaculatus sagitta graviter vulneratur Dominus Eccelinus, ita ut crescente dolore, cessans animare suos, in prœlio quasi derelictus à suis (55), & à suis inimicis undique circumventus, captus est, exercitusque suus conflictus est. Hoc autem gestum fuisse narratur Anno MCCLIX. (56) in die Sancti Cosmæ XXVII. exeuntis Septembris. Quem captum Cremonenses in Castrum Soncini adducunt, ubi doloribus vulneris circumventus, tamdem ex hac vita migravit (57), nullo relicto filio.

(MSS. Ambrosiani ambo)

De morte, & fine Domini Alberici de Romano.

Famâ quoque clarâ de morte Domini Eccelini per Urbes Marchiæ Tarvisinæ apertiùs ab omnibus divulgata, omnes quasi cives prædictarum erectis cervicibus irruerunt contra tenentes Castra, munitiones, & bona ipsius. Vicentini namque acceperunt Castrum fortissimum, quod erat circa Turrim portæ Sancti Felicis, bonaque ipsius, tam in Baxiano, quàm in toto Vicentino districtu in commune (58) publicata suscipiunt, cunctisque expulsis, & exules Civitatis ad patriam, & bona sua integraliter (59) restituunt, crescentibus conspirationibus in Civitatibus prælibatis ad interitum totius Domus de Romano.

Dum ad aures Domini Alberici de ipsis clariùs pervenisset, idem timore personæ cum Uxore, sex filiis, duabus filiabus in Castrum Sancti Zenonis, valde fortissimum, & omnibus necessariis bene munitum, se locat, putans furorem transire; sed factum aliter, quàm sperabat, evenit. Nam breviter cunctæ Civitates Marchiæ Tarvisinæ conjuratæ (60) cum exercitu contra Sanctum Zenonem, ipsum firmissimè circum circa undique obsederunt per quatuor menses continuos, ita ut nulli esset facultas intrandi, vel exeundi Castrum. Stipendiarii, & alii populares Castri, sive tractatu, sive mortis timore, Dominum suum cum Uxore sua, ejusque filiis, & filiabus, & Castrum Tarvisinis tradiderunt. Quos captos ad Civitatem conducunt, in Foroque publico tractis Domino Alberico, & filiis, crudelissimè carnibus laceratis omnes pariter extincti sunt. Uxor quoque cum filiabus suis, summa impietate naribus, & mamillis excisis, interfectæ sunt, nulla sobole sibi relicta. Hæc autem gesta dicuntur in MCCLX. die XX. (61) Augusti.

De Conditionibus, & Qualitatibus Domini Eccelini.

DUm erat (62) à principio (†) tamquam civis, antequam ad aliquod dominium pervenisset, militarem vitam ducens, erat acer contra hostes: blandus & lætus contra (63) amicos: in promissis exequendis fidelis & constans: stabilis in proposito: in consilio, & verbis providus, & discretus: in toto aspectu corporis, & gestis suis Miles egregius apparebat; statura corporis mediocris: sed postquam ad potentiam, & dominium pervenit, in contrarium conversus est. Nam de blando, & suavi in elatum, & superbum convertitur: in locutione terribilis solo homines aspectu terrebat: in incessu superbus: valde superstitiosus, propter quod quammultos innoxios supplicio tradidit: crudelis quoque, nullatenus misericors, ad omnia crimina, præterquam ad luxuriam, semper pronus. Hic quoque super has Civitates, sub dominio Imperatoris, exercuit acerbum & rigidum dominium, videlicet Feltro, Cividato (64), Tarvisio, Padua, Vicentia, Verona, & Brixia, & in multis Castris tam Cremonensis, quàm Mediolanensis districtus, tamquam Tyrannus, sinè mensura & moderamine, nemini parcendo, ubicumque sæviendo.

De suprema crudelitate Domini Alberici de Romano.

SCribitur, quòd inter ceteras crudelitates, quas non facere, sed dicere, & audire (65) horrendum, flebileque videtur, dum ipse certos viros nobiles Tarvisinos in Foro publico ad mortis patibulum adduci fecisset: ipse tamquam sævus, & pessimus homicida, antequam ad finem vitæ ducerentur, intentus ipsis dolorem, & pœnam acerbiorem præbere, conduci jussit ante eorum oculos Uxores suas, & Filias, quibus horrendo spectaculo constitutis, videntibus maritis, depositis vestimentis usque ad camisias (66) &c.

Reliqua desiderantur, quæ facilè supplebuntur ex Libro XIX. Caroli Sigonii de Regno Italiæ, donec Salimbenus de Salimbenis, cujus ex fontibus emanarunt, edatur in lucem.

(54) *MSS. ambo* Timensque Dominus Eccelinus in castro includi, & ad famem, & alia incommoda pervenire, disposuit, cremata arce, prœlio aut vincere, aut &c.
(55) *MS. Amb. I.* quasi derelictus à suis militibus &c.
(56) *Idem* Anno MCCLVIII.
(57) *MS. Amb. I.* ex hac vita spiravit ad Deum.
(58) *Idem* in Commune Civitatis.
(59) *Idem* integraliter possidendo.
(60) *MS. idem non* conjuratæ *legit, sed* concurrunt.
(61) *MS. idem* die XXIV.
(62) *Idem MS.* Dum namque à principio &c.
(†) *Habentur hæc eadem in fine Libri Secundi Chronici Monachi Paduani.* Osius.
(63) *MS. Amb. I.* Lætus erga amicos.
(64) *Idem* Cividale.
(65) *Idem addit* acerbum horrendumque & flebile.
(66) *Idem addit* violari fecit.

F I N I S.

In fine utriusque Codicis Ambrosianæ Bibliothecæ hæc adduntur.

Familiæ, quæ aliunde ad Vicentiam habitatûm venere.

ANzolelli, de Bononia.
De Alianis, de Lombardia.
Ab Armis, de Lombardia.
De Avantiis, de Verona.
De Baldanutio,
De Bonamente, } de Florentia.
De Bursomino,
De Borsellis, } de Padua.
De Bertramino, de Lombardia.
De Bastianis, de Verona.
De Broja, sive de Persico, de Bergomo.
De Cerratis, de Faventia.
De Cavalcabobus, de Cremona.
De Coza (1),
De Campsoribus, } de Verona.
De Comitibus, de Padua.
De Caphino (2), de Campagna de Roma.
De Castellino, de Lombardia.
De Camino (3), de Tarvisio.
De Domo Modoetia, de Lombardia.
De Francanzanis, de Verona.
De Ferretto, de Padua 1224.
A Fermo (4), de Lombardia, idest illorum qui descenderunt à S. Ambrosio (5).
De Ghilino, de Bononia 1235.
De Gardellis, de Lombardia.
De Litolpho, de Padua.
De Malchlavelis, de Mutina.
De Menatis,
De Manente (6), } de Verona.

A De Muzano, de Lombardia.
Del Nero, multi dicunt quòd fuerunt Romani, alii dicunt de Mediolano.
De Nogarolis (7), & sunt nobiles & antiqui.
De Ovetariis, de Padua.
De Provincialibus,
De Plegafetis, } de Florentia.
De Poyana vel Polyana, de Montesilice primus fuit Paganus dicebatur de Paltineriis (8), & sunt nobiles.
De Polocastris,
De Pajarinis, } de Padua.
De Roma, à Roma.
De Scariotis, de Faventia.
De Bernabutis,
B De Soardis, } de Bergomo.
De Schitirio, de Catelonia.
De Aschola, de Verona.
De Sesso à Sesso, de oppido in agro Rhegii-Lepidi illic sunt domini.
De Sarracenis, de Senis.
Del Tonso,
De Tarsignano (9), } de Imola.
De Trintinariis,
De Tridento, } de Tridento.
A Tabula, de Verona.
De Verlatis, de Baveria, quorum primus D. Jo. Verla Eques.
De Zufatis, de Imola.
A Roga (10), de Florentia.

Hæc quæ sequuntur descripta sunt ex exemplari Herculis Fortitiæ.

Hæ sunt familiæ, quæ in Civitate nostra Nobiles erant, & ita extinctæ sunt, ut de eis vix maneat memoria.

COmites de Arzignano.
Comites Bregantiarum, ex quibus fuit Episcopus Bartholomæus Vincentinus de Ordine Prædicatorum, qui Coronam Spineam donatus à Rege Francorum portavit Vicentiam.
Comites de Carmignano.
Comites de Montebello Maltraversi, ex quibus nati sunt nobiles de Lucio, de Castronovo, & de Carturio Nobiles & Potentes Cives in Padua.
Comites Montisgaldæ.
Comites Monticuli Præcalcini, ex quibus nati

C sunt Comites de Sancto Bonifacio, & Domus Monticulorum, quæ potens fuit Veronæ.
Comites de Marola.
Comites de Monticello de Leonico ab Eccelino destructi.
Comites de Noventa.
Comites de S. Ursio.
Comites de Vincentia, qui dicebantur Beroaldi.
Comites de Vivario: hi potentes erant in Civitate Vincentiæ.

(1) *In Exemplari Herculis Fortitiæ, quod reperitur in MS. Ambr. I. legitur* de Cella.
(2) *MS. Ambr. II.* de Chiappini.
(3) *Hujus familiæ nomen in MS. Ambr. II. desideratur.*
(4) *In Exempl. Fortitiæ, & MS. Ambr. II.* A Ferro.
(5) *In eodem* à Ser Ambrosino.

(6) *In eodem* De Maynentibus.
D (7) *Exemplar Fortitiæ, & MS. Ambr. II. addunt* de Verona.
(8) *MS. Ambr. II. addit* de Ontalibus.
(9) *Idem* de Tussignano.
(10) *Exempl. Fortitiæ, & MS. Ambr. II.* de Zoga.

Digitized by Google

Familiæ olim potentes in Urbe.

De Avocaro.
De Alexio.
De Armis.
De Albertinello.
De Arnasino.
De Bonis.
De Bagotis.
De Bertholoto, de Postirla.
De Brandalino.
De Brendulis. Isti reducti sunt Veronæ.
De Bonamicis.
De Bonapace.
De Bellotis.
De Bellonibus.
De Bagnolo.
De Bonjudæis.
De Braniis (11) à Digito Nobilis & antiqua familia: hi expulsi fuere à Cane-grande de la Scala.
De Borsetis.
De Bergolis.
De Cresulis.
De Cadianis.
De Clarello.
De Cabianca.
De Cenglis.
De Cyprianis
De Castelnovo.
De Crudetis (12).
De Christianello.
De Capello (13).
De Collo, Nobilis & antiqua familia.
De Capitibus-bovis.
De Cignone antiqua familia.
De Castelgomberto.
De Duabus Villis.
De Drago.
De Donella familia antiquissima, & locupletissima.
De Facino, reducta est in Tridento, & vocatur de Pilotis.
De Figadis.
De Fineto.
De Flordemonte.
De Fossa.
De Fontanellis.
De Fantino.
De Guarino.
De Gazanis (14).
De Grimanis: hi nobiles & potentes in Civitate Venetiarum.
De Gallo.
De Jabetto.
De Lanzade, quorum Palatia erant ubi sunt Domus Nob. de Sesso.
De Lignamine, hi reducti sunt Patavium.

A
B
C
D
E

De Lupo.
De Liazario, tempore illorum de la Scala fuit potens familia.
De Leocornis.
De Lanfranco.
De Monte, in qua fuit D. Theobaldus.
De Magnanis.
De Manzino.
De Malacapellis; hi erant Nob.
De Malaflamma, fuit in Anno Domini MCC.
De Magnaferro (15).
De Manelmis.
De Mazacavallo.
De Mazza.
De Moschaja: hi reducti sunt Veronæ.
De Nanto.
De Paninsacco.
De Panincorpo.
De Papalardis.
De Pandecampi (16).
De Pillio (17) hi Nob. erant.
De Princivallibus.
De Panincianis (18).
De Protis.
De Pulzatis.
De Parialtis.
De Pusterla:
De Ravixinis.
De Rusticello.
De Rodigio.
De Raynone. SS. Felix, & Fortunatus fuerunt de dicta familia.
De Raxis.
De Rubeis.
De Ravagnanis, tempore illorum de la Scala.
De Ragnolis.
De Rixa.
De Sancta-Cruce.
De Stalla.
De Secula.
De Spagnollis.
De Simotis.
De Sancto Marcello.
De Salezollis.
De Sabrone.
De Stravoltis, viguit tempore illorum de la Scala.
De Theupolo, tempore illorum de la Scala (19).
De Zeno, ut fuit D. Boninus (20) de Zeno, unus ex Reformatoribus Statutorum Civitatis Vincentiæ.
De Zatoalis (21).
De Zago.
De Zuchetis, MCCXX. (22).

(11) *MS. Ambr. II.* De Bravis &c.
(12) *In MS. eodem* De Cavoletis, *inde additur* De Columbis.
(13) *MS. idem interserit* De Campesania.
(14) *Idem addit* De Grumulo.
(15) *Idem addit* De Melioribus.
(16) *MS. idem* De Pandeconti.
(17) *Idem* De Pillotis.
(18) *MS. idem interserit* De Pirocchi; hi Nobiles erant.
(19) *Idem addit* de Vignolis.
(20) *MS. idem* Dominus Brunorius.
(21) *Idem* De Zoroalis.
(22) *Idem* MCCXXX., *clauditque indicem, familiam indicans* De Yzza.

NICOLAI
SMEREGI
NOTARII VICENTINI
DE BURGO BERICÆ
CHRONICON
GERARDI MAURISII, ET ANTONII GODI
MONUMENTIS AFFINE

Ab Anno MCC. *usque ad Annum* MCCLXXIX.

ADJECTO

SCRIPTORIS ANONYMI
SUPPLEMENTO

Ab Anno MCCLXXIX. *usque ad Annum* MCCCXII.

FELIX OSIUS

Primus utrumque eruit, & emendatum

ad MSS. Codicum fidem publici juris fecit.

NUNC VERO EX DUOBUS MANUSCRIPTIS CODICIBUS

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ

Auctum ac castigatum prodit.

Digitized by Google

Digitized by Google

NICOLAI SMEREGI
NOTARII VICENTINI
CHRONICON.

(MSS. Ambrosiani ambo)

Hæc sunt Potestariæ, & Regimina Civitatis Vicentiæ in scriptis redacta per Nicolaum Smeregum Notarium de Vicentia de Burgo Bericæ ab Anno Domini MCC. citra.

IN Anno MCC. Indictione tertia, fuit Potestas Vicentiæ D. (a) Mainardus de Mainardis de Ferraria, & ibi stetit per unum annum.

MCCI. Indictione quarta, fuerunt DD. (b) . . . . Martinellus (c) de Benincasa de Civitate Vicentiæ, Potestates.

MCCII. Indictione quinta, fuit D. Jacobus (d) . . . . de Vercellis Potestas Vicentiæ, & stetit usque ad MCCVI.

MCCVI. Indictione nona, fuerunt DD. Comes Guido, & Conradus de Vivario de Civitate Vicentiæ, Potestates.

MCCVII. Indictione decima, fuit D. Gulielmus de Pusterla de Mediolano Vicentiæ Potestas, & stetit per duos annos in Potestaria.

MCCIX. Indictione duodecima, fuit D. (e) Buzacarinus Marcellinus de Mediolano Potestas Vicentiæ, & captus fuit per partem D. Eccelini de Romano; & tunc incœpit malus status Civitatis Vicentiæ.

MCCX. MCCXI. MCCXII. Fuit D. Gulielmus de Lando de Placentia Potestas Vicentiæ.

MCCXIII. Indictione prima, fuit D. Eccelinus de Romano, videlicet Major, Potestas Vicentiæ.

MCCXIV. Indictione secunda, fuit D. Marinus Zenus de Venetiis Potestas Vicentiæ.

MCCXV. Indictione tertia, fuerunt D. Guido de Vivario (1), & Comes Albertus Potestates Vicentiæ.

MCCXVI. & MCCXVII. Indictione quarta, & quinta, fuit D. (f) Lambertinus de Lambertinis de Bononia Potestas Vicentiæ.

MCCXVIII. Indictione sexta, fuit D. Albertinus de Castronovo de (2) . . . . Potestas Vicentiæ.

MCCXIX. Indictione septima, fuit D. Albertus (3) Tetaveglia de Vercellis Potestas Vicentiæ, & fuit expulsus de Potestaria ante tempus per partem Comitis.

MCCXIX. MCCXX. (4) MCCXXI. Indictione septima, octava, & nona fuit D. Gulielmus Amatus de Cremona Potestas Vicentiæ,

MCCXXII. & MCCXXIII. Indictione decima, & undecima, fuit D. (g) Laurentius Strazza de Martinengo de Brixia Potestas Vicentiæ. Et fecit fieri quinque Arcus, qui sunt subtus Palatium, & fuerunt Magistri de Cremona ad faciendum dictum opus.

MCCXXIV. Indictione duodecima, fuit D. (h) Pontius Amatus de Cremona Potestas Vicentiæ, & etiam MCCXXV. Indictione decima tertia, fuit prædictus D. Gulielmus (5) de Cremona Potestas Vicentiæ.

MCCXXVI. Indictione decima quarta, fuit D. Otho de Mandello (6) Potestas Vicentiæ.

MCCXXVII. Indictione decima quinta, fuit D. (i) Albrighetus de Faventia, qui fuit depulsus ante tempus de Potestaria per illos de Romano.

MCCXXVIII. Indictione prima, fuit D. Albericus de Romano Potestas Vicentiæ, qui tenuit Potestariam per menses viginti octo.

MCCXXX. Indictione tertia, fuit D. Philippus (K) Julianus de Venetiis Potestas Vicentiæ, qui fecit fieri Guardiam de Badevalle, (7) quia ibi erat portus navium.

MCCXXXI. Indictione quarta, fuit D. (l) Gulielmus Ros (8) de Mediolano Potestas Vicentiæ.

MCCXXXII. Indictione quinta, fuit D. (m) Gulielmus de Sonellis (9) de Alexandria Potestas Vicentiæ.

MCCXXXIII. Indictione sexta, fuit D. Henricus (n) de Rivale de Pergamo Potestas Vicentiæ.

MCCXXXIV. Indictione septima, fuit D. (o) Ardizo de Advocariis (10) de Vercellis Potestas Vicentiæ. MCCXXXV.

(a) *Maurisio, Godio, & Pajarino* Marchesinus. *Osius.*

(b) *Maurisio* Vitadinus de Costa. *Osius.*

(c) *Eidem Maurisio* De Benencà. *Osius.*

(d) *Supple ex Pajarino* De Gualardis, *sive* de VVailardis *ex Maurisio*. Osius.

(e) Buzarinus *Maurisio*, Buzarcarinus *Godio*, Bovarinus *Pajarino*. Osius.

(1) *MS. Ambr. I. addit* Vincentiæ.

(f) Rambertinus *Maurisio*, Luzcrinus *Godio*. Osius.

(2) *MS. Amb. II.* de Padua.

(3) *MSS. Amb. ambo non legunt* D. Albertus.

(4) *MS. Ambr. I. omittit numerum anni MCCXX. ob quod Indictionis notæ unitate semper præcedunt.*

(g) Lothorengus *Pajarino*, Laurengus *Maurisio*. Osius.

(h) *Maurisio eidem* Portius. *Osius.*

(5) *MS. Ambr. I.* Gulielmus Amatus Potestas.

(6) *Idem* Otto de Mandello de Mediolano.

(i) Aldrighetus *Godio*. Osius.

(K) *Maurisio* Zulianus. *Osius.*

(7) *MSS. Ambr. ambo* de Predevalle.

(l) *Maurisio, Godio, & Pajarino* Guido de Rode. *Osius.*

(8) *MS. Ambr. I.* De Roe.

(m) Julius Sivolotus *Godio*, Gulielmus Sivoletus *Maurisio*, Sivolatus *Pajarino*. Osius.

(9) *MSS. Ambr. ambo* Gulielmus de Canellis.

(n) *Legendum* de Rivolis *cum Maurisio*, *sive* Rivola *cum Pajarino*. Osius.

(o) Arditio Advocatus *Maurisio*, Ardizonus de Advocariis *Pajarino*. Osius.

(10) *MS. Ambr. I.* de Avogariis.

Digitized by Google

MCCXXXV. & MCCXXXVI. Indictione octava, & nona, fuit D. Azzo, Marchio Ateſtinus (11), Poteſtas Vicentiæ, & ſtetit per duos annos. Et in feſto omnium Sanctorum, in quo incipiebat aliud regimen, Imperator Federicus II. per vim cepit Civitatem Vicentiæ cum D. Eccelino de Romano, & parte Imperiali. Et D. Marchio Eſtenſis receſſit, & tunc Civitas Vicentiæ fuit tota deprædata, & devaſtata (12) ab illis D. Imperatoris; & ejus Theutonici derobando poſuerunt ignem in Civitatem Vicentiæ, & major pars Civitatis; immo quaſi tota fuit combuſta in Vigilia omnium Sanctorum. Et quia D. Imperator ceperat Civitatem per vim, ideo ſubjecta erat dicto Imperatori. Et tandem D. Imperator motus precibus bonorum civium rediit in gratiam cum Civibus (13), & Civitati Vicentiæ, & eos, & dictam Civitatem reſtituit liberos & abſolutos ab omni vinculo ſervitutis.

MCCXXXVII. Indictione decima, fuit D. Gulielmus de (p) Vicedominis de Mantua Vicentiæ Poteſtas pro D. Imperatore.

MCCXXXVIII. Indictione undecima, fuit D. Henricus de Nebulo (14) de Apulia Poteſtas Vicentiæ pro D. (15) Imperatore.

MCCXXXIX. Indictione duodecima, fuit D. (q) Rizzardus Thibaldini de Apulia Poteſtas Vicentiæ pro D. Thebaldo Francigena, Vicario D. Imperatoris, qui ſtetit uſque ad Annum MCCXLII. Indictione decimaquinta.

MCCXLII. Indictione decimaquinta, fuit D. Manfredus Riccus de Tarviſio Poteſtas Vicentiæ, qui parum ſtetit, quoniam D. Imperator inſtituit, & elegit D. Eccelinum de Romano Vicarium (16) in Marchia Tarviſina. Qui D. Eccelinus ſtetit & regnavit Vicarius, & Dominus uſque ad Annum MCCLIX. Et fuit Vicarius, & Dominus Paduæ, Vicentiæ, Veronæ, & quandoque Tridenti, & Feltri, & Brixiæ. Et D. Albricus ejus frater dominabatur Tarviſio. Et fingebant inter ſe eſſe inimicos occaſione decipiendi ſuos ſubditos. Et D. Eccelinus pluries fecit exercitum contra D. Albricum ejus fratrem, faciendo fieri guaſtum, & comburendo, & devaſtando terras D. Albrici; & tamen erant unum, (*) & ſe intelligebant, & faciebant inter ſe notum quidquid ordinabatur, & tractabatur inter ipſos ad invicem. Inde quamplures de Marchia Tarviſina ſubjecti D. Eccelino prædicto, qui tractabant cum D. Albrico prædicto de accipiendo terras dicto D. Eccelino, & interficere ipſum, perierunt, & mortui fuerunt per dictum D. Eccelinum; quoniam dictus D. Albricus ei intelligere faciebat, quidquid contra ipſum tractabatur, & qui erant illi, qui tractabant: & ſic decipiebant eos, & hæc faciebant dicti D. Eccelinus, & Albricus de voluntate, & conſenſu ipſorum amborum. Qui DD. Eccelinus, & Albricus dominaverunt uſque ad Annum MCCLIX. faciendo, & fieri faciendo omnia mala de mundo, interficiendo homines, & mulieres, & pueros, & faciendo incidi naſos, & mamillas mulieribus, & damicellis, & potiùs amicis ſuis, quàm inimicis, quia inimici eorum non confidebant ſe de ipſis, ita quòd fugiebant pluſquam poterant dominationem eorum, quæ fuit peſſima, horrida, & duriſſima, & meritò fugienda.

MCCXLII. Indictione decimaquinta, fuit D. Thomaſius de S. Lucia de Padua Poteſtas Vicentiæ pro D. Eccelino, qui fuit ſapiens, & diſcretus, & ſtetit continuè ad dictam Poteſtariam uſque ad Annum MCCLVI. Indictione decimaquarta, & tandem fuit captus per D. Eccelinum, & finaliter mortuus ſuper tormentis. Et ſtatim in dicto milleſimo fuit factus D. Antonius Broſima de Ardenghis de Padua Poteſtas Vicentiæ, & Eccelinus fecit maximum exercitum ſupra Mantuam cum Veronenſibus, Paduanis, & Vicentinis, & aliis ſuis amicis. Et ipſo exiſtente ſupra Mantuam, quidam Legatus D. Papæ cum expulſis, & extrinſecis de Marchia Tarviſina vênit ſupra Paduam, & cum prædictis, & etiam religioſis cepit Paduam. Et D. Anſediſius, nepos D. Eccelini, qui erat Poteſtas Paduæ, & Capitanei, & Cuſtodes, qui erant in caſtro D. Eccelini, & aliis fortilitiis, fugierunt, & relaxaverunt caſtrum, & omnia fortilitia. Qui D. Eccelinus fecit fieri maximam juſtitiam de ipſis, quia omnes combuſti fuerunt Veronæ in loco S. Nazarii, qui capti fuerunt; & D. Anſediſius obiit de primò (17). Hoc facto D. Eccelinus, qui receſſerat dicta de cauſa de circa Mantuam, habuit conſilium à ſuis amicis, quid erat faciendum de Civitate Paduæ, quæ erat amiſſa; & placuit ei, quòd omnes Paduani, qui cum eo iverant ad exercitum, forent capti, & carcerati (18); & certis & pluribus Paduanis, qui voluerant fugere, fecit ſingulos pedes, & ſingulas manus amputari. Et ſtatim cum Veronenſibus, Vicentinis, & cum adjutorio maximo de Lombardia, videlicet de Cremona, de Placentia, & cum aliis Dominorum Marchionum Malaſpinenſium, & D. Boxii de Dovaria, & ſua amicitia in maxima quantitate fecit exercitum ſupra Paduam: & bene eam habuiſſet, quia omnes fugiebant versùs Venetias, niſi quia ipſe cum ipſo exercitu aſſediavit Caſtrum de Montegalda per decem dies, vel circa, antequam iret ſupra Paduam; ita quòd Paduani hoc medio cum auxilio Venetorum, Marchionis Eſtenſis, & Bononienſium fecerunt (19) fodere foſſas extra Burgos Paduæ, & fieri Spalda fortiſſima, ita quòd D. Eccelinus non potuit aliquid damni eis facere, & ſic rediit Veronam. Et Paduani, qui capti fuerant Veronæ, potuerunt eſſe circa undecim mille, de quibus circa ducenti vixerunt poſt mortem D. Eccelini, & omnes alii obierunt in carceribus. Et maxima, & duriſſima guerra fuit inter D. Eccelinum, & Paduanos, & duravit per circa tres annos. Et interim D. Eccelinus ſe concordavit cum D. Alberico ejus fratre; & Paduani tunc venerunt ad Roſtam de Longare occaſione eam incidendi, quia D. Eccelinus

(11) *MSS. Ambr. ambo pro* Ateſtinus *legunt* de Eſte.
(12) *Iidem MSS. loco* devaſtata, *habent* derubata.
(13) *MS. Ambr. I.* reddidit gratiam civibus &c.
(p) *Godio* Sigibertus, *Mauriſio* Gulielmus Vicecomes. *Oſius*.
(14) *MSS. Ambr. ambo* de Hebulo.
(15) *MS. Ambr. II.* Pro Domino Tebaldo Francigena Vicario Domini Imperatoris, qui ſtetit uſque ad annum MCCXLII. Indict. &c.
(q) *Godio* Ricardus Thibaldinus. *Oſius*.
(16) *MSS. Ambr. ambo* Vicarium ſuum.
(*) *MS. Ambr. I.* erant unum eſſe; intelligebant &c.
(17) *MSS. iidem* obiit de fame.
(18) *Iidem poſt verbum* carcerati *addunt*, & factum fuit, quòd certis &c.
(19) *MS. Ambr. I.* fecerunt maximum guarnimentum in Civitate Paduæ, & fecerunt fodere &c.

Digitized by Google

linus abstulerat eis aquam Bacchilionis, quæ ibat Paduam, & venerunt cum magno exercitu. Et D. Eccelinus erat Vicentiæ, & noluit, quòd sui Theutonici equitarent; sed solùm Vicentini. Et ea die fuit mortuus ad dictam Rostam D. Antonius (r) Brosima, qui erat Potestas Vicentiæ, Naimerius de Bregantiis, Marcabrunus de Vivario, Regulus de Berica, Longinus, & alii multi, & quamplures fuerunt capti, & conducti Paduam de Vicentinis, & carcerati.

MCCLVI. MCCLVII. MCCLVIII. MCCLIX. Fuerunt Rectores Civitatis Vicentiæ pro D. Eccelino (s) D. Arinarcus (20) de Prata, Folierius (21) de Anstat Theutonicus, Goifredus de Palude, Furor de Pontecavali de Brixia. Et isto medio D. Eccelinus habuit Brixiam, & fecit unam maximam cavalcatam, in qua ipse habuit victoriam, & cepit Legatum, qui acceperat ei Paduam, & Fratrem Gaverardum (22) de Ordine Prædicatorum, qui erat suus Astrologus. Et postea D. Eccelinus cum Veronensibus, Vicentinis, & Theutonicis ibat ad accipiendum Mediolanum, quia promissum erat ei. Et cùm fuit prope Cassanum, terram de Cremona, Marchiones Palavicini, Malaspinenses, Boxius de Dovaria, qui erant in exercitu, sconfixerunt D. Eccelinum cum tota sua militia. Et D. Eccelinus fuit vulneratus de uno piloto in pede, & captus, & sui milites pro majori parte similiter capti, mortui, & vulnerati fuerunt. Et D. Eccelinus fuit ductus ad Terram Sunzini de Cremona, & ibi vixit circa quinque dies, & tamdem obiit. Et Diabolus habuit animam ejus, quia semper fecit mala, ut superiùs dictum est. De cujus morte sit nomen Domini benedictum per omnia sæcula sæculorum, & ultra. Et sepultus fuit ille canis Eccelinus in Terra Sunzini, unde versus:

Terra Sunzini tumulus Canis est Ecelini,
Quem lacerant Manes, tartareique canes.

Sic mortuo D. Eccelino Rectores Civitatis Veronæ (23), qui pro eo erant, cùm hoc scivissent, recesserunt statim, & dimiserunt Civitatem Vicentiæ, & omnes carcerati (24) exiverunt de carceribus. Et certi Cives Vicentiæ acceperunt claves Civitatis & eas portaverunt Paduam, & præsentaverunt se, & claves Paduanis, & Vicentinis extrinsecis. Et tunc omnes Vicentini extrinseci venerunt ad Civitatem Vicentiæ, & fuit maxima pax quasi inter omnes. Et Paduani de voluntate Vicentinorum dederunt nobis in Potestatem Vicentiæ D. (t) Rizzardum (25) de Litolfo, qui fuit satis bonus, sufficiens, & discretus, & stetit per annum unum. Regimen cujus incœpit à Festo S. Michaëlis MCCLIX. & MCCLX. Et ipse D. Rizzardus incœpit fieri facere Palatium Civitatis Vicentiæ, quod combustum fuerat, quando Civitas combusta fuit per Imperatorem Federicum, de lignamine Manganorum, & de lignamine Carcerum Bericarum. Et quidam filius dicti D. Rizzar-

A di Potestatis accepit in uxorem D. Odoliam de Bregantiis, quæ erat ditissima, & succedebat hæreditati DD. de Bregantiis pro medietate, & D. Deodosia, quæ fuit filia D. Jacobi de Bregantiis, pro alia medietate, quæ fuerunt ditissimæ, & nobilissimæ Dominæ, & Matronæ (26).

MCCLIX. Cùm D. Albricus de Romano, qui dominabatur Tarvisio, scivit quòd D. Eccelinus ejus frater erat mortuus, ipse cum uxore, & omnibus suis filiis, associatus cum certis suis amicis, fugit ad Castrum Sancti Zenonis Terræ Tarvisinæ. Et tunc Paduani, Vicentini, & Tarvisini, & etiam Feltrenses,
B & Furlani fecerunt exercitum contra dictum D. Albricum, & ipsum obsederunt in dicto Castro per unum annum, vel circa. Finaliter qui erant cum eo in dicto loco, ceperunt eum, & dederunt prædictis obsidentibus: & demum ipse cum filiis, & filiabus, & uxore mortuus fuit, & ex toto destructus cum ipsis.

MCCLX. Indictione tertia fuit Potestas Vicentiæ D. Marcus Quirinus de Venetiis, qui erat Potestas Paduæ anno MCCLIX. Et D. Episcopus Bartholomæus de Vicentia, qui erat in spiritualibus, & temporalibus Civitatis Vicentiæ Dominus, fecit ipsum eligi in Potestatem, quoniam ipse existens Potestas Paduæ operatus fuit, quantum potuit, quòd
C Paduani relaxarent Baxianum Civitati Vicentiæ, quod est, & semper fuit de districtu Vicentino. Et ipse D. Marcus recepit Potestariam Civitatis Vicentiæ, & secum duxit D. Jacobum Theupolum (27) Venetiis pro suo Vicario, & fecit bonum regimen, & duravit per annum unum.

MCCLXI. Indictione quarta fuit D. Joannes Gradenigo de Venetiis Potestas Vicentiæ. Et quia ipse obtulit mille libras denariorum parvorum ad ædificandum locum S. Coronæ, D. Bartholomæus Episcopus fecit ipsum eligi in Potestatem Vicentiæ. Et fuit bonus, & fidelis, & fecit bonum, & acceptabile regimen. Et fuit illo anno maxima abundantia
D Biadi, & Vini: & valuit frumentum quatuor soldos denariorum parvorum pro quoque stario. Et quoniam ipse D. Potestas fuit humilis, & pacificus: aliqui Cives voluerunt unum fervidum (28), & iniquum, & elegerunt D. Nicolaum de (u) Bagaleriis (29) de Bononia Potestatem Vicentiæ, qui erat unus de capitibus partis Marchesanæ, sive Guelfæ, & fuit sapiens, & discretus, & fecit quæ inferiùs continentur.

MCCLXII. Indictione quinta, fuit Potestas Vicentiæ D. Nicolaus de Bagaleriis de Bononia, qui fuit receptus (30) per partem Marchesanam, & promissum fuit ei dare in uxorem cuidam suo filio D. Aledosiam de Pileo, & ipse promisit destruere partem Imperialem. Existens in Potestaria, quadam die
E fecit citari omnes illos de Vicentia, qui erant de parte Imperiali. Et illi de Trissino, de Vivario, & D. Eganus de Arzignano, timentes tam

(r) *Pajarino* B roxima. *Osius*.
(s) *Eos sic recenset Pajarinus* D. Mainardus, Fulcerius de Aristat, Guifredus, Pharon de Ponte-Caroli. *Osius*.
(20) *MSS. Ambr. ambo* Maynardus.
(21) *MS. Ambr. I.* Folcerius de Aristat.
(22) *Idem* Everardum.
(23) *MS. Ambr. II.* Rectores Civitatis Vicentiæ.
(24) *MSS. Ambr. ambo* carcerati tunc exiverunt &c.
(t) *Pajarinus* Aycardinum. *Osius*.
(25) *MS. Ambr. I.* Rycardinum, *ita & infra*.
(26) *MS. Ambr. I.* & maternaverunt.
MS. Ambr. II. & matronaverunt.
(27) *Idem* Dominum Johannem Theopolum.
(28) *MS. Ambr. II.* unum perfidum, & iniquum. *Osius meliùs* unum fervidum, & igneum.
(u) *Pajarinus* de Baceleriis. *Osius*.
(29) *MS. Ambr. I.* de Bazalariis de Bononia *semper*.
(30) *Idem* qui fuit deceptus &c.

Digitized by Google

tam de Episcopo, quàm de Potestate, & Comite de Vicentia, noluerunt venire, cùm fuerint citati: immo salierunt supra Castrum de Valdagno, & incœpta fuit maxima guerra. Et dictus Potestas fecit capi quamplures cives, & tormentari, inter quos fuerunt illi de Pandecampo, de Malado, Bonus de Carmignano, Bartholomæus de Preve, & alii multi. Et hoc fecit tempore Quadragesimæ. Et transacto festo Paschæ Majoris, D. Potestas quadam die fecit citari decem pro quoque Quarterio de majoribus, & potentioribus Civitatis Vicentiæ, qui deberent esse post Nonam ad Episcopatum Vicentiæ coram D. Episcopo, & D. Potestate Vicentiæ. Et incontinenti quamplures Religiosi, & aliæ diversæ personæ iverunt per Civitatem dicentes ad omnes de parte Imperiali, qui citati erant: *Si vos itis ad Episcopatum, vos estis mortui, quia omnes eritis capti, & numquam exibitis de carceribus, donec procurabitis, quòd Castrum Valdagni detur, & restituatur D. Potestati, & Communi Vicentiæ*. Et tunc Capita partis Imperialis fugerunt, inter quos fuerunt D. Gerardus de Alberico de Berica, & D. Albertus de . . . . (31) & Nepotes sui, filii D. Reglæ, D. Rubertus (32) de Ficca, D. Thebaldus de Colzade, D. Marcus de Gallo, & alii quamplures de Vicentia, & Vicentino districtu. Etiam D. Schinella de Fogardis (33) fugit versùs Camisanum, occasione adducendi viam suas Bestraglas (34), & Bonacursius de Marola scivit, & secutus fuit ipsum, & invênit in Villa de Camisano, & ipsum interfecit. Et statim equitavit ad Villam de Sclavone, & invênit D. Vivianum Gogum de Bravis, & eum interfecit. Et omnes, qui recesserunt, fuerunt banniti, & domus eorum, & bona devastata, & sic Civitas Vicentiæ fuit in malo statu.

MCCLXIII. Indictione sexta, D. Jacobinus (35) de Trottis de Ferraria fuit Vicentiæ Potestas. Et Episcopus Bartholomæus de Vicentia fecit ipsum eligi ad dictam Potestariam, quia ipse erat Levir D. Simi (x) Cardinalis. Et tunc Vicentini extrinseci ceperunt Maroflicam, Maladum, Thiene, & Insulam, Terras de Vicentia (36). Et dictus D. Jacobinus stetit ad dictum regimen per quatuor Menses tantùm.

Hic incipiunt Regimina Paduanorum.

(MS. Ambrof. II.)
Patavini Custodes Vicentiæ.

ET tunc Civitas Vicentiæ data fuit in custodiam tantùm Paduanis per Vicentinos; & ipsi elegerunt in Potestatem D. Rolandum de Henglesco de Padua, cujus regimen incœpit in Festo S. Mariæ Ceriolæ de Februario, & stetit ad regimen per unum annum, & fecit bonum regimen, recuperando æs, & bona Communis Vicentiæ; & tunc fuerunt condemnati quamplures cives Civitatis Vicentiæ, qui furati fuerant æs Civitatis Vicentiæ.

MCCLXIV. Indictione septima, fuit D. Gabriel Guidonis de Nigro de Padua Potestas Vicentiæ, qui fecit capi quamplures Castellanos, & Cives Vicentiæ: & positi fuerunt in Zirone Communis Vicentiæ, & fuerunt in periculo mortis; sed D. Guido Comes Civitatis Vicentiæ noluit con entire in mortem eorum, & hoc magìs timore suæ personæ, quàm bonitate ua. Et cùm D. Gabriel exivisset de regimine, D. Episcopus Bartholomæus convocavit ipsum in prandium, & cùm ipse redibat, invênit Marcum de Albertone sub porticulo de S. Maria, qui ibi stabat, & habuit verba & rixam cum eo, & cum D. Guizardo de Vicenzone, Bonacimo de Becchario (37), & pluribus aliis de dicta convicinia; & in dicta rixa fuit vulneratus D. . . . . . . & eidem fracti fuerunt quamplures dentes. Unde dictus Gabriel semper fuit inimicus Civitatis Vicentiæ. Et sub suo regimine D. Eganus de Arzignano salivit super Castrum Arzignani: & Paduani, & Vicentini iverunt cum exercitu super Arzignanum, & non potuerunt habere dictum Castrum.

MCCLXV. Indictione octava, fuit D. Marcus Quirinus (38) Potestas Vicentiæ, qui electus fuit ad instantiam D. Comitis Guidonis de Vivario. Et tunc D. Gabriel prædictus unà cum D. Aicardino Caponigro de Delesmaninis (39) de Padua, & aliis suis amicis operati fuerunt cum D. Rodulpho de Vivario, & Alberto Zotto de Bregantiis taliter, quòd ipsi salierunt super Castrum de Bregantiis, & D. Artusius de Vivario super Magradum, & Belvesinum, & incœpta fuit maxima guerra. Et Vicentini iverunt cum exercitu super Magradum, & captum fuit per vim. Et D. Artusius prædictus cum illis de Magrado fugierunt super Castrum Belvesini. Et tunc Veronenses dederunt auxilium (40) extrinsecis, & ceperunt Leonicum Terram de Vicentia, & quamplures alias Villas. Tamdem Vicentini intrinseci dederunt iterum Civitatem Vicentiæ in custodiam Paduanis. Et, existente D. Marco Quirino Potestate, captus fuit D. Meliorantia (41) de Trissino, qui erat in Trissino, & illo capto Vicentini cùm magno exercitu tam Paduanorum, quàm suorum iverunt super Leonicum, & ceperunt Leonicum, & habuerunt ipsum: & perfidi Paduani (42) noluerunt ipsum reddere Civitati Vicentiæ, donec ipsi habuerunt dominationem Civitatis Vicentiæ. Et sic stetit D. Marcus Quirinus Potestas usque ad S. Martinum; & incœpit postea dominatio Paduanorum, qui semper oderunt partem Imperialem, & dilexerunt partem Marchesanam. Et tunc Paduani elegerunt D. Henrighetum de Caodevacca de Padua Potestatem Vicentiæ: cujus regimen incœpit in Festo S. Martini in prædicto millesimo, & fecit satis bonum regimen.

MCCLXVI.

(31) *MSS. Ambr. ambo* D. Albertus de Monmaxio.
(32) *Iidem* D. Ubertus.
(33) *Iidem*. Etiam Dominus Schenella de Figadis.
(34) *MSS. Ambr. ambo* suas bestiaglas; & Bonacursius Corius de Marolla &c.
(35) *Iidem* D. Jacobinus Bibus de Trottis.
(x) *MS. Ambr. II.* D. Simonis. *Legendum* Simonis; *fuit enim Card.* Simon Paltinerius *ex Monte-Silice oppido agri Patavini, quem Urbanus IV. Pontifex Umbriæ, Piceni, Etruriæ, Venetiæ, & Longobardiæ Legatum summa cum potestate creavit contra Manfredum*. Olius.
(36) *MS. Ambr. I. addit*, & faciebant maximam guerram Civitati Vicentiæ, & dictus &c.
(37) *MS. idem* Bonavia de Becherio.
(38) *Idem* Quirinus de Venetiis.
(39) *Idem* Delesmarinis *semper*.
(40) *Idem* dederunt auxilium Vicentinis extrinsecis &c.
(41) *Idem* Dominus Meliorantias.
(42) *MS. idem* numquam voluerunt ipsum &c.

Digitized by Google

MCCLXVI. Indictione octava (*), fuit D. Bonfranciscus (y) de Guarnerighis de Padua Potestas Vicentiæ. Et tempore sui regiminis fuit mortuus D. Eganus de Arzignano per D. Rubeū nepotem suum, & per illos de Seratico, qui litigabant cum eo occasione hereditatis D. Andreæ de Seratico; & postea fuerunt extracti de banno omnes, qui fuerant ad mortem D. Egani, de consensu Paduanorum, qui oderant dictum Eganum, tum quia salierat super Castrum de Arzignano, tum quòd ipse existens pro Ambasciatore Communis Vicentiæ ad Civitatem Paduæ, dixit, & arengavit in Consilio Paduæ, quòd Paduani non attendebant pacta, quæ promiserant Vicentinis, & quòd malè faciebant, & scirent bene, quòd quandocumque ipse vellet, ipse solus cum suis de Arzignano acciperet Civitatem Vicentiæ de manibus suis. Et parum post hæc fecerunt Paduani Statutum in Civitate Paduæ, quòd, quicumque tractarent accipere Terram, & Civitatem Vicentiæ de fortia Paduanorum, capita amputarentur eisdem.

MCCLXVII. Indictione decima, fuit D. Marsilius de Carraria de Padua Potestas Vicentiæ, & tempore sui regiminis tres Ferrarienses venerunt Vicentiam, & ad instantiam cujusdam interfecerunt unum Tuscum in Insula, & fugierunt versùs montem de Berica. Et tunc ad sonum campanæ persecuti fuerunt dictos malefactores, & tamdem omnes tres capti fuerunt, & positi ad fenestras palatii, & justitiati ad mortem. Et tunc Veronenses equitaverunt versùs Colognam, & S. Bonifacium, & nostri Vicentini equitaverunt Leonicum, & par prœlium voluerunt cum Veronensibus, & multi fuerunt capti sinè sanguinis effusione.

MCCLXVIII. Indictione undecima; fuit D. Papafava de Carraria Potestas Vicentiæ, qui fecit bonum regimen, bonus custos montis Bericæ, & campanearum (43).

MCCLXIX. Indictione duodecima, fuit D. Federicus Caodelista de Padua Potestas Vicentiæ. Et tempore sui regiminis D. Bugamans de Luschis interfecit D. Abbatem de Sancta Justina, quia cùm D. Bugamans fuit ambasciator ad D. Patriarcham pro Communi Vicentiæ, occasione quæstionis Episcopatus Vicentiæ, & D. Abbas de S. Felice, qui erat Frater D. Abbatis de S. Justina, volebat esse Episcopus Vicentiæ (44) familia dicti Abbatis de S. Justina, qui erat ad Patriarcham in servitio fratris sui prædicti in Terra Cavorle, vulneravit dictum D. Bugamantem, & dicta de causa postea interfecit dictum D. Abbatem. Et Commune Vicentiæ (45) bene relevavit dictum D. Bugamantem, & pro eo solverunt propinquis dicti D. Abbatis decem (46) millia librarum parvorum: & inchoata & facta fuit pax, & D. Federicus Potestas nihil perdidit de dicto pacto.

MCCLXX. Indictione decimatertia, fuit D. Engulfus de Pomadello (47) de Padua Potestas Vicentiæ, qui dixit Alberto filio suo, quòd non iret ad paësandum in campanea, quia meliùs poterat paësare super palatium.

MCCLXXI. Indictione decimaquarta, fuit D. Senesius de Bernardis de Padua Potestas Vicentiæ. Et tunc ipse ordinavit unam Curiam in Civitate Vicentiæ, occasione inveniendi causam malefaciendi, & extorsit, & tributavit omnes; & denique facta fuit inquisitio contra Ghibellinos, & duodecim ex ipsis capti fuerunt, & certi tormentati ad mortem, & certi carcerati, & certi confinati. Et circa finem sui regiminis D. Rodulphus de Vivario salivit super Castrum de Angarano, & ibi fuit obsideatus per Paduanos, & Vicentinos, & tamdem ipse cum illis, qui eum sequebantur, cum illo fugierunt necessitate victualium. Et quia ipse D. Senesius non bene se habuit in suo regimine, quando fuit ad Sindicatum, habuit plures libellos. Et D. Gulielmus de Malaflamma Judex, & Zoppilio de Vello (48) Laicus fuerunt Sindicatores Communis Vicentiæ, & condemnaverunt ipsum D. Senesium in maxima quantitate denariorum, propterea quòd (z) & se retinuerat datium vini conducti extra Vicentinum districtum, & quia trabutaverat. Unde fuit quæstio in Civitate Paduæ. Et denique Civitas Paduæ conscia omnium malorum liberavit eum D. Senesium à prædicta condemnatione, & non sinè ipsius expensis, & suo damno. Quare prædictus Gulielmus de Malaflamma semper fuit suspectus penes Paduanos.

MCCLXXII. Indictione decimaquinta, fuit D. Ziliolus de Macaruffis de Padua Potestas Vicentiæ, qui satìs bonum regimen fecit, & sustinuit bene, quòd Senesius foret sindicatus, & condemnatus.

MCCLXXIII. Indictione prima D. (a) Lemigio Canis de Padua Potestas Vicentiæ, qui bonum regimen fecit; sed existendo ad sindicatum ipse D. Lemigo obiit.

MCCLXXIV. Indictione secunda, fuit D. Jacobus de Zuffo (49) de Padua Potestas Vicentiæ, qui bonum regimen fecit; & quæsita ab eo fuit gratia portandi tria plaustra Dorellæ Paduam per quemdam suum Bailum, & ipse noluit eidem facere. Et D. Jacobus Baretta fuit vulneratus ad mortem per Achillem D. Bonifacii de Trissino sub stationibus Mercatorum, & quasi in fine regiminis.

MCCLXXV. Indictione tertia, fuit D. Paganus Paradisus de Padua Potestas Vicentiæ, qui erat Levir D. Jacobi Barettæ, & propterea quamplures Cives Civitatis Vicentiæ fuerunt capti, & tormentati: & alii recesserunt, quia inculpabantur de dicto maleficio: sed re vera D. Achilles tantùm cum uno filio Titii de Magrade interfuerunt ad dictum factum, ideo quia D. Baretta unà cum Leonardo de Levocaria (50) accipiebant suum potere de Zoxano.

MCCLXXVI. Indictione quarta, fuit D. Nicolaus de Castelnovo Potestas Vicentiæ, & fecit satìs bonum regimen.

MCCLXXVII. Indictione quinta, fuit Guer-

(*) *Lege* nona.
(y) *MS. Ambr. I. Ongarel.*, *&* *Pajar.* de Guarnarinis.
(43) *MS. Ambr. I. pro* Campanearum, *legit* Montanearum.
(44) *MSS. Ambr. ambo addunt* & Dominus Bernardus de Placentia erat electus Episcopus; familia dicti &c.
(45) *MS. Amb. I.* Commune Vicentiæ valde bene &c.
(46) *MS. idem* XV. millia.
(47) *MS. Ambr. I.* Dominus Gengolfus de Poracello.
MS. Ambr. II. D. Engolfus de Pomeallo.
(48) *MSS. Ambr. ambo* Ugutio de Vella.
(z) *Pro* & se, *legerem* & sibi, *vel* in se. *Osius*.
(a) *Aliis* Lemizo, *sive* Lemizonus. *Osius*.
(49) *MSS. Ambr. ambo* de Ruffo.
(50) *MS. Ambr. I.* cum Raynaldo de Bonocane.

Digitized by Google

Guercius de Vicoaggeris de Padua Potestas Vicentiæ. Et tunc Veronenses equitaverunt usque ad Pontaltum, quia Pars Imperialis, unà cum DD. Bartholomæo de Rivolono, & Pace de Rubeis de Padua dabant Civitatem Vicentiæ Veronensibus; sed non potuerunt complere. Et illo tempore fuerunt capti circa vigintiocto cives Civitatis Vicentiæ, & conducti Paduam, & tormentati ad mortem per duas vices in diversis temporibus, & circa viginti sex (51) fuerunt confinati Paduæ, & ibi steterunt confinati, & capti à festo S. Quirici de Mense Julii, usque ad festum S. Martini. Et tamdem quia Paduani non invenerunt eos culpabiles, ipsi permiserunt eos abire, & redire ad Civitatem Vicentiæ. Sed Paduani suspectos semper habuerunt prædictos captos, & confinatos, & duo ex ipsis obierunt in tormentis.

A

MCCLXXVIII. Indictione sexta fuit D. (b) Bellebonus de Guarnerinis de Padua, Potestas Vicentiæ. Et quando intravit Podestariam, quæsivit per gratiam à Communi Paduæ, quòd confinati, qui erant Paduæ, deberent redire ad Civitatem Vicentiæ cum ipso; & habuit gratiam, & confinati venerunt cum eo. Sed tempore suæ Potestariæ fuit Episcopus D. Bernardus cassatus, & D. Antonius de Guarnerinis, qui erat Canonicus Paduæ, & frater dicti D. Potestatis, fuit electus Episcopus. Et tunc pars Imperialis volebat sustinere D. Episcopum Bernardum, & pars Marchesana obstabat. Tamdem D. Episcopus Bernardus obtinuit quæstionem, & rediit ad Episcopatum, & numquam amisit aliquam bonitatem. Quare? quia non habuit, & postea obiit in Curia Romana.

B

MCCLXXIX. (c) *D. Nicolaus Smeregus, supradictorum Chronicorum Auctor, hoc anno mortuus est. Unde factum est, ut præsentis anni nulla exstent monumenta, & ignoretur, quis fuerit Vicentiæ Potestas* (52).

(51) *MSS. Ambr. ambo* viginti octo.

(b) *Pajarino* Bellonus, *Ongarellio* Bellebonus de Gualmarinis, *Osius*.

(c) *Suggerit nobis Pajarinus Vicentiæ Potestatem hoc anno* Lovatum Judicem, Militem, & Poetam Patavinum. *Osius*.

(52) *In ambobus MSS. Ambros. sic clauditur hoc caput*; In MCCLXXIX. Dominus Nicolaus Smereghus dormivit, ut videtur.

Finis Chronici Nicolai Smeregi.

SCRI-

Digitized by Google

SCRIPTORIS ANONYMI OPUSCULUM

Ab Anno MCCLXXX. usque ad Annum MCCCXII.

NICOLAI SMEREGI

HISTORIAM DEDUCENS,

SIVE

SUPPLEMENTUM

Annalium SMEREGI.

Millesimo ducentesimo octuagesimo Anno à Natali Christi fuit (a) Marsilius (b) de Partenopeo de Padua Potestas Vicentiæ, qui fecit satis bonum regimen.

MCCLXXXI. Fuit D. Zambonettus Canis de Padua Potestas Vicentiæ.

MCCLXXXII. Fuit D. Engulfus de Pomedllo (c) de Padua (1) Potestas Vicentiæ.

MCCLXXXIII. Fuit (2) Potestas idem D. Engulfus.

MCCLXXXIV. Fuit D. Joannes Franciscus (d) de Padua Potestas Vicentiæ. Et tunc fuerunt capti quamplures Cives Civitatis Vicentiæ, & conducti Paduam, & tormentati (3) ad mortem; tamdem tres eorum fuerunt mortui in Civitate Paduæ, & alii fuerunt relaxati.

MCCLXXXV. Fuit D. Thebaldus de (e) Hengelesehis de Padua Vicentiæ Potestas, qui duxit secum suprascriptos captos.

MCCLXXXVI. Fuit D. Bonzanellus de Vigontia de Padua Potestas Vicentiæ, & redeundo Paduam subnegavit se, ita quòd propterea obiit finaliter.

MCCLXXXVII. Fuit D. Patarinus (f) de Gazarinis (4) de Padua Vicentiæ Potestas, & fecit satis bonum regimen.

MCCLXXXVIII. Fuit D. Joannes de Caodevacca de Padua Potestas Vicentiæ, qui erat de testa, & quadam die mattana cepit ipsum, quòd volebat facere pulsari Campanam ad martellum, causa videndi, qualiter Cives Vicentiæ currerent ad plateam, nisi quòd unus de sua familia vetavit ei, & fecit satis bonum regimen.

MCCLXXXIX. Fuit D. Joannes de Thadis de Padua Potestas Vicentiæ, qui fecit fieri scalas lapideas (5), & fecit bonum regimen.

MCCXC. Fuit D. Bartholomæus de Zacchis de Padua Potestas Vicentiæ, qui malè associatus fuit. Et sub ejus regimine mortuus fuit super tormentum D. Comes Beroaldus de Vicentia in die S. Marcelli. Et postea circa festum S. Felicis D. Jordanus de Seratico, qui erat Levir dicti D. Beroaldi, salivit super plateam Civitatis Vicentiæ cum quampluribus de Vicentia; & ipse cum suis sequacibus fuit captus, & incisa fuerunt eis capita super plateam Communis Vicentiæ, & postea suspensi ad nemus cum capitibus in cruribus. Et tunc D. Dalbestatius (6) de Frescobaldis de Florentia, qui erat Potestas Paduæ, vênit cum octo Ambasciatoribus de Padua Vicentiam, & habuerunt consilium, quid erat faciendum super custodiam Civitatis; & Consiliarii fuerunt hi (7), videlicet D. Angelus de Verlis. Joannes de Albetone, Yrec de Burgo, Joannes Melioris, Henricus de Ravasino, Singofredus de Arzignano, Morandus de Trissino, Bonifacius de Rotario. Isti octo fuerunt simul, & elegerunt sexdecim de Gibellinis, occasione confinandi eos. Tamdem quæstio fuit inter eos, ita quòd laniaverunt omnia, quæ fecerant, & iverunt ad Potestatem Paduæ, & ad octo Ambasciatores, qui cum eo erant; & dixerunt, quòd non poterant se concordari, quia si unus eorum habebat aliquem inimicum, fortè erat amicus alterius, & sic dederunt consilium D. Potestati Paduæ, & Ambasciatoribus, quòd D. Potestas Paduæ esset solus in loco remoto, & secum haberet solummodò unum de prædictis octo de Vicentia, & scribi faceret illos, quos ipse diceret confinandos. Hoc facto, D. Potestas, & Ambasciatores de Padua dixerunt; *Isti octo de Vicentia possent nos decipere; eligamus modò duodecim Cives Civitatis Vicentiæ, & sciamus voluntatem suam*. Et sic fuerunt electi duodecim de Vicentia, videlicet D. Rodulphus Musiatus, Leonardus de Meda, Andreas de Boino (8), Bonomus Medii (9), Guido de Milanis, Paganus Judex, Simon de Vulpe, Ugutio Guerrini,

(a) *Pajarino* Martinus.
(b) *Ongarellio* De Polafrixana.
(c) *Melius* de Pomedello, *qui hodie* de Ponte. *Osius*.
(1) *MS. Ambr. I.* Engolfus Comes de Padua.
(2) *MS. idem* Fuit Dominus Engolfus de Poncello de Padua Potestas Vicentiæ.
(d) *Ongarellio* de Sachettis. *Osius*.
(3) *MS. Ambr. I.* ad mortem *non habet*.
(e) *Pajarino* Englesehis, *Ongarellio* Engeschis. *Osius*.
(f) *Pajarino*, & *Ongarellio* De Gambarinis. *Osius*.
(4) *MS. Ambr. I.* Dominus Padavinus de Gambarinis &c.
(5) *MS. Ambr. II.* Scalas lapideas palatii, & fecit &c.
(6) *MS. Ambr. I.* Dominus Lambertutius; *MS. II.* D. Dalbertutius.
(7) *MS. Ambr. I.* pro hi *legit* octo.
(8) *Idem* Andreas de Dayna.
(9) *Idem* Bonomus Modii.

Digitized by Google

rini, Martius Boxius, Petrus Stravoltus, Ecelinus de Marano, & Portus de Portis. Isti similiter quilibet per se (10) cum D. Potestate Paduæ, & illi octo primi, & isti duodecim dederunt quadraginta quinque Cives Civitatis Vicentiæ (11), & D. Rodulphus Musiatus dedit vocem suam D. Porto de Portis. Et tunc D. Lambertatius Potestas Paduæ vênit in conspectu Ambasciatorum de Padua, & dixit eis: *Nos habemus unum Judam, qui tradidit unum de duodecim*. Et sic D. Potestas Paduæ, & sui Ambasciatores providerunt, quòd illi, qui habebant quatuor voces à prædictis viginti de Vicentia, & abundè (12) superiùs, deberent confinari, alii verò permanerent: & fuerunt octo de Vicentia confinati, videlicet quatuor illorum de Vivario, & alii quatuor (13). Illo tempore arsit carcer prope Palatium, & fuit combustum Palatium Magnum Civitatis Vicentiæ.

MCCXCI. Fuit D. Lovatus Judex Potestas Vicentiæ, & fecit bonum regimen, & fecit pingi, & scribi Historias de Palatio.

MCCXCII. Fuit D. Manfredus Scrovegnus de Padua Potestas Vicentiæ.

MCCXCIII. Fuit D. Simon de Hengelfredis de Padua Potestas Vicentiæ. Et tempore sui regiminis fuit combusta domus Palatii habitationis, ubi morabatur ipse D. Potestas, & Canipa Communis Vicentiæ: & omnes domus, & habitationes Palatii, & Turris Palatii, & Campanæ devastatæ. Qui D. Potestas fecit bonum regimen, & destruxit malefactores multos, & dedit audaciam & vigorem Gibellinis, & depressit Guelfos, quoniam erat Imperialis. Et tempore sui regiminis fuerunt Paduani, & Vicentini in exercitu ad Brolium (14) contra Marchiones Estenses de Ferraria, & tamdem consequuta fuit pax.

MCCXCIV. Fuit D. Nicolaus de Castelnovo de Padua Potestas Vicentiæ. Et tunc incœperunt stare tantùm Potestates per sex menses: & tunc (15) refacti, & estructi fuerunt capti, & confinati de Consilio. In prædicto Millesimo fuit D. (g) Renaldinus de Magabutis de Padua Vicentiæ Potestas, qui potiùs credidit Guelfis, quam Gibellinis; & factæ fuerunt malæ æstimationes ponderum, & malo modo facti fuerunt Cataveres, & ex toto fuerunt depressi Gibellini. Et in exitu sui regiminis fuerunt positæ banderiæ in monte Sancti Martini super plateam Vicentiæ in diversis locis ad armaturam Marchionis de Ferraria, qua de causa exivit, & ortus est maximus terror in Civitate Vicentiæ.

MCCXCV. Fuit D. Joannes Franciscus de Padua Potestas Vicentiæ, qui processit ad inquisitionem de facto dictarum banderiarum; & duobus Vicentinis incisa fuerunt capita, & quamplures capti, & conducti Paduam. In dicto Millesimo D. Engulfus de Comitibus de Padua Potestas Vicentiæ, qui jam erat quasi mente captus; sed tamen fecit bonum regimen.

MCCXCVI. Fuit D. Bellebonus de Guarnerinis de Padua Potestas Vicentiæ, qui libenter studuit in Tullio. In Millesimo prædicto fuit Fracalasta de Caodevacca de Padua Potestas Vicentiæ, qui incidi fecit manum uni Presbytero, quia habuit rixam cum trombeta Paduanorum, qui erat ad custodiam Civitatis Vicentiæ.

MCCXCVII. Fuit D. Pax de Thadis de Padua Vicentiæ Potestas, qui fecit bonum regimen. In prædicto Millesimo fuit D. Guido (16) de Gabrielis de Nigro de Padua Potestas Vicentiæ, qui fecit bonum regimen.

MCCXCVIII. Fuit D. Simon de Vicoaggeris de Padua Potestas Vicentiæ. In prædicto Millesimo fuit D. Antonius Pollafrixana de Padua (17) Potestas Vicentiæ.

MCCXCIX. Fuit D. Nicolaus de Lucio Potestas Vicentiæ, qui associavit se cum D. Alberto della Scala, & fecit magnam Curiam ad Festum Carnisprivii. Et dictus Albertus misit ei ad dictam Curiam plures, pulchrosque dextrerios, & equos cum armaturis ad Scalas: ita quòd Paduani, & Guelfi de Vicentia multùm timuerunt, quòd illa Curia non foret bona. Et ab inde supra Paduani habuerunt dictum D. Nicolaum semper suspectum. In prædicto Millesimo fuit D. Thebaldus de Englesco Potestas Vicentiæ.

MCCC. Fuit D. (h) Alenus de Terradura Potestas Vicentiæ. In prædicto Millesimo fuit D. Bartholomæus de (i) Zerarariis Potestas Vicentiæ, qui fecit fieri portam Campi Martii.

MCCCI. Fuit D. Paulus de Docto (18) Potestas Vicentiæ. In prædicto Millesimo fuit D. Joannes de Caodevacca Potestas Vicentiæ.

MCCCII. Fuit D. Joannes de Caligine Potestas Vicentiæ. In prædicto Millesimo fuit D. (K) Jordanus de Vigontia Potestas Vicentiæ, qui malum regimen fecit, & expoliavit quasi omnes rusticos, & divites (19) de Villis, & Civitate plures.

MCCCIII. Fuit D. Tiso de Campo S. Petri Potestas Vicentiæ. In prædicto Millesimo, & in MCCCIV. Fuit D. Enselminus de Engelfredis (20) Potestas Vicentiæ, & stetit in regimine usque ad diem . . . . . . & dicta die obiit. Et tunc DD. Tiso de Campo S. Petri, & Jacobus de Carraria venerunt pro Communi Paduæ pro Supracapitaneis in Civitate Vicentiæ, & steterunt usque ad primum diem Augusti.

MCCCIV. Die primo Augusti fuit D. Vitalianus de Lemicis de Padua Potestas Vicentiæ, & stetit usque ad primum diem Januarii. Et tunc incœperunt Potestariæ prima die Januarii.

MCCCV. Fuit D. Rolandus de Guarnerinis de Padua Potestas Vicentiæ. In prædicto Millesimo fuit D. Henricus Paradisus de Padua (21) Potestas Vicentiæ.

MCCCVI. Fuit D. Simeon de Engelfredis Pa-

(10) *MS. Ambr. II.* pro se fuerunt cum &c.
(11) *MS. Ambr. I.* Civitatis Vicentiæ in scriptis, qui deberent confinari pro securitate Civitatis Vincentiæ, & D. Rodulphus &c.
(12) *MSS. Ambr. ambo*, & ab inde &c.
(13) *MS. Ambr. II.* alii quatuor de Comitibus.
(14) *MS. idem* ad Borbusum. *Alter* ad Borbujum.
(15) *MS. Ambr. I.* & tunc rasati & extracti fuere, capti &c.
(g) *Aliis* Aldrevandinus de Mezzabbatibus. *Osius*; *Quam lectionem sequitur & MS. Ambr. I.*
(16) *MSS. Ambr. ambo* Guido Domini Gabrielis &c.
(17) *MS. Ambr. II.* ∾ de Padua *non legit*.
(h) *Aliis* Aylinus. *Osius: ita habet MS. Ambr. I.*
(i) *MS. Ambr. I. Pajarinus*, *& Ongarellius* De Verariis; *MS. Ambr. II.* De Vitreariis.
(18) *MS. Ambr. II. addit* de Padua.
(K) *Ongarellio* Joannes. *Osius*.
(19) *MS. Ambr. I.* Rusticos divites de Villis, & de Civitate plures.
(20) *Idem* de Gengelfredis *semper*.
(21) *MS. Ambr. II. desiderat* ∾ de Padua.

Digitized by Google

Patavinus (22) Poteſtas Vicentiæ, qui multum perſecutus fuit malefactores; & plures ſuſpendi fecit. In prædicto Milleſimo fuit D. Zacho de Zachis Poteſtas Vicentiæ.

MCCCVII. Fuit D. Dentes (23) de Lemicis Poteſtas Vicentiæ. In prædicto Milleſimo fuit D. Antonius Caodevacca Poteſtas Vicentiæ.

MCCCVIII. Fuit D. Martinus Canis Poteſtas Vicentiæ, qui bonum, & legale regimen fecit. Eo tempore ſui regiminis, quaſi in fine, filii D. Gerardi de Alberico de Berica (24), de quo D. Martinus prædictus multùm dedignatus fuit, quoniam fecerat inter eos fieri pacem, & fecit capi D. Gerardum prædictum, & valde tormentatus fuit uſque ad mortem; & poſtea ſub ſequenti regimine condemnatus fuit in pecunia, & filii banniti ad mortem; & in dicto rumore mortuus fuit quidam filius D. Gerardi prædicti, nomine Albricus. In prædicto Milleſimo fuit D. Joannes de Vigontia Judex Poteſtas Vicentiæ, qui fuit ſapiens, & diſcretus, & bonus locutor, & fecit ſatis bonum regimen.

MCCCIX. Fuit D. Joannes Franciſcus Poteſtas Vicentiæ. In prædicto Milleſimo fuit D. Petrus de Marſis (25) Poteſtas Vicentiæ, qui erat Compater D. Singofredi militis de Arzignano. Qui D. Singofredus interfici fecit D. Blaſium Guidonis Maji de Vicentia Notarium, qui erat Gibellinus, in Villa de Montebello. Et quidam peſſimus malefactor, nomine Giraldellus, qui cum aliis malefactoribus interfecerat D. Blaſium prædictum, captus fuit cum duobus ſociis ex ipſis malefactoribus, & omnes tres tanegliati fuerunt uſque ad furcas, & ſuſpenſi. Et dictus D. Singofredus bannitus, & condemnatus fuit ad mortem dicta de cauſa, & bona ejus publicata.

MCCCX. Fuit D. Manfredus de Deſmaninis (26) de Padua Poteſtas Vicentiæ. In prædicto Milleſimo fuit D. Nicolaus de Lucio Poteſtas Vicentiæ.

MCCCXI. Fuit D. Joannes de Vigontia Miles Poteſtas Vicentiæ, qui ſtetit ad regimen uſque ad diem Jovis 15. Aprilis, & illa die Jo-

A vis expulſi fuerunt Paduani de Civitate Vicentiæ; & certi Vicentini tam Guelfi, quàm Gibellini expectantes, ſecundùm quod tractaverant, partem (27) D. Imperatoris Henrici de Lucemburg, ſaliverunt ſuper plateam Civitatis Vicentiæ cum banderiis, & confalonibus, ac Aquilis, & dederunt portam de Portanova D. Epiſcopo Gebennenſi, qui venerat cum D. Imperatore, & Cane Grande della Scala, & (1) Janizero de Piſis, qui fuit Vicarius pro D. Imperatore in Civitate Vicentiæ. Qui intraverunt Civitatem cum magna quantitate militum, & peditum, & expulerunt Dominos Paduanos, & qui erant ad cuſtodiam Civitatis. Et dictus D. Joannes Poteſtas captus fuit

B cum tota ejus familia, & tamdem relaxatus. Et illi de Triſſino, & filii D. Egani de Arzignano, & plures alii Vicentini, & Bonerius (28) filius Comitis Beroaldi, qui exſtiterant banniti per longum tempus, redierunt in Civitatem, & redditæ fuerunt ipſis ſuæ poſſeſſiones. Et D. Morandus de Triſſino, qui jam fugerat in Caſtrum S. Petri, & D. Ugutio de Arzignano, volens fugere in dicto Caſtro, capti fuerunt, & carcerati. Et dictus D. Morandus condemnatus fuit in duo millia florenorum aureorum, quos ſi non ſolviſſet infra decem dies à tempore publicatæ ſententiæ, quòd caput ei foret amputatum. Et tamdem ipſe ſolvit, qui etiam confinatus fuit ad quod-

C dam Caſtrum, nomine Plombinum, & D. Ugutio prædictus relaxatus fuit. Et multa alia facta fuere in Civitate, quæ foret difficiliùs enarrare. In dicto Milleſimo ſtetit prædictus D. Janizetus Vicarius in Civitate Vicentiæ pro D. Imperatore circa quatuor menſes. Et poſt ipſum vênit pro Vicario D. Imperatoris D. Aldrighetus de Caſtrobarcho, qui bonum regimen fecit, & ſtetit in Vicariatu uſque ad menſem Februarii MCCCXII.

MCCCXII. de menſe Februarii prima hebdomada Quadrageſimæ vênit D. Canis Grandis della Scala (29) Vicarius Civitatis Vicen-

D tiæ pro D. Imperatore, qui tempore ſuæ Vicariæ fecit (30) multa mirabilia.

(22) Patavinus *non indicatur à MS. Ambr. II.*

(23) *MS. idem* Dantes de Leonicis de Padua Poteſt. &c.

(24) *MS. Ambr. I. addit* interfecerunt Dominum Nicolaum de Beriça, de quo &c.

(25) *Idem* De Muſſis. *Alter* de Murſis.

(26) *Idem, ſicut alibi, legit & hic* De Deleſmaninis.

(27) *Idem MS. pro* partem *habet* gentem.

(1) *MSS. Ambr. ambo, & Pajarinus legunt* Vanizeno *ſemper*.

(28) *MS. Ambr. I.* Briverius. *Alter* Boverius.

(29) *MSS. Ambr. ambo addunt* de Verona.

(30) *Iidem MSS.* fecit omnia infraſcripta, & multa alia mirabilia, Hinc colligi poteſt mutilum eſſe hoc Supplem. Quæ habuimus, Lector, dedimus.

Finis Supplementi Chronici Nicolai Smeregi.

Digitized by Google

RICCIARDI
COMITIS SANCTI BONIFACII
V I T A

Magnam rerum inter ipſum, & Eccelinos
geſtarum partem accuratè complectens

INCERTO AUCTORE
C O N S C R I P T A

Fide verò, & Opera

F E L I C I S O S I I

Bono Rei literariæ publico recenſita.

Digitized by Google

Digitized by Google

RICCIARDI
COMITIS SANCTI BONIFACII
VITÆ
EPITOME.

Ricciardus, Ludovici Comitis Sancti Bonifacii filius, Veronensis, tum antiquitate generis & majorum gloria, tum propria virtute inter maximos Guelphæ factionis Duces, & Proceres sua tempestate floruit. Adolescens ea fuit indole, & fortitudine præditus, ut non modò de eo bene sperare, sed confidere homines possent, talem futurum, qualem se se ipse mox procedente ætate rerum gestarum magnitudine præstitit. Diris enim Guelpha, & Gibellina factionibus sub Friderico (II.) Augusto magis, magisque totâ Italiâ sævientibus, cùm Verona, morem aliarum omnium Civitatum sequuta, bifariam scissa, jam antea duas nobilissimas familias factionum capita constituisset, Guelphamque partem Comites Sancti Bonifacii, Gibellinam Monticuli tuendam suscepissent; Ludovicus S. Bonifacius, vir potens, & bellicis artibus insignis, non modò familiæ, sed Guelphorum omnium Veronensium Princeps, virtute præsertim Ricciardi filii impigri, fortissimique adolescentis, auxiliisque Azonis Atestini, Gibellinas partes Verona exegit, (*) Ludovico Veronæ Prætore constituto. Ricciardus copiarum Præfectus arcem Ossenici montanam, natura & arte munitissimam, ac penè inexpugnabilem, quam Ribaldus Turrisendus jamdudum occupatam, latrociniis infamem reddiderat, propugnatoribus, duro ac desperato hominum genere, maxima ex parte cæsis, vicit, cepit, evertit. Monticulos hostes, qui patria extorres Gardæ, & Pischeriæ arcibus, præsidio, muris, & situ validissimis, se munierant, ab Azone Prætore adjutus, brevì ad deditionem adegit: multifariamque rebus Gibellinorum contritis, factioni, patriæque quietem aliquantulum peperit. Azoni Atestino recuperandæ Ferrariæ, qua à Salinguerra Taurello fuerat exturbatus, præcipuum exstitit adjumentum. Unà cum ipsomet Azone nonnullas Etruriæ Civitates, & Oppida ab Othone Augusto Ecclesiæ ademtas, bello receptas, Pontifici restituit. Fridericum Secundum Imperatorem, Genuæ exceptum, cum Azone, ac Monferratensi Marchione, Papiam primùm, inde Cremonam, mox Mantuam, deinde Veronam perduxit: eumdem solus cum Veronensibus usque ad Alpium angustias prosequutus est. Vita functo Ludovico patre, tota ejus factio ex improviso, Ricciardo absente, Verona ejicitur. Ipse injuriæ vindex, plurima clientum manu contracta, Azonem Perticonem, Veronæ Prætorem, quo potissimùm impulsore illud sibi, & suis detrimenti acciderat, Urbe & Magistratu cum fautoribus exegit. Inde Prætor Veronæ creatus, Cremonenses, ac Regienses, qui exercitibus conjunctis Gonzagam, Mantuanorum Oppidum, obsidebant, à Mantuanis in subsidium accitus, ab obsidione expulit. Hujus viribus auctus Azo Novellus, superioris Azonis filius Ferraria pulsus, patriæ restituitur: pellitur ipse, improvisò invasus, Verona, conjuratione in eum ab omnibus Optimatibus Veronensibus, cunctisque Gibellinis, & Eccelino de Romano secretò inita. Paulò post restitutus, eadem conspiratione denuo Veronæ impetitur, & captivatur. Pro illius liberatione Patavini, Vicentini, Mantuani, Azo Atestinus Marchio preces, auctoritatem, arma expediunt. Incassum primò experiuntur, Rectoribus deinde Lombardiæ accedentibus obtinent. Carcere dimissus unà cum Azone Atestino, Conilianensibus, contra Tarvisinos Oppidum circumsedentes, opem tulit: fusis, fugatisque hostibus obsidionem solvit. Extorris patria, inimicorum pagis, prædiis, villis sæpissimè igne, ferro populabundus imminet, vastatisque latè agris, castellis, turribus, arcibus ademtis, exilii incommoda, & detrimenta hostibus cumulatè rependit. Cum Eccelino de Romano apertas, & præcipuas inimicitias semper exercuit; & cum eo multoties vario pugnarum exitu acie conflixit, illiusque conatibus, & ambitioni eo usque obstitit, ut, eo in humanis agente, successibus multa parte caruerint. Dux Guelpharum factionum Lombardiæ, & Marchiæ primarius, fœdere cum simul fœderatis Civitatibus inito, Cæsareas, Gibellinorumque partes usquequaque est insectatus, labantesque suorum, ac Pontificias res ægrè tutatus est. Innocentium Pontificem, è Gallia reversum, per Flaminiam iter facientem, & Cerium proficiscentem cum Allobrogum Comite (qui olim Belgius fuit) Rogerio Comite, & Thoma Foliano Pontificis nepote comitatus est. In historiis Ravennatibus Hieronymi Rubei, Guardozallum Oppidum, Ecclesiasticis auctoritate sua restitutum, contra Henricum Imperatoris filium, ac Bosonem Dovariam, eorumque exercitus, virtute & armis strenuissimè defendit. Fridericum Augustum, Parmam cum sexaginta millibus armatorum circumsedentem, memorabili clade cum Montelongo Pontificio Legato ab obsidione subtraxit: cùmque ingentia Gibellinis damna, & detrimenta intulisset, senex Brixiæ salutis Anno 1253. Februarii mense interiit, in eaque Civitate ad Fratres Prædicatores tumulatur.

(*) *Melius* Azone, *ut in Vita*, *& iis*, *quæ sequuntur paulò post*: Ab Azone Prætore adjutus &c. *Osius.*

RICCIARDI
COMITIS SANCTI BONIFACII
VITA.

Gentem Sanbonifaciam Trojano à sanguine originem duxisse nonnulli autumant, quod nec inficias ire, nec affirmare libet. Quid enim, quod nesciam, negem? quid illud veritate attestari, cujus nulla historia, nulli annales, quorum fides ab antiquis monumentis pendeat, mihi sint argumentum? Equidem, ex antiqua Progenitorum prosapia, virtute & opibus clarissimorum, trahere sanguinem gloriosum non inficior; verùm cùm Nobilitas veritate consistat, si assentatione, vanisque blandientium sermonibus nitatur, apud graves & sapientes viros dispendium potiùs, quàm lucrum puto; periculosaque admodum res est, ne ubi fictio una ex parte emergat, laudum certarum fides & ornamentorum ruat. Ab eodem quoque fonte Familiam hanc derivasse, quo Estensis, quidam perhibuerunt. Ceterùm, cùm hujus clarissimæ stirpis, auctores vetustissimi extiterint, quos virtute præditos eximia (cùm tot veræ nobilitatis ornamenta in posteros traduxerint) haud dubitandum; expedita res est, ab octingentis hinc annis, eam domi, forisque fama rerum gestarum, potentia, Oppidorum Castrorumque dominatione inter lectissimas Italiæ claruisse, multisque Pontificiis ac Imperatoriis diplomatibus (cùm diversis arduisque illorum supremorum Principum negotiis, & expeditionibus tum civilis, tum bellica illius virtus, opes, & potentia maximè profuerint) privilegiis, exemtionibus, concessionibus, donationibus, & jurisdictionibus decoratam, & auctam, & utraque in propagine ortos, tum Marchiæ, tum Lombardiæ, inter Pontificiæ factionis primarios semper habitos. Et quamquam Caroli Magni potentissimi Imperatoris usque temporibus, plerosque bello, & pace insignes viros per tempora Italia edidit: unus tamen Ricciardus, cujus nunc vitam describendam suscipimus, potentia, dignitate, bellicæ virtutis gloria ceteros, quorum memoria ad nos pervenerit, longè superavit. Viguerat Veronæ per multos antea annos inter nobilissimas Civium familias, Veronensium internæ factionis odium, vetustaque per manus avorum tradita armorum, & sanguinis disceptatio. Hinc Monticuli, Crescentii, sociæque factionis domus: inde Comites Sancti Bonifacii, eorumque partibus studiosi, & adhærentes, Civitatem in duas scindentes partes, crebris seditionibus, diris inter se cædibus ac incendiis debacchabantur: habebatque utraque pars externos affectatores, factiosos viros, qui aut huic, aut illi parti, ubi occasio postulabat, præsto erant. Vesania hæc privata mox Friderici Ænobarbi Imperatoris temporibus, perniciosis, ac infandis Guelphorum, & Gibellinorum ortis nominibus coaluit, quæ factiones universam Italiam, in duas distractam partes, Gibellinis Imperii, Guelphis Ecclesiæ auctoritatem, partesque sequentibus, per multos postea annos obtinuere, atque ad ultimum penè exitium redegere. Neque enim solùm aliæ Civitates Imperatorem, aliæ Pontificem sequutæ, eorum summorum Principum causis rebusque faventes, infestis inter se animis, atque armis decertarunt; sed in ipsismet patriæ visceribus etiam, quasi privatæ fortunæ maximi horum, & horum interesset, hinc Gibellinum aliquem, inde Guelphum in Civitate esse, eò furoris, ac dementiæ processere, ut pellere Concives Urbibus, & spoliare bonis inexpiabili odio contenderent. Comites Sancti Bonifacii partes Guelphas, Monticuli Gibellinas suscepere, privataque cum publicis odia conjungentes, diffidia, quæ miserè ardebant, perditè inflammarunt. Verùm, cùm aliquando Veronæ civiles discordiæ Romanorum Pontificum Lucii III. ac Urbani III. qui eam Civitatem tunc temporis incolebant, auctoritate, & interpositione jacerent, Lucii obitu, discessuque Urbani, ruptis quasi retinaculis, se se denuo fœdiùs erexere.

Anno siquidem 1184. XI. Idus Maji Ceresius Monticulus, perditis moribus, ac immani audacia juvenis, Alexandrum Comitem San-Bonifacium, avunculum suum, nulla injuria læsus, tantùm vetusto factionum odio, malè eo usque sopito, excitato, nil tale cogitantem, gladio improviso petitum, trucidavit.

Hæc cædes innovandæ factionis causa fuit, qua sæviente anno 1205. Oppidum San-Bonifacium, Comitum sedem, Eccelinus, cognomento Monachus, in Monticulorum factione, cremavit. Hujus incendii occasione Bonifacius Comes, Sauri Filius pridie Idus Maji, adversæ factionis domos nonnullas Veronæ vastavit; & cùm Guelphorum pars prævaluisset, virtute potissimùm Ricciardi, Ludovici S. Bonifacii Filii tunc penè imberbis, impigri, ingentisque spiritus adolescentis, Monticulis Urbe pulsis, Azo Estensis Marchio, auctore Ludovico Ricciardi patre, Prætor Veronæ creatur. Ceterùm cùm Eccelinus Monachus, & Salinguerra Taurellus, Gibellinæ factionis in omni Lombardia principes, à Monticulis Urbe exulibus in auxilium vocati, Veronam cum extorribus, ac ingenti suarum partium exercitu mense Maji improvisi advenissent, tuncque pugnâ commissâ Guelphi succubuissent; ii omnes cum Prætore Azone, Ludovico, Ricciardo, ac aliis Sancti Bonifacii Comitibus Urbe exiguntur, Monticulisque restitutis, ex eorum auctoritate Odoricum Vicecomitem Mediolanensem, Prætorem Veronæ constituunt. Azo interim Atestinus, Ludovicus, & Ricciardus cum Guelphis, reparatis viribus, Romaniolorum, Lombardorum, ac Mantuanorum copiis Veronam proximo Septembri armati repetiere: ac Urbe ingressa, in Foro Boario cum Odorico Prætore, Eccelino, Salinguerra, ac Monticulis acriter dimicatur. Victis Gibellinis, Ec-

Eccelinus ipse capitur; Salinguerra, & Odoricus fugâ saluti consulunt; Monticulorum, fautorumque domus, & palatia Veronæ evertuntur; homines exulantur, bona proscribuntur. Qui evaserunt, alii Gardam arcem, alii Pischeriam confugiunt. Azo iterum Veronensem Præturam assumit, atque anno sequenti ad Gardæ, Pischeriæque oppida expugnanda cum Ludovico, & Ricciardo, plurimaque Veronensium, ac Mantuanorum auxiliantium manu progressus, brevi Monticulos ad deditionem adegit, atque Ateste carceribus custodiendos transmisit. Hac clade à Guelphis Gibellinis illata, res Veronensium, altera factione ad internecionem ferè oppressa, aliquantulum quievere.

Interim Otho Quartus Cæsar anno 1209. cùm in Italiam descendisset, Romam iter intendens, ut Imperii diadema à Pontifice Maximo susciperet, & Veronam venisset, Prætore eo anno Gulielmo Rangonio Mutinensi, concordiæ inter factiosos Concives studens, Monticulos è carceribus, in quibus Ateste erant, relaxari mandavit, eosque patriæ restituit, fœdusque, quantum fieri potuit, inter malè animatos Cives, partiumque Duces composuit. Paulò post Azo Ferrariâ à Salinguerra, auxiliantibus Saffinello, & Giliolo Ferrariensibus Civibus, exturbatus, quo injuriam ulcisceretur, ad amicorum auxilium conversus, cùm Ludovicus Sanbonifacius cum filio Ricciardo, suorumque copiis non spernendis præsto fuisset, aliaque hinc inde Azo auxilia contraxisset, rem minimè opinantibus inimicis, Ferrariam profectus, Hugonem Othonis Imperatoris Vicarium unà cum Salinguerra Urbe dejecit, quo in facinore Ricciardi opera in primis enituit. Præturam Veronæ per id tempus Realdinus de Carceribus agebat. Eo demum Prætura defuncto, Ludovicus S. Bonifacius in officio sufficitur, quo mandante Ricciardus filius copiarum Veronensium Dux, arcem Ossenici, inter angusta Clusarum sitam, quam latrociniis, aliisque scoeleribus Ribaldus Turrisendus, qui eam diu obtinuerat, infamem reddiderat, vario labore, & periculo, quòd erat tum natura, tum artificio duris, fortissimisque pugnatoribus munitissima, expugnat & evertit. Vigebat ea tempestate inter Othonem Augustum, & Fridericum Cæsarem dissidium, eaque fuit schismatis occasio, quòd Otho quædam Etruriæ Oppida, quæ à Pontifice; alia verò in Campania, quæ à Friderico Siciliæ Rege tenebantur, nulla Pontificis, nulla sacramenti habita ratione, quo se Ecclesiam Romanam, & patrimonium ejus, nec non Regnum Friderici, ipsi Ecclesiæ commendatum, defensurum juravit, eo quæsito colore, quòd Regni Italici juris essent, copiis protinus missis occupavit. Inde in deterius prolapsus, Viterbium, Montemfalconem, Urbem Veterem, & Perusium, Patrimonii oppida, quondam à Comitissa Matilda Ecclesiæ Romanæ donata, in suam ditionem redegit: quamdam quoque Apuliæ partem hostiliter invasit, ac bellum Friderico apertè intulit. Pontifex, postquam per Legatos Othonem à malis consiliis avocare nequivit, nihilque proficere exhortationibus sensit, solemnem in eum detestationem expromsit, qua illum communione piorum summovit, sacramentique religione Principes omnes, & populos illi quovis jure adstrictos solvit. Hinc Rex Bohemiæ, Duces Austriæ, & Bavariæ, Landgravius Turingiæ, & Archiepiscopi Mogontinus, & Treverensis ipsum Othonem concordibus votis deseruere, ac Fridericum in Apulia commorantem, Germaniæ Regem ex auctoritate Pontificis designant, eumque ad coronam accipiendam invitant. In Italia pariter multæ Civitates, Principes, & Proceres eumdem relinquunt, seque cum Friderico conjungunt, inter quos præcipuè Azo Estensis, Ludovicus, & Ricciardus Sancti Bonifacii. Sequenti anno, Henricus Principum Germanorum ad Fridericum, & Pontificem Legatus, SanBonifaciorum suasione, Veronæ substitit, ut Friderico studia Veronensium compararet. Otho, ut sibi abrogatum Imperium à Pontifice, nonnullisque Germanorum Principibus intellexit, relictâ Apuliâ in Germaniam transiit. Eam nactus opportunitatem Innocentius Pontifex, Azonem in Etruriam advocavit, qui unà cum Ricciardo Comite, aliquotque aliis militia claris Veronensibus Nobilibus, quos Urbs ipsa, Pontifici auxilium cum haud modica suorum Civium manu in eam expeditionem piè transmiserat, Ecclesiæ omnia per Othonem in ea regione occupata restituit. Fridericus interim novis suorum precibus stimulatus ex Apulia in Germaniam proficiscitur, ac Romam progressus, omnia rerum gerendarum consilia cum Pontifice contulit. Romæ susceptum Genuenses cum triremibus suis Kalendis Maji Genuam devexerunt, ubi à Marchionibus Atestino, & Monferratensi, & Ricciardo S. Bonifacio exceptus, Papiam Idibus Julii, inde Cremonam, mox Mantuam, deinde Veronam perductus est. Ricciardus eum cum Veronensibus usque ad Alpium angustias est prosequutus. Interim Azo cum Salinguerra pace composita, eoque Ferrariæ recepto, Aldobrandino Filio ditionum herede relicto, vita decessit. Eodem anno & Ludovicus S. Bonifacius moritur, viri per ea tempora virtute, & potentia insignes. Ob Ludovici decessum S. Bonifacii Proceres, totaque eorum factio, absente Ricciardo, à Gibellinis Verona expelluntur. Propterea Ricciardus, qui paternas partes, totius factionis Princeps, regendas assumserat, Azonem Perticonem strenuum Virum Veronæ Prætorem, quo potissimùm impulsore hoc sibi, & suis detrimenti acciderat, plurima clientum, & sequacium manu coacta, non sinè magna Civitatis clade, Urbe & magistratu cum fautoribus exegit; in quo tumultu Petrus Mandura, Comitum S. Bonifaciorum satelles, partem Prætorii Veronensis incendio consumsit: Ricciardus Prætor Veronæ constituitur. Sub ejus Prætura cùm Cremonenses, & Regienses exercitibus conjunctis Gonzagam oppidum ultra Padum ditionis Mantuanorum obsiderent, Mantuani à sociis Veronensibus auxilium petiere, communibusque copiis Duce Riccardo Prætore hostes à Gonzagæ obsidione submoverunt. Aldobrandino Atestino jam antea veneno sublato, Azo frater, quem *Novellum* vocabant, successit. Hunc Pontificias partes constanter asserentem Salinguerra Ferrariâ expulit. Azo injuriam non tulit; sed Bononiensibus, Romaniolis, nec non Ricciardo cum ejus factione cum Ecclesia sentientibus, accitis, Ferrariam à parte Padi magno opportunarum rerum apparatu obsedit; quò Salinguerra permotus Azonem in Urbem recepit. Mox ubi armorum metus recessit,

Digitized by Google

cessit, populum usque adeò in eum incitavit, ut rursus inde exire cum non modica suorum cæde compulerit.

Azo postmodum, Anno 1224. exul, recuperandæ Ferrariæ cupidus, auctore Ricciardo societate inter Rempublicam Veronensem, & ipsum Azonem inita, Bononiensibus quoque auxiliantibus, bello Ferrarienses, & Salinguerram petit, Frataque Oppidum Ferrariæ, quod à Salinguerra præsidio tenebatur, diu obsessum, tamdem vi captum, & à solo eversum est; omnibus in eo repertis interfectis. Fratâ captâ, & dirupta, Arcem Bondeni supra Padum sitam Mense Septembri obsidione cingunt; verùm fœdis Autumni tempestatibus fracti rem imperfectam relinquere coguntur. Salinguerra tanta armorum mole territus, fraude agens, consultus verba de pace intulit, & Riccardum, tamquam de pacis conditionibus tractaturus, Ferrariam vocat, eumque contra jusjurandi fidem capit, & carceribus mancipat. Ceterùm & potentiâ Azonis, qui cùm ea de re excanduisset, populabundus Ferrariensem agrum latè excurrebat, incendiisque ac prædis vexabat; tum etiam Rectorum Lombardiæ, perfidiam hominis improbantium, mandatis coactus, eum paulò post liberum dimisit. Hujus belli occasione Salinguerra Eccelinum juniorem, dictum de Romano, Eccelini Monachi filium, sororium suum, tunc primùm ad bellicas res gerendas excitavit, annum agentem trigesimum, juvenem impigrum, sævum, audacem, callidum, & factionis Gibellinæ Majorum suorum exemplis studiosissimum.

Anno mox sequenti omnibus penè octuaginta Senatoribus, è factione Gibellina Veronæ creatis, Leone de Carceribus auctore, valida inter Optimates, & Monticulos conjuratio machinata est, ut Guelphos, & Comitis Ricciardi, & Marchionis Atestini factiones Urbe ejicerent; quæ cùm statim executioni mandari nequiverint, sub anni finem protracta conjuratione fortiùs erumpente, Gibellini ingenti Clientum, & Satellitum manu, quam paulatim secretò contraxerant, Ricciardum imparatum adorti sunt: qui licèt cum paucis ex familiaribus, sociisque nonnullis, qui in re tam subita ad eum accurrerant, contra strenuissimè dimicando per horam & ampliùs steterit, nec inultam omnino injuriam acceperit, numero tamen obrutus Urbe exire coactus est, continuòq; tota ejus factio, Guelphi ferè omnes, patria exacti sunt, bonorum publicatione & exilio mulctati: domus, & turres à solo prostratæ: Leo ipse conspirationis auctor Dictator Reipublicæ, quem *Capitaneum* populi vocabant, factus est. Is contra Ricciardum, & alios inimicos Guelphos Salinguerræ Ferrariensis, & Eccelini de Romano opem imploravit. Eccelinus Veronam ingenti stipatus exercitu cùm venisset, & Gibellinæ factionis animos, & res confirmasset, à Monticulis, aliisque factionis Gibellinæ, Kalendis Julii in sex menses reliquos anni, abdicante se officio Leone, Veronensis Reipublicæ Dux, & Capitaneus Generalis constituitur.

Porrò anno 1227. industria Manfredi Comitis de Curte-Nova Prætoris, auctoritateque Rectorum Lombardiæ, Veronæ pax inter Monticulos, eorumque fautores, & Ricciardum, ejusque factionem in pago Nogariæ conciliata est, qua extorres omnes Guelphi, circumscriptis prioribus contra eos editis decretis, ab exilio revocati sunt, iisque bona reddita, & domus ex publico restitutæ.

Hæc pax cùm non multò post turbata fuisset, factionibus denuo, odiis, & armis inter se concurrentibus, anno 1229. interpositione Prætoris, concordia iterum tractatur, Eccelino, & Riccardo pro se quolibet, & nomine partium suarum in Lanfranco de Ponte-Carali, Mediolani Prætore, compromittentibus, & inducias ad ejus arbitrium pangentibus. Pax subsequuta minimùm duravit. Proximo etenim die Paschatis seditio rursus exarsit, Gibellinisque quietis impatientibus, armis in Campo Martio Ricciardum, & suos aggredientibus, cruenta utrinque dimicatio: pari tamen pugnæ exitu se suas quæque factio domos recepit. Rainerius autem Zenus Prætor verens, ne novis miscendis prœliis Urbs extremo discrimine vastaretur, principes partium Urbe exire præcepit: at Ricciardum cum suis Venetias, Eccelinum cum Monticulis in alias Civitates abire mandavit. Verùm cùm ea de re tumultuosiùs à partibus ipso præsente Prætore in palatio ageretur, ad arma media Urbe concursum est. Atrociter dimicatur: tamdem Guelphorum pars numero impar succubuit, atque Ricciardus Pecorarius de Mercato-novo cum filio, Gulielmus de Zerlis cum duobus filiis, Joannes de Palatiò, Constantinus Canonicus, Valerianus Bragantius, & alii multi capiuntur, & in carceres in ædibus Zeriorum conjecti priùs, paulò post in publicis Prætorii vinculis constringuntur. Eccelinus partis victricis Dux, assentientibus octuaginta Optimatibus Rainerium honore Præturæ dejecit, eidemque Salinguerram substituit. Hanc Ricciardi, & Sociorum calamitatem pertæsi Patavini cum Stephano Baduario; Vicentini, qui ab Eccelino desciverant; Mantuani, Azoque Estensis Marchio, benevolentia, & studio, quo maximo Ricciardum prosequebantur, precibus pariter exulum Veronensium sollicitati, ingenti comparato exercitu, proximo Septembri mense in Eccelinum & Gibellinos Veronenses militiam adduxerunt, si qua ratione Eccelinum, Ordinemque Veronensem adducere possent, ut ipsum Ricciardum captivum solverent. Inita expeditione Patavini, & Socii Portum super Athesim, & Leniacum, oppida, quæ Eccelini, & Salinguerræ præsidiis tenebantur, nec non Bonavicum, & Ripaltam, quæ in ditione Ugucionis Crescentii erant, vi ceperunt, & propriis impositis præsidiis munivere. Alia parte Mantuani cum eorum Prætore agrum latè Veronensem prædis, igne ferroque populati sunt, Villas, & Castella, & in his præcipue Trevenzolum, & Insulam Scalarum occupavere, irrito tamen conatu, cùm ad liberationem Ricciardi haud quicquam profecissent, tot armorum strepitus, damna, metusque cessere. Quod cùm Frater Antonius Ulyxipponensis (is est qui postmodum à Gregorio IX. inter Sanctos relatus est) animadverteret, studio caritatis accensus, Veronam illico advênit, ac summas pro Ricciardi libertate preces ingessit; idque & ipse incassum. Azo verò, Atestinus Marchio, redemtorem se omnino Ricciardi, necessitudine sibi & amore conjunctissimi, professus, Patavinorum, & Mantuanorum exercitibus propriis copiis conjunctis, cùm à duabus partibus se se in agrum Veronen-

Digitized by Google

A nensem denuo immisisset, resque prædis, cædibus, & incendiis ageretur: obsidionemque Urbis demum interminatus esset, Veronenses tot hostium impressionibus, totque rerum suarum jacturis, & incommodis commoti, intercessioneque in primis (quod magis urgebat) & auctoritate Rectorum Lombardiæ, Ricciardum, & socios captivos, certis sub conditionibus, tamdem carceribus dimiserunt.

Dum hæc in Lombardia agerentur, Federicus Imperator, post transmarinam expeditionem, Italiam reversus, pace & gratia, qua ante Ecclesiæ injuriosus, & contumax exciderat, cum Romano Pontifice conciliatus, Urbibus Lombardiæ plerisque factiosis subiratus imminebat. B Eæ Civitates, licèt Imperator odium, & consilium tegeret, dissimulationem sensere. Hinc Ricciardus, Azo Ateltinus, Rectoresque Civitatum jam antea fœderatarum, Bononiæ convenere, ac concordibus votis fœdus inter se adversùs Fridericum novis pactionibus, & jusjurando sanxerunt. Id cùm Summus Pontifex rescivisset, quòd jam Friderico reconciliatus pacem spectaret, Legatos duos in Lombardiam destinat, Jacobum Episcopum Prænestinum, atque Othonem S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum, Cardinales: datis mandatis, ut Lombardos, quacumque ratione possent, ad concordiam revocarent. Qui Friderico non fidendum rati, non solùm conventum C Ravennatem non adierunt, quem Fridericus ad res componendas Civitatibus indixerat; sed etiam Henricum, sive (ut alii malunt) Hencium filium, Principesque, quos è Germania in Italiam evocarat, angustias Alpium, quas *Clusas* vocant, penetrare, ac Ravennam Patrem adire prohibuerunt. Interim Legati Pontificis, cùm Veronam venissent, factiones intestinis discordiis sævientes ad concordiam redegere. Verùm paulò post eorum discessum, rursus Ricciardo Urbe egresso, ad insaniam redeuntes, agros mutuis vexare maleficiis perrexere. Eccelinus præterea, ut Ricciardum dolo interciperet, nocte Parasceves, Castro ipsius Calderio ignem occultè subjici curavit, eòque continuò, quasi in re improvi- D sa, subsidii specie cum paucis advolavit, cùm tamen antea in propinquo magnam armatorum militum manum in insidiis collocasset. Quò cùm Ricciardus, insidiarum ignarus, Vicentinorum cohorte roboratus contendisset, ubi in conspectum est ventum, accensis utrinque animis, nulla prœlio facta mora est: cùmque de industria pedem Eccelinus referret, in insidias Ricciardum pertraxit. Hinc non paucis è suis amissis, ipse vix fuga elapsus est. Quod factum Mantuani, Brixienses, Bononienses, & Faventini ægrè ferentes, junctis copiis, ipso Ricciardo Duce, agrum repentè Veronensem incurrerunt, atque ignem multis E Castellis, & pagis Monticulorum, aliorumque Eccelino adhærentium applicuerunt. Hinc Conilianensibus, circumsessione Oppidi ab validissimo Tarvisinorum exercitu laborantibus, opem unà cum Azone Atestino tulit; Tarvisinisque profligatis, multis eorum prœlio cæsis, pluribus Athesis vorticibus absumtis obsidionem solvit. Suorum solus priorum clientum, necnon Mantuanorum, apud quos adeò gratia, & auctoritate valebat, ut eos ad nutum, quòcumque vellet, impelleret, delectu habito, conscriptaque virorum manu, numero haud grandi, sed robore, & fortitudine insigni, postquam in patriam Eccelini, & Gibellinorum potentiâ, qui Urbi dominabantur, aditus non patebat, per aliquot menses inimicorum in prædia, pagos, & Castella agri Veronensis impetum faciendo quotidie, modò in eam, modò in illam partem, armatus ferebatur, eaque celeritate utebatur, & astu, ut ubi minimè timeretur, sæpiùs appareret. Vir siquidem animosus, ingentis spiritus, & ad quæque subeunda pericula paratissimus, cui corpus mirabiliter dispositum erat ad celeritatem, & laborum tolerantiam, inimicorum bona vastabat, diripiebat, abigebat; omnia, cædibus, rapinis, incendiis, terrore complebat: ad ipsius etiam Urbis mœnia quandoque repentè applicabat; resque eò devenere, ut Urbs penè ab extorribus Veronensibus obsessa videretur; nec iis malis urbani Veronenses, & Eccelinus facilè occurrebant. Quòd si exercitus Urbe in Ricciardum emittebatur, in irritum cedebat expeditio contra hominem invadendi, & evadendi peritissimum, callidum, & non justa acie, nec stabili prœlio (quod tantæ Civitatis viribus impar esset) sed tumultuariis certaminibus expedita, ac levi manu, & variis semper artibus insultantem, & eludentem.

Ita se Ricciardus habebat, cùm Pontifex clades, & detrimenta in dies magis ex factionum altercationibus, & certaminibus in Civitatibus glissentia contemplatus, omni sibi possibili ratione providendum duxit, ne Hydræ capita ulteriùs multiplicarent. Propterea Fratrem Joannem Vicentinum, ex Ordine Prædicatorum Theologum, Virum ea tempestate doctrina, & sanctitatis opinione præstantem, Legatum in Marchiam, & Lombardiam destinavit, quòd summam ejus eloquentiam, ac miram apud populos auctoritatem acceperat. Hinc ille Bononia, quam tunc incolebat, Patavium progressus, pacem inter diffidentes Cives composuit. Perspectis itidem Ricciardi, & ejus partis animis, haudquaquam à compositione aversis, Veronam accessit, ibique summo honore exceptus, pacem, quanta maxima contendere eloquentia potuit, in foro persuadere perrexit; ac sic omnes concione sua permovit, ut Eccelinus etiam, qui omnes homines morum immanitate eo seculo superavit, manantibus lacrymis promiserit, se de omnibus controversiis, quæ inter se, & Ricciardum intercederent, ipsius arbitrio staturum: quod idem quoque Ricciardus, in Urbem fide publica acceptus, se facturum & servaturum esse juravit. Mox Ferrariensibus cum Salinguerra eorum Regulo, Mutinensibus, Patavinis, Tarvisinis, Vicentinis, Mantuanis, Brixianis, Veronensibus, Comite Ricciardo cum sua factione, Eccelino, Monticulis, Comitibus de Camino, quorum omnium populorum animos facundissimis piisque concionibus jam antea ad pacem declinaverat, in suburbio Veronensi *Tomba* secundùm Athesim advocatis congregatisque, ex suggesto inibi erecto, inter Civitatum Carrocia, elegantissima oratione habita, qua pacis bona, discordiæque mala, & detrimenta cùm disertissimè subjecisset, pacem inter partes transactam, & fœdus pronuntiavit, legibusque fœderis, & concordiæ recitatis, ipsam jurejurando, atque osculis invicem utrinque oblatis approbari, & confirmari jussit. Et quo concordiæ vinculum inter Comites S. Bonifacios, & Azonem, aliosque

que factionis proceres, & Eccelinum, & factionem ejus arctiùs constringeretur, matrimonium inter filiam Alberici de Romano, Eccelini fratris, & Rinaldum, Azonis Estensis filium, statuit. Vix annus pacis transierat tantis laboribus initæ, cùm Eccelinus, Monticulis comitantibus, Verona egressus, Castra S. Bonifaciorum invasit; cùmque trajecto Athesi, recepto priùs Albareti Castro, quod antea ab se desciverat, Coloniam proficisceretur, Azonis Estensis occursu, qui cum multa ac valida armatorum manu in eum ferebatur, deterritus, Veronam retrocessit. Inde Ricciardus, fœdere jam ab inimicis violato, Monticulorum oppida regionis Zilionis, Pontepossferum in primis, & S. Michaëlem occupavit, crebrisque incursionibus pagos, & eorum alia loca diripuit, ac devastavit. Verùm cùm aliæ pariter Marchiæ, & Lombardiæ Civitates cruentis invicem certaminibus, pacem, quam priore anno juraverant, violassent, Gregorius cladium tantarum anxius, Fratri Joanni Episcopos Tarvisinum, & Parmensem ad pacem denuo conciliandam coadjutores adjecit. Ii postquam Veronam adierunt, eloquentia, & auctoritate obtinuere, ut ambæ factiones, Ricciardi scilicet, octuagintaque Optimatum Veronensium, cum Eccelino sacramento novæ pacis, fœdera inter S. Michaëlis in Campanea, & S. Martini Bonalbergi pagos Veronenses suburbanos sancirent. Eoque pacto Ricciardus in patriam denuo receptus est. Ceterùm istiusmodi concordiæ, auctoritate, & reverentia potiùs suadentium inter jam maleficiis, & injuriis invicem indefessos ingerendis, viribusque destitutos initæ, induciæ ac ab armis secessiones, donec robur amissum repararetur, spiritusque reciperent, quàm paces erant. Odia namque dissimulatione tegebantur potiùs, quàm tollerentur. Hinc radice haud avulsa, facilè ad quamlibet repentem occasionis auram repullulabant, quod ita quoque evênit. Vix enim exierat ab inita pace annus, quòd Aleardinus de Lendenara, Monticulis, Eccelino, & Veronensi ordine suffragantibus, Ricciardi partem Verona, tumultu de repentè excito, exturbavit. Raynerius quoque Bagarellus Veronæ Prætor arcem Gardæ, Castrumque Hostiliæ, quæ pro Ricciardo stabant, Optimatibus Veronensibus, Monticulis, & Eccelino tradidit; Ricciardus verò, quo damnum aliqua parte resarciret, arte & auctoritate, Philippum, arcis Coloniolæ pro Monticulis custodem, induxit, ut sibi eam dederet; nec destitit, donec Mense Aprili per Benedictum de Castillione, supra Gardam tractatu cum nonnullis ex præsidio habito, arcem quoque Gardæ recuperarit. Cùmque ingentia subinde damna agro Veronensi pluribus diebus intulisset, se se Mantuam recepit. Hinc Veronenses Civitatem incolentes, ut validiùs injurias ulciscerentur, se se Imperatori, & Eccelino dedidere: mox Eccelino duce Castrum S. Bonifacii obsidione cinxerunt.

Interim Imperator cùm saltus Alpium superasset, atque ad Vacaldum, Veronensis agri locum, pervenisset, eum Veronenses Gibellini in Ricciardum impulerunt, qui in Mantuanum districtum progressus, ad Goitum castrametatus est. Hinc, ubi sociarum Civitatum auxilia advenerunt, Mantuam, quæ à Ricciardo tenebatur, omni bellico apparatu oppugnare est adortus. Ricciardus & Mantuani, cùm se per aliquot dies acerrimè defendissent, tantæ belli moli tamdem se haud suffecturos rati, se se Imperatoris fidei dedidere, quos ipse benignè, & perhumaniter recepit, liberosque dimisit, Mantuanis insuper pristinis privilegiis reservatis. Ceterùm cùm S. Bonifacii oppugnatio in longum traheretur, filius Ricciardi, qui Castrum defendebat, patris monitu, Imperatori demum se se cum Castro tradidit, qui & ipsum, & suos indulgenter habuit; Castrum conservavit; Eccelinumque ab oppugnatione removit. Ricciardum deinde fide data ad se vocavit, eumque ad pacem cum Eccelino, & Monticulis exhortatus, ubi parum processit, quòd iniquiores pacis conditiones ab Imperatore Gibellinis favente ponerentur; dimissi ab Augusto Eccelinus Patavium, Ricciardus Mantuam abierunt. Mox cùm omnis ferè Tarvisina Marchia in verba Friderici Imperatoris jurasset, Ricciardum contumacem bonis publicatis proscripsit, perpetuoq; exilio ab Urbe Verona submovit. Cùmque post paulò Fridericum Summus Pontifex ob multa & diversa in Ecclesiam Romanam, ejusque libertatem, bona, & fautores perpetrata facinora, anathematis mucrone percussum, communione piorum submovisset; ipseque quasi rabidus in dies in Pontificem armatus irrueret, vastatoque circa Urbem latè agro tamdem in Campaniam transisset, Montelongus Pontificis contra Fridericum Legatus, vir acerrimus, & vehementiùs institit, ut bellum summa vi, quantum umquam antea procederet, ea spe fretus, Friderico Lombardia profecto, occasionem rei bene gerendæ non defuturam: &, quoniam ferendum non putabat Ferrariam, quæ juris erat Ecclesiæ, à Salinguerra occupatam, contra Ecclesiam stare, eam primo tempore adoriri constituit, atque ad fœdus in eam provinciam feriendum in Urbe Venetiarum inter Venetos, Bononienses, Azonem, & Ricciardum convênit.

Inde fœderatarum copiis in unum coactis anno 1240. Nonis Februarii Ferraria undequaque obsidione est cincta. A terra Montelongus Legatus Pontificius, Bononienses, Azo Marchio, Ricciardus, & Albericus Tarvisii Dominus muris applicuerunt; navalem autem apparatum Joannes Teupulus Venetorum Præfectus Pado flumine intulit. Semestris obsidio fuit. Compositione tamdem inita, Salinguerra Regulus, & Ferrarienses Urbem fœderatis dedidere. Ferrariâ receptâ, Azo inibi pro Ecclesia Vicarius, Pontificis auctoritate, constituitur, Salinguerra Venetias allegatur, ibique haud multò post octogenarius moritur. Ricciardus postmodum anno 1243. Brixiensium, & Mantuanorum cohortibus extorribus partium suarum Veronensibus conjunctis, Castrum Gazi, Gibellinorum Veronensium præsidio defensum, aggressus, quamvis Eccelinus cum mille quingentis equitibus suppetias advenerit, expugnavit, suorumque præsidio communivit. Et cùm ipse Mantua ad S. Bonifacium iter, inimicorum prædia sæpiùs infesta percussione vastando, intenderet, Henricus de Egna, Veronæ Prætor, fossam ingentem à suburbio Tombæ ad Insulam Scalarum, ne ita liberè tractum illum excurreret, fodi & perduci mandavit. Non multis interjectis diebus, Turrisendus de Turrisendis, qui eo usque partibus Ricciardi faverat, Castrum Gazi, Eccelino suadente, per proditionem exuri fecit,

A cit, quo scelere in gratiam cum Eccelino rediit. Alia ex parte Ricciardus, ut Gazi detrimentum rependeret, Eccelino Trevenzoli Castrum, & ejus turrim, quod Petrus del Bovo haud parva cum militum manu defendebat, ademit. Quo irritatus Eccelinus, eodem anno, ingenti coacto Veronensium, Vicentinorum, ac Paduanorum exercitu, ad Castrum S. Bonifacii, aliam simulans expeditionem, per anfractus contendit, illudque repente invasit, ac statim Bonifacium, Ricciardi filium, qui Castrum custodiebat, tanto militum apparatu longè imparem, ad deditionem adegit, pactione antea inita, ut ipse & alii, qui in Castro cum illo erant, incolumes cum omnibus suis rebus liberè, & sinè fraude, quo vellent, abire permitterentur: quàm pactionem Eccelinus egregia fide servavit, ceterùm illis profectis Castrum à fundamentis evertit. Hanc injuriam Ricciardus ægerrimè tulit, & quo cladem acceptam inimicis referret, Hostiliam, oppidum ad Padum munitissimum, manu valida oppugnavit, idque Veronensibus Gibellinis, vel ipso repugnante Eccelino, abstulit. Utque erat quietis, & ocii nescius, studioque hostes ulciscendi summo perflagrabat, conjunctis cum Azone Atestino viribus, conflatisque haud contemnendis exulum Veronensium, necnon Ferrariensium copiis, justa acie cum Eccelino, & Veronensibus Urbem tenentibus secus Mintii ripas certamen inivit. Acriter utrinque pugnatum. Prœlio, variante victoria, usque ad noctem perducto, tamdem pari morte à pugna discessum est. Is fuit dies IV. Calendas Julii. Cùmque eo die cœlum maximo æstu exarsisset, calore & siti plures, quàm telis & gladiis interiere; multi tamen hinc inde capti. Inter captivos ex extorribus Veronensibus Taliaferrum, & Octolinum de Ripa fuisse Annales referunt. Hinc Vastaldaldum, Mantuanorum oppidum, ad Ecclesiasticas partes reducendum animum adjecit, nec antea destitit incœpto, quàm prudentia, & auctoritate perfecerit. Cùmque ejusdem defensionem suscepisset, illud contra Hencium Imperatoris filium, juvenem impigrum, & Bosonem Dovariam Regis Prætorem, qui cum Gibellinorum exercitu illud circumsedebant, tutatus est, donec undique auxiliariis Urbium sociarum copiis evocatis, suis, ac filii adjunctis, ipse Imperator, aliis per ejus regiones dilatis expeditionibus, in unumque universis contractis viribus, Parmam, ab Ecclesiasticis paulò ante receptam, obsedit. Nec tanto periculo Ecclesiastici Duces, & exercitus Parmensibus defuere. Nam in primis Ricciardus cum satis valida suorum manu Vastaldaldo properavit, Urbemque ea parte, quæ ad Occidentem vergit, sibi custodiendam assumsit. Quatuorcenti Placentini equites postridiè accesserunt. Tertio die Gregorius Montelongus Legatus, & Bernardus Rubeus cum mille equitibus Mediolano venerunt: inde cum expeditis copiis Bononienses, ac Ferrarienses. Hique omnes castra, ad Burgum Sancti Donini ferente vallo, fossâque adversùs hostium impetus communitâ, locavere. Imperator, quo strictior obsidio fieret, castra prope Urbis mœnia, amplissimo terræ spatio comprehenso, vallo firmat, & fossa in oppidum unum, cui Victoriæ nomen indidit, format: huc regios thesauros suos transtulit, sicque omnibus rectæ institutæ Civitatis opificiis instruit, ut nihil ab justa Urbe differret: inibique ipse cum Germanis, Hencio filio, & Mutinensibus militibus stativa locat. Erat universus Imperatoris exercitus ad sexaginta millium armatorum numerum. Parma ita obsidione oppressa, Imperatoris milites crebra cum egredientibus Parmensibus prœlia miscent, mœnia persæpe invadunt; ceterùm virtute Ricciardi, aliorumque Ducum, qui eam tutabantur, irriti conatus omnes cecidere. At enim, cùm obsidio in longū traheretur, & parva majoris auxilii Parmensibus spes restaret, cœptumque esset maxima annonæ angustia laborari, & ponte prope Brixillum, quà maximè angustus est Padus, ab inimicis constructo, supportatio rei frumentariæ intercluderetur, eorum res in apertum

B discrimen, & prope desperationem deducebantur: cùmque jam ad deditionem spectarent, occasio salutis cœlitus, rebus penè amissis, oritur. Fridericus gravi morbo correptus, ex eo ubi convaluit, recreandi animi causa Victoria Urbe cùm magno suorum comitatu aucupatum tribus passuum millibus exiit, rerum omnium ab hostibus animo dejectis prope securus. Tum Montelongus Legatus, vir impiger & vigilans, Ricciardus, & Philippus Vicedominus occasione usi, Parma repentè cum omnibus copiis, implorato divino auxilio, erumpunt, ac Urbem Victoriam adorti, ut illi, quibus calamitas, qua premebantur, vires supra vires ministrabat, custodibus fortissimè oppressis, ac dissipatis, Urbe ipsa cum ingenti præda, corona regia præcipuè, thesauris, & supellectilibus omnibus pretiosis Friderici, & jumentis universis potiuntur, innumerisque captivatis hostibus, Victoriam ipsam simul ira, & lætitia elati incendunt. Hæc clades, quæ anno 1248. Friderico contigit, Parmæ liberationem peperit: nam Fridericus aliò se vertens obsidionem paulò post solvit. Qui nullo postmodùm regio insignis facinore, Ecclesiæ semper infestus, & contumax, excummunicationeque irretitus usque ad exitum vitæ perstitit miserrimus, Hencii filii captivitate, suspicioneque veneni sibi à Manfredo altero filio propinati infelix, Idibus Decembris, Anno 1250. in ipso belli Bononiensis pro filii redemtione apparatu, veneno interiit.

C Morte patris accepta, Corradus, qui se Regem Germaniæ, & Siciliæ nominabat, cum insigni exercitu in Italiam, ad obtinenda Regna paterna trajecit, & Veronam primùm, mox Cremonam accessit, inde cum Eccelino in agrum transgressus Mantuanum, apud Goitum sociarum Civitatum per dies quindecim conventum egit. Adventus Corradi in Italiam, motusque subinde populorum varii, diversaque Civitatum studia, Pontificis animum haud parum movit, & quo sibi, & partibus suis consultius esset, Octavianus Ubaldinus Cardinalis Legatus suo jussu Procuratores, ac Legatos Civitatum, Principesque fœderatos Brixiam evocat. Convenere omnes, & in primis Ricciardus, atque Octavo Idus Martii conventum omnium in Episcopio Octavianus habuit, in quo omnes se fœderatis Lombardiæ, Marchiæ, & Romaniolæ pro opibus affuturos, & amicos cujusque pro amicis, hostes pro hostibus habituros juravere. Hac eadem in Civitate, ubi aliquot mensibus post Ricciardus in morbum incidisset, cùm diu opibus, auctoritate, atque virtute semetipsum, & suos ab

D E

Digitized by Google

ab hostibus, partesque Ecclesiæ defendisset, A senex factorum gloria clarus, Ludovico filio relicto, tanto patre haud quaquam degenere, vitam deseruit Anno salutis MCCXIII. (*) Februarii Mense, & ad Fratres Prædicatores sepelitur.

(*) Typographi errorem puto, ac scriptum fuisse ab Auctore *Anno MCCLIII.* Verùm Monachus Paduanus Lib. I. Chron. Ricardi Comitis Sancti Bonifacii mortem refert ad *Annum MCCLII. Mense Februario*.

Finis Vitæ Ricciardi Comitis Sancti Bonifacii.

Digitized by Google

LAURENTII
DE MONACIS

Veneti Senatus à Secretis, ac Cretensis Regni
Magni Cancellarii

EZERINUS III.

EX EJUSDEM HISTORIÆ LIBRO XIII. EXCERPTUS,

Adjectis Animadversionibus

FELICIS OSII

Iterum editus.

Digitized by Google

EZERINUS III.

Ex Libro XIII. Historiæ Venetæ

LAURENTII DE MONACIS.

A Quoniam tempore prædicti Jacobi (1) Ducis, Ezerinus Tertius de Romano se fecit hostem Venetorum, licèt sub Rainerio Zeno, auxilio Venetorum captus, iniquam vitam finierit, principiabo, & continuabo ejus gesta cum Venetis. At quia astutia militaris fraudulentis astutiis ad immensam damnationem ascendit, perhorribili sono suæ crudelitatis totius Christianitatis aures vulneravit, induxitque potentissimum Fridericum per Veronam, ut subjugaret Italiam. Unde inexorabilis fuit orta discordia inter ipsum Fridericum, & Ecclesiam Romanam, propter quam multa virorum millia B in diversis partibus perierunt. Est operæ pretium scribere aliqua sub compendio de sceleratissima vita sua, ut deprehendi possint dolosæ versutiæ Tyrannorum, qui affectantes tyrannidem sub specie magnanimitatis, miseris, & nimiùm credulis, & levibus populis, suas occultant nequitias: assecuti autem, quod ambiunt, insitam animi malitiam dissimulare non possunt, ut in isto patuit Ezerino. Scriptum est enim, quòd degens in statu civili, & militari; licèt Dominus Bassani, & aliquorum Castrorum de Pedemonte, acer erat in hostes, erga amicos lenis & tractabilis, in promissis fidelis, in proposito stabilis, in verbis maturus, in consilio providus, & in omnibus factis C suis vir egregius apparebat; sed habito dominio Marchiæ, in alium virum repentè mutatus est. Sed in primis repetenda est ejus origo.

Quidam Ezerinus, quondam Albrici, miles gregarius, veniens in Italiam cum Ottone Imperatore obtinuit ab eo Villam Honariam in finibus Paduanis, seu Vicentinis. Hic genuit Ezerinum Monacum Hæreticum, qui dictus fuit Ezerinus Secundus, & hic genuit Ezerinum Tertium, qui habuit in feudum ab Imperatore Villam de Romano, quæ tunc erat pascua pecudum; fecitq; se dici de Romano (nam puduit vocari de Honaria) qui natus fuit anno Domini 1194. die sexto exeunte Aprili circa meridiem. Genuit etiam Albericum parem fratri in crudelitate; sed non in D potentia; & ambos de Adeleita, sorore Comitum à Morgana, patria Tusciæ, qui cognominabantur *Rabiosi*. Tisolinus primus de Campo S. Petri duxit uxorem filiam Ezerini Balbi, sororem Ezerini Monachi Hæretici, ex qua genuit Gerardum, ac Tisum Novellum; inter has duas domos, culpâ Ezerini Balbi, emerserunt perniciosæ discordiæ. Nam Tisolino primo in secreto dicente eidem Ezerino socero suo, quòd Gerardus filius suus in tractatu erat copulandi sibi matrimonialiter Cæciliam Nobilem puellam, villis, feudis, & vassallis locupletissimam, dictus Ezerinus, corrupto pecunia gubernatore dictæ puellæ, ope- E ratus est taliter, quòd Ezerinus primus ejus filius illam habuit in conjugem. Hanc autem Cæciliam transgressam Brintam pro visitando suas possessiones, Gerardus de Campo S. Petri, qui illam in uxorem habere non potuit, vi cognovit carnaliter, quæ reversa Baxianum querula viro hanc detexit injuriam. Sed nihilominus à viro repudiatur, qui postea duxit uxorem supradictam Adeleitam, &, in ultionem stupri Cæciliæ, seduxit, & sibi junxit in concubinam Mariam, consanguineam illorum de Campo S. Petri, quæ jus habebat in Campreto, ex qua genuit unam filiam; cujus nomine adorsus est occupare illam partem Campreti, quam asserebat jure materno spectare dictæ filiæ suæ naturali, & ob hoc hinc inde paratur exercitus. Azone autem Marchione, filio quondam Obizonis, favente illis de Campo S. Petri, & se interponente Episcopo Paduano, pro tunc seditio illa sublata est. Illi autem de Campo S. Petri, quorum cordibus antedicta injuria altè insederat, numquam deposuerunt odia, neque animorum tumorem. Florebant ea tempestate in Marchia Tarvisina hæ quatuor Domus, de Este, de Camino, de Campo S. Petri, & de Honaria, quæ postea dicta est de Romano.

Vicentinis hostiliter invadentibus fines Baxiani, & Marostichæ, concordium fit inter partes, dato pro obside Vicentinis ab Ezerino Monacho, Ezerino Tertio filio suo parvulo. Lapsu temporis parvi, dum partes Azonis Marchionis, & Comitis Sancti Bonifacii prævalerent in Verona, Azo fit Potestas dictæ Civitatis. Ezerinus prædictus habens ipsum exosum, quia faverat suis adversariis in facto Campreti, congregatis omnibus amicis suis de Verona, Vicentia, & Monticulo (unde postea Monticuli dicti sunt) taliter operatus est, quòd Marchio, suique complices pelluntur de Verona. Salinguerra vir potens in Ferraria, qui nullam antea partem tenuerat, occultus tamen æmulus Marchionis, adhæsit Ezerino Monacho, cujus postea filiam nomine Sophiam habuit in uxorem. Marchio contracto exercitu, cruento prœlio vicit inimicos in Braida Veronæ, & Ezerinum captum in illo prœlio cum honore dimisit: tamen, quia sibi præbuit comitatum usque Baxianum, hæc liberalitas multùm auxit & famam, & gloriam Marchionis: & sic pars Marchionis, & Comitis Sancti Bonifacii iterum prævaluit in Verona. Ab istis autem principiis emanarunt crudelia bella, quæ prætereo, ut veniam ad Ezerinum de Romano Tertium.

Post obitum Azonis Marchionis, quondam Obizonis, & Aldrevandini filii sui, qui dimisit unam filiam, Beatrix nomine, quæ, ut supra dictum est, nupsit Regi Ungariæ, erat superstes Azo Novellus, frater dicti Aldrevandini. Hic ut plurimùm habitabat in Ferraria. Ezerino autem Monacho hæretico, qui dictus est

(1) Teupolo.

est priùs, se redigente in vitam solitariam, Ezerinus Tertius de Romano, & Albricus fratres, filii sui, præerant dominio suorum Castrorum. Subortâ novâ discordiâ inter amicos Marchionis, & amicos Salinguerræ, Marchio cum ejus complicibus expellitur de Ferraria. Unde mox contracto exercitu castra posuit contra Ferrariam circa Padum, vocatusque gratiâ concordii tractandi intra Civitatem, orta in vulgo seditione, rursum expellitur. Marchio indignatur. Post paucos dies habuit per obsidionem Fractam Ferrariensis districtus, nimiùmque cruentè se gessit contra viros, & mulieres Castri prædicti.

Salinguerra magno dolore consternatus petit auxilium ab Ezerino Tertio, cognato suo; gravat injuriam, & crudelitatem Marchionis; honestat causam, propter quam pulsus fuerat; quia sibi, & amicis suis tendebat insidias, & contra publicam libertatem, & morem majorum satagebat exercere tyrannidem in honoribus, & officiis Communis Ferrariæ. Ezerinus autem sibi rescripsit: *Duo esse principaliter, ad quæ anhelare debent homines: Servare fidem amicis, & vivere cum honore. His causis ipsum urgeri, ut vigilet ad negotia ipsius Salinguerræ, quæ sua reputabat: & quòd, postquam de casu Fractæ audivit, mens sua numquam fuerat in quiete, nec esset, nisi sumta ultione de damno, & sanguine ibi fuso.*

Licèt Verona tunc communiter regeretur, Cives tamen, milites, populares, & mercatores erant separatis factionibus bifariam divisi. Pars una favebat Comiti Sancti Bonifacii, quæ erat & Marchionis; altera Salinguerræ Ferrariensi, quæ erat Ezerini Tertii, & hæc dicta fuit pars Monticulorum. Auctâ autem discordiâ ob captionem Fractæ, Monticuli vigilantes ad depressionem alterius partis, mittunt ad Ezerinum, residentem in Baxiano, ut citò, & occultè veniat Veronam. Ezerinus, avidus novitatum, & ulciscendi captionem Fractæ, deliberat ire per viam brevissimam, scilicet per Valchamonicam, locum montanum, asperrimum, insuetum, nivosum, & penè inaccessum: præmissisque XL. hominibus cum ventilabris pro separando nives conglobatas, induratasque in montibus illis, mox subsequitur cum valida manu, & insperatò Veronam intrat. Mox Ricardus Comes Sancti Bonifacii cum ejus sequacibus pellitur de Verona, & sic pars Salinguerræ, Monticulorum, & Ezerini occupant Civitatem; fitque Ezerinus ibi Potestas, totoque tempore, quo præsedit, miris artibus, & versutis simulationibus Veronenses suæ partis, & alios arctissima sibi junxit amicitia: quæ causa fuit, ut (quod postea dicam.) Civitatis tyrannidem occuparet. Ezerinus cum Veronensibus aufert Vicentiam, & Albericus frater ibi Potestas dimittitur.

Cùm Salinguerra igitur haberet Ferrariam, Ezerinus Veronam, Albericus Vicentiam, pars Marchionis, & Comitis Sancti Bonifacii depressa jacebat. Paduani his territi novitatibus eligunt in Potestatem, protectoremque suum Stephanum Baduario Venetum, virum spectatæ virtutis, notæ facundiæ, & expertæ legalitatis. Ezerinus finitâ suâ Potestariâ, ut excitaret in Marchia materiam scandali, fisus benevolentia Veronensium, occupat Castrum Fontis, quod erat illorum de Campo Sancti Petri, & ibi capit Guilielmum parvulum de domo prædicta, quem postea in libertatem dimisit. Tiso, & Guilielmus, quorum erat Castrum Fontis, licèt essent Cives Paduani, ponunt se cum dicto Castro sub dominio, & protectione Communis Paduæ. Generali igitur consilio dicti Communis, Stephanus Baduario Potestas, cum exercitu invadens fines Ezerini, posuit castra contra Baxianum.

Petrus Ziani tunc Dux Venetiarum, ultimo anno sui Ducatus, ne hic parvus ignis totam Marchiam ardentiùs inflammaret, more majorum, mittit pro quietando hos motus Oratores suos, Matthæum Bono, & Marcum Quirino. Matthæus in castris hostium, ubi erat Potestas, & Magistratus Paduanus, in hanc sententiam verba fecit: *Se peragrasse magnam partem Occidentis, & Orientis, nec ultra, nec citra Mare inspexisse Regionem, Provinciam, Civitatem; quæ aut religione, aut magnanimitate, aut potentia, aut divitiis, aut industria, aut bonitate, aut curialitate posset æquari Marchiæ Tarvisinæ. Proinde vellent virtuosè conservare, quæ sui Progenitores laboriosè acquisiverant, & maximè Paduani, qui ceteros dictæ Marchiæ sapientia, fama, gloria, potentia, & felicitate præibant. Cogitarent, quòd parva scintilla multotiens flammas suscitaret ingentes. Discursisque malis, & periculis, quæ proveniunt ex bellis, conclusit, quòd his causis Dominus Dux Venetiarum, qui in genere totam Marchiam, & in specie Paduam singulari prosequitur caritate, offerebat se mediatorem pacis inter partes, & auditis juribus suis, & illorum de Romano, quòd omnem illam fine debito terminaret.* Semoto Oratore, Tiso de Campo Sancti Petri exprobravit ingratitudinem illorum de Romano, qui adjuti à Paduanis contra Vicentinos post tantum beneficium ceperunt Castrum Fontis, & Guilielmum parvulum ejus nepotem. Non esse igitur loquendum de concordio, nisi priùs restituto Castro prædicto. Agendas tamen esse gratias Domino Duci de ejus optima dispositione. Hanc responsionem Potestas retulit Oratori prædicto.

Marcus Quirino, alter Orator, in Bassiano, coram Ezerino, & Alberico fratribus, Guezelone de Prata, & Ansedisio de Guidotis, & aliis eorum amicis, dixit, *quòd inter ceteras probitates, quæ reddunt Magnates gloriosos, benivolosque, hæ sunt principales, quòd abstineant ab injustis bellorum causis: quòd si qua injustè principiantur, citò resipiscant, & satisfaciant. Quare Dominus Dux, audito quòd Paduani hostiliter suos fines invaserant, quia occupaverat Castrum Fontis, suadebat quòd dimitteret ipsum Castrum, prout dimiserat Guilielmum de Campo Sancti Petri; at si prætenderet jus habere in dicto Castro, Dux offerebat se cognoscere jura partium, & terminare, quod sibi justum videretur.* Ezerinus relatâ gratiâ Domino Duci, Domino suo, recensuit odia illorum de Campo Sancti Petri, & inter cetera dixit, quòd dum in Venetiis instituta esset solemnissima Curia, ad quam convenerant Azo Estensis Marchio, & nonnulli Proceres Lombardiæ, Ezerinus secundus ejus pater accessit cum militibus XI. sociis suis ad honorandam Curiam prædictam. Quodam die, dum dicti socii patris sui essent in Platea Sancti Marci, unusque eorum vir nobilissimus solatiosè, ut moris est, induisset se vestimento patris sui, qui tunc domi remanserat: quidam

Si-

Sicarii corrupti pecunia à Tiſo de Campo Sancti Petri interfecerunt ipſum nobilem, credentes perimere patrem ſuum, qui erat frater Matris dicti Tiſi. Et quòd Jacobus de Campo Sancti Petri ejus nepos fecerat occidi injuſtè nonnullos amicos, & fideles patris ſui, provocabatque multos in perniciem ſuam, & in depreſſionem ſtatus ſui. Concluſitque, quòd ad Caſtrum Fontis, ceu ad quamdam ſpeluncam, & ſcelerum officinam ſoliti erant confluere multi, qui Terras ſuas, fratris, & amicorum latrociniis infeſtabant, nihilque profuerat conqueri. Ideoque voluit abigere ab inſidiis vulpem, ab antro mortiferum ſerpentem, & lupum ab ovili, & quòd intendebat experiri, quid Paduani poſſent contra eum. Tamdem Oratores repatriant, tunc nullo ſecuto concordio.

Ezerinus autem ſecundus hæreticus, pater ejus, qui in quodam Caſtro ficta religione degebat, ſcripſit dicto Ezerino, & Alberico filiis, quòd reſtituerent Paduanis dictum Caſtrum, quia eorum potentia comparari tunc Paduanæ non poterat, & quòd nil ſapiens amittebat, ſi de fimbria veſtimenti partem reſcindat, & tali modo ſe ſeparet à filio iniquitatis, & ne ille arrogantiſſimus Tiſo prætendat cauſam, propter quam Paduani invadant terras ſuas: ſperarentque dicti filii ſui citò de eorum inimicis vindictam inſpicere; & quòd hæc reſtitutio non prohibebat, quin conceſſo tempore ſubjicerent Paduam, totamque Marchiam: juxta judicium prophetiæ Adeleitæ uxoris ſuæ, matris eorum, quæ ſtellarum curſus (2) notabat cœleſtes domos: & quòd interim cautè procederent, donec eorum augeretur potentia. Ezerinuſque ſecundùm paternum conſilium reſtituit Paduanis Caſtrum prædictum.

Ezerinus ſpiritu ambitionis exagitatus, nec potens quò aſpirabat aſcendere, niſi vicinæ Civitates ſe bellis impeterent, acceſſit Tarviſium, & in Civem ſe recipi fecit, ſub prætextuque civilis fidelitatis, dolosè perſuaſit Tarviſinis, ut Feltrum, & Cividadum, tamquam terras ſui juris, acquirerent. Sciebat enim Paduanos id pro viribus non paſſuros. Contracto ſibi exercitu, & reſiſtentibus Paduanis illas ſubjiciunt. Poſtea vaſtant agrum Paduanum; ſed repelluntur à Stephano Baduario Paduæ Poteſtate, egreſſo cum exercitu contra eos. Tamdem Tarviſini, inſtantibus Paduanis, poſt multos labores, atque expenſas, coguntur dimittere dictas Terras.

Iterum Ezerinus ægrè ferens, Marchiam aliquantulum quieſcere, perſuaſit amicis de Verona, ut illi ſui Cives, qui tempore Rainerii Zeno, Poteſtatis Veronæ, relegati fuerant Venetiis, & redierant, iterum compellerentur ire, & ſtare Venetiis, & ob hoc inter partes ſubitò diſcordia renovatur. Rizardus Comes Sancti Bonifacii, & aliqui ſuæ partis in palatio retenti, ponuntur in carceribus. Matthæus Juſtiniano Poteſtas Veronæ expellitur; & Salinguerra de Ferraria, tractante Ezelino cognato ſuo, præficitur Poteſtas. Mox Paduani procurant relaxationem Comitis Sancti Bonifacii, & ſuorum complicium. Ubi id non ſucceſſit, miſſis Oratoribus renovant ſocietatem Lombardorum, quorum interventu, & opera liberantur.

Paduani ſub prætextu, quòd Tarviſini, & illi de Romano impugnabant illos de Camino, diſcurrunt hoſtiliter per agros Pedemontis, & Tarviſinorum; ſed interponentibus ſe Venetis, pax fit inter Paduanos, & Tarviſinos. Paduani evertunt Caſtrum Gogii Ezerini, & cum exercitu & Carrocio, auxiliante Azone Marchione & Mantuanis, invadunt Comitatum Veronæ, deſtruunt pontem Lignagii, pulſis Ezerino, & Salinguerra, qui cum Veronenſibus occurrerant in ſuccurſum. Dum Rivalta, quæ eſt ſuper Atice, obſideretur à Paduanis & ſociis, Ezerinus, qui dudum ſollicitaverat adventum Federici Imperatoris in Italiam, perſonaliter, ſed ſecretè acceſſit Auguſtam Cameram Imperii, ubi aderat, fecitque eum venire deinde Veronam, habuitque per proditionem Vicentiam, expulſo Marchione, qui ibi erat Poteſtas. Favebant Imperatori Cremona, Pergamum, Parma, Regium, Mutina, & quædam aliæ Civitates. Contrariæ verò erant (& hæ dicebantur Societas Lombardiæ, & Romandiolæ, & Marchiæ) Mediolanum, Brixia, Mantua, Bononia, Faventia, Padua, Vicentia, Tarviſium, Marchio Eſtenſis, & Comes Sancti Bonifacii. Verona nondum alicui parti adhæſerat, ſed volente Ezerino, jam ibi potentiſſimo tyranno, adhæſit parti Imperatoris, fecitque Salinguerram potentiſſimum in Ferraria, relicta fidelitate Eccleſiæ, adhærere dicto Friderico. Et tunc facta eſt Societas Lombardorum. Unde Ezerinus arrepto tempore, erexit animum ad ambiendam dominationem Paduæ, cœpitque cautè aliquos ex civibus corrumpere pecuniis, alios exagitare pollicitis. Dumque die noctuque eſſet in ſecretis conſiliis cum Comite (3) *Geabundo* de Saxonia, gerente vices Imperatoris in Italia, cum illis de Pedemonte, & cum Lombardis, incuſſit ingentem terrorem, & ſuſpicionèm Paduanis, eliguntque XVI. de potentioribus civibus ſuis ad conſulendum, & providendum, ne detrimentum ſtatus Reipublicæ patiatur. Datoque in pleno populo vexillo Communis Azoni Marchioni, conſtituunt illum protectòrem, clypeum, & tutorem eorum, revocantque gentem armigeram, quam miſerant in ſuccurſum Tarviſinorum.

Interim autem detectum eſt, majorem partem dictorum Sexdecim velle Imperatori prodere Civitatem, abſente Marchione, qui acceſſerat Eſte. Poteſtas igitur mandat dictis Sexdecim, ut vadant Venetias, præſententque ſe Domino Duci. Nemo paruit, niſi Comes Schinella vir ſeptuagenarius. Reliquis ſecedentibus à Civitate, major pars divertit ad Comitem Geabundum, & Ezerinum. Civitas igitur deſtituta à conſilio, & patrocinio potentium civium, fluctuabat, velut navis, quæ in mari tempeſtatibus agitatur. Tunc multi ex fidelibus civibus palàm vociferabant: *O felix Venetorum Civitas, ò ſapiens, & bene fortunatum Commune! Illi glorioſi cives concorditer, & uniformiter ad bonum publicum ſuæ Civitatis attendunt, adeò ut nomen Venetum pro numine habeatur, & per aliquos juretur per reverentiam, & honorem Venetiarum.* Tunc remoto quodam Ramberto ibi Poteſtate, Marinus Baduario Poteſtas præficitur. Comes *Geabundus*, & Ezerinus tractatu majoris partis illorum Sexdecim proditorum, occupant Montem Silicis ſub Imperatoris nomine, aſſerentes

(2) *Supple ex Rolandino Lib. II. Cap. XV.* Noverat, notabat cœleſtes domos.

(3) Gaboardo *aliis*.

rentes illum esse Imperii Cameræ, retinentque ducentos equites Paduanos, missos in præsidium loci prædicti. Ibi Ezerinus facundo sermone commendavit Montisilicenses. Unus etiam ex illis Sexdecim proditoribus ibi astans increpavit superbiam Paduanorum, qui statuere ausi fuerant contra voluntatem bonorum hominum, quòd Imperator non nominaretur inter eos.

Ezerinus advertens Paduanos conversos in Marchionem, & in eo solo niti libertatem eorum, non zelo bonitatis, neq; respectu utilitatis Imperatoris; sed ut, remoto Marchione à societate Paduana, dictæ Civitati expeditiùs frena tyrannicæ servitutis imponeret, traxit ipsum Marchionem in amicitiam Imperatoris, his conditionibus, quòd ipse, suique homines Castrum Estense, Villæque suæ nullis subjacerent angariis. Marinus Baduario Potestas, prævidens Paduam perventuram sub Imperatoris potentiam, repatriavit cum rebus & familia sua. Mox Artusius de Delesmaninis subornatus ab Ezerino sub specie redimendi cives illos, qui detinebantur in Monte Silicis, facilè persuasit Paduanis desertis, proditis à suis majoribus, terrore confusis, & morbo intestinæ discordiæ laborantibus, obtinuitque, ut Nuntiis Imperatoris Civitas traderetur, subdens, quòd non erat timendum de Ezerino, qui profitebatur exoptare libertatem, & bonum Paduanorum. Comes igitur *Geabundus*, Ezerinusque Nuntii Imperatoris, cum eorum sequacibus, de mense Februarii pacificè recipiuntur in Civitatem. Ezerinus in introitu, rejectâ in tergum galeâ, osculatus est portam Civitatis, quod multi adscripserunt bonitati, quasi osculando portam publicam daret osculum pacis universis civibus in signum remittendi injurias, & deponendi odia.

Ezerinus habita oratione post laudes Imperatoris suasit civibus concordiam, dixitque, quòd sibi illatas injurias non imputabat Paduanis, sed illis de Campo Sancti Petri, quorum nutu omnia gerebantur. Tarvisini videntes se solos derelictos, tradiderunt se Nuntiis Imperatoris. Comes *Geabundus* vices gerens Imperatoris in Italia, rediens ad Imperatorem dimisit in Padua loco suî Ezerinum de Romano, jussitque Potestati, ut obediret in omnibus dicto Ezerino, dimisitque sibi præsidium Theutonicorum, acceptorum ad stipendium exactum de Verona, Padua, & Vicentia. Stipendiavit etiam Ezerinus tercentos Saracenos, quos divisit per Castra, & portas Civitatis, multisque diebus sapienti cautela conversatus est pacificè cum civibus illis, ut quod optabat, secretiùs ordiretur.

Ezerinus igitur extollens animum ad occupandam totam Marchiam, & varius pro varietate rerum, & temporum, considerans, quòd sicut Marchio inimicus Imperatoris officiebat sibi ad apprehendendam dominationem Paduæ, ita nunc amicus ad ipsam retinendam, obstaret, decrevit serere discordias inter eos. Primò susurravit in auribus Potestatis, quòd illi de Montagnone, suggestu Marchionis, erant contumaces Imperatori, fecitque, quòd Potestas accepit obsides ab aliquibus ex Optimatibus Paduæ. Postea aliquos ex militibus, mercatoribus, & popularibus, quos voluit Ezerinus, divisit per Castra dicti Ezerini: post paulùm fecit eos duci Pratam, ubi Ezerinus erat potens amicis, & attinentibus: deinde aliquos eorum divisit per Lombardiam, aliquos misit in Apuliam. In tantoque rerum turbine nonnulli optimi cives occultè recesserunt extra Civitatem, quorum domus jussu Ezerini fuerunt prostratæ, bona direpta. Reliqui tentaverunt per viam Marchionis eripere Civitatem de manibus Imperatoris, & Ezerini; vênitque Marchio cum potenti manu usque ad pratum Vallis, sed, opponente se Ezerino, inde repellitur. Marchionem autem secuti sunt Jacobus de Carraria, qui fuerat unus ex XVI. multique Paduani.

Ezerinus scripsit Imperatori residenti Cremonæ, quòd Marchio erat caput omnium novitatum, quæ emergebant in Marchia contra eum, & quòd, ad extirpandam causam horum malorum, feriendus erat Serpens in capite, ut totum corpus faciliùs vinceretur. Imperator mox Paduam vênit, & pacificis verbis ad se accersivit Marchionem. Ezerinus fecit cautè explorare, qui Paduani exirent obviam Marchioni, ut ipsos tamquam suspectos haberet pro hostibus. Marchio motus pro veniendo Paduam, in itinere habuit signum, ut fugeret ab Imperatore. Tunc Imperator misit ad eum Petrum de Vineis, ejus Cancellarium, qui clam suasit sibi, & Comiti Sancti Bonifacii, ne venirent, quod, ut est creditum, fuit causa mortis dicti Petri. Tunc Rainaldus filius Marchionis cum uxore sua nondum transducta, filia Alberici de Romano, per instinctum Ezerini fratris mittitur in Apuliam. Unde Albericus exinde fratri semper fuit infestus, & exinde relicta parte Imperatoris adhæsit Ecclesiæ.

Imperator recedens de Padua præcepit Thebaldo Francisco, quem dimisit Potestatem Paduæ, & Vicarium Marchiæ, ut mandatis Ezelini in omnibus penitus obediret, & accedens in Lombardiam, devastavit quædam Castra Bononiensium, & properavit in Apuliam. Marchio videns omnia fieri voluntate, & arbitrio Ezerini, à mandatis Imperialibus omnino recessit; expulsisque custodibus Imperatoris, recuperavit Arcem Estensem, Baonem, & Cerum, & per obsidionem obtinuit Calaonem. Imperator in cunctis Civitatibus Italiæ omnes amicos Marchionis Estensis, & Comitis Sancti Bonifacii habuit suspectos, & exosos; partes verò Ezerini, & Salinguerræ ubique favoribus prosecutus est. Thebaldus Franciscus punivit sententia capitali Jacobum de Carraria, captum in Castro Agnæ, & Advocatum captum in Castro Brintæ, suasu perfidi Ezerini: postea Castrum Sancti Bonifacii, jubente dicto Tyranno, à Veronensibus est eversum.

Ezerinus post recessum Imperatoris jam indubitatus Tyrannus Veronæ, Vicentiæ, Paduæ; auctoritateque fretus Imperatoria, & amicitia Salinguerræ cognati, qui ab Ecclesia ad Imperatorem defecerat, in tantam elatus est superbiam, ut ausus fuerit invadere fines Venetos. In Sancto enim Ilario, expulsis Monachis, construxit Turrim munitissimam, damna inferens navigantibus per flumina. Unde Joannes Theupulo, Ducis filius, cum valida manu, illuc missus, expugnatam Turrim funditus evertit, & defensores illius captos duxit Venetias. Ezerinus per proditionem habuit Arcem Estensem cum Burgo: & reliqua Castra sua, aut per expugnationem, aut per obsidionem invasit.

Marchio Estensis, qui (ut superiùs tactum est)

est) expulsus fuerat de Ferraria per Salinguerram, & Rizardus Comes Sancti Bonifacii, auxilio Venetorum, Gregorii de Monte Longo Legati Apostolici, Bononiensium, & Mantuanorum, obsederunt Ferrariam. Erat Capitaneus exercitus Venetorum Stephanus Baduario. Dum verò nihil proficerent, quia Ferraria erat munita præsidio quingentorum equitum Imperatoris, Dux Jacobus relicto Johanne filio ad regimen Ducatus, personaliter accessit contra Ferrariam cum navibus bellicis, & machinis pugnatoriis, unde Civitas cœpta est acriùs oppugnari. Erat tunc in Ferraria Ugo de Rambertis, vir secundus in potentia Salinguerræ, ejusdem factionis. Hic, qui primò fuerat in sententia Salinguerræ, subornatus postea ab extrinsecis, dixit Salinguerræ, se penitus velle pacem, ne amitterentur fruges illius anni. Cui Salinguerra: *Et ego pacem desidero, sed non illam, quam irati hostes, freti sua potentia, dare volunt. Nam admissa tali pace audebunt, & poterunt contra nos quicquid eorum ira, odium, & libido suadebunt.* Cui Ugo. *Omnino volo pacem.* Salinguerra respondit: *Si penitus ita vis, contraire non possum; sed scias, quòd gladio hujus pacis mihi genitalia, tibi verò nares truncabuntur; sed ego cooperiam honestiùs damni mei verecundiam, quàm tu tuam possis celare deformitatem.* Fraude igitur Ugonis Salinguerra sub salvo conducto vênit in Castra hostium, confectaque pace regressus est in Civitatem. Iterumque sub dolo in Castra vocatus, firmat pacem certis conventionibus, sub specie cujus adversarii recipiuntur in Civitatem. Salinguerra jam octogenarius tractatu Legati, & Pauli Traversarii de Ravenna capitur, & Venetias mittitur, ubi satis honorificè habitando, vitam finivit, sepultus in Monasterio Sancti Nicolai in litore.

Dux Jacobus repatriavit, remanente Potestate Stephano Baduario. Additæque sunt immunitates Venetis in Ferraria ultra eas, quas acquisiverant tempore Comitissæ Mathildæ. Ugo suspectus Legato, & Marchioni, invisusque omnibus, paulatim deprimitur, & tamdem ejectus cum summo dedecore in miserrima paupertate decessit.

Ezerinum valde terruit invasio Ferrariæ, & captio Cognati, timentem, ne similis eum maneret exitus; creditumque fuit, quòd si exercitus prædicti unanimi consilio, & communibus viribus pugnassent contra eum, imposuissent finem suæ tyrannidi. Guecello de Camino, & Albericus de Romano suasu Venetorum expulerunt de Tarvisio Jacobum de Mora, ibi pro Imperio residentem, cujus Civitatis paulò post dictus Albericus dominationem invasit.

Evanescentibus dictis exercitibus, Ezerinus majorem sumsit audaciam; erexit in publicum vexillum crudelitatis. Comitem de Panigo Civem Veronensem fecit in Padua decollari, militesque præclaros, & nobiles sub specie proditionis jussit interfici. Abbatem Sanctæ Justinæ, virum justum, honestum, & attestatione Cleri, & Populi reverendum, cum carnali fratre tenebroso carceri fecit includi.

A Albricum, & Nicolaum de Lendenaria, viros nobiles & potentes, sub specie proditionis, variis tormentorum generibus interemit. Tres filios Jacobi de Talismanio, variis tormentis afflictos, in Platea Paduæ trucidari mandavit. Gulielmum de Campo S. Petri in Platea jussit interfici. De dicto Ezerino quidam fide dignus (4) Historiographus dicti temporis scribit: *Ezelinus humani generis inimicus in 1252. circa finem Augusti, conjectans contra se omnes milites, & electos populares Marchiæ conjurasse; extraxit mortiferum gladium irrevocabiliter de vagina, incipiensque à Carnarolo milite Veronensi, quem conjurationis principem asserebat, tam in Verona, quàm in Padua, & Vicentia,* B *& tota Marchia inauditam stragem, & occisionem hominum perpetravit. Ubique luctus erat, ubique dolor, & tristitia, ubique dira mortis imago: Catervatim milites, & majores natu in foro gladiis necabantur* (5), *& rursum collecta, & imposita rogis, igne supposito cremabantur. Frater fratrem, consobrinus consobrinum, amicus amicum tradebat ad mortem, & manibus propriis trucidabat. His sceleribus credebat quilibet, se obsequium præstare Tyranno; & tamen isti, qui hoc faciebant, post paucos dies in similem mortis* (6) *laqueum incidebant. Filii nobilium, & aliorum civium oculis privabantur, & eorum genitalibus amputatis, includebantur in carceribus tenebrosis, ubi moriebantur famis horribili cruciatu.* C *Matronæ nobiles, & delicatæ, & Virgines speciosæ fame, peste, injuriis, & afflictionibus inauditis in custodiis tabescebant. Quotidie diversis generibus tormentorum indifferenter tam majores, quàm minores à carnificibus necabantur. Voces terribiles clamantium in tormentis die noctuque audiebantur de altis palatiis, quæ* (7) *terrorem, & horrorem maximum hominibus inducebant. Nullus publicè audebat plorare super his malis; sed quilibet vitam, & victoriam etsi non corde, saltem verbis affectuosis Ezerino nequissimo Domino affectabat* (8). *Illum bonum, illum sapientem; & amatorem Status Marchiæ omnes adulatoriè acclamabant, nec tamen ista dicentes* D *ferocitatem ejus animi poterant mitigare, sed erat ei* (9) *sic populus, sic sacerdos, sic laicus, sic religiosus, sic senex imbecillis, ita puer adhuc balbutiendo in verba prorumpens. Nulli ætati* (10), *nulli probitati parcebat. Semper eodem vultu, eodem modo, eadem instantia nimiæ crudelitatis opera properabat; & quasi semper à capite incipiens, quotidie sinè labore, sinè conscientiæ remorsione* (11) *immania, & inexcogitata tormenta corporibus hominum infligebat. Non remansit in tota Marchia progenies aliqua generosa, vel etiam popularis, quæ ab ipso vel ex toto, vel ex parte maxima, non sit crudeliter lacerata. Milites sunt ferè omnes gladio, & aliis suppliciis interfecti.* E *Studiosi mercatores, Judices sapientes, Prælati reverendi, Claustrales devoti, Canonici honorati, speciosi Juvenes & strenui radicitus sunt deleti, substantiis totis ablatis, & dispositis secundùm tyrannicam jussionem. Serpens insuper callidus, & astutus omnes pulchras domos, & fortes, & loca juxta portas & pontes in Civitatibus constituta emere studiosissimè procurabat, &*

(4) *Intelligit Monachum Paduanum, qui ab his exorditur Caput ante penultimum Lib. I.*
(5) *Addit ex Monacho prædicto*: Membra frustatim præcidebantur, & rursum &c.
(6) *Habet Monachus*. Gladium.
(7) *Idem*. Dolorem.

(8) *Idem*. Illum justum, illum bonum &c.
(9) *Idem*. Sicut populus, sic sacerdos: sicut laicus, ita religiosus: sicut senex, & imbecillis, ita puer &c.
(10) *Addit idem*. Nulli sanctitati.
(11) *Idem*. Magna.

& post paucos dies vitam simul, & pretium venditoribus auferebat. (12) *Ipsa bona Episcopatuum, Abbatiarum, Canonicorum, & ferè omnium Clericorum, & Ecclesiarum, in suis sceleratis operibus consumebat. In diebus ejus cessavit prædicatio, obmutuit confessio peccatorum, & devotio Fidei est estincta. Visitare sancta loca publica homines non audebant: nam accusatores erant ab ipso in populo constituti, qui vigilanter, & sollicitè observabant, ne quid in dicto, vel facto ab aliquo contra Tyrannum pestiferum tractaretur. Accusatus autem à talibus insidiatoribus, etiam de levissima culpa, protinus in equuleo levabatur; totaque ejus familia captivitate perpetua damnabatur. Defensor nullus in angustiis apparebat. Accusatorum erat numerus infinitus. Residere sub Ezerini tyrannide erat intolerabile, effugere impossibile videbatur; quia nequissimus Dæmon Ezerinus fossatis magnis districtus suos circumdederat; & super ipsis fecerat speculas, quas Marchiani miras appellant, in quibus erant die, noctuque speculatores, qui nec intrare, nec exire aliquos permittebant. Si quis in fuga deprehensus fuisset, sinè audientia oculis, vel pedibus, vel manibus privabatur, nec aliqua poterat eum excusatio liberare. Talis erat status commorantium in Marchia, taleque erat dominium Ezerini.* Et iterum dictus Historiographus scribit anno Domini MCCLIII. *Perfidus Ezerinus iterum manus extendit ad carcerandum, & occidendum tam in Verona, quàm in Marchia universa, implevitque Civitates, & Castra multitudine captivorum, quos fame horribili affligebat. Præ famis autem, & sitis angustia qualibet immunda miseri comedere, ac urinam cum aviditate bibere cogebantur. Fœtor erat intolerabilis; aër corruptus; calor nimius, & tenebræ ita horribiles, quòd captivi vix poterant* (13) *respicere, & multi his de causis vitam exhalabant. Tantaque erat hominum miserabilium multitudo, quòd unus alium premebat, ut nemo jacere, aut sedere posset: corporis verò tanta debilitas, quòd super pedes stare non poterant. Ingens erat clamor lugentium, & dicentium Væ, Væ: percussiones manuum horridè personabant. Mors ibi summo desiderio quærebatur, ut finem tantis imponeret malis. In mortis articulo nec testari, nec confiteri Sacerdotibus permittebantur. Efferebantur defunctorum corpora, nec permittebantur sepeliri, ni probaretur quis esset, vel unde, qui beneficium deberet consequi sepulturæ. Custodes carcerum faciebant confici publica instrumenta, ut possent Tyranno, omnia sollicitè inquirenti, ostendere numerum vivorum, & mortuorum.* Postea Bontraversum socerum suum cum filiis suis crudeli fame mori fecit in carcere. Omnibus enim, quos hic Tyrannus occidere destinaverat, titulum proditionis generaliter opponebat.

Albericus de Romano, qui per multos annos inexorabilem discordiam habuerat cum fratre suo, acerrimo Dei & hominum inimico, inventis occasionibus recessit à devotione Ecclesiæ, confœderatus est cum eodem Ezerino; Civitatem tamen Tarvisii in sua retinuit potestate.

Dum de immanissima crudelitate perfidi Ezerini admiraretur cœlum, turbaretur terra, horreret infernus, commoverentur Reges & Principes, ducante Venetiis Rainerio Zeno, Alexander Papa, procurantibus Venetis, Marchione Estense, aliisque Marchiæ Optimatibus, injunxit legationis officium cum amplissima potestate in Lombardia, Marchia, & Romandiola strenuo, & prudenti viro Philippo, electo Archiepiscopo Ravennati, contra dictum Ezerinum, quem Innocentius Papa ante pronunciaverat hæreticum, & ab Ecclesiastica communione præciderat, mandans, ut ejus, & consortiorum pertinentiam spiritualiter, & temporaliter persequeretur, & Fideles contra eum Dominicæ Crucis insigniret præmio remissionis, quod datur in servitium euntibus Terræ Sanctæ. Prædicata igitur Cruce in platea Sancti Marci Venetiarum Anno Domini 1256. multi signum invictæ Crucis devotissimè susceperunt.

Dum hæc agerentur, superbissimus Ezerinus, ingenti contracto exercitu, horâ præfixâ per Astrologos, & Divinos, qua movere debebat, contra Mantuam duxit exercitum, quæ sola, ut vociferabant adulatores Tyranni, impediebat eum (14) non habere dominium totius Lombardiæ. Tunc in auxilium Ezerini processerunt Ubertinus Palavicinus, vir astutissimus, cum Cremonensibus, & aliis inimicis Ecclesiæ. Marchio autem cum Ferrariensibus, & Bononiensibus profecti sunt in succursum Mantuanorum.

Cùm Ezerinus esset cum exercitu contra Mantuam, Marchiani, qui effugerant Tyrannidem Ezerini de Verona, Vicentia, Padua, & Tarvisio, omnesque Crucesignati, & quingenti pedites missi per Ferrarienses cum Legato Apostolico conveniunt ad turrim Babiarum, districtus Veneti, & cum multitudine peditum, & balistariorum missorum de Venetia, ascendunt navigia castellata, à Venetis præparata, comitantibus aliis navigiis cum victualibus. Erant in dicto exercitu Marcus Quirino, electus per Paduanos Potestas extrinsecus; & Marcus Baduario Marescalcus totius exercitus. Legatus cum omnibus copiis pervênit Corrigiolam. Ansedisius autem Paduæ Potestas jussit claudi omnes meatus aquarum, ut navigia remanerent in sicco, intravitque cum militia, & populo in Plebem Sacci ad arcendum inimicorum impetum. Illi autem expugnato Castro Conchadalberi, combustoque Burgo Capitis-Sylvæ, invaserunt Villas, & Burgum Bubulentæ. Ansedisius parvi animi, dimissa Plebe Sacci, revertitur Paduam, intendens tantùm defendere Civitatem. Legatus per viam Pontis Sancti Nicolai cum exercitu Paduam vênit. Ansedisius munit portam Pontis-Curvi, & turrim, ad quam hostes adventare videbantur. Strenui autem X. bellatores descendunt in aquam fluminis, Venetis cum balistis eos tutantibus, & jaculis, & sagittis, inimicorum & per aggerem ascendunt superiùs, & tamdem fugientibus inimicis de Burgis Civitatis, parva cæde, adepti sunt magnam & gloriosam victoriam. Non nisi quinquaginta ex utraque parte interierunt. Die Martis sequentis admovetur Gattum ad Portam Pontis Altinati, & in eam ignis mittitur, qua ardente, appositis scalis murus Civitatis capitur. Ansedisius fugiens egreditur per portam Sancti Joannis, & concitè Vicentiam properavit. Victores jubent aperiri carceres, ex quibus exeunt turbæ ho-

(12) *Idem*. Ipse.
(13) *Mon. Pad.* Respirare.
(14) *Meliùs*. Ne haberet &c.

hominum moribundæ; Matronæ nobiles, trepidæ puellæ, & macilentæ; nobiles pueri excœcati, & castrati. Horum omnium conspectus miserabilis provocabat omnes ad lacrymandum. Recuperantur infra quatuor dies non solùm Castrum, quod Ezerinus fundari fecerat in angulo Civitatis; sed etiam alia Castra Paduani districtus, tradita à custodibus Ezerini, præter Castrum Montis-Silicis, & Castrum inexpugnabile Calaonis.

Ezerinus fecedens à Mantua, certificatus secretè per Nuntium de Paduæ expugnatione, inæstimabili dolore commotus, furibundusque, transmisso fluvio, cum exercitu vênit Veronam. Causam festinationis admirantibus omnibus, Veronæ fit manifestum, Paduam venisse in manus inimicorum. Paduani, qui ibi erant, dolent, & territi sunt pro uxoribus, filiis, & substantiis, & quia erant in potestate Tyranni crudelissimi. Tunc insatiabilis homicida, addens afflictionem afflictis, exceptis paucis, suorum flagitiorum executoribus, jussit capi omnes Paduanos, quorum numerus ad duodecim millia pertingebat, ipsosque compedibus vinctos includi fecit carceribus, omnesque fame, & aliis suppliciis miserabiliter mori compulit. Præcepit insuper, quòd quilibet eorum, qui fugiens caperetur, manibus & pedibus privaretur. Multique tali pœna puniti jacebant prostrati in agris, ad quorum horrendos rugitus, & clamores nullus metu Tyranni videbatur misericordia commoveri. Interim cùm Civitas aquarum beneficio careret, quia in districtu Vicentino, (15) qui cum militia Vicentina contra eum venerat, fregit dicta obstacula, & Paduam est regressus. Cùm Ezerinus cum ingenti exercitu venisset contra Paduam, Legatus subitò accersitis auxiliis de Venetiis, jussit festinatione ingenti fieri fossatos circa burgos Paduæ à parte occidentali, & sic Padua defensa est contra Tyrannum potentissimo præsidio, & beneficio Venetorum. Tyrannus sua frustratus intentione regreditur Veronam.

Quoniam proposui scribere gesta Ezerini annexa cum Venetis, & aliqua de crudelissima vita sua, prætereo multa alia gesta tam in subjugando Brixiam, & Tridentum, quàm alia loca, ut maturem infelicissimum exitum suum, qui fuit Ducante Rainerio Zeno.

Cùm Ezerinus turbaret terram, concuteret Regna, interficeret populos, desolaret Civitates; nec sibi sufficeret regionem sibi subditam devastare, sed mitteret quotidie Legatos ad excitandas Nationes, Reges, & Principes contra Romanam Ecclesiam, ejusque Fideles; discurrentesque Nuntii sui per Provincias, alii ad Curiam potentissimi Federici, alii ad Principes Alamanniæ ad excitandas seditiones, & discordias; alii ad Regem Ungariæ pro contrahenda amicitia; alii ad fortissimum Regem Castellæ, cui iste seminator discordiæ Regnum Italiæ promittebat, ut si fieri posset totum Mundum contra Ecclesiam provocaret, accidit penè in omni populo Christiano penè incredibilis, & stupenda compunctio, à seculis inaudita; & primò quidem tetigit Perusinos, deinde Romanos, consequenter alias Civitates, & Castra, & Villas Italiæ; inde transivit ad alias nationes. Nobiles enim cum popularibus sociati, in omni ætate, nudi per plateas, & vicos processionaliter incedebant, duris se corrigiis verberantes, sequendo vexillum Crucis, & cum lacrymis misericordiam Dei implorantes. Tunc siluerunt musica instrumenta, siluerunt amatoriæ cantilenæ, solùm pœnitentium lugubris cantio personabat. Dimittuntur offensæ, aperiuntur carceres, debita relaxantur. His gemitibus, lacrymis, compunctionibus, ploratibus, & humilitatibus inclinatur misericors, miserator, & amator hominum Deus tantis malis finem imponit.

Anno MCCLIX. postquam iste sitibundus, & potator humani sanguinis obtinuit Brixiam, circa principium Septembris, congregavit exercitum copiosum; & de Brixia recedens castrametatus est in campestribus. (16) Tutè obtinuit ab obsidentibus Civibus suis, ut posset impunè egredi, volentique egredi Albericus respondit, *epulaberis mecum dapibus, quas mecum parasti; numquam mihi sævienti, aut perperam agenti piè persuasisti*. Milites, & populares, qui intus erant, passi per quatuor menses obsidionem, Castrum, & turrim munitissimam, & ipsum Albricum, obstructo ore trunco ligni, cum uxore, filiis, & filiabus in manibus hostium tradiderunt. Uxori vestes tenus in genua abscinduntur; ita ut partes verecundiores paterent, & cum filiabus cremata est in conspectu Albrici. Filii trucidantur, & ipse membris filiorum pulsatur in faciem, tantæ cladis spectator, in frusta & ipse cæsus est. Judex Consiliarius cæsus est in partes minutas. In hoc flagitio Albricus fratrem superabat, quòd multitudo matronarum, & virginum numquam potuit suam libidinem satiare. Civitatem Tarvisii deduxit in servitutem, & extremam miseriam. Erat inverecundus ad turpia, inhumanus ad humana, in exigenda vindicta superabat crudelitatem Tigridis, & Leonis. Nulla super afflictis movebatur misericordia, nec mulierum lamentis, nec fletibus puerorum. Specificabo unum de sceleribus ejus, ut ab uno discas cetera. Dum quadam die suspendi quosdam milites præcepisset, jussit adesse huic horribili spectaculo uxores eorum, quarum capillos, cernentibus viris, præcidi fecit, & vestes à mamillis infernè amputari, & incontinenti ante oculos miserarum mulierum maritos in patibulum elevatos, elisis faucibus laqueo suffocari; ipsasque sic turpiter denudatas expulit extra Tarvisium, quæ nullo duce Venetias accesserunt.

(15) *Desiderantur hic, quæ habentur in Monacho Paduano* Tyrannus fecerat claustra, ne versùs Paduam emanarent. Legatus, qui &c.

(16) *Desiderantur hic ea, quæ habentur Lib. II. apud Monachum Paduanum Capite de morte perfidi Ezelini, & initio Lib. III. de obsidione, & interfectione infelicissimi Alberici.*

Finis Ezerini III. Laurentii de Monacis.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROLANDINI
PATAVINI
DE FACTIS
IN MARCHIA TARVISINA
LIBRI XII.
ANTEA EDITI
A FELICE OSIO,
NUNC VERO OPE DUORUM CODICUM MSS.
AMBROSIANÆ BIBLIOTHECÆ
Et alterius
ESTENSIS
Castigatiores Historiam complectuntur
ab anno circiter MCLXXX.
usque ad MCCLX.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN ROLANDINI CHRONICON

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Chronici hujus Auctor Capite XVIII. postremi Libri haec de se habet: *Si quem autem cura consueta commoverit praesentis Operis nosse non artificem, sed simplicem constructorem, colligat Librorum XII. principia, idest XII, syllabas capitales, quibus constructis in unum, sui compos erit propositi.* In usu autem apud antiquos fuit, nomen suum interdum inserere per Acrostichos Libris suis, ut si forte e fronte Operis excideret, illud ex ipso Opere Lectores colligere possent. Id quoque *Donizoni* in Vita Comitissae Matildis factum vidimus. Itaque collegi ego priores syllabas duodecim Librorum Historiae hujus, & inde haec verba consarcinavi: *Chronica Rolandini Data Paduae*. Verum haec emendanda puto. Liber Octavus ab his vocibus exordium capit: *Datori bonorum omnium* &c. Nonus vero: *Talis & tanta* &c. Ex istorum Librorum primis syllabis efformatur *Data*; at scribendum in Octavo: *Factori bonorum omnium* &c. ad quam lectionem accedit etiam Codex Estensis MStus, ubi haec eadem Historia legitur. Ac proinde ex Acrosticho conflatur verus iste Titulus: *Chronica Rolandini Facta Paduae*. Auctor ergo Historiae hujus *Rolandinus* fuit, Patria Patavinus, natus, ut ipse testis est in Prologo, *Anno Domini MCC.* Libro X. Cap. IV. ait, *se apud Bononienses in Scientia literali nutritum in Anno Domini MCCXXI. & illic a Boncompagno meo Domino & Magistro, natione & eloquentia Florentino, licet indignus, recepi officium Magistratus.* Quis iste *Boncompagnus* fuerit, jam supra innui in Praefatione ad ejus Opusculum *de Obsidione Anconae* Tom. VI. Collectionis hujus, ab insigni MS. *Philippi Argelati* nostri erutum. Ex Epitaphio Rolandini ipsius, quod Scardeonius Lib. 2. Class. 10. de Antiquit. Pad. attulit, constat, eumdem Grammaticae potissimum & Rhetoricae studiis, quae rara tunc erant, inclaruisse. Notariam quoque Artem in Patria exercuit, atque Anno potissimum 1237. ipse *jussu Potestatis sacramentum dedit nonnullis Civibus; habebat enim tunc Sigilli Communis Officium.* Ejus Pater & ipse Notarium agens Patavii, multa adnotarat de rebus in Marchia Tarvisina suo aevo gestis. Haec autem Historiae fragmenta Rolandino filio tradens, jam annos XXIII. nato, hoc est Anno 1222. ipsum jussit, quae subinde contingerent, adnotare. Anno autem 1260. ut ipse testatur, precibus nonnullorum incitatus, Historiae efformandae, sive expoliendae manum admovit: qua in re tum memoria rerum, quas viderat, tum praeteritis annis adnotata, illi praesto fuerunt. Post duos annos, hoc est, Anno 1262. in publica Academia Patavii perlecta est coram viris non minus senectute venerandis, quam literarum cultura eximiis, Historia haec, & omnium calculo probata, uti nos docet Auctor in postremo Capitulo Operis. Denique Anno 1276. mensis Februarii die II. e vivis Rolandinus excessit: cujus rei certum monumentum superest in Epitaphio, quod nobis a Scardeonio servatum ita se habet.

Grammaticae doctor, simul artis Rhetoricorum
Rolandinus eram: nunc Rege jubente Polorum
Vermibus hic escae jaceo: quam tu tibi sortem
Qui legis, exspecta: neque fas tibi fallere mortem.
Ergo roga tibi, postque roga mihi parcere Christum.
Mille Ducentenis Christi currentibus annis,
Tunc ego natus eram; sed ab his post Septuaginta
Sex, simul alma piè redimit dum Festa Maria) Lege *alma piae redeunt dum Festa Mariae*
In Februi mense, coeli peto fercula mensae.
Rex pie, Rex Coeli, nato miserere fideli.
O primum Flamen, tuus sit hic spiritus. Amen.) Lege *tuus hic sit spiritus.*

Erit

Erat olim praeclari hujus viri sepulcrum his versibus insignitum in Aede Sancti Danielis Patavii. Verum detestando abusu inde sublatus est vetus lapis, & sepultura Sacerdotibus ibi decedentibus destinata.

Judicium de illius Historia luculentius & justius proferre ego non possim, quam quod Gerardus Johannes Vossius de Rolandino agens Lib. 3. Cap. 8. de Historicis Latinis retulit ab Albertino Barisono Abbate Patavino acceptum. Nempe Rolandinus *temporum quidem vitio, quibus vixit, stilo utitur Italicismis, ut nunc loquimur, referto. Verum si rerum potius ratio habeatur, fatendum sit, eum Seculi sui Scriptores vincere perspicuitate, ordine, industria, & quod caput est, prudentia: immo fide incorrupta complures etiam clarioris nominis Historicos longe post se relinquat. Ad haec undique in eo relucet pietatis ac religionis studium: item quantopere tum in Literis sacris, tum in Gentilium scriptis, Poëtarum in primis, atque etiam disciplinis minus protritis fuerit versatus: Itaque non olim modo magna ejus viventis admiratio fuit, sed nunc quoque tot seculis post excessum suum, egregiis ingenii monumentis legentes in amorem ac laudem sui penitus rapit.* Initium autem Historiae suae Rolandinus facit a generali quadam Notitia Familiarum Principum, & potentum Marchiae Tarvisinae, quarum prima Familia fuit *Marchionum Estensium*; tum pergit narrare res gestas ab Anno circiter 1188. narrationemque deducit ad Annum usque 1260. Crudelia quidem *Eccelini*, sed memoranda facinora, potissimum persequitur, ut nusquam tam accurate descripta invenias; simulque gloriosa *Marchionum Estensium* gesta recenset, qui in hoc viro Scriptorem habent illustrem suarum virtutum.

Prodiit Rolandini Historia Venetiis Anno 1636. una cum Albertini Mussati, & Anonymi Monachi Patavini, aliorumque Chronicis, quae proelo pararat Felix Osius, sed morte praeventus evulgata non vidit. Hinc illa editio destituta Editoris Praefatione, ut ne ipsius quidem Rolandini nomen occurrat fronti impositum Libri. Alteram ergo editionem habeant Eruditi, quam fortasse comtiorem deprehendent, nam intentis oculis ad ipsam emaculandam incubui, & praeterea ad eamdem exornandam suppetias mihi tulit Codex MStus Bibliothecae Estensis, in quo haec Historia habetur. Cum Codice isto contuli ego editionem Venetam, multasque ex isto varias lectiones, emendationes, ac supplementa collegi, quae praesenti editioni subsidium ac lucem afferent. Immo tanta in Libris Undecimo & Duodecimo intercedit diversitas inter Codicem Estensem, & illum, quo usus est Osius, ut mihi suborta fuerit cogitatio in editione hac, Estensis potius, quam Patavini Codicis narrationem sequi. Attamen ratus, me Lectorum gratiam tutius initurum, si utriusque Codicis verba, ubi dissident, exprimerem, textum retinui jam editum, & ex Estensi Codice in notas retuli variantes Lectiones. Alteram quoque Praefationem a Rolandino compositam, quae ab editis aberat, editioni huic adjeci.

Ceterum jam lucem vidit, neque semel, Eccelini Historia Italico sermone conscripta, cujus Auctor fuisse traditur *Petrus Gerardus*, ipsius Tyranni, si Diis placet, aequalis. Verum imposturam hanc jamdiu disjecit ac sustulit Gerardus Johannes Vossius in Lib. de Historic. Latin. ubi de Rolandino nostro agit, indicans, *Faustum de Longiano* expilasse scrinia Rolandini ipsius, & quibusdam mutatis atque additis, veluti novum Chronicon evulgasse sub ementito *Petri Gerardi* nomine. Quare si quis postulet, quare hujusmodi Historiae nullus sit locus in Collectione nostra, Vossium consulat, & mercibus adulterinis abjectis, ad Rolandinum se conferat legitimum Scriptorem, & sui temporis acta revera tradentem.

Duos insuper Codices ex Ambrosiana sua Bibliotheca suppeditavit Cl. V. *Joseph Antonius Saxius* eidem Praefectus, alterum pergamenum, alterum antiqui characteris, eo etiam pretiosiorem, quod *Vincentius Pinellus* ad fidem puriorum exemplarium eumdem exegerit. Horum ope non modice emendata, & alicubi etiam aucta est haec editio. Quocirca tum *Saxio* nostro, tum *Philippo Argelato*, qui eidem in hac historia castiganda, quemadmodum & in ceteris operam suam praestitit, gratiae agendae quamplurimae.

PRO-

Digitized by Google

PROLOGUS ROLANDINI

Super XII. infra positis Libris

DE FACTIS IN MARCHIA TARVISINA.

ANtiquorum solemnis auctoritas, moribus, & doctrinis salubribus imitanda, & ipsi venerandi Auctores, sicut in eorum patet operibus, numen Apollinis, & aliorum, quos Deos esse opinabantur, devotione sedula invocabant. Et ego minimus (*) modernorum, deditus cultui Christiano, Divinam gratiam devotiùs invocare præsumo, ut me, qui parva navicula vectus, lacum tantæ profunditatis, quasi præsumtuosus ingredior, faciat in sequentibus periculorum transire procellas, & ad portum salutis absque naufragio devenire. Rem namque non parvam attento, & in qua video non plenè sufficere vires meas. Sed meum jacto cogitatum in Dominum, qui voluit quòd aliquando irrationabile animal loqueretur. Et veniam peto, quòd audeo nunc officio stili submittere quæ gesta sunt, dum adhuc forem in infantia constitutus. Piæ namque memoriæ Pater meus Notariæ artem exercens in Padua, animum suum applicuit, ut non solùm contractus scriberet, sed & facta quædam de Marchia Tarvixina, more bonorum simplicium antiquorum, notaret, notataque mihi dedit in scriptis, quibus me aliqua superaddere jussit, cùm jam annus ætatis meæ XXIII. decurrebat. Sic itaque volens ipsi succedere bonæ fidei possessori, paternis scriptis addere attentavi quæ me partim recolo audivisse, post ejus verò jussa pro magna parte vidisse me profiteor, & scripsisse. Si quibus autem gestis infra notatis per me quicquam fuerit variatum, diminutum, vel additum; veritatis illud lima cupio lucidari: cùm in hoc meæ simplicitatis opusculo denotentur quæ facta sunt in Marchia usque diebus illis, vel circa, currente scilicet anno Domini MCC. quo sum natus, ad sexagesimum in quo scribo. Non est enim humanæ fragilitati possibile, omnium habere memoriam, vel referre singulariter singula, prout fiunt. Nam & facta quædam foris à Marchia hìc ponuntur: nec istud erit meæ intentioni contrarium, cùm in hiis etiam studuissem, nisi quòd alibi sunt notata. Et ego propono potiùs facta hujus Marchiæ memoranda notare, ut sint favente Domino, huic meæ patriæ, cui teneor, utilia documenta. Erunt autem, quæ inferiùs conscribentur, Chronica facta quædam à χρόνος Græco dicta, quod Latinè tempus interpretatur, cùm facta quælibet ferè sint suis temporibus attributa. in quibus ad brevitatem laboro, & relinquo sapientibus quod insufficienter, vel minus bene dictum fuerit, corrigendum. Immo supplicanter exposco, ut aliquis post me veniens, culturæ suæ aratro debeat adæquare quod movi meo crasso fossorio, & abrupi. Scribo quoque prosaicè hac de causa, quia scio, quæ dixero posse dici à me per prosam pleniùs, quàm per versus, & cùm sit his temporibus dictamen prosaicum intelligibilius, quàm metricum apud omnes. Sed utinam viveret Virgilius, vel Lucanus, quoniam imposito mihi dignè silentio, copiosam haberent materiam, qua suum possent altum ingenium exercere. Denique non possum silentio pertransire, quòd inter ceteras causas, quibus infrascripta recolligo, specialiter hæc est una, quòd ad hoc à personis Religiosis appellor, improperantibus mihi plurimum, si non scribo, quoniam temporibus istis fui. Quibus igitur obedire desiderans, ecce potiùs eligo scribere studiosus, quàm degere piger & otiosus. Nam fortè non erit inutile, vel delectabile minus aliquibus, & præcipuè literatis id, quod de modernorum injuriis, & laboribus scriptum per Latinum invenient, quàm quod de gestis Nobilium antiquorum audiunt per vulgare, quod dirimatum vulgo dicimus, & Romanum. Ut demum haberi possit scriptorum lucidior intellectus, opus istud, sive recollectio Chronicorum, distinguitur in partes, & placeat legentibus, quod in Libris XII. est divisum. Hæc autem sunt Capitula, quæ in toto volumine continentur.

(*) *Cod. Est.* minimus omnium.

Digitized by Google

INCIPIUNT CAPITULA PRIMI LIBRI.

De parentela Domorum de Romano, & de Campo Sancti Petri, & de quodam dolo facto primitus inter eas. I.
Causa quædam superaddita, quæ rixam augmentavit, & guerram. II.
Nativitas, & origo tertii Ecelini, & vita cujusdam sororis ejus. III.
De guarnimento primo facto occasione Campreti. IV.
Oratio Episcopi Gerardi ad Ecelinum, & partem ejus. V.
Oratio Episcopi Gerardi ad illos de Campo Sancti Petri. VI.
Facta quædam inter Paduanos, & Vicentinos propter Montegaldam, & propter Ecelinum de Romano secundum. VII.
Factum inter Paduanos, & Vicentinos ad Carmignanum. VIII.
Factum Braidæ de Verona. IX.
Ludus de Prato Vallis, & Porta Turisellarum hoc tempore facta fuit. X.
De Frederico electo in Romanorum Regem, & de morte Marchionis Azonis (a) sequenti anno, & quorundam Magnatum de parte ejus. XI.
Factum de Este primum. XII.
De ludo quodam facto apud Tarvixium. XIII.
De exercitu facto ad Baibam contra Venetos. XIV.
De morte Aldrevandini (b) Marchionis Estensis. XV.
Hic factum est Palatium Paduanum. XVI.

INCIPIUNT CAPITULA SECUNDI LIBRI.

Factum Castri Franchi, & quando incœpta est Cittadella, & Federicus coronatus. I.
Prima seditio (c) Ferrariæ, & de morte Thysolini. II.
De tempore Terræmotus. III.
De secunda obsessione Ferrariæ, & concordia quadam Veronæ. IV.
Factum de Fratta (d) Ferrariensis districtus. V.
Literæ, quas misit Salinguerra de Ferraria Ecelino minori, scilicet tertio Ecelino. VI.
Responsio ad prædictas literas. VII.
Hic expulsi sunt amici Marchionis de Verona. VIII.
De exercitu (e) facto ad Baxianum. IX.
Mittunt Veneti Ambaxatores ad prohibendum causas malorum in Marchia. X.
Loquuntur Ambaxatores in Consilio Paduano. XI.
Quærit Potestas consilium, quid sit Ambaxatoribus respondendum. XII.
Loquuntur Ambaxatores Venetiarum Ecelino, & suis. XIII.
De responsione facta Ambaxatoribus per Ecelinum. XIV.
Literæ, quas misit Ecelinus major filiis, ut cum Padua concordarent. XV.
Hic redditur Paduanis Castrum Fontis. XVI.
De exercitu facto ad Triville (f), & ad partes illas. XVII.
Qualiter Commune Paduæ recuperavit terras Feltrensis, & Belunensis Episcopi sui civis. XVIII.
Hic speravit Padua pacem amodo permansuram in ea. XIX.

INCIPIUNT CAPITULA TERTII LIBRI.

Hic capitur Veronæ Comes Sancti Bonifacii, & Potestas expellitur. I.
Loquitur Dominus Gerardus Rangonus in servitio Veronensium expulsorum. II.
Loquitur Dominus Matthæus Justignanus (g) Potestas de Verona expulsus. III.
Hic iverunt Paduani hostiliter ad Portum, & Legnagum, & ad Rivaltam. IV.
Hic tangitur de facto Sancti Antonii quasi ex incidenti. V.
Redemtio Comitis, & factum quoddam, quod fuit ad Anoale. VI.
Hic tangitur breviter de pace Fratris Johannis. VII.
Exercitus factus per terras illorum de Romano, & per districtum Tarvixii. VIII.
De adventu Imperatoris in Lombardiam, & postea in Marchiam. IX.
Recessus Imperatoris ad partes Alamanniæ post captam Vicentiam. X.
De XVI. Potestatibus factis in Padua uno & eodem tempore. XI.
Concio, quam fecit Ecelinus in principio guerræ in Montesilice. XII.
Hic loquitur, & respondet unus de sexdecim Potestatibus. XIII.
Hic loquitur unus de Montesilice. XIV.
Hic præsumsit Ecelinus per vim intrare Paduam, sed nequivit. XV.
De primo introitu Nuntiorum Imperatoris in Padua. XVI.

INCIPIUNT CAPITULA QUARTI LIBRI.

Hic constituitur in Padua primus Potestas pro Domino Imperatore, scilicet Comes Symon. I.
De obsessione Montagnonis. II.
Prima subjugatio Communis Paduæ sub specie bona. III.
Factum Castri Sancti Bonifacii, & factum de Curte Nova in Lombardia. IV.
Factum de Prato Vallis Aldovrandino Cazaconte Potestate in Padua. V.
Hic exivit pars Marchionis de Civitate Paduæ, & factus est exercitus ad Este, & ad Montagnanam. VI.
Literæ, quas Ecelinus stans Paduæ misit Impera-

(a) *MS. Amb. I.* Statim sequenti anno.
(b) *MS. Amb. I.* Aldevrandini *semper*.
(c) *MS. Amb. I.* Prima deditio.
(d) *MS. Amb. I.* Fracta.
(e) *MS. Amb. I.* primo facto &c.
(f) *MS. Amb. I.* ad Trivillem, & Godicum, & per partes illas.
(g) *MS. Amb. I.* Justignanus *non legit*.

Digitized by Google

peratori commoranti Cremonæ. VII.
Literæ, quas Dominus Imperator remisit Ecelino. VIII.
De introitu Domini Imperatoris in Padua, & de Domino Thebaldo, qui factus est Potestas ibidem. IX.
De excusatione Imperatoris ab excommunicatione in eum facta. X.
De quibusdam Paduanis missis ad mandata jussu Imperatoris, & de quibusdam redemtis. XI.
De hiis, quæ facta sunt ab Imperatore stante apud Castrum Franchum (h). XII.
Qualiter dum staret dictus exercitus, obscuratus est Sol, & recessit Imperator in Lombardiam. XIII.
De Castris Marchionis per ipsum recuperatis. XIV.
De conspiratione prima, & maleficiis primo factis in Padua. XV.

INCIPIUNT CAPITULA QUINTI LIBRI.

De obsessione, & captione Ferrariæ. I.
De captione illorum à Vado (i). II.
De facto Silvazani. III.
De facto Agnæ, & morte Domini Jacobi de Carraria (K), & de morte Domini Advocati. IV.
Hoc tempore Faventia est reddita Imperatori, & Terra de Estea quadam proditione liberata. V.
De obitu duorum Apostolicorum in brevi tempore. VI.
De electione Innocentii Papæ IV. & obitu Imperatricis. VII.
De Montagnana combusta, & capta ab Ecelino. VIII.
De quadam injusta sententia lata contra duos cives Paduanos, & de Galvano Lancea facto Potestate Paduæ. IX.
De destructione quadam facta per partes Tarvisini districtus (l). X.
De morte Comitis de Panego, & de destructione Castri Sancti Bonifacii (m), & de quarta sconfitta facta in partibus Cornudæ inter Paduanos, & Tarvixinos. XI.
De captione, & destructione Castri Hostiliæ, & de Comite Guizardo facto Potestate Paduæ. XII.
De congregatione quadam facta Veronæ per Imperatorem. XIII.
De depositione Imperatoris Frederici. XIV.
De Mestre, & Anoale redditis Ecelino. XV.
De eo quod Dominus Guillielmus de Campo Sancti Petri vénit ad mandata Domini Ecelini. XVI.
De Campreto reddito Domino Ecelino. XVII.
De captione Castri de Muxolento. XVIII.
Factum de Bonicis, & de conspiratione secunda. XIX.
De morte Henrici de Ygna Veronensium Potestatis, & de Wecili de Prata facto Potestate in Padua. XX.
De obsessione Parmæ, & destructione Civitatis Victoriæ. XXI.

(h) MS. Amb. I. existente Imperatore apud Castrum Francum hostiliter.
(i) MS. Amb. I. addit & eorum morte.
(K) MS. Amb. I. de Ferraria.
(l) MS. Amb. I. addit & ad Este.
(m) MS. Amb. I. in verbo Sancti Bonifacii claudit

De obitu Imperatoris electi, & de destructione Victoriæ. XXII.
De Feltro, & Beluno datis Ecelino dimissa parte Ecclesiæ. XXIII.

INCIPIUNT CAPITULA SEXTI LIBRI.

De quadam responsione, quam olim Ecelinus Imperatori fecerat, & de proditione Montissilicis. I.
De captione Dalesmaninorum. II.
Hic incipit Potestaria Ansedixii de Guidotis. III.
De quibusdam captis occasione quorumdam versuum. IV.
Hic accepit Ecelinus uxorem. V.
De captione Estensis villæ, & rochæ, & quorumdam aliorum locorum. VI.
De morte Judicis Potestatis. VII.
De morte illorum de versibus. VIII.
De captione illorum de Capite Nigro, & de morte (n) Dalesmaninorum. IX.
De morte Imperatoris Frederici. X.
Hic redditur Ecelino Cerrum, & Calaonum. XI.
De Morte Domini Guillielmi de Campo Sancti Petri. XII.
Hic dicitur causa captionis ipsius Domini Guillielmi. XIII.
De captione amicorum Domini Guillielmi. XIV.
De morte illorum de Peraga. XV.
De nimia multitudine carceratorum. XVI.
Hic tangitur de quibusdam occisis gladio, & de pueris cæcatis, & castratis. XVII.
De Capitaneis positis per contratas Paduæ. XVIII.

INCIPIUNT CAPITULA SEPTIMI LIBRI.

De multis detentis in Padua, & de tertia conspiratione. I.
De quibusdam captis in Verona, & de quibuscombustis in Padua. II.
Hic cepit Ecelinus quosdam de fidelioribus quos habebat, in Padua, & Verona. III.
Iterum hic capiuntur quidam fidelissimi (o) Ecelini jussu ipsius. IV.
De morte illorum de Montesilice honorabiliter acquisita. V.
De captione Fratris Felicis, & Carnaroli ejus fratris Veronæ. VI.
De multis captis in Padua, & Verona. VII.
De pœnis carceris Cittadellæ. VIII.
De morte multorum in Padua, & Verona. IX.
Iterum hic tangitur de (p) morte multorum in Padua, & Verona. X.
Iterum de morte, & horribili truncatione multorum. XI.
Adhuc de morte quorumdam, & demembratione multorum. XII.
Monitio quædam, sive utilis injunctiva (q). XIII.

INCIPIUNT CAPITULA OCTAVI LIBRI.

Adventus Legati ad partes Marchiæ Tarvisinæ. I.

Fa-

hunc titulum.
(n) MS. Amb. I. & de morte ipsorum, & Delismaninorum.
(o) MS. Amb. I. de parte Eccelini &c.
(p) MS. Amb. I. de captione & morte &c.
(q) Integer hic titulus desideratur in MS. Amb. I.

Digitized by Google

Factum de Concadalbaro. II.
Factum de Buvolenta, & de Causilve. III.
Hic revertitur Ansedixius Potestas Paduæ in Padua, dimisso guarnimento in Villa Plebis. IV.
De Procuratorum angustiis, & de dispersione populi Paduani. V.
Hic revertitur Gorzia Padaum cum toto guarnimento de Plebe. VI.
Hic facit Ansedixius magnam concionem in Palatio Paduæ. VII.
Hic facit Legatus concionem in Ecclesia Sancti Martini de Plebe. VIII.
De motu Legati de Plebe venientis ad Paduam occupandam. IX.
Hic capiuntur burgi Paduæ à Legato, & gente sua. X.
Hic Ansedixius reclusus (r) intra muros Paduæ circuit Civitatem in nocte. XI.
Hic ordinatur à Legato, & gente sua impugnare Civitatem. XII.
Hic impugnatur Padua à militibus Sancti Petri. XIII.
Hic fugit Ansedixius de Padua cum militibus, & peditibus suis. XIV.

INCIPIUNT CAPITULA NONI LIBRI.

Hic intrat Legatus, & milites Sancti Petri in Padua. I.
Hic tangitur de Carrocio Paduano. II.
Hic redditur officium excommunicatione remota, & terra Montissilicis redditur Ecclesiæ. III.
Hic redditur Cittadella, & Mestre per interpositas personas Legato. IV.
Hic redditur Castrum Zigotum Alberico de Romano. V.
Hic redduntur Legato quasi omnia Castra Paduani districtus. VI.
De reditu Ecelini, devastatione Mantuani districtus. VII.
De Paduanis carceratis Veronæ. VIII.
De pugna quadam facta ad rostam Longariæ. IX.
Qualiter gens Legati est in Longare perterrita. X.
Qualiter Legatus cum exercitu rediit de Longare. XI.
Quo tempore Dominus Episcopus Paduæ, & Dominus Abbas Sanctæ Justinæ de Padua sunt in suis dignitatibus positi. XII.
Post regressum exercitum de Longare loquitur Ecelinus Vicentiæ inter suos. XIII.

INCIPIUNT CAPITULA DECIMI LIBRI.

Hic faciunt Paduani spaldum pro securitate sua, & Civitatis. I.
Hic victa Montegalda, & Montegaldella, venit Ecelinus versùs Paduam hostiliter. II.
Hic stat Ecelinus prope spaldum Paduæ, & nominantur gentes, quæ sunt cum eo. III.
Hic exeunt Paduani obviam Ecelino, & nominantur gentes, quæ sunt cum eis. IV.
Primus insultus, quem fecit Ecelinus ad spaldum Paduæ. V.
Hic facit Ecelinus secundum insultum ad spaldum Paduæ. VI.

(r) *MS. Amb. I.* reclusus vicis Paduæ intra muros.
(s) *MS. Amb. I.* Hic revertitur exercitus Ecelini &c.

Quærit Ecelinus consilium, unde possit in Civitatem irrumpere. VII.
Hic vult Ecelinus intrare Paduam à Sancta Cruce, vel ire ad Montemsilicem. VIII.
Hic revertitur Ecelinus (s) ab obsessione Paduæ, & vadit Vicentiam. IX.
Hic ponit Ecelinus Vicentinos extra propriam Civitatem. X.
De pœna quadam indigna, & turpi, quam fecit Ecelinus Veronæ. XI.
Factum quoddam Coloniæ Veronensis districtus. XII.
Hic redditur Marchioni Castrum Montissilicis, & Cerrum, & Calaonum. XIII.
De quibusdam Vicentinis occisis à Theotonicis in partibus Cittadellæ. XIV.
Pugna quædam facta inter Theotonicos, & illos de Montagnana. XV.
De vindicta facta in Gerardum Presbyterum proditorem. XVI.
De vindicta Prophetæ, & Jacomacii. XVII.

INCIPIUNT CAPITULA XI. LIBRI.

Hic incipit Dominus Joannes Badoarius suam Potestariam in Padua. I.
Hic tangitur, quòd discordia fuit in electione Regis Alemanniæ. II.
Hic perierunt quidam volentes violenter intrare Tarvisium. III.
Hic pugnaverunt quidam Paduani milites cum Theotonicis in contrata Roxani. IV.
De quibusdam captis ad Villam Novam. V.
Hic incipit Dominus Matthæus de Corrigio suam Potestariam in Padua. VI.
Pugna quædam inter milites Paduanos, & Theotonicos in Campanea Baxani. VII.
Hic ivit Ecelinus ad exercitum Cremonensium contra Legatum. VIII.
Hic capitur Legatus ab Ecelino. IX.
Hic redditur Brixia Ecelino, & suæ parti. X.
Hic misit Romana Curia alium Legatum in Marchia. XI.
Hic voluit Ecelinus stans Brixiæ mittere Boxium de Dovara Veronam pro Potestate. XII.
Hic gloriatur Ecelinus, quòd habet Legatum captum, & audet Ecclesiam redarguere. XIII.
Quoddam somnium, quod Ecelinus vidit in Brixia. XIV.
Hic firmata est quædam secreta concordia inter omnes amicos Ecclesiæ. XV.
Hic tractatur, qualiter Vicentinus districtus à latere versùs Paduam est transcursus à Paduanis. XVI.
Hic tangitur factum, quod Ecelinus fuit ad Friolam. XVII.
Hic attraxit Ecelinus (t) ad suam partem quosdam Mediolanenses. XVIII.

INCIPIUNT CAPITULA XII. LIBRI.

Hic incipit Dominus Guido de Montefojano suam Potestariam in Padua. I.
De puncto electionis Ecelini ad ultimum suum iter in Lombardiam. II.
Hic transit Ecelinus flumen Olii, Lombardis stantibus in contrarium. III.
Hic transit Ecelinus flumen, quod appellatur Adda,

(t) *MS. Amb. I. addit* latenter.

Adda, & tendit versùs Mediolanum. IV.
Loquutus est Ecelinus cum gente sua in Vico Mercato, & tenet pontem Caxani super Adda. V.
Appropinquat exercitus Lombardorum ad Ecelinum, & violenter occupat pontem Addæ. VI.
Hic vulneratus est Ecelinus in pede, & transit ad alteram partem Addæ, ubi sunt inimici. VII.
Qualiter Ecelinus captus est in Lombardia. VIII.
Hic tractantur, ubi Ecelinus jacet mortuus, & sepultus. IX.
Qualiter Vicentia est reddita Ecclesiæ, & pacificata, statim post obitum Ecelini. X.
De Baxano reddito Ecclesiæ. XI.
Hic redditur Civitas Tarvixii Ecclesiæ, &

A

B

suis fidelibus. XII.
De fuga Albrici in castrum Sancti Zenonis, & de pugna quadam inter ipsum, & Baxanenses. XIII.
Hic tangitur, quòd Albricus conclusus est in turri Sancti Zenonis Tarvisini districtus. XIV.
Loquitur Albricus inter filios in ultimo suæ vitæ. XV.
De captione, & morte Albrici de Romano, & filiorum. XVI.
Exemplum, quòd alta citò corruunt, sed humilia durant. XVII.
Recommendatio hujus Operis ad legentes. XVIII.
De tempore, quando approbatum est hoc opus, & à quibus personis (u). XIX.

(u) *Ultimus hic titulus non reperitur in MS. Amb. I.*

Alte-

Digitized by Google

Altera ROLANDINI Præfatio collecta breviter, & summatim quæ in hoc libro continentur (1).

Ex MS. Ambrosiano II. nunc primùm prodit, additis variantibus lectionibus Codicis Estensis, in quo eadem reperitur.

INtentio est hujus libri breviter & summatim colligere omnia, quæ hìc notantur ad honorem, & utilitatem, & documentum totius communantiæ, & populi Paduani, & aliorum populorum ubicumque.

Primò ergo notantur quæ antiqui nostri prædecessores honorabiliter, & sapienter fecerunt tam in pace, quàm in guerra in Marchia Tarvisina, & alibi contra omnes, qui contra honorem Paduæ aliquid præsumserunt.

Item super tota continentia libri dantur multæ monitiones, & castigamenta salubria, quibus Paduana gens, quæ semper libertatem dilexit (2), pro salute sua potest manifestè videre, quia horribilis est crudelitas Tyrannorum in Civitatibus, quibus præsunt.

Item quid pessima operentur dominia, quia manus impias extendunt non solùm ad sæculares (3), sed & loca Ecclesiastica dissipant, carcerant Religiosos, rura (4) & palatia diruunt, devorant divitias, pauperes orphanant & pupillos, viduant mulieres, res earumdem destruunt (5), & personas.

Hæc autem quàm injustissimè in Padua facta sint, & quoniam scripta sunt in libro per ordinem, veritatem dicendo, nullam infamando vel accusando personam de Padua, nullum posset odium, vel inimicitia generari inter aliquos nobiles, aut minus nobiles de Padua (6), vel de Paduano districtu, nam proditoriè facta sunt per Fidei Catholicæ inimicos contra gentem Paduanam Catholicam, & insontem, quæ quidem voluit potiùs se periculo, & morti opponere, quàm privari solita libertate.

Et hæc omnia esse debent discretis & sapientibus speculum, quasi & lucerna, ut per flagella præterita, quæ viderunt, præcavere sibi cupiant, & providere Civitati suæ prudenter & salubriter de futuris; quoniam scriptum est.

Rumor de veteri facit & non - - (7) timeri
Cras poterunt fieri turpia (8), sicut heri.

Continetur etiam in libro plenariè victoria nobilis, & triumphus, quem Paduani Cives expulsi de suis bonis contra Deum, & rationem, diebus illis feliciter habuerunt, quando civitas ipsa per eos prudenter, & magnificè capta, & liberata (*fuit*) de manibus impiorum, & sceleratorum, & tyrannide infernali, & quodammodo de manibus Antichristi, scilicet Ecelini.

Post hæc continetur ibidem, qualiter ipsa civitas, postquam est Sanctæ (9) Matris Ecclesiæ, prudenter, & viriliter se defendit ab inimicorum multitudine invasa, de multis civitatibus congregata in unum, de Lombardia & aliunde, qui civitatem obsederunt, volentes eam submittere servituti, quod absit.

Notantur ibi similiter quædam aliæ victoriæ omni dignæ memoria, quæ post Civitatem Ecclesiæ redditam habitæ sunt de inimicis Ecclesiæ, & Civitatis Paduæ in partibus de Longare, in partibus de Roxano, apud portas Baxiani, in partibus de Noventa, in campanea Montagnanæ, & alibi cum gloria, & honore.

Notantur ibi etiam, qualiter mortui sunt Ecelinus de Romano, & Albricus ejus frater cum gente, & familia sua tota; & qualiter post sua dominia cecidit altitudo eorum quodammodo in momento, per quod potest apertè videri, quòd non altitudo, non divitiæ, non potentia prævalet contra Deum.

Et sciendum, quòd in omnibus prædictis negotiis, & in multis aliis, quæ non possunt hìc singulariter dici, sed continentur seriatim in libro, scriptum est quo anno Domini singula facta sunt, & ubi, & quo mense, & de pluribus in quo die.

Ultimò scripta sunt per ordinem omnia nomina Potestatum, seu Consulum, & Rectorum, qui rexerunt Paduam, & quo anno, ab annis centum hinc retro, vel circa, usque ad præsens tempus.

---

(1) *Codex Estensis habet hunc titulum*. Præfatio collecta breviter, & summatim de omnibus per Rolandinum Patavinum Auctorem composita, & in Patavino Gymnasio edita.
(2) *Cod. Estens. addit* & diligit.
(3) *Cod. Estens.* non solùm domos, sed & loca &c.
(4) *Cod. Estens.* Turres & Palatia &c.
(5) *Cod. Estens.* destruunt, & confundunt.
(6) *Cod. Estens. addit* quod nullum &c.
(7) *Cod. Estens.* facit & ventura timeri.
(8) *Cod. Estens.* tempora.
(9) *Cod. Estens.* postquam reddita S. M. E.

Digitized by Google

LIBER CHRONICORUM,

SIVE

MEMORIALE TEMPORUM

DE FACTIS IN MARCHIA,

Et prope ad Marchiam Tarvisinam,

ROLANDINO AUCTORE.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De parentela Domorum de Romano, & de Campo Sancti Petri, & de dolo quodam facto primitus inter eas.

Hronica facta Marchiæ Tarvisinæ si cura diligenti recogito, quæ partim in scriptis, partim quoque relatione vulgari concipio; inter ceteras claras Domos, & excellentes Nobilium, quæ fuerunt, & sunt hodie in ipsa Marchia, quatuor meo tempore fama satis, & actibus claruerunt; una Estensis, altera de Camino, tertia de Romano, quarta de Campo Sancti Petri. Sed peto, ne hoc dictum meæ intentionis, vel ordo per ceteros Nobiles incusetur, cùm

(1) *Codex Estensis* Ecili.
(2) *In marg. Cod. Estens. legitur* Conradus.

A dicere sit expediens, qualiter hæ ultimæ duæ Domus primitus certaverunt, affines, & sibi attinentes ad invicem proximâ lineâ parentelæ. Nam Dominus Ecelinus primus, qui dictus est Balbus, filius prioris Ecelini (1) de Honaria primò filiam habuit unicam nomine Cunizam; secundò filium habuit similiter nomine Ecelinum, qui dictus fuit Monachus in ultimo suæ vitæ. Soror ergo hujus Ecelini secundi tradita est solemniter in uxorem Domino Tisolino primo de Campo Sancti Petri, & ex ea nati sunt primo Gerardus (2), secundò Tiso novellus, viri nobiles, & potentes. Contigit autem tempore hoc in partibus Paduanis, B nominatim in villa de Abano, esse nobilem quendam virum, nomine Manfredum Riccum, qui erat altus, & potens, & ditissimus præ ceteris Marchiæ in montibus, & in plano. Hic filiam habuit unicam, nomine Cæciliam. Quo defuncto, cùm puella quasi solitaria remansisset, & ad eam amodo videretur paterna hereditas totaliter devoluta (a), cùm esset in ætate annorum circa XIV. soretque ejus jam mater nupta cuidam Nobili, unde postea prodiit proles de Maltraversis in Padua: Spinabel-

(a) *MS. Amb. I. desiderat hæc verba* cum esset in ætate annorum circa XIV.

A nabellus de Xendrico de familia, sive de masnada puellæ accessit ad Dominum Tisolinum prædictum, cujus major filius Gerardus pulcher juvenis sinè uxore ducebat honorificè vitam suam. Et tractabat idem Spinabellus cum Domino Tisolino tradere in uxorem puellam ipsam dominam suam ejus filio Gerardo prædicto; volebat tamen ex hoc servitio habere libras quinquaginta: quod Domino Tisolino placuit, & dixit se velle super hiis negotiis habere consilium ab amicis. Postquam igitur Spinabellus recessit, Dominus Tisolinus recitavit hoc factum socero suo Ecelino Balbo, quem habebat amicum, & dominum præ ceteris cariorem. Ipse verò datis verbis congruæ responsionis genero, quemadmodum
B subtiliter dare novit, cogitavit ex illa hora, quòd tale matrimonium conveniens esset pro filio suo Ecelino Secundo, qui quamvis jam duas uxores in sua pueritia habuisset, primam scilicet Dominam Agnetem sororem Domini Azonis primi Marchionis Estensis, quæ parvo tempore post nuptias decessit in partu; secundam autem sororem Domini Dalesmanini de Padua, à qua nunc solutus erat divortio celebrato solemniter; tamen adhuc juvenis alicujus altæ Dominæ matrimonium cupiebat. Speravit autem (3) Ecelinus prædictus per talem nurum magnum habere dominium in
C partibus Paduanis. Protinus itaque misit Ecelinus nuntium, & vocavit ad se Spinabellum, cui datis incontinenti libris C. taliter fecit, & ordinavit, quòd non multis transfactis diebus, per Spinabellum eumdem inter dominam suam Cæciliam, & Ecelinum filium Ecelini factum est matrimonium, & contractum. Iverunt quoque (4) pro puella milites Ecelini, & quàm citiùs esse potuit ducta est Baxanum solemniter (5), & omnibus sponsalitiis celebratis honorificè, completum est matrimonium, & consummatum. Hanc itaque Dominam magnificè tenuit, & tractavit, & de ipsa Ecelinus ipse secundus, quasi ultimo tempore, quo eam tenuit, filiam habuit Domi-
D nam Agnetem matrem postmodum Domini Ansedisii de Guidotis.

CAP. II.

Causa quædam superaddita, quæ rixam augmentavit, & guerram.

SEd meditari potest quilibet, quòd Nobiles illi de Campo Sancti Petri, quamvis eorum mater soror erat Ecelini secundi, non tamen potuerunt (6) oblivisci illius illusionis, & doli, quem eis de Domina Cæcilia primus fecerat Ecelinus, surrepto sibi tanto matrimonio fraudulenter. Contigit autem prædictam
E Dominam Cæciliam in partes velle descendere Paduanas, sive paisandi causâ, sive quòd per Paduanum districtum magnas masnadas, vassallos multos, & amplas possessiones habebat. Itaque de mariti licentia honorabiliter sociata, equitavit ad villas, & partes Ultrabrentanas, in Paduanum districtum, & pervênit ad contratas (7) Sancti Andreæ de Musone. Intendit quoque semper inimicus humani generis discordiæ seminator quòd crescant scandala, emergant odia, litigia oriantur, jurgia duplicentur, & rixæ. Ecce namque dum ipsa Domina descendisset ad partes prædictæ villæ, Gerardus de Campo Sancti Petri, ejusdem Dominæ nepos, ad amitam accessit indebitè; & cum ipsa, quam quondam habere debuerat in uxorem, incestum solatium habuit, & quod libentiùs conticerem, complevit desiderium cordis sui. Ex hac ergo scintilla offensionis flamma crevit, & ardens ignis, unde hodie tota Marchia subjecta guerræ, destructioni subjacet, & ruinæ. Inter fratres, & proximos, cives, & convicinos seminata est zizania, odia, dolositates, & rixæ, & fraudes, versutiæ, & rapinæ, deceptiones, & simulationes (8), mortes, & inimicitiæ capitales, secundùm quod inferiùs ostendetur. Sanè dicta Domina postquam est reversa Baxanum, (mirum quæ fuit causa!) quidquid Gerardus fecerat, marito infeliciter propalavit. Et ecce siquidem causa guerræ. Licentiavit ipsam igitur Ecelinus, & eâdem spretâ ulteriùs, & remotâ, tradidit eam nuptui honorabiliter & magnificè cuidam nobili civi Venetiarum, scilicet Jacobo de Zianis (9), cum quo satis in honore permansit, donec civis altus, & potens de Padua Dominus Dalesmaninus, de ea facto solemni divortio, sapienter eamdem accepit, & habuit in uxorem per exercitium unius hominis de masnada ipsius Dominæ, nomine Linguaintesta. Ex hoc itaque divitum personarum conjugio, tempore procedente nati sunt filii & filiæ nobiles & potentes.

CAP. III.

Nativitas, & origo tertii Ecelini.

POst licentiatam Dominam Cæciliam, & post defunctum Dominum Ecelinum Balbum, Ecelinus secundus providit in suis factis; & missis Nuntiis in Tusciam ad terram quamdam, quæ appellatur Mangonum, contractum est matrimonium inter ipsum, & Dominam Aledeitam sororem Comitum de Mangono, qui etiam Comites Rabbiosi (10) nominabantur. Quæ Domina cum honore magno recepta, factaque solemni curia XV. diebus, & ultra, nuptiis laudabiliter celebratis, eam tenuit magnificè & decenter. De qua primò genuit Dominam Palmam novellam, quæ postea fuit uxor Domini Alberti de Bapne Paduani civis, viri clarissimi & potentis. Secundò de ea genuit Dominam Imiam, quæ postea fuit uxor viri nobilis Domini Alberti (11) Comitis Vicentini. Tertiò de ea genuit Dominam Sophiam, quæ postea fuit uxor Domini Henrici primi de Ygna, &, eo mortuo, nupsit postea Domino Salinguerræ de Ferraria. Quartò de ea genuit Dominum Ecelinum tertium, qui postea (12) pertinuit ad progeniem Rabbiosorum (13) verè, & natus est currente anno Domini MCXCIV. die IV. exeunte Aprili, circa meridiem. Quintò genuit

(3) *Cod. Estens.* etiam.
(4) *Cod. Estens.* itaque.
(5) *Cod. Estens.* solemniter dicta Domina.
(6) *Cod. Estens.* poterant.
(7) *Cod. Estens.* contratas & partes: *huic cohæret Codex Ambr. I.*

(8) *Cod. Estens.* simultates.
(9) *Cod. Estens.* Zanis.
(10) *Cod. Estens.* Raybosi.
(11) *Alius Cod. Estens. habet* Alberici.
(12) *Cod. Estens.* qui vivere.
(13) *Cod. Estens.* Rayboforum.

Digitized by Google

A genuit Albricum. Sextò genuit Dominam Cunizam, vitæ cujus series talis fuit. Primò namque data est in uxorem Comiti Rizardo de Sancto Bonifacio; sed tempore procedente, mandato Ecelini sui patris, Sordellus de ipsius familia Dominam ipsam latenter à marito subtraxit, cum qua in patris Curia permanente, dictum fuit ipsum Sordellum concubuisse: & ipso expulso ab Ecelino, Miles quidam nomine Bonius de Tarvisio Dominam ipsam amavit, eamdemque à patris Curia separavit occultè, & ipsa nimiùm amorata in eum, cum ipso Mundi partes plurimas circuivit, multa habendo solatia, & maximas faciendo expensas. Demum ambo reversi sunt ad Albricum de
B Romano fratrem ipsius Dominæ, regentem, & dominantem in Tarvisio, contra voluntatem Ecelini ejus fratris, ut dicebatur, & apparebat, & illic stabat idem Bonius cum dicta Domina Cuniza, tamen vivente adhuc uxore ipsius Bonii, & in Tarvisio permanente. Occisus est demum Bonius gladio in quodam Sabbato Sancto, cùm Ecelinus Civitatem Tarvisii de dominio fratris velle videretur eripere (14). Hæc autem Domina Cuniza, cùm post omnia hæc declinasset ad fratrem suum Ecelinum, ipse maritavit eam (15) viro cuidam nobili de Braganzo. Sed postea cùm guerra exarsit in Marchia, Ecelinus ipsum cognatum suum, cum ceteris Nobilibus de Braganzo,
C & aliunde per Marchiam fecit occidi. Adhuc iterum ipsa Cuniza post mortem fratris sui Ecelini maritata est in Verona. Supradicta autem Domina Aledeita cùm in magna sibi (b) vidisset lætitia maritum potentem, filias maritatas in alto gradu, filios affluentes divitiis, Castrorum dominos, potentes clientibus, & masnadis, terribiles inimicis, foretque dicta (c) ad hæc stellarum cursus cognoscere, quòd filiis prophetavit: circa quinquagesimum suæ ætatis annum decessit.

CAP. IV.

De guarnimento facto occasione Campreti.

D Ante tamen, quàm decederet dicta Domina Aladeita, illis quoque temporibus, quibus Ecelinus maritus ejus in honore magnifico (16), summaque lætitia permanebat, tamen adhuc non immemor injuriæ sibi quondam illatæ in Domina Cæcilia per Gerardum nepotem suum, cogitavit, qualiter ipse posset suum animum pascere ultione. Tegens igitur alta mente indignationem, & iram, quam animo arroganti conceperat, adjunxit sibi, licèt per amorem illicitum, Dominam Mariam de Campreto, consanguineam illorùm de Campo Sancti Petri, sed ex altera parentela. Nam
E & ipsa inter cetera, quæ sui juris erant, cum ipsis suis consanguineis dividenda, jus habebat in Curia de Campreto. Hanc Dominam, quasi ut uxorem, in quodam suo Castro tenebat, ita quòd tempore procedente idem Dominus Ecelinus de dicta Domina Maria quamdam filiam genuit, scilicet Dominam Aledaxiam (17). Post hæc ipsa Domina Maria, sive expulsa, sive sponte propria, recessit à potente quasi marito; & cùm remansisset filia apud patrem, insurrexit quæstio inter Ecelinum, & illos de Campo Sancti Petri, utpote quia voluit pater pro filia possidere Campretum. His ergo duabus domibus amicos suos undique congregantibus, facta sunt maxima guarnimenta hinc inde, & castramentata utraque parte in confiniis, & partibus de Campreto, forsitan devenissent ad pugnam. Sed Reverendus vir opere & sermone Dominus Gerardus Dei gratiâ Episcopus Paduanus, adhibito sibi favore Communis, & Populi Paduani, perrexit ad utriusque partis exercitum, & quasi sacer Orpheus, qui dictus est in fabulis Poëtarum cum dulcedine suæ lyræ mulcere Tigres, tumidos mitigasse Leones; Sanctitatis suæ dulcibus alloquiis interposuit partes suas: & appellans primitus Dominum Ecelinum cum suis illis consociis (18), & amicis, de quorum consilio procedebat; post locutionem Domini Alexii Judicis Potestatis (19) pro Communi Paduæ, cum ipso Domino Episcopo destinati, hoc modo loquutus est inter eos.

CAP. V.

Oratio Episcopi Gerardi ad Ecelinum, & partem ejus.

„ Qui timet Deum, facit bona, & qui „ continens est justitiæ, apprehendit „ illam. Verba ista, verba Sapien„ tiæ nominantur, & concordat titulus ipsis „ verbis. Scimus enim, & legimus in divina „ pagina & humana, multos timentes Deum, „ & sapientes, operatos fuisse bona, secum „ habuisse justitiam, honoratos equidem in „ hac vita, pro meritis acquisivisse æternam. „ E contrario quoque scimus, Tyrannos ali„ quos in Deo nullam reverentiam habuisse; „ gloriatos in sua malitia; pro posse fecisse „ mala; sprevisse justitiam; vixisse plurimùm „ de rapina; in tribulatione finisse vitam; mis„ sos utique in gehennam, æternæ damnatio„ ni deditos, laceratos flagellis dæmonum „ & tormentis. Ubi nunc Pharao, vel Golia, „ ubi Herodis crudelitas, ubi Nero? Profe„ ctò periit memoria eorum cum sonitu, & „ deleti de libro viventium, cum iniquis de„ putati sunt miserabiliter, non cum justis. „ Quare vos hortamur in Domino, & mone„ mus, quatenus habeatis ante oculos Deum, „ & Dominum nostrum Jesum Christum, nec „ pugnetis contra nepotes vestros, sororis ve„ stræ filios, & carnem de carne vestra: ne „ destruantur villæ, victualia devastentur, „ compellantur viduæ, pauperes, & orphani „ turpiter mendicare; hospitalia, & Sacræ „ Ecclesiæ dissipentur: sed bajuletis arma ju„ stitiæ, sitis milites æquitatis, Dei, & Fidei „ propugnantes: certi quòd in hac vita pro„ sperabuntur utique facta vestra, & post na„ turæ debitum stabitis refulgentes ante tribu„ nal Christi, gloriosam famam siquidem in „ hoc

(14) *Cod. Estens.* cùm Dominus Eccelinus contra fratrem Tarvisium impugnaret. *Ita MS. Ambr. I.*

(15) *Cod. Estens.* Eamdem Domino Aymerio, vel Rainerio de Bragantio viro Nobili, cujus parentes quamvis Eccelinus postea destruxisset, idem stans in ejus gratia obiit. *Sic legit & MS. Amb. I.*

(b) *MS. Amb. I. melius legit* se.

(c) *MS. Amb. I.* foretque docta Stellarum cursus adeò cognoscere, quòd &c.

(16) *Cod. Estens.* Magno *MS. Amb. I.* magnifico & magno.

(17) *Cod. Estens. Idest* Adelaxiam. *Ita quoque supra legitur* Aledeita *pro* Adeleita. *Murat.*

(18) *Cod. Estens.* aliis consciis.

(19) *Cod. Estens.* Paduani.

A „ hoc seculo possidentes. Nos verò petimus, „ quòd guarnimentum vestrum propter Dei „ reverentiam dividatis, redeuntes ad domos „ vestras, & in nobis, & Commune Paduæ „ præsentis facti dimittite quæstionem, & „ Nos quod consentaneum rationi fuerit co„ gnoscemus; sopiemus hanc litem, & deci„ demus fine debito, dante Deo.

CAP. VI.

Oratio Episcopi Gerardi ad illos de Campo Sancti Petri.

HÆc, vel hiis similia locuturus, conversus est dictus vir prudens, sanctæque memoriæ Episcopus reverendus ad partem alteram, appellans Dominum Gerardum supradictum, & Tisonem fratres de Campo Sancti Petri, cum Domino Marchione Azone (20), quem nunc sibi primùm junxerant dominum, & amicum, cum aliis suis consociis (21), & amicis, de quorum consilio procedebant: & post locutionem Domini Ugolini sapientis, & probi viri, Advocati Episcopatus, & Militis Paduani pro Communi Paduæ similiter cum ipso Domino Episcopo destinati, præmisso verbo illo Psalmistæ, *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi &c.* auctoritate ad materiam sapientissimè adaptata, vel ea, vel similia, quæ locutus est alteri parti, melliflua voce profundens; ostendens eis etiam, quòd erant quasi matri contrarii, quoniam fratri matris; sedavit hinc inde exercitum, & utrumque fecit recedere guarnimentum; & sic demum Paduam est regressus. Stetitque Marchia aliquot annis in bona pace, non obstante nunc causa quadam litigii, quæ paucorum culpâ quondam steterat inter Paduanos, & Vicentinos.

CAP. VII.

Facta quædam inter Paduanos, & Vicentinos propter Montegaldam, & propter Ecelinum de Romano secundum.

COntigerat enim olim, habitantes quosdam in Montegalda Vicentini districtus, intrare Paduanum districtum furtivè, cujus confines erant, & damnum maximum inferebant, fugientes postmodum Montegaldam, & erant securi. Ex his itaque maleficiis cùm Commune Vicentiæ à Communi Paduæ sæpiùs literis, & Ambaxatoribus appellatum, nullam prorsus faceret ultionem; Paduani iverunt, & ceperunt hostiliter Montegaldam in anno Domini MCLXXXVIII. Per quod Vicentini irati sunt plurimùm & commoti, ita quòd postmodum tempore procedente obstruxerunt aquam totaliter illic in partibus de Longare sui districtus, & desiccaverunt aquam, ita quòd Padua, & Paduanus districtus, tam ad molendina, quàm ad alia opportuna magnum patiebatur defectum: quem defectum siquidem cùm Paduani perpeti non valerent, iverunt armata manu, & aquam, invitis Vicentinis, aperuerunt. Sed dum Paduani redirent apertâ aquâ, unum Quarterium Paduanæ militiæ, quod adhuc erat à latere aquæ versùs Vicentiam, captum est à Vicentinis, & ducti sunt milites illi Vicentiam; & positi in carceribus, enormiter, & gravissimè tractabantur. Donec Paduanum Commune suos redemit milites, data Vicentino Communi magna quadam pecuniæ quantitate.

Post hæc elapsis jam annis pluribus, cùm Ecelinus secundus tenere vellet Curiam in Baxano, considerans quòd inter Paduam, & Vicentiam videbatur oriri discordia; amicitiam cum Paduanis contraxit, & obligavit pignori eis Curiam de Honaria, quam olim Ecelinus (22) avus ejus habuerat ab antiquis à Rege Corrado, cum quo venerat de Alemannia miles ab uno equo. Pactis appositis inter ipsos Paduanos, & Ecelinum, quòd ex hoc habere debeat à Communi Paduæ lib. XXV. millia denariorum Venetorum, & una pars alteram, tam in pace, quàm in guerra, & è converso, juvare debeat, modis omnibus, in singulis suis factis, præterquam contra Imperium, & Coronam. Hoc autem cùm Vicentini intellexerunt, elapsis fortè annis quinque post factum Montegaldæ, hostiliter iverunt Marosticam, & illic insultaverunt in Ecelinum ex improviso: sed defenderunt se Marosticani viriliter, & Vicentinos retrocedere compulerunt, donec adveniente Paduana militia in auxilium Ecelini, Vicentini subitò Vicentiam sunt reversi. Non autem steterunt Vicentini sic negligentes ex toto, sed quasi elapso non multo tempore habuerunt totam Militiam Veronensem, & Populi magnam partem; & ipsi cum viribus suis omnibus, cum exercitu copioso, & magno venerunt ad partes Marosticæ, & ad partes Baxani, minantes expressè, quòd à montium summitatibus infra, cuncta submittent morti, destructioni, ignibus, & ruinæ. Tunc Ecelinus perterritus concordiam fecit quam potuit cum potentibus inimicis, & misit filium suum parvulum Ecelinum pro obside sub tentorio Potestatis Veronæ. Et sic ab his diebus in antea, ruptæ sunt conditiones, & pacta Paduanorum cum Ecelino, & fuit tempore (23) ulteriùs quasi unum & idem cum Vicentinis.

CAP. VIII.

Factum inter Paduanos, & Vicentinos ad Carmegnanum.

INdignati igitur Paduani de pactis, & conditionibus sibi ruptis, & quod majus est, non immemores antiquæ adhuc extorsionis, & iræ, quam Vicentini quondam fecerant Paduano Communi de militibus captis in partibus de Longare, & Vicentiæ crudeliter carceratis; guarnimentum facere voluerunt, ut invaderent Carmegnanum, castrum scilicet Vicentinorum, & terram ipsis carissimam, & dilectam. Quod ipsi Vicentini præsentientes, magnificè & potenter iverunt communiter Carmegnanum, in ipsoque copiosè munito militum, & peditum multitudine, & balistis, armis, & victualibus, cunctisque pro securitate loci necessariis, permanebant. Sed nihilominus (d) destitit Paduana Communitas, immo illuc omnes, moto exercitu, cum fulgenti suo carrocio, magnificè perrexerunt in anno Domini MCXCVIII. circa principium ipsius (24) autumna-

(20) *Cod. Estens.* Azone Estensi.
(21) *Cod. Estens.* consciis.
(22) *Cod. Estens.* Eccilis.
(23) *Cod. Estens.* ipse, *ita & MS. Amb. I.*

(d) *MS. Amb. II. Recentiori manu signatum supra legit* non destitit.
(24) principium temporis *legunt Codices Estensis & Amb. I.*

tumnalis. Et non multis elapsis diebus, inter ceteros insultus, hinc inde factos, Vicentini mane quodam in aurora diei, primo scilicet die Septembris, exiverunt in Paduanos, multisque de Paduanis militibus, & peditibus, pugnantibus tamen viriliter contra hostes, detentis, duxerunt eos in Ecclesiam Carmegnani, & tenuerunt eos ligatos & compeditos. Eadem autem die, & quasi eâdem horâ, vir strenuus, & insignis Jacobus Strictus Placentinus civis, probus, sapiens, & praeclarus, tunc Paduanorum Potestas, & Azo Estensis Marchio, forma corporis speciosus, sed armis speciosior & virtute, Matthaeus de Pegoloto Paduanus civis, & vexillifer Paduani Communis, ceterique Magnates, Nobiles, & Potentes de Padua, hoc graviter & indignè ferentes, se protinus, & Paduanam gentem totaliter exposuerunt omni casui, & fortunae: unde assumtis armis, insultaverunt omnes animosè in portam castri, & prostratis hinc inde multis, tamdem confracta est porta viriliter, vallum diruptum circa portam, turres quoque, sive bilfredi fixi à defensoribus (25) corruerunt, stetitque Communis Paduae victoriosum vexillum, innumerabilia gestans foramina, tamquam cribrum, sed quasi specula fulgentissima, ultra fossas super aedificiis Carmegnani. Sicque continuò Paduani milites sunt redemti, multi quoque milites, & pedites Vicentini, nobiles, & potentes sunt capti; & victo loco totaliter, habitisque spoliis rerum, & personarum, gloriosum triumphum de inimicis Paduani Paduam reportaverunt.

CAP. IX.

Factum Braidae de Verona.

PRocedente quoque tempore, in Anno scilicet MCCVII. Dominus Azo Estensis Marchio factus est Potestas Veronae, de cujus honore condolens Ecelinus de Romano secundus, memor quòd idem Marchio quondam ei obvius fuerat in facto Campreti; congregatis amicis suis de Verona, Vicentia, & undecumque potuit aliunde Castrum Monticili Vicentini districtus, unde postea dicti sunt Monticli: cum eis taliter ordinavit, quòd magnum habuit guarnimentum: & sic factus est quasi ex improviso insultus maximus in Verona contra Marchionem, & contra omnes faventes ei; & ita demum est Marchio de Potestaria expulsus. Tunc Salinguerra de Ferraria factus est Ecelini manifestus amicus, qui usque nunc non videbatur alicui parti fuere. Recessit ergo Marchio (26), & ivit ad Abbatiam. Sed non multo tempore post facta magna congregatione de suis amicis de Lombardia, Marchia, & Romagna, & aliunde, sapienter, & per summam prudentiam statim sequenti an. MCCVIII. gentem suam Veronam conduxit in Braydam, & pugna illic commissa est inter partes. Milites occurrerunt militibus, pedites cum peditibus manualiter pugnaverunt, certaveruntque inimici cum inimicis, demumque (27) post sanguinis effusionem militum, & equorum; post consternationem plurium, & post aliquorum mortem; stetit Marchio victor in Brayda, turres habuit, & domos bellicosas per Civitatem, ipsum quoque Ecelinum tunc captum habuit, & detentum, quem curialiter & honestè tractavit, eumdemque honoravit & ipse, fecitque illi honorem fieri per Dominas, & Milites omnes, qui, vel quae fuerunt honorabiles in Verona. Ultimò Ecelinum ipsum Marchio Militibus honorificè sociatum, decenter conduci fecit Baxanum; & ipsi Milites, qui conduxerunt eumdem, honorem maximum receperunt à Dominabus, & Militibus de Baxano. Ha Deus, tunc erant guerrae, si licitum est dicere, bonae guerrae, dum unus alteri viriliter inimicans, captus tamen aliquando (e), non morti tradebatur continuò, non in vincula mittebatur, non sententia protinus ferebatur in eum, fore membris horribiliter mutilandum: mittebatur immo laudabiliter quò volebat, & honorificè. Sed completa est hodie prophetia Ovidii, dum mundus, quem dicit aureum habuisse principium, redarguenda nunc faece infectus, jam ecce devênit ad tantum, quòd non solùm inimicus ab inimico, sed nec hospes tutus ab hospite reperitur, non est frater fratri innocuus, & vix adhuc filius diligitur à parente. Nec sumus equidem bene certi, si haec radix naturalis effectus (f), quae adhuc filo tenui retinetur, durare poterit in futurum.

CAP. X.

Ludus de Prato Vallis, & Porta Turrisellarum hoc tempore factus fuit.

REversi sunt Milites Marchionis ad ipsum, quem jam tota Marchia cum summa reverentia laudans magnis praeconiis excolebat. Tunc pervênit etiam ipsius fama celebris usque Romam. Itaque ipsa Sancta Sedes Apostolica, dignitate nova voluit praedotare eumdem, & ei gratiam est largita, ut scilicet ipse cum omnibus successoribus suis ab hoc tempore in antea Estensis, & Anconitanus Marchio appelletur.

Stare etiam videbantur nunc Civitates istinc collaterales in Marchia in statu delectabili, & jocundo: nam in praedicto an. Domini MCCVIII. Potestate in Padua Domino Viscontino, factus est magnus ludus in Prato Vallis, & omnes contratae de Padua, singulae videlicet ad unum & idem signum vestimentorum, se novis vestibus innovarunt. Et tunc in praedicto loco de Prato Dominae cum Militibus, cum nobilibus populares, senes cum junioribus, in magnis solatiis existentes in festo Pentecostes, & ante, & post, per plures dies, cantantes, & psallentes, tantam ostendebant laetitiam, quasi omnes fratres, omnes socii, omnes prorsus essent unanimes, & summi amoris vinculo foederati. Sed statim sequenti anno cùm Vicentini minarentur invadere Ecelinum cum auxilio quarumdam Civitatum de Lombardia, qu Ecelinus tunc erat amicatus cum Padua: motus est Paduanus exercitus, & ivit Honariam in servitium Ecelini. Sed parum (28) stetit, quia

(25) *Cod. Estens.* fixis defensoribus. *MS. Ambr. I.* fusis defensionibus.

(26) *Cod. Estens. & Ambr. I.* Marchio de Verona, & ivit.

(27) *Cod. Estens.* Denique post.

(e) *MS. Ambr. I.* dum unus alteri viriliter inimicans captum tamen alium (*MS. Amb. II.* aliquem) non morti tradebant &c.

(f) *MS. Ambr. II.* Si hic naturalis affectus qui adhuc filiorum retinetur, durare &c.

(28) *MS. Estens. & Ambr. II.* parum ibi.

Digitized by Google

quia Vicentini à proposito destiterunt.

Iterum verò sequenti Anno scilicet MCCX. Jacobus de Audito Potestas Paduæ fecit fieri Portam Turrisellarum, & muros illi portæ collaterales.

CAP. XI.

De Frederico electo in Romanorum Regem, & de morte Marchionis Azonis sequenti anno, & quorumdam Magnatum de parte ejus.

ANno Domini MCCXI. supradictus Azo Estensis & Anconitanus Marchio, de voluntate Innocentii Papæ III. Fredericum Regem Siciliæ, Reginæ Constantiæ filium, sed adhuc quasi puerum, per Lombardiam cum magna multitudine Militum usque in Alemanniam sociavit; & sic Fredericus ipse electus est tunc à Principibus in Romanorum Regem.

Sed an. immediatè sequenti scilicet MCCXII. prædictus vir nobilis, & potens, apud Deum, & homines gratiosus, omni sapientia plenus, venerandus mei nomine (29), idem Estensis Marchio, post omnem altitudinem sui status, post multa servitia facta Romanæ Ecclesiæ, post Imperium exaltatum per eum, & à manibus quorumdam tyrannorum prudenter & sapienter ereptum: de hac vita migravit ad meliorem, sepultus honorabiliter de mense Novembris (g) apud Monasterium Abbatiæ.

In illo quoque eodem anno duo Barones ejus nobiles & potentes, & eumdem fideliter prosecuti, de hac luce similiter ad aliam sunt vocati, scilicet Comes Bonifacius Veronensis, & Albertus de Baone Civis nobilis Paduanus, qui per summam suam prudentiam, & virtutem nominari fecit Marchiam Tarvisinam, & Paduam usque in partibus transmarinis.

CAP. XII.

Factum de Este primum.

REmanserunt post ipsum (30) Marchionem Estensem duo filii, scilicet Aldevrandinus, & Azo, qui tunc dicebatur Azo Novellus. Aldevrandinus igitur jam providus, & ad arma sufficiens, quia major ætate tunc erat, tenuit Marchexatum. Hic Castrum Estense cohabitans, cùm quidam ejus subditi per violentiam abstulissent fruges quasdam, quæ de Montagnana Paduam ferebantur, ipsis etiam frugibus in Castro de Este repositis, fruges illas restitui facere penitus recusavit, quamvis Potestas Paduæ ex parte Communis hoc peteret literis, & Nuntiis ad Marchionem ipsum pluries destinatis. Et erat tunc Este, & Montagnana, totaque Scodesia more debito sub jurisdictione Paduani Communis. Et quoniam idem Marchio perstitit contumax in hoc facto: motus est exercitus Paduanus contra eum, & Estensem Villam occupans, & devastans, ac burgum Roccham obsedit hostiliter, machinis, & prederiis pro posse destruens, & con- A fringens. In hoc exercitu fuit cum Communi Paduæ Dominus Ecelinus prædictus, & cum ipso ejus filius Ecelinus, qui licèt puer, jam subtilizabat in tantum, quòd puerili more cum aliis pueris jam construebat machinas, quasi ad lapides jaciendos in Roccham: ut jam quodammodo moveretur ad amicos Marchionis, & loca, & partem voluntariè destruendum. Gentes autem, quæ cum ipso patre, & filio venerant de Baxano, & de partibus Pedemontis, vineas, & arbores radicitus evellebant, destruentes avidissimè quidquid poterant: veluti pronosticarent, quòd inter geminas illas domos, Estensem scilicet, & illorum, qui usque nunc de Honaria dicebantur, sed postea B dicti sunt de Romano, crescebant inimicitiæ capitales. Sunt quoque in ipso exercitu damna quædam, & in rebus, & in personis hinc inde facta, utpote quia intus in Roccha circa XV. homines sunt occisi, alii à prederiis, alii à balistis; extra verò similiter mortui sunt X. (h) inter quos præco quidam nomine Veglus dictus, quòd nocte intrabat in Roccham, & propalabat Paduana (31) consilia Marchioni, suspensus est, & mortuus jussu Potestatis, & Consilii, contra castrensem portam. Et quod gravissimum fuit, & dolorosum, magnis, & parvis civibus Paduanis; Comes Paduæ, bonæ memoriæ, Manfredinus, equitando more so- C lito per exercitum, percussus, heu, à lapide tortorellæ intrinsecæ, cecidit mortuus; & fuit dies illa tam obsessis, quàm obsidentibus multipliciter lacrymosa. Hac itaque de causa præcipuè motus est Marchio Aldevrandinus, & illius Consiliarii, ut ad concordiam cum Paduanis deveniret: & datâ treuguâ utrique parti, concorditer deventum est ad hunc finem, quòd Roccha reddita est Communi Paduano. Sic de statuto, & voluntate Paduanorum muratæ sunt portæ castrenses, & castrum non habitatum usque ad multos annos. Et Paduanus exercitus reversus (i) est Paduam cum honore. Estenses verò habitatores ad præcepta Communis Paduæ salubriter permanserunt in Este. Fuit autem hoc factum tem- D pore Domini Marini Zeni Paduæ Potestatis, in Anno Domini MCCXIII. tempore autumnali.

CAP. XIII.

De Ludo quodam facto apud Tarvisium.

POst hæc sequenti tempore, Anno scilicet Domini MCCXIV. Albizus Florensis erat Potestas in Padua, qui fuit vir providus, & discretus, curialis, tractabilis, & benignus. Et cùm foret in regimine sapiens, dominabilis, & astutus, jocos tamen, & solatia diligebat. Tempore cujus Potestatis ordinata est E quædam Curia solatii, & lætitiæ in Civitate Tarvisii, ad quam invitati sunt quàm plures Milites, & Pedites Paduani. Iverunt illuc etiam convocatæ ad illam Curiam decorandam Dominæ circa XII. de nobilioribus, & pulchrioribus, magisque ludis idoneis, quæ tunc in Padua sunt repertæ. Fuit autem hujuscemodi:

(29) *MS. Amb. II. & Estensis* venerandæ memoriæ *Cod. Amb. I.* venerandus in ejus nomine.

(g) *MS. Amb. II. recentiori manu emendatum signat* Novembris *mensem in illum* Septembris.

(30) *Cod. Estens.* ipsum Dominum Marchionem Estensem duo ejus.

(h) *MS. Amb. II.* mortui sunt circa decem &c.

(31) *Cod. Estens. & Amb. I.* Paduanorum vana Consilia.

(i) *MS. Amb. II.* reversus Paduam cum honore magno.

Digitized by Google

modi Curia, sive ludus. Factum enim est ludicrum quoddam castrum, in quo positæ sunt Dominæ cum virginibus, sive domicellabus, & servitricibus earumdem, quæ sine alicujus viri auxilio castrum prudentissimè defenderunt. Fuit etiam castrum talibus munitionibus undique præmunitum, scilicet varis, & griseis, & cendatis, purpuris, samitis, & ricellis, scarletis, baldachinis, & armerinis. Quid de coronis aureis, cum grysolitis, & hiacyntis, topaziis, & smaragdis, pyropis, & margaritis, omnisque generis ornamentis, quibus Dominarum capita tuta forent ab impetu pugnatorum? Ipsum quoque castrum debuit expugnari, & expugnatum fuit hujuscemodi telis, & instrumentis, pomis, dactylis, & muscatis, tortellis, pyris, & cotanis, rosis, liliis, & violis, similiter ampullis balsami, amphii, & aquæ rosæ, ambra, camphora, cardamo, cymino (32), garyofolis, melegetis, cunctis immo florum, vel specierum generibus, quæcumque redolent, vel splendescunt. De Venetiis etiam interfuerunt huic ludo viri multi, & plures Dominæ, propter honorem Curiæ exhibendum: & habentes ipsi Veneti Sancti Marci speciosum vexillum, prudenter, & delectabiliter pugnaverunt. Oriuntur autem aliquando de bonis principiis multa mala: dum namque Veneti ludentes certarent cum Paduanis ad castri portam primitus subintrandam, hinc inde surrexit discordia, & quod utinam non fuisset, Venetus quidam non sapiens, tenens Sancti Marci vexillum, vultu torvo & iracundo insultavit in Paduanos: quod Paduani videntes, quidam manum violentam in Sancti Marci vexillum irato animo injecerunt, & inde partem aliquam lacerarunt: quod Veneti tulerunt valde molestè & indignanter. Divisa est itaque continuò Curia, sive ludus jussu aliorum Rectorum Curiæ, & Domini Pauli de Sermedaula viri clarissimi, & discreti Paduani civis, qui tunc Rex Militum erat in Padua, cui etiam cum aliis Rectoribus causâ honoris concessum erat in ipsa Curia, quòd haberent arbitrium, & ordinationem Dominarum, & Militum, & totius Curiæ, sive ludi. Fuit autem hic ludus, de quo dici potuit,

Ludus enim genuit trepidum certamen, & iram,
Ira truces inimicitias, & funebre bellum (l):

Nam tempore procedente crevit adeò discordia inter Paduanos, & Venetos, quòd sunt mercimonia interdicta hinc inde; custodita confinia ne quid de una terra ad alteram portaretur; robarias, & violentias exercuerunt, (m) & sic denuo (n) discordia crevit, & guerra, & inimicitia capitalis.

CAP. XIV.

De exercitu facto ad Baybam contra Venetos.

ET quoniam aliqui de Venetiis latenter intraverunt (33), & aliquando damnum faciebant in Paduano districtu; placuit Consilio Paduano facere exercitum super terras Venetorum: & paratis omnibus guarnimentis iverunt hostiliter Paduani ad partes Clugiæ, & se cum omnibus suis apparatibus locaverunt in (34) partibus turris Baybæ, sperantes turrim ipsam capere, & de ipsa suam facere voluntatem. Et posset esse forsitan, quòd illi de Montesilice cepissent eamdem, quoniam illico cùm venerunt, voluerunt insultare in turrim: sed Potestas Paduæ, bono tamen animo, non permisit. Paucis tamen diebus elapsis commotæ sunt pluviæ inauditæ, ultra solitum crevit mare; sicque cùm exercitus foret in locis palustribus, Divino judicio divisus est exercitus, & Paduam est reversus. Clugienses verò, & Veneti, qui jam illuc copiosè convenerant, videntes remotum exercitum, insecuti sunt Paduanos cum navibus, & habuerunt eadem die prædam de rebus exercitus, & ceperunt etiam aliquos de civibus Paduæ, qui videntes se in aquarum periculis, rogabant Clugienses ipsos, ut eos in navibus elevarent. Et fuerunt quidam, qui dederunt pretium navigantibus, & fecerunt se ad domos occupantium deportare. Fuit autem factum in Anno Domini MCCXV. in Autumno, stante Domino Bonifacio (35) Guidonis de Guizardo de Bononia Potestate Paduæ.

CAP. XV.

De morte Aldrevandini Marchionis Estensis.

ANte tamen factum hoc Baybæ, Aldrevandinus Estensis Marchio Paduam venerat, & illic receptus honorabiliter, & dilectus à cunctis, magnam (o) fecerat congregationem de amicis suis de Padua, & aliunde, in domo magna, sive palatio, quod olim fuit Domini Alberti de Baone superiùs nominati, quod erat apud Ecclesiam Sancti Urbani. Cum illis quoque amicis suis deliberato consilio, potenter postmodum, & magnificè in Anconitanam Marchiam hostiliter equitavit, volens dominium, & Marchexatum habere, de quo pater ejus olim fuerat à Romana Ecclesia investitus. Sed erant ibi Comites de Celano viri magnifici, & potentes eidem Marchioni contrarii, qui usque quondam in tempore Othonis de Saxonia, tenentes ipsius Othonis partem, adhuc Frederico puero (p), & ejus fautoribus resistebant, utpote Romanæ Ecclesiæ, & Marchioni Azoni bonæ memoriæ similiter olim restiterant, pro ipso Imperio plurimùm laboranti. Fuit igitur Aldrevandinus Marchio (36) victor, & de ipsis Comitibus, & quibusdam ipsorum complicibus victoriam habuit, multis tamen laboribus acquisitam. Magnates verumtamen, & quidam alii, atque Castra multa restiterunt eidem; & remanserunt illic in carcere de melioribus, & majoribus (q) Marchionis amicis, scilicet Dominus Tyso de Campo Sancti Petri Paduanus civis, vir nobilis, potens, magnificus, & præclarus, & alii quidam secum. Ipse verò Marchio, post multa facta, & ardua, post multa pericula, & labores, in quibus tamen prudenter & sapienter se gesserat, non est armis,

(32) *MS. Estensis*, *& Amb. I.* cardamo, & cinamomo.
(l) *MS. Amb. I.* Ira truces etiam inimicitias & crudele bellum &c.
(m) *MS. Amb. I., & II.* robariæ & violentiæ excreverunt.
(n) *MS. Amb. II.* & sic de una discordia crevit &c.
(33) *MS. Estens., & Amb. II.* intrantes aliquando.
(34) *Cod. Estens.* se in partibus.
(35) *Cod. Estens. Alius textus habet* de Vidottis.
(o) *MS. Amb. II.* à cunctis Magnatibus &c.
(p) *MSS. Amb. I. & II.* adhuc fratri puero &c.
(q) *Estens. & Amb. II.* in Marchia victor.
(36) *MS. Amb. II.* a majoribus *deest*.

Digitized by Google

armis, vel viribus superatus, sed, ut fama fuit, proditoriè tossicatus, veneno finivit vitam, in Anno prædicto Domini MCCXV. in tempore suæ floridæ juventutis. Prædictus autem Dominus Tyso, post multos annos redemtus est de carcere inimicorum Marchionis, & suæ partis, per exercitium (37) amicorum, operante ipso (38) Azone novello, adhuc in pueritia posito, & jam quasi novella planta, in id ætatis fructus uberrimos promittente.

CAP. XVI.

Hic factum est Palatium Paduanum.

HIc ne videamur clausis oculis pertransire, sciendum est, quòd cùm post hoc tempus Aldrevandini sequerentur quatuor anni, vel circa, sive quatuor Potestates, in quibus fortè Paduana Civitas videretur velut otiosa mansisse, non tamen remansit inutilis: immo Nuntiis, & Ambaxatoribus missis Venetias sæpiùs, recuperavit cives suos captos in facto Baybæ (39), quamvis post aliquantam temporis tarditatem usque de facto Baybæ.

Et in Anno Domini MCCXVIII. spatiosum, immo speciosum Palatium Paduanum incœptum est, Potestate Domino Johanne Rusca de Cumis, viro provido, probo, & sapiente, moribus, & curiositate (40) plurima insignito.

Explicit Liber Primus.

INCIPIT SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

Factum Castri Franchi, & quando incœpta est Cittadella, & Fredericus coronatus.

NItebantur Veneti temporibus illis propter guerram, quam adhuc occasione Baybæ cum Paduanis habebant, parti suæ invenire fautores; bladum enim, & victualia de Padua penitus non habebant. Unde timentes etiam, ne Tarvisini cum Paduanis unirentur, ipsos Tarvisinos sibi amicitiæ vinculo, immo sacramenti fœdere adjunxerunt. Sed habebant Tarvisini tunc temporis litem quamdam cum Domino Bertoldo (r) Dei gratia Patriarcha Aquilejensi, occasione quarumdam terrarum in confinio utriusque districtus. Cum forent igitur Tarvisini amicati cum Venetis, & Dominus Patriarcha est amicatus cum Paduanis, & factus est Paduanus civis: & in cittadantiæ firmitatem, & signum, fecit de sua Camera quædam in Padua ædificari Palatia magna, & pulchra valde; & voluit, & se poni fecit cum aliis civibus Paduæ in coltam, sive datiam. Tunc quoque incœpit mittere, & adhuc mittit hodie omni anno de suis melioribus Militibus XII. qui jurant in principio Potestariæ cujuslibet præcepta & sequentia Potestatis pro Domino Patriarcha, & suis. Quod videns Feltrensis, & Belunensis Episcopus, fecit & ipse similiter: non tamen in quantitate eadem, sed quasi pro rata sui Episcopatus, & Prælaturæ. Ergo quoniam Tarvixini terras quasdam Domini Patriarchæ tunc subtiliter (41) invaserunt; Paduanus exercitus ivid ad Castrum Franchum, terram Tarvisinorum: sed Tarvisinis protinus reversis ad propriam Civitatem; Paduanus exercitus paucis diebus illic permansit. Et hæc siquidem facta sunt existente Potestate in Padua Domino Berardo Barone, in Anno Domini MCCXX.

Eodem anno incœptum est Castrum de Cittadella.

Eodem anno coronatus (42) Fredericus Imperator in Roma ab Honorio Papa III. in die Sanctæ Luciæ die XIII. intrante Decembri.

CAP. II.

Prima seditio Ferrariæ, & de morte Tisolini.

CUm post mortem Marchionis Estensis Azonis, & ejus filii Aldrevandini, solus in Estensi domo remansisset Azo novellus, adhuc ætate juvenis, sed prudentia, & probitate maturus; ut plurimùm habitabat Ferrariæ, ubi multos amicos, multosque Vassallos habebat, & erat Salinguerra vir sapiens, & astutus de numero Vassallorum ipsius. Qui cùm fortè potens esset amicis; divitiis, & honoribus magnus in Civitate; & cùm ipse cum omnibus suis amicis haberet omnes honores quasi & officia Civitatis; crevit discordia inter amicos Marchionis, & Salinguerræ in tantum, quòd Marchio cum parte sua de Civitate exivit. Et sic exules facti sunt de propria patria Ferrarienses quidam, suisque bonis omnibus, & possessionibus sunt privati. In cujus injuriæ ultionem, ipse Marchio Ferrarienses expulsos, & omnes amicos suos quoscumque, & undecumque potuit, sive de Lombardia, sive de Marchia, sive de Comitatu Rudigii congregavit; & hostiliter accedens Ferrariam, castrametatus est juxta Padum. Timens verò Salinguerra proditionem, ad hanc devênit concordiam, quòd Marchio cum C. de suis Militibus, & amicis inter Civitatem, ad tractandam concordiam, quòd Ferrarienses utriusque partis possint pacificè (43) pacificare adinvicem, & concorditer permanere. Intravit ergo Marchio isto modo: sed postmodum visum est Ferrariensibus intrinsecis, quòd ii, qui intraverant, victualia malo modo acciperent pro se, & suis equis, & quòd domos (44) enormiter devastarent. Unde factus est magnus tumultus, & clamor per Civitatem *ad arma, ad arma, moriantur inimici, & pereant inimici*. Insurrexerunt partes utrinque, & qui cum Marchione intraverant, par-

(37) *Cod. Estens. & Ambros.* exereitum.
(38) *Cod. Estens.* ipso Domino Azone Novello.
(39) *Verba hæc* captos in facto Baybæ, *desunt in omnibus MSS.*
(40) *Cod. Estens. & Ambros. II.* curialitate.
(r) *MS. Ambros. I.* Bartholomæo &c.

(41) *Cod. Estens. & Amb. II.* hostiliter.
(42) *Cod. Estens. & Amb. II.* coronatus est.
(43) *τ̀ò* pacificè *deest in Cod. Estens.*
(44) *Cod. Estens.* Domos etiam, ut contingit in talibus &c. *MS. Amb. I. & II. desiderant hæc verba,* & quòd domos enormiter devastarent.

Digitized by Google

partim mortui, & partim sunt de Civitate expulsi.

Hic vir nobilis Tisolinus filius quondam Gerardi de Campo Sancti Petri Paduani districtus, & Comitissæ Dariæ, olim filiæ viri clarissimi Alberti de Baone, pro parte Marchionis viriliter pugnans incidit casualiter in manus hominum de quadam villa nomine Girzola (*) : qui cùm circumdassent eumdem, quamvis de ipsis multos mortuos prostravisset, appellabant eum, ut eis se redderet. Sed magnanimus se (45) reddere negavit, nisi foret illic aliquis de sanguine Militari : sed cùm nullus sit ibi repertus talis; post cædem sui boni destrarii, heu, mortuus est (f). Et ipse, sive ejus corpus, delatum est ad Civitatem Ferrariæ, & omnes Milites planctum magnum fecerunt, & ipse Salinguerra tristatus lacrymabiliter, fecit eum honorabiliter sepeliri. Hoc autem factum est Anno Dom. MCCXXII. in secunda Potestaria in Padua Domini Johannis Ruschæ de Cumis.

CAP. III.

De tempore Terræmotus.

NOn modicus fuit dolor, non parva tristitia per totam Marchiam de tali & tanto viro. Et fuerunt quidam, qui dicerent, quòd non solùm homines sunt per hoc humani generis damnum perterriti, sed & mundus ipse, totaque machina mundialis horrorem habuit, & tremorem. Nam in mense Septembris prædicti anni apparuit in cœlo cometa, qui significare dicitur mortem alicujus excellentis personæ. Ipse Deus etiam, ut monstraret apertiùs, qui (46) timor, & tremor seditionis, & guerræ nunc videbatur emergere, nunc instare; suum dedit tremoris signum. In partibus namque Italiæ universis terra tremuit, juga montium sunt commota propter vehementiam terræmotus, durantis ferè per unam horam, in ipsa die Natalis Domini, statim post Missarum solemnia celebrata. Adeò quòd multæ domus, & Palatia corruerunt; homines perierunt per Civitates; & in Brixia maximè tanta fuit ruina, quòd Brixienses timuerunt quodammodo, ne tota Civitas sit submersa. Et hic terræmotus fuit completus Anno Domini MCCXXII. Et in ipsa die Natalis XXIII. inchoabat, in Potestaria prædicta circa medietatem.

CAP. IV.

De secunda obsessione Ferrariæ.

QUoniam etiam Tisolinus prædictus fuerat de carioribus amicis Marchionis Estensis, & Comitis Rizardi de Sancto Bonifacio, voluerunt ipsi, & omnes de sua parte, de tanti amici damno sumere ultionem. Parato igitur guarnimento magno de amicis suis omnibus de Padua, de Mantua, de Verona, & aliunde, equitaverunt, & iterum obsederunt Ferrariam. Sed Salinguerra homo ingeniosus, & cautus, suis nuntiis, verbis, & literis, Comitem Rizardum

A induxit in tantum, vel ad tantum sub specie (47) compositionis, & pacis, quòd ipse Comes cum quadam Militum quantitate, intravit Ferrariam, non credens sub agnina pelle vulpem subdolam latitare: ipsum enim Comitem cum omnibus illis, qui secum iverant, Salinguerra detinuit. Et sic deceptus Marchio & dubitans de proditione, recessit cum toto exercitu ab obsessione incœpta. Erat autem hoc in Anno Domini MCCXXIV. Sed nec Comes, nec qui secum capti fuerant, diu detenti manserunt. Nam Rectores Lombardiæ hæc duo fecerunt sequenti anno, videlicet in eodem MCCXXV. eripuerunt enim Comitem, & suos de carcere Salinguerræ; & discordiam

B quamdam, quæ in Verona tunc erat, reduxerunt ad concordiam, non longo tempore duraturam.

CAP. V.

Factum de Fratta Ferrariensis districtus.

STeterat illic etiam quædam altera maxima causa guerræ: nam in dicto Anno Domini MCCXXIV. Marchio Estensis congregavit amicos, & gentem suam de Padua, de Mantua, de Verona, illos videlicet de sua parte, & Ferrarienses expulsos; motusque hostiliter

C equitavit, & est positus circa Frattam, Castrum scilicet Ferrariæ, in quo Salinguerra suos quosdam dilectos posuerat, & erant cuncti habitatores loci, & castrum (48) ipsum speciales, & fidelissimi ejus partis. Hic stetit exercitus in Castri obsessione tamdiu, donec sunt intrinseci vigiliis, & fame deducti (49). Itaque cùm se defendere non valerent, nec ullum à Salinguerra possent habere succursum; expugnati ab inimicis de facili sunt devicti, & intraverunt Marchexani in Castrum. Sic ergo viri, & mulieres omnes, magni, & parvuli gladio sunt occisi, præter quosdam, qui in profundam aquam, quæ Castrum undique muniebat, projecti, aquam biberunt & mor-

D tem. Et lætatus est Jacobus filius (50) Tisonis de Campo Sancti Petri, super vindicta facta de obitu germani sui, claræ memoriæ, Domini Tisolini: Nam & ipse suis manibus in hoc facto fecit de pluribus, licèt immeritam, ultionem. Quod enim peccat Titius, non in Sempronio castigatur. Erat autem diebus illis Dominus Robertus de Concorezo Mediolanensis electus Paduanorum Potestas.

CAP. VI.

Literæ, quas misit Salinguerra de Ferraria Ecelino minori, scilicet tertio Ecelino.

E HAbuerat Salinguerra uxorem Dominam Sophiam Ecelini majoris filiam, sororem Ecelini minoris, qui de facto Frattæ contristatus medulliter, Ecelino cognato suo misit literas in hunc modum. (Major enim Ecelinus vitam jam sibi elegerat pœnitentiæ qualis qualis, & se religiosè vivere fatebatur).

„ Viro nobili, & potenti Domino Ecelino „ de Romano, speciali suo Domino, & ami- „ co,

(*) *Cod. Estens.* Gicola. *MS. Amb. I.* Guzola.
(45) *Cod. Estens.* ipse se reddere.
(f) *MS. Amb. I. & II.* mortuus est & ipse super ejus corpus &c.
(46) *Cod. Estens.* quod timor.

(47) *Cod. Estens.* sub spe.
(48) *Cod. Estens. Fort.* Castri ipsius.
(49) *Cod. Estens.* devicti.
(50) *Cod. Estens.* filius Domini Tisonis.

Digitized by Google

„ co, Salinguerra de Ferraria, ejus intimus, „ & ſpecialis amicus, ſalutem cum honoris, „ & gloriæ incremento. In aliquibus provinciis, Civitatibus, aut Caſtris totius Imperii „ Romani, non fuit homo ſic læſus enormiter, „ & offenſus tam indebitè, tam injuſtè. Recolens namque nobilitatis, & amicitiæ Marchionis Eſtenſis Azonis primi, ſperans ejus „ filium Azonem Novellum ſemen aliquod „ retinere de nobilitate parentis, gratulabar „ ego, quamvis natione Ferrarienſis, cum „ ipſo, quodammodo alieno, Ferrariæ pacificè converſari: ſed occultare nequid (51) „ rabidam pravitatem. Ecce namque, ut audiſtis, in amicos meos cum ſuis complicibus inſultavit, & voluit primò in honoribus, & officiis Communis Ferrariæ tyrannidem exercere: cui ſi cum amicis meis rationabiliter obviavi, nemo de jure poteſt „ vel me reprehendere, vel mirari (t). „ Oſtendit enim Dominus ipſe in facto illo „ juſtum judicium; & dignè ſuccubuit, qui „ cauſam fovebat indignam. Non verumtamen propter hoc juvenis ipſe Marchio deſtitit ab impia (52) feritate, quæ in ejus „ animo latitabat: ſed ſecundò congregans „ gentes illas, quæ me offendere nullam habebant cauſam, poſuit ſe hoſtiliter circa „ Frattam, & Caſtrum illud in injuriam Communis Ferrariæ occupans, omnes de Caſtro „ morte ſanguinolenta peremit: & quod eſt „ à ſeculo inauditum, mares, & fœminas ſe „ reddentes, cum ipſis infantulis impio gladio „ detruncavit. Non ſic Judæis, non ſic quoque fieret Saracenis. Hæc autem vobis refero, ſicut principali meo Domino, & amico, ut de amicorum tanta injuria mecum „ dignemini condolere, & provideat ſapientia „ veſtra, ſi placet, quid ſuper hiis exceſſibus „ ſit agendum.

CAP. VII.

Reſponſio ad prædictas literas.

His ergo receptis literis, Ecelinus de Romano ſcripſit tales literas Salinguerræ.

„ Sapienti, & probo viro Domino Salinguerræ ſuo Domino præ cunctis mortalibus „ reverendo (u) Ecelinus de Romano ejus „ ſubditus, & fidelis amicus, ſalutem, & de „ inimicis gloriam, & triumphum. Duo ſunt „ principaliter in hac vita, ad quæ tenentur „ homines inter cetera laborare; fidem videlicet obſervare amicis, & vivere cum honore: & hæ ſunt illæ (53) cauſæ præcipuæ, „ quibus me ſentio indiſſolubiliter alligatum, „ ut totaliter intendam, & vigilem ad veſtra „ negotia, quæ ſunt mea. Sanè poſtquam „ audivi de facto Frattæ, nec fui quietæ mentis, nec potui collætari: immo in veritate „ proteſtor, quòd plenam lætitiam non habebo, niſi priùs contigerit de damno, & ſanguine ibi facto ſumere ultionem. Eſt autem „ puſillanimitas, in adverſis modum excedere „ in dolendo. Conſoletur ergo cor veſtrum, „ & ego unà vobiſcum: quoniam, Deo dante, non priùs anni circulus revolvetur, „ quàm inimicos noſtros tam acutis calcaribus perforare nitemur, quòd in ſuum cadere præcipitium compellentur.

CAP. VIII.

Hìc expulſi ſunt amici Marchionis de Verona.

Poſt hæc in Anno Domini MCCXXVII. quamvis Verona communiter regeretur, tamen ſciſma creverat ibidem, in tantum quòd non ſolùm Milites, ſed Populares, & Mercatores diviſi (x) erant in duas partes, & alii fovebant partem Comitis de Sancto Bonifacio, quæ erat pars Marchionis; alii partem Salinguerræ, quæ erat & Ecelini, & hii dicebantur Montecli. Inter quas partes, dum expreſſiùs pro facto Frattæ creviſſet diſcordia in centuplum, & rixa (54); cupientes Montecli partem ſibi contrariam ejicere de Verona, miſerunt cautè ad Ecelinum commorantem Baxani, ut Veronam veniret occultè: dicentes, quòd pars Comitis eos ſuppeditare volebat. Hic gaviſus eſt Ecelinus, & ſtatim animo præconcepit de Fratta vindictam capere, & ſuæ partis amicos potenter & magnificè confortare. Aſſumſit igitur continuò viam ſuam cum quibuſcumque potuit de Baxano, & de Pedemonte; & facere volens occultum iter per Valcamonicam, viam montanam, ſcilicet ſaxeam, inſuetam, aſperam, frigidam, & nivoſam, ut poſſet ad finem etiam propoſitum devenire. Præmiſit etiam ante ſe XL. prudentes homines cum ſingulis ventilabris, qui viam mundificabant à nivis multitudine in illis montibus collectæ per plures annos. His itaque laboribus viriliter ſuperatis, pervênit ex inſperato Veronam. Et continuò factus eſt ibi clamor, *ad arma, ad arma, za za Cavaler Ecelin.* Habuit Ecelinus, & ſua pars quod jam diutiùs optabat: nam expulſus eſt tunc Comes Sancti Bonifacii Rizardus, & Magnates multi de ſua parte cum ipſo, quibus Mantuam, Paduam, & Venetias, & in Lombardiam, & aliàs expulſis, pars Salinguerræ, & Ecelini Civitatis dominium habuit, & factus eſt ibi Dominus Ecelinus Poteſtas. Et ſic inde (55) non longo tempore poſt, vênit Ecelinus Vicentiam, & eam occupans violenter, fratrem ſuum Albricum (56) illic conſtituit Poteſtatem. Quibus omnibus ſic peractis, viſa eſt ferè per totam Marchiam pars Marchionis ad nihilum deveniſſe. Eſt enim multo plus quàm facti dimidium ad Magnates, in diſcordiis, & in guerris habere Communia Civitatum.

CAP. IX.

De Exercitu (57) facto ad Baxanum.

Hic igitur contribulatis Marchionis amicis in Marchia Tarviſina, cùm haberet Salinguerra Ferrariam, & Ecelinus Veronam, &

(51) *Cod. Eſtenſ.* nequivit.
(t) *MS. Amb. I. pro* mirari *legit* minari.
(52) *Cod. Eſtenſ.* ipſa feritate.
(u) *MS. Amb. I.* diligendo.
(53) *Cod. Eſtenſ.* Duæ cauſæ *MS. Amb. II.* & hæc duo ſunt illæ cauſæ &c.
(x) *MS. Amb. I.* diviſi ſunt; alii erant in partes duas, & alii &c.
(54) *Cod. Eſtenſ. & Amb. I.* creviſſent diſcordiæ, incentivum, & rixæ, *Amb. II.* diſcordiæ, incendium, & rixæ.
(55) *Cod. Eſtenſ.* inde cum Veronenſibus.
(56) *Cod. Eſtenſ.* Albericum.
(57) *Cod. Eſtenſ.* primò facto.

Digitized by Google

& Albricus de Romano Vicentiam: Tarvisinorum quæstione cum Paduanis adhuc plenariè non sopita, placuit sapientibus, qui præ manibus habuerunt hoc factum, legere (58), & legerunt in Paduanorum Potestatem Dominum Stephanum Badoarium de Venetiis, Virum providum, & prudentem, legalitatis & fidei radio decoratum, facundiæ multa gratia, multis (y) bonisque moribus insignitum. Quo siquidem Potestate, Ecelinus de Romano finitâ suâ Potestariâ Veronæ, die, noctuque non dormiens, cepit per insidias Castrum Fontis. Ibi erat parvulus Guillielmus filius Jacobi de Domino Tisone majore de Campo Sancti Petri, instinctu (59) cujus Jacobi pro magna parte inceptum, & perpetratum fuerat factum Frattæ. Hoc audito in Padua, scilicet de captione de Fonte; audito etiam de captione parvuli Guillielmi: Dominus ipse Tiso, cujus erat Castrum, & Guillielmus ejusdem nepos, conquestus est Potestati Paduæ, Consiliariis, & Communi de tali & tanta injuria facta Communi Paduæ: cùm ipse Tiso, ejusque nepos, Castrum ipsum, & omnia, quæ habebant essent in protectione Communis Paduæ, & tutela: utpote quia civis erat Paduanus, fuerantque semper ipse, & omnes de domo sua. Quare commoti sunt omnes de Civitate; facta est Concio, & Congregatio ferè innumerabilis in Palatio Paduano, ubi vidi ego Nobiles Civitatis, majores, medios, & minores, (z) & quamplures Dominas de majoribus Civitatis, Judices, Milites, & Populares adeò convenire in unum, nemine discrepante, quòd ad carrocium in Majori Ecclesia positum omnes unanimiter cucurrerunt, & portatum est humeris in Plateam ad atria Potestatis. Factus est tunc magnus, & copiosus exercitus, quo sapienter conducto primò ad Cittadellam in Anno Domini MCCXXVIII. illic proviso primitus de omni bellico apparatu, exterminatis etiam circum se (a) terris rebellibus, scilicet Fontaniva totaliter præter turrim, & aliis locis inimicorum: vir tamdem providus Stephanus Badoarius egregius Paduanorum Potestas, magnificè, & potenter cum exercitu suo toto pervênit usque ad munitiones Baxani, & fixit illic feliciter sua castra.

CAP. X.

Mittunt Veneti Ambaxatores ad prohibendas causas malorum in Marchia.

Exivit tunc fama per Marchiam, Lombardiam, & ultra, quòd exercitus Paduanus volebat illos de Romano delere in rebus, & personis; & dictum est in Venetiis, quòd Paduani non reverterentur, nisi priùs destruant terras de Pedemonte. Placuit igitur Consilio Venetiarum mittere, & miserunt suos Ambaxatores, scilicet Dominum Marcum de progenie Quirinorum, & Dominum Matthæum Bonum, sapientes viros, honorificè sociatos. Quibus utique per Consilium Venetiarum est commissum, quòd appellent utramque partem de concordia facienda, de extirpandis malorum causis utiliùs ante factum. (b) Est commissum eis etiam, quòd protestari debeant coram utraque parte, Dominum Ducem, & Consilium Venetiarum paratos esse interponere partes suas (c), si eis placet, & quæstionem, si quam habent, adinvicem diligenter videre, & utriusque partis rationibus intellectis, quæstionem ipsam fine debito terminare. Et si qua alia viderent dicenda, pro bono pacis, fideliter exequantur, & dicant.

CAP. XI.

Loquuntur Ambaxatores in Consilio Paduano.

Ad petitionem Ambaxatorum de Venetiis, convocatum est Consilium Paduanum in castris. Surgens itaque Dominus Matthæus Bonus de Venetiis, congrua invocatione præmissa, verba hæc, vel similia est locutus.

„ Si temporum præteritorum recordor (d),
„ ivi per Lombardiam, scrutatus sum terras
„ Francorum in magna parte, tentavi Apu-
„ liam, Alemanniam circuivi, transivi per
„ Romaniam, pervêni usque ad introitum
„ Barbarorum: & in veritate protestor,
„ quòd nullæ terræ, vel Civitates reperiun-
„ tur citra mare, vel ultra, quæ adæquari
„ possint Marchiæ Tarvisinæ, tum in colen-
„ do Deum, & Sanctam Matrem Ecclesiam,
„ tum in bonitate, & aptitudine personarum,
„ tum in prudentia tam animi, quàm corpo-
„ ris, curialitate & amicitia, divitiis, & po-
„ tentia, omnique re desiderabili super ter-
„ ram. Sed non est minor virtus acquisita
„ conservare illæsa, quàm adinvenire quæ
„ non habemus: quare mirandum est pluri-
„ mùm, quæ sit causa, quòd illi, qui dono
„ sapientiæ perfruuntur, laborent terras, quæ
„ fructificant & abundant, destruere, conte-
„ rere, & vastare, pauperes, & viduas, or-
„ phanos, & pupillos compellere, ferro, &
„ fame subjici, & perire. Quo circa, vos
„ Domini Paduani, quos Deus multa sapien-
„ tia prædotavit, debetis Deum habere præ
„ oculis: & cùm sitis in Marchia major Ci-
„ vitas, quæ Marchia certè prævalet omni-
„ bus Mundi Provinciis, proportionata quan-
„ titate terrarum; debetis niti potiùs ad ho-
„ norem Marchiæ augmentandum, & videre,
„ ne culpâ vestrâ fiat aliquibus injuria, vel
„ offensa: ex hoc enim Deo cognoscetis
„ vos placere; hominibus reddere vos aman-
„ dos; acquirere in hoc seculo coram gen-
„ tibus bonam famam. Dominus noster, (e)
„ Dominus Dux Venetiarum, qui semper
„ fuit, & est Paduani Communis amator,
„ super hoc capitulo vos (60) mittit amica-
„ biliter deprecando, ut cum istis viris nobi-
„ libus de Romano, qui etiam attinent ma-
„ joribus de Padua proximâ lineâ parentelæ,
„ guerras incipere non velitis. Res namque
„ mo-

(58) *Cod. Estens. & Amb. II.* eligere, & elegerunt.
(y) *In MS. Amb. I., & II.* τὸ multis *deest*.
(59) *Cod. Estens.* inscitu.
(z) *MS. Amb. I.* majores, medios, & minimos.
(a) *MS. Amb. II.* exterminatis etiam cunctis terris.
(b) *MS. Amb. I., e II.* utilius autem factum &c.
(c) *MS. Amb. I.* interponere vices suas &c.
(d) *MS. Amb. II.* recordor, quatuor annis per Lombardiam scrutatus sum; Francorum terras in magna parte temptavi, Apuliam, Alemaniam circuivi &c.
(e) *MS. Amb. I., e II.* Dominus noster etiam Dux Venetiarum qui est & semper esse desiderat Paduani Communis &c.
(60) *Cod. Estens.* nos, *aut* ad vos. *Murat.*

Digitized by Google

„ modicæ per concordiam crescunt, per discordiam maximæ dilabuntur. Demum vobis ex parte Domini Ducis, & Communis Venetiarum dicimus, & ex injuncta nobis commissione amicabiliter protestamur, quòd paratus est ipse Dominus Dux, & Consilium interponere partes suas, si vobis placet; & quæstionem, si quam habetis cum istis Nobilibus de Romano, diligenter videre; & utriusque partis rationibus intellectis, quæstionem ipsam fine debito terminare.

CAP. XII.

Quærit Potestas Consilium, quid sit Ambaxatoribus respondendum.

A D hæc Potestas sub brevitate respondens, dixit, se velle super hiis habere Consilium, & eis postmodum respondebit. Posito igitur in ipsorum Ambaxatorum arbitrio, si velint in Consilio permanere; Ambaxatores, prout mos est in talibus, abierunt. Potestas autem propositis his in Consilio, quæ satis attentè notaverat, petiit, & districtè præcepit per sacramentum, quòd quilibet consulat ad prædicta, quid sit meliùs pro Communi Paduæ in hoc casu Ambaxatoribus respondendum, amore, odio, ira, & timore sublato. Surrexerunt quidem plures, & diversi diversimodè (61) sunt locuti. Demum surrexit Dominus Tiso de Campo Sancti Petri, & convenienti invocatione facta, veneranda voce talia est locutus.

„ Etsi, quantum ad præsens tempus, non sit expediens recordari antiqua, fortè hic aliqui sunt præsentes, quibus est utile ut cognoscant, si parentes isti mei, dicti de Honaria quondam, qui dicuntur nunc de Romano, causam habent insistere vel operari, quæ pertineat (62) ad Communis Paduæ detrimentum. Ego enim recordor, & vidi quòd Commune Baxani, & ipsi Domini de Romano Communi Vicentiæ resistebant, & offensas multas fecerant Vicentinis, unde non morabantur in Baxano securi, & stabat gens tota Bazani sub ingenti dubio, & tremore: quinimmo Civitates quamplures de Lombardia cùm Vicentinis (f) juraverant, & minabantur Marosticam, & Baxanum, & partes illas invadere; subvertere cuncta à montium summitatibus infra; & fratrem matris meæ Eccelinum de Honaria, cum amicis suis omnibus, Fidelibus, & Vassallis, quos habebat, expellere non solùm de Baxano, sed de tota Marchia Tarvixina. Dico sicut homo, qui vidit factum, quòd Commune Paduæ doluit super viri nobilis exilio imminente; & taliter factum est precibus Eccelini, & profuit etiam instantia illorum de Campo Sancti Petri cum suis amicis, quòd Jacobus de Vialardo, (63) qui tunc erat Potestas in Padua, generalem fecit exercitum in servitio Eccelini, & fuit totum Commune Paduæ hostiliter apud Honariam magnificè & potenter: ita quòd inimici (g) qui jam erant in partibus Marosticæ, suo guarnimento diviso, regressi sunt ad proprias Civitates, & remansit Marostica, & Baxanum indemne, & Eccelinus servatus est inoffensus: licèt ipse parvo elapso tempore, in sui perjurium, concordaret cum illis, quos Commune Paduæ pro ipso sibi fecerat inimicos. Hiis tamen, aliisque multis, & magnis servitiis non inspectis, quæ facta sunt per Communæ Paduæ in servitio Eccelini, præsumsit ecce germanus meus, quæ sunt liberaliter facta patri, conniventibus (h) oculis pertransire, & manum ponere in visceribus Paduani Communis: dum per summam proditionem & nefas, cepit, & detinet Castrum Fontis, quod non reputo esse meum, immo Communi Paduæ plùs subjectum, quàm sit minor Villa, quæ jacet in Paduano districtu. Cepit ibidemque (64) etiam lactentem nepotem suum, & more crudelis viperæ sæviens, infantem retinuit, donec voluit, vinculis ferreis alligatum, qui adhuc puerili fascia ligabatur. Sed si recuperare voluit igitur Commune Paduæ quod est suum; si Civem suum voluit innocuum à morte defendere; numquid hæc est alicujus injuria, vel offensa? debet aliquis in hoc facto interponere partes suas? Est ista quæstio cognoscenda? Profectò regratiandus est Dominus Dux de voluntate sua laudabili, quam ostendit; & nos, & Commune nostrum habemus ea viriliter pertractare, quæ nostros faciant inimicos de suis excessibus pœnitere, ne umquam præsumant aliqui sic enormiter, sic injustè Commune Paduæ lædere, vel honori ejus in aliquo derogare.

Hæc quoque prædicta verba Dominus Stephanus Badoarius Ambaxatoribus referens, sapienter dicenda scivit dicere, tacenda novit providus subticere. Ipsi verò Ambaxatores discretè licentiam assumentes, intraverunt Baxanum.

CAP. XIII.

Loquuntur Ambaxatores Venetiarum Eccelino, & suis.

S Tabat illic in Baxani Palatio Eccelinus de Romano, & habuit fratrem suum Albricum, (65) Wecilum de Prata, Ansedixium de Guidotis, & alios multos amicos suos, viros probos, & sapientes, quorum Consilio procedebat, coram quibus surgens Dominus Marcus de prædictis Ambaxatoribus unus, vir sapiens & astutus, post factam invocationem, decenter hæc verba locutus est inter eos.

„ Inter cetera opera probitatis, quæ viros Nobiles faciunt commendandos, hæc duo meritò locum habent, scilicet quòd quilibet potens homo à causis offensionum abstineat in insontes, & si qua causa hujusmodi sit commissa, quàm citiùs esse potest, eam succidere debeat, & providus exstirpare. Hæc autem propterea vobis dicimus, „ quòd

(61) *Cod. Estens.* diversa.
(62) *Cod. Estens.* pertineant.
(f) *MS. Amb. I. & II. non legunt* cum Vicentinis.
(63) *Cod. Estens.* Vilardo.
(g) *MS. Amb. I.* Inimici sui qui &c.

(h) *MS. Amb. I.* contuentibus &c.
(64) *Cod. Estens.* ibidem *MSS. Ambr. Ambo* latentem nepotem suum.
(65) *Cod. Estens.* Albericum.

Digitized by Google

A „ quòd Dominus noster Dux Venetiarum noviter intellexit, vos occasionem dedisse, quare Paduani terras vestras, & Baxani territorium vastare laborant: quoniam Castrum Fontis germani vestri, ut dicitur, Domini Tisonis de Campo Sancti Petri, & per consequens Paduani Communis, violenter cepistis, & detinetis; & in ipso Castro cepistis Guillielmum nepotem Domini Tisonis, & vestrum: quæ facta cum honore vestro, si nobis parcitis, poterant remanere, nisi fortè jus haberetis in Castro. Nam & providere debet sapiens ante factum, ne contingat eum facti postmodum pœnitere. Verum est, quoniam quod factum est, pro B infecto haberi non potest: Verumtamen prudentis opus est abhorrere malorum causas, & si qua facta sunt minùs bene, in melius emendare. Si de facili possunt ergo multa damnificia prohiberi, rogamus vos ex parte Domini nostri Ducis, qui certè vos diligit, & domus de Romano semper exstitit benivolus & amator; ut sicut jam reddidistis infantem, sic & Castrum ipsum reddere procuretis in manus Communis Paduæ: cùm locum illum, si alteriùs juris est, non sinè injuria teneatis. Demum vobis ex parte Domini Ducis, & Communis Venetiarum dicimus, & ex injuncta nobis commissione ab ipso, & à Venetiarum Consilio, C protestamur, quòd si vobis placet, & jus aliquod in ipso Castro habetis, paratus est Dux (66), & Consilium, interponere partes suas, & super ipso facto videre, & quicquid juris inventum fuerit sine debito terminare.

CAP. XIV.

De responsione facta Ambaxatoribus per Ecelinum.

SUrrexit tunc Dominus Ecelinus de Romano, & Ambaxatoribus hoc modo respondit. „ Naturalis intellectus, & sensus concessus est hominibus in hac vita, ut eis liceat di- D ligentes diligere, & contemnere contemnentes. Et ego Domino meo Duci quanta possum affectione regratior, quòd mihi videtur compati super injuriis (67) mihi, & amicis, & terris meis, injustè, ab his præcipuè, qui nullam verè possunt habere causam, collatis (68). Scio quòd nobiles illi viri de Campo Sancti Petri non negant, se contraxisse maternam originem de progenie de Romano, quam more debito cognoscere non videntur. Nam etsi non viderim, tamen scio pro veritate, quòd Magnates illi quondam patri meo insidias hujuscemodi posuerunt. Erat nempe constituta Curia quædam causa solatii Venetiis, ubi fuit Azo E Marchio pater Marchionis istius, & alii de Marchia nobiles, & potentes: quam Curiam pater meus honorare desiderans, secum habuit XI. Milites & ipse exstitit duodenus, quorum omnia similia fuerunt (69) vestimenta, in re una solummodo discrepantia, quòd scilicet mantatura patris mei fuit de armerinis, sed aliorum fuit de pretiosis varis Sclavoniæ. Visi sunt isti XII. socii prima die per Plateam Sancti Marci transire unanimes. Sequenti verò die cùm unus eorum in amicitiæ signum mantaturam patris mei deferret, sicut mos est aliquando Militum, & sociorum, sicarii quidam conducti pretio à falsis germanis meis, credentes occidere patrem meum Ecelinum de Romano, occiderunt illum, qui ejus attulerat mantaturam, quemdam scilicet Militem de Tarvisio nomine Bonacursium, virum nobilem, & potentem. Reputo ergo dignè, quòd tunc occiderint (70) patrem meum, fratrem (71) scilicet matris suæ. Dicere non oportet, qualiter Jacobus Tisonis filius nepos meus in Fratta fecerit tantam cædem in amicis, & fidelibus partis meæ, penitus absque causa, quanta fieri in ipsis bestiis vix deberet. Et ecce quàm instanter mihi guerras assiduè machinantur, & incendunt gentes quascumque possunt in meam, & meorum amicorum destructionem, & mortem. Quid enim haberent adversùm me Paduani? Ipsi namque olim cum Vicentinis, ut fertur, pugnaverunt ad Carmegnanum, ubi Pater meus, nullum dedit Vicentinis auxilium, quamvis tunc illis conjunctus esset: sed laboravit occultè, donec Paduani victoriosam habuerunt de inimicis gloriam, & triumphum: cujus facti quasi in ænigmate memini, cùm, ut (72) dicitur, tunc essem minor annorum V. Si tempore aliquo fuit Aldrevandinus Estensis Marchio Paduanis contrarius, illic pater meus cum omnibus, quos movere potuit, Paduanos adjuvit, & de ipsius auxilio & consilio hoc processit, quòd Marchio se subjecit Paduanorum voluntatibus, & mandatis. Et ego memini, me in hoc guarnimento fuisse, licèt forem in tempore adolescentiæ constitutus. Nunc quoque si Paduani indebitè moveantur, audite. In Castro Fontis malefactores plurimi latitabant, qui terras meas, & fratris mei, aliorumque amicorum meorum, die noctuque deprædabantur: nec proderat conqueri Capitaneo ejus Castri: sed in ejus responsionibus videbatur apertè, quasi foret malorum conscius, & rapinæ. Removere ergo (73) volui vulpem ab insidiis, ab antro serpentem mortiferum, & lupum expellere de cubili. Precor itaque Dominum meum Ducem, quòd mihi dignetur parcere in hac parte: sed (74) videre volo, quid facere poterunt Paduani, qui nondum, ut puto, experti sunt quid Domus de Romano valeat, & quid possit. Sive enim fuerit, quòd non videntur sanum cepisse consilium, sive quòd fovent injustitiam, & obliquum: spero, quòd Deus, qui est justus judex, eos, antequam revertantur Paduam, justo judicio puniet, & eos faciet de suis excessibus pœnitere.

CAP.

(66) *Cod. Estens. & Ambr. II.* est ipse Dux.
(67) *Cod. Estens.* injuriis, quæ fiunt mihi.
(68) *in Cod. Estens. deest τὸ* collatis.
(69) *Cod. Estens.* omnium similia fuerunt, & divitia vestimenta.

(70) *Cod. Estens.* occiderunt.
(71) *Cod. Estens.* meum, & fratrem scilicet.
(72) *Cod. Estens.* ut mihi dicitur.
(73) *Cod. Estens.* ego volui.
(74) *Cod. Estens.* parte, si videre.

Digitized by Google

CAP. XV.

Literæ, quas misit Ecelinus major filiis, ut cum Paduanis concordarent.

PRopositis verbis per Ambaxatores Venetiarum, ut dictum est, & audita responsione utriusque partis, reversi sunt ipsi Ambaxatores Venetias; sed Dominus Dux non se ulteriùs intromisit: doluit tamen, quòd non potuit componere inter eos. Sed post insultus quosdam factos per aliquot de militibus Paduanis ad portas (75) Baxani, non multis transactis diebus, cùm Ecelinus major, qui adhuc in ficta pœnitentia morabatur in Castro Medæ, per nuntios, quos mittebat quotidie, facti seriem in totum haberet notam, misit dicendo filiis suis, quòd penitus cum Padua (76) concordarent, & scripsit eis literas in hunc modum.

„ Ecelinus de Romano carissimis filiis suis „ & dilectis, Ecelino, & Albrico, cum paterna benedictione salutem. In arduis negotiis meo tempore obversatus, tam in „ guerra, quàm in pace, hoc vidi, quòd nil „ perdit aliquando sapiens, si partem resecat „ de sui fimbria vestimenti, & ab iniquitatis „ unco (77) providè separatur. Quocirca, „ dilectissimi mei filii, providete, quòd potentia Domus nostræ nondum est Communi „ Paduæ comparanda. Nihil tamen prohibet, „ quin vulgus Paduanorum adhuc, immo tota „ gens de Marchia, Domino faciente, summitti posset (78) unius vestrum dominio, „ vel forsitan utriusque. Hoc enim dixisse „ mihi recolo matrem vestram, quæ stellarum cursus noverat, notabat cœlestes domos, sciebat etiam judicia (i) Planetarum: „ ait enim:

En quia fata parant lacrymosos pandere casus.
Gentem Marchixiam (79) fratres abolere potentes
Viderit Axanum, concludent Castra Zenonis.

„ Itaque dum crescit Baxani potentia, dum „ Sancti Zenonis Castrum, & alia vestra (80) „ Castra de Pedemonte concludent vestris „ contumacibus inimicis: volo, & jubeo quòd „ cautiùs incedatis. Et ad præsens Communi „ Paduæ obedite, & reddite Castrum Fontis, „ sicut jam reddidistis & Guillielmum: ne arrogans nepos meus Tiso possit ullam causam prætendere, qua Paduani terras vestras „ invadere debeant, & vastare. Spero enim, „ quòd veniet tempus, & hora, qua de vestris, & amicorum vestrorum injuriis, animo lætabundo videbitis plenariam ultionem.

CAP. XVI.

Hic redditur Paduanis Castrum Fontis.

INterposuerunt itaque hinc inde Magnates quidam, qui quamvis essent de Padua, tamen amici illorum de Romano (K) tunc temporis credebantur, & personæ religiosæ quædam: & post multas locutiones utrinque factas, multaque consilia, tum (81) ad hanc concordiam est deventum, quòd Ecelinus ipse minor, qui Castrum Fontis adhuc tenebat, sed Guillielmum jam ante reddiderat, jurare debeat Potestatis Paduæ mandata. Et ego eum vidi in alto destrario ad Potestatem Paduæ, & ad ejus Consiliarios advenire per undas Brentæ: non tamen permisit Potestas, qui eum expectabat in ripa, ipsum ad terram attingere: sed juravit sinè ullo tenore super destrarium more equitantis, sedendo, & stando per VI. passus forsitan infra aquam. Jussus igitur, in præsenti reddidit Castrum Fontis, cum rebus omnibus, quas acceperat de bonis ipsius Castri; & sic indignatus, partim quia videbatur succumbere, partim quia ibi vidit quosdam Tarvisinos, qui venerant in auxilium Paduanorum ad preces Domini Tisonis de Campo Sancti Petri, & suæ partis. Audiverunt quidam eumdem animo indignato dicentem postquam fecerat sacramentum, quòd non verteretur annus, nisi priùs luat Tarvisium per Commune, quod cives ejus fecerant per divisum. Fuerunt autem omnia facta prædicta in prædicto Anno (l) Dom. MCCXXVIII. tempore Autumni, Potestate Domino Stephano Badoario supradicto.

CAP. XVII.

De exercitu facto ad Triville, & ad (82) partes illas.

REversi sunt Paduani domum cum ingenti gloria, & honore. Quibus credentibus permanere in pace, ivit Ecelinus Tarvisium, & juvantibus suæ partis amicis, tunc est in Tarvisinum civem receptus; & unitus cum Communi Tarvisii, verbis suis induxit eos, ut terras Feltrensis, & Belunensis Episcopi (83) invaderent, quas idem Ecelinus dicebat fuisse Communis Tarvisii ab antiquis. Sic decipi vidi aliquando piscem hamo, volucres capi calamis, lupum cibo: fecerunt enim Tarvisini exercitum, & unà cum ipso Ecelino, terras Episcopi (84) invaserunt. Nolentes Paduani offendere Tarvisinos, si possent cum honore desistere, miserunt primò Nuntios Tarvisium, deprecando, quòd terras Episcopi, quæ erant Paduani Communis, desisterent molestare. Sed non cessaverunt propterea, instantes immo ferventiùs, Feltrum, & Belune ceperunt, & tenuerunt. Et Paduanis Nuntiis, qui illic (85) iterum & iterum sunt transmissi, sive per arrogantiam, sive per alicujus astutiam, vel aliquorum, respondebant, quòd Feltrum, & Belune non redderent, donec muri Civitatis Tarvisii permanerent. Quid plura? misit Potestas Dominus Stephanus Badoarius Nuntios suos ad Dominum Patriarcham Aquilejensem; misit etiam ad Dominum Marchionem, ut venirent; & venerunt, & factus est copiosus exercitus ad ter-

(75) *Cod. Estens.* portam.
(76) *Cod. Estens.* Paduanis.
(77) *Cod. Estens.* vitio *MS. Ambr. II.* initio.
(78) *Cod. Estens.* possit.
(i) *MS. Ambr. I. melius legit* indicia.
(79) *Cod. Estens.* Marchisiam.
(80) *Cod. Estens.* nostra.
(K) *MS. Ambr. I.* illorum de Romano, & partis ejus.
(81) *Cod. Estens. & Ambr. I.* tamdem.
(l) *MS. Ambr. I.* in præsenti Anno *MS. Ambr. II.* in ipso Anno.
(82) *Cod. Estens.* Treville, & Godicum, & per partes.
(83) *Cod. Estens. & Ambr. I. & II.* Episcopi Odonis nomine invaderent.
(84) *Cod. Estens. & Ambr. II.* Episcopi hostiliter invaserunt.
(85) *Cod. Estens. & Ambr. II.* illuc iterum.

Digitized by Google

terras inimicorum exterminandas. Priùs tamen quàm Civitatem exirent, venerunt quidam de Lombardia, qui dicebantur Rectores, instantes cum Domno Jordano Priore Sancti Benedicti de Padua, in quo multùm Civitas Paduæ confidebat, & cum aliis Magnatibus de Padua, quòd expeditio, sive exercitus remaneret. Prænominatus autem Potestas omnia prædicta pro nihilo reputans, servare volens plenariè Civitatis honorem, Carrocium, & gentem suam totaliter & magnificè conduxit in terras inimicorum. Primò ad Trivillem, terram scilicet jurisdictionis (86) Dominorum de Campo Sancti Petri, sed nunc eam Ecelinus, & Tarvisini tenebant, cujus culturas, & fruges omnes, & alia omnia, præter turrim, Paduana (m) turba vastavit. Exinde processit exercitus Paduæ Godicum, speciale Castrum, & Camera (87) Ecelini. Iterum dum permanerent ibidem, venerunt alii Rectores de Lombardia, dicentes, quòd Potestas cum suo exercitu Paduam remearet. Sed manifestè respondebatur illis per Potestatem, quòd non divideret se de campo, nisi Tarvisini priùs Feltrum, & Belune dimitterent, aut Godicum planaretur. Reversi sunt Rectores in Lombardiam, & Godicum est tunc radicitus exstirpatum. Ivit tunc Paduanus exercitus ad Axilum; reversus est Maseradam; ivit usque Nervisiam, & usque ad undas Plavis, & reversus est ad Lanzinigum. Appropinquanti ad Civitatem Tarvisii, quòd viderunt Paduani tunc turres, & muros Tarvisii; audiverunt (88) campanas, & voces de Civitate. Et nullo viso de inimicis, demum sanus, & incolumis reversus est exercitus Paduanus (89) cum triumpho. Movit autem exercitus hic, quando primò exivit Paduam, in Anno Domini MCCXXVIII. die primo mensis Madii, sub Potestate prædicta.

CAP. XVIII.

Qualiter Commune Paduæ recuperavit terras Feltrensis, & Belunensis Episcopi sui civis.

Constitutis Dominis, & Rectoribus (90) Tarvisinis in Feltro, & Belune, Tarvisini ad propria redierunt: & cognoscentes damna sibi facta per Paduanos, nocte quadam venerunt ad offendendas Villas quasdam circa confinia Paduani districtus. Potestas autem Paduæ velox (n) & strenuus subitò ad arma prosiliens, suam paravit repentè militiam ire hostibus in occursum. Aliqui tamen milites Paduani missi priùs, Tarvisinos invenerunt in largum, & est tunc utrinque pugnatum: sed Tarvisini quàm citiùs secesserunt de campo, sentientes Potestatem, & Paduanos venire. Regressis denuo Paduanis, firmatum est, & statutum in Padua, inimicorum terras invadere bis in anno, & vastare totaliter eorum possessiones, & bona. Sed tantum institit Frater Walla (91), qui de Ordine Fratrum Prædicatorum fuerat, & nunc erat Episcopus Brixiensis, & Legatus Apostolicæ Sedis, ut dicebatur; & Rectores missi sunt Paduam de Civitatibus Lombardiæ, quòd terræ Feltrensis, & Belunensis, cum his omnibus, quæ ostensa sunt ad Episcopum pertinere, ipsi sunt Episcopo, & Paduanis integraliter restitutæ, quamvis Tarvisini dicerent se gravatos: experti nunc sibi devenisse ad verum, quod Ecelinus, verbo quasi Prophetico, dixerat apud Baxanum: aliquando (92) Communitatem (o) luere, quod peccat specialitas aliquorum.

CAP. XIX.

Hic speravit Padua pacem amodo permansuram in ea.

Nunc circa unius anni spatium, Civitates de Marchia Tarvisina adeò quieverunt in pace, quòd quasi circa finem Anni Domini MCCXXVIIII. & circa principium subsequentis, nulla fuit terrarum prædatio, nulla hostium incursio, vel insultus, præter supradictum exercitum: sed bonorum omnium copia; tantum gaudium, & lætitia inter gentes, ut à pluribus crederetur, quodammodo nullæ seditiones esse debeant in Marchia, nullæ guerræ. Immo, & religiosæ personæ totum quasi populum in laudabili contemplatione manentem divinis prædicationibus recreabant. Nam & in illo tempore, inter cæteros viros religiosos, & justos, advênit Beatus Antonius, sicut dicetur inferiùs, & in diversis locis per Marchiam verba Dei voce melliflua prædicavit. Et fuit nunc Dominus Johannes Dandalus (p) de Venetiis Potestas Paduæ, & Dominus Raynerius Zeno tunc Veronæ Potestas.

(86) *Cod. Estens.* Terram scilicet de jure.
(m) *MS. Ambr. I.* omnia præter turrim Paduæ turba vastavit.
(87) *Cod. Estens.* Cameram.
(88) *Cod. Estens.* audiverunt tunc campanas.
(89) *Cod. Estens. & Ambr. II.* Paduam.
(90) *Cod. Estens.* Rectoribus pro.
(n) *MS. Ambr. II.* valens &c.
(91) *Cod. Estens.* Balla, *Ambr. I. & II.* Veralla.
(92) *Cod. Estens. & Ambr. Ambo.* scilicet aliquando.
(o) *MS. Ambr. I.* Communitatem quænam luere &c.
(p) *MS. Ambr. Ambo non habent* de Venetiis.

Explicit Liber Secundus.

IN-

Digitized by Google

INCIPIT TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

Hic capitur Veronæ Comes Sancti Bonifacii, & Potestas expellitur.

CAduca sunt penitus, & vix uno momento stabilia, quæcumque sunt genita super terram. Nam in sequenti Anno MCCXXX. error, & scisma crevit in Marchia, quæ paulò ante steterat sic tranquilla. Dum enim Stephanus Badoarius in sua secunda Potestaria Regimen Paduæ teneret, Dominus Matthæus Zustignanus vir nobilis de Venetiis, electus fuit in Potestatem Veronæ. Hic voluit, quòd Magnates illi de Verona, qui tempore Domini Raynerii Zeni sui prædecessoris steterant in Venetiis pro securitate Veronæ, iterum illuc in ejus Potestaria pro securitate Civitatis redire, & permanere deberent, ad voluntatem ipsius. Et sic Veronæ orta est discordia inter partes: & dum Dominus Rizardus Comes Sancti Bonifacii capud partis, vir præcipuus in Verona, cum Magnatibus, & Baronibus suæ partis foret in Palatio Veronæ, vigilante plurimùm altera parte in his quæ gerebat in animo, ipse verò cum majoribus suæ partis à suis inimicis est in ipso Palatio captus; Dominus Matthæus de Potestaria expulsus. Dominus Salinguerra de Ferraria tunc factus est Potestas Veronæ; & sic omnes de parte Comitis per Marchiam, & per Lombardiam dispersi sunt. Illi verò (93) de parte Comitis, qui se ad Castrum Sancti Bonifacii collegerunt, vocaverunt pro suo Rectore, & Potestate ibidem Dominum Gerardum (q) Rangonum de Mutina, virum prudentem, & strenuum, sapientem, providum, & astutum. Qui cùm ad eos venisset, & jurasset ipsos regere bona fide, illic cum eisdem stetit, sapienter ipsos protegens, (94) & confortans, & guerram faciens viriliter inimicis: sperans etiam ipsos, & eorum amicos, & partem, cum consilio Domini Matthæi prædicti, & auxilio Civitatum (r) affinium, in Civitate (95) Veronæ reducere cum honore.

Illis eisdem temporibus (96); ipse Dominus Gerardus, & Dominus Matthæus prædictus venerunt ad Dominum Stephanum Badoarium Potestatem Paduæ, & fuerunt in Consilio Paduano, in quo surrexit ipse Dominus Gerardus in primis, & congrua invocatione præmissa, secundùm quod mos est in Marchia, hæc verba breviter est locutus.

(93) *Cod. Estens.* ergo.
(q) *MS. Ambr. II. emendatum habet nomen* Gerardi *in* Guizardum *ita, & infra.*
(94) *Cod. Estens.* eos regens.
(r) *MS. Ambr. II.* Civitatum, & affinium &c.
(95) *Cod. Estens.* Civitatem.

CAP. II.

Loquitur Dominus Gerardus Rangonus in servitio (97) Veronensium expulsorum.

„ DE summa Dei providentia creditur „ processisse, quòd sunt in Civitatibus „ Regimina constituta: ut scilicet violentiæ „ refrenentur, prohibeantur rapinæ, jura „ conserventur illæsa, maleficia & superbiæ „ retundantur. Quod cùm ita sit, tenentur „ meritò Civitatum Rectores juvare propensiùs, & protegere, non solùm Cives, & „ subditos, sed etiam & Regentes. Audistis „ sanè, quòd Dominus Matthæus Zustignanus vir sapiens, potens, & nobilis de Venetiis, qui est præsens factus Potestas, & „ Rector Communis Veronæ, solemniter voluit, propter pacem, & concordiam in „ Verona servandam, quòd aliqui cives sui „ Magnates de Verona Venetias ire deberent, & modicum ibi stare; donec scilicet „ ipse Civitatis facta pleniùs haberet præ manibus, & salubriter ordinasset: neque enim „ hoc erat insolitum, nec fiebat in injuriam „ aliquorum. Quid autem de tam digno proposito, & tam justo contingerit, hoc est „ plenariè notum per Lombardiam, per Marchiam, & per Italiam universam: & adeò „ cuncti audientes hoc reprobant, quòd utinam (s) ne detrimentum redundet in Civitatem: quoniam in eorum capud pro certo „ redundabit in brevi, qui excessus tanti fuerint (98) conscii, & auctores. A vobis itaque, & à Communi Paduæ, qui estis semper amatores justitiæ, & malorum castigatores, exposcimus nos, qui præsentes hìc „ sumus, pro nobis, & aliis de propria patria tam injustè depulsis, quatenus vobis „ placeat pacificare Commune illud, & illis „ vestrum auxilium exhibere, qui nullam meruere repulsam. Scimus enim tantam esse „ potentiam vestram, quòd si solum auditum „ fuerit vos velle in hoc negotio interponere „ partes vestras malorum superbia trepidabit, „ & Civitas (99) Veronæ divinâ gratiâ, vestrisque operibus reformata vobis erit honor, & fama populo (100), & magni præmii meritorium apud Deum.

CAP. III.

Loquitur Dominus Matthæus Zustignanus Potestas de Verona expulsus.

ET si fortè plura dixerit Dominus Gerardus, quia fuit vir sapiens, & facundus; de his, quæ præsens audivi, summatim recollegi prædicta. Quibus per eum propositis, stans in prædicto Consilio Dominus Matthæus Zusti-

(96) *Cod. Estens.* diebus.
(97) *Cod. Estens.* servitium.
(s) *MS. Ambr. II.* quod autem ne &c.
(98) *Cod. Estens.* fuerunt.
(99) *Cod. Estens. & Ambr. II.* Civitate.
(100) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* perpetuò.

Digitized by Google

Zustignanus, facta invocatione similiter, breviter hæc verba proposuit.

„ Non est meæ intentionis ad verba Domini Gerardi superaddere aliqua, quia (1) certè non video expedire: hoc tamen dixerim, quòd satis videtur à natura procedere, quòd unius Civitatis Commune, cui Deus thesaurum sapientiæ donat, potentiæ munus, & gratiam boni status, alterius Civitatis Communi prosit; vacillantem populum adjuvet, in sua justitia foveat, prolapsum relevet, & toto posse in sua libertate conservet. Quare vobis placere debet exsurgere in auxilium nostri, qui secundùm quod Dominus Gerardus sapienter proposuit, contra Deum, & rationem (2) de Verona dejecti sumus; & Comiti Sancti Bonifacii, ceterisque Nobilibus dare succursum dignemini, qui cum ipso Comite sic indigne tenebrosis carceribus sunt inclusi. Si enim cum Carrocio, cum Militia, & cum Populo Paduano movebitis vires vestras, scimus indubitanter, quòd omnia plana erunt. Nam & si qui ausu temerario exsisterent contumaces, plures erunt Nobiles, & potentes de Lombardia, & aliunde multarum Terrarum Communia, ad excessus factos in nostram innocentiam ulciscendos: & in brevi tempore expedietur hoc factum. A vobis igitur petimus, sicut à viris (t) justitiæ, & magnificæ bonitatis, viris utique dignæ potentiæ, & virtutis, (u) ut de consueta nobilitate vestra Nobilibus condolentes, dignemini Nobiles liberare de morte, sic indebitè desolatos: & hoc aggredi tam potenter; quòd fama Communis Paduæ per Romanum Imperium de multo divulgetur in magis, & inimici Paduani Communis omni tempore contremiscant.

CAP. IV.

Hic iverunt Paduani hostiliter ad Portum, & Legnagum (3), *& Rivaltam.*

His quidem verbis in Consilio Paduano propositis, sunt omnes adeò pietate commoti; quòd illic opportunum non exstitit Potestatem verbis propositis respondere, nec opus fuit aliquos arengare, vel insistere suasionibus, aut dissuasionibus ad prædicta: sed absque ulla insinuatione, vel argumento, sic reperti sunt omnes unanimes, ut tam illi de Consilio, quàm & ceteri cives, protinus concordarent (4) exire hostiliter, & potenter quocumque oporteat, ut Commune Civitatis Veronæ in statum debitum reformetur. Quid plus? motus est Paduanus exercitus, & Carrocium Paduanum. Et discursurus absque ullo obstaculo per Veronensem districtum, congregavit primò gentem suam, & guarnimentum magnificè vir strenuus Dominus Stephanus Badoarius, Paduana Potestas egregia (x) in loco ubi dicitur Tricontay. Exinde gloriosè procedens in manu potenti, & brachio excelso, ivit ad Portum, & Legnagum mense Septembris de prædicto Anno Domini MCCXXX. Dissipatæ sunt segetes, captus est pons Atacis (y), gentes cohabitantes ex utraque parte fluminis sunt fugatæ, & destructa sunt ædificia, & habitationes cunctæ radicitus exstirpatæ. Unus solus clibanus remansit in Villa Porti jussu Potestatis, solummodo hac de causa, quoniam dicebatur illic panem fieri meliorem de Lombardia. Inde forsitan inolevit quod dicitur, *Bonus est panis Porti*. Motus est hinc exercitus, & ivit Bonadignum; ivit etiam ad Rivaltam, & primò destructa est villa Tombæ (5). Postmodum, quamvis Castrum Rivaltæ se aliquibus diebus defenderet, ad ultimum est redditum Potestati Paduæ, & Communi. Pacto tamen apposito, quòd personæ omnes de Castro recedant incolumes cum rebus, & armis suis, & Castrum ipsum remaneat incorruptum.

CAP. V.

Hic tangitur de facto Sancti Antonii quasi ex incidenti.

Reduxit Paduæ (6) Potestas ad propria gentem suam sanam & incolumem, Domino faciente: sed nec redemtus est Comes Sancti Bonifacii, nec est Matthæus Zustignanus receptus in suam Potestariam Veronæ. Amici tamen Domini Marchionis Estensis, & ipsius Comitis, qui sic detinebantur injustè, quod consequi nequiverunt per arma mundi, facere voluerunt cum amicis, & militibus Jesu Christi. Miserat enim Deus tunc temporis Paduam de finibus Hesperiæ (z), & de partibus Occidentis, utpote de terris Galliciæ, Sibiliæ, & Vilisbonæ (a), supradictum virum religiosum, & sanctum, Fratrem Antonium, de Ordine Fratrum Minorum, qui fuit de genere nobilium, & potentum; multa honestate perspicuus; multa literatura fundatus; Arca Veteris Testamenti, & forma Novi, & (si verbis audacia tribuatur) potens opere, & sermone. Hic Paduæ corporaliter conversatus cum Fratribus, spiritualiter habitabit (7) in cœlis; & in suis prædicationibus, quas per diversas contratas Paduæ, immo Marchiæ, etiam per Civitates & villas sæpissimè faciebat, suos habebat oculos, & mentem multo magis elevatam ad cœlum. Sive enim quòd speravit hic sanctus homo in Deum, sive quòd motus fuit ab amicis Comitis Sancti Bonifacii, & rogatus; ivit Veronam, & fudit preces plurimas Rectoribus Lombardiæ, Potestati, & Domino Eccelino, suisque Consiliariis de Verona, ut Comitem, & amicos ejus, quos tenebant captos in Lombardia, de carceribus relaxarent. Sed nihil preces, etiam si sint justæ, fructificant, ubi nullus est ramunculus caritatis. In nullo namque penitus exauditus, regressus Paduam, in contemplatione cunctis Christifidelibus reverenda, in loco quasi deserto, voluit ducere vitam suam. Et constructa sibi quadam habitatione paupercula prope ad villam de Campo Sancti Petri Paduanæ Diœcesis, in arbore quadam ramosa, nuce

(1) *Cod. Estens.* quæ.
(2) *Cod. Estens.* justitiam.
(t) *MS. Amb. II.* amicis justitiæ &c.
(u) *MS. Ambr. II.* potentiæ, & veritatis &c.
(3) *Cod. Estens.* Leniacum, & *MSS. Ambr. Ambo*. Lemacum *in contextu verò* Lingnagum.
(4) *Cod. Estens.* concordaverunt.
(x) *MS. Ambr. I.* Paduæ Potestas egregius &c.
(y) *MS. Ambr. Ambo*. Alticis &c.
(5) *Cod. Estens.* Combæ.
(6) *Cod. Estens.* Paduanus.
(z) *MS. Ambr. II.* Hispaniæ &c.
(a) *MS. Ambr. II.* Ulisbonæ &c.
(7) *Cod. Estens.* habitabat.

Digitized by Google

nuce videlicet, die noctuque regirans Vetus Testamentum, & Novum, scribere parabat utilia toti populo Christiano: scripsitque, & vixit, ut legitur in Legenda ipsius. Sed vocatus est Beatus iste Confessor ad patriam meliorem, & situs in ordine Angelorum, Anno Domini MCCXXXI. die XIII. intrante Junio, cujus Corpus Sanctissimum translatum honorificè in arcam (8) marmoream de Ecclesia, quæ erat Sancta Maria Mater Domini, usque in hodiernum diem requiescit in loco suorum Fratrum. Canonizatus autem dignis meritis, & expertis per Sanctam Romanam Ecclesiam, idem Beatus Antonius intercedit salubriter pro cunctis fidelibus, prodestque, & (9) prosit omni tempore Populo Paduano, cujus est spes, & fiducia, tutor, & refugium, & patronus.

CAP. VI.

Redemtio Comitis, & factum quoddam, quod fuit ad Anoale.

Cum electus fuisset Wiffredus de Lucino in hoc MCCXXXI. Anno, adhuc in XXXII. potestabatur in Padua: & erat justus, & rectus homo, & diligens quòd Marchia in tranquillitate maneret. Ivit ergo in Lombardiam Ambaxatoribus de Padua honorificè sociatus, & institit tam fideliter, & prudenter cum Potestatibus, & Rectoribus Lombardiæ, quòd renovata sunt sacramenta, & Lombardorum societas est firmata (b). Impetravit etiam, & redemit de (10) captione Comitem Sancti Bonifacii, & eos qui cum ipso in carcere tenebantur. Quo peracto reversus est Paduam, & rexit Civitatem in multa justitia, & perstitit optata tranquillitas in toto ejus regimine, & in regimine Potestatis sequentis, scilicet Domini Berardi (11) de Rivolis Paduæ Potestatis. Parva tamen vipera, & occulta mordet incautum aliquando.

Ecce namque in Castro, sive Motta de Anoale Tarvisini districtus, quidam malefactores, præter conscientiam Dominorum de Castro, die latitabant occulti, & noctu veniebant furtivè in Paduanum districtum, & collaterales Villas damnificabant in bestiis, & aliis rebus suis. Exivit itaque Potestas cum exercitu, & obsedit diebus aliquibus Castrum ipsum: non diu tamen ibi permansit, quia Domini de Castro, Paduano Communi noluerunt esse rebelles: allegantes se insontes, & sinè culpa, quoniam malefactores illi, qui offenderant, antequam veniret exercitus, Dominis ignorantibus, fugierunt de Castro. Et de injuria facta civibus Paduanis, ipsi Domini de Anoale parati erant Potestatis in omnibus servare mandata.

CAP. VII.

Hic tangitur breviter de pace Fratris Johannis.

Anno Domini MCCXXXIII. electus est in Potestatem Paduæ Dominus Ardizonus

A de Vercellis. In hiis temporibus, non multùm ante, dum Dominus Marinus Dandalus de Venetiis esset Potestas Tarvisii, equitando die quadam per arzerem, eundo de Tarvisio ad Mestre, lancea fixus à quodam, cecidit mortuus: propter quam mortem ulciscendam, Commune Tarvisii postea magnos pertulit labores in rebus, & personis.

In hoc etiam tempore Frater Johannes de Ordine Fratrum Prædicatorum venit in Marchiam Tarvisinam de partibus Bononiæ, homo bonæ conversationis, & honestatis. Ivit totum Commune Paduæ cum Carrocio, & summa devotione obviam ei de partibus Montissilicis venienti; & positus in Carrocio, in-
B travit cum magno gaudio & honore in Civitatem. Hic habens dona (12) facundiæ, apud Deum, & homines gratiosus, multas prædicationes fecit per Paduam, immo etiam per Civitates Marchiæ, per Villas etiam, & per Castra: erat enim cum illo Deus, & in cunctis suis negotiis (13) adhærebat Virgini; laudabat Crucem; benedicebat magnificentiam Jesu Christi. Habuit autem hic justus homo præ oculis illam auctoritatem, quæ dicit; Beati pedes portantes pacem (c), & voluit cum auxilio Dei firmare pacem inter eos, omnes, & singulas Civitates, viros potentes, & nobiles Lombardiæ, Marchiæ, &
C Romagnæ. Et convocatis primò Principibus totius Marchiæ in Pratum Vallis in Padua, facta ibi prædicatione solemni, constituit, & ordinavit, quòd in proximo futuro mense Augusti convenirent in Campanea Veronæ juxta flumen Atacis, prædicti Barones omnes, Rectores, Ambaxatores, & Communia Civitatum. Quod cùm factum fuit, ut ordinavit, congregata multitudine, quantam (14) simul numquam aliquis (15) vidisse dicebat in partibus Lombardiæ, & mihi verè sic visum fuit; stetit prædictus Frater in eminentiori quadam specula lignaminibus artificiosè constructa; & fuit hoc artificium altitudine quasi per cubitus LX. Locus autem, ubi hoc factum erat, distat à Civitate Veronæ circa milliaria qua-
D tuor, super Atacem, & locus ille Paquara nominatur. Ibi auctoritatem illam proposuit: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*: & auctoritatem eloquenter adaptans ad sui animi præconceptum, pacem Lombardis omnibus, immo cunctis de Italia, auctoritate Domini Apostolici, qua fungebatur specialiter in hoc negotio, ut dicebat, auctorizabiliter prædicavit: & jussit addens ad sua dicta, quòd pacem illam numquam aliquis audeat temerare: & posuit multas pœnas, si quis pacem præsumeret in aliquo violare, quod absit: & rebellium maledixit fruges, vineas, arbores, & bestias, & omnia quæ haberent.
E Ultimò post omnia sua dicta, quasi obliviosus fuisset, addidit, quòd Dominus Eccelinus de Romano esset civis Paduanus, & reciperetur in cittadantiam Paduanam. His itaque terminatis, regressæ sunt cunctæ gentes, & Communia Civitatum cum suis Carrociis, quæ illuc conduxerant, & Magnates omnes ad terras suas. Et erat quasi rumor in populo, dum redi-

(8) *Cod. Estens. & Amb. I. & II.* marmoream Paduæ de.
(9) *Cod. Estens.* profit utinam omni.
(b) *MS. Ambr. I.* Societas est firmata in perpetuum. Redemit etiam &c.
(10) *Cod. Estens.* captivitate.
(11) *Cod. Estens.* de Rivola Paduani.

(12) *Cod. Estens. & Ambr. II.* dotem *Ambr. I.* Hic Dominus dotatus facundia &c.
(13) *Cod. Estens.* operibus.
(c) *MS. Ambr. I.* Beati pedes portantium pacem.
(14) *Cod Estens. & Ambr. I. & II.* gentium, quantam.
(15) *Cod. Estens.* aliquis se.

Digitized by Google

redirent, & diversi diversimodè loquebantur: alii namque dicebant, talem congregationem fuisse factam, ut una partium fuisset exheredata (d) cùm multi occulta arma tulissent; alii firmiter asserebant, hoc factum esse propter metum adventus Imperatoris in Lombardiam: contigit namque sæpissimè, propter metum cognitionem impediri ad veritatem. Et jam manifestum erat quodammodo, quòd Cremona cum Civitatibus sibi faventibus laborabat, ut Imperator in Lombardiam descenderet; sed ex adverso, Mediolanum, & Civitates de sua parte Rectores constituerant, qui Imperatoris consiliis, & ejus adventui obviarent. Et tractabantur jam multæ machinationes hincinde; dubitabatur enim, quòd ejus adventus multis esset gentibus ad periculum, & ad damnum.

CAP. VIII.

Exercitus factus per terras illorum de Romano, & per districtum Tarvisii.

Sequente Anno Domini MCCXXXIIII. fuit hiems aspera, & horribilis, ita quòd nivis, & frigoris superfluitate insolita, mortuæ sunt vineæ, oleæ, ficus, & aliæ multæ arbores fructiferæ. Et post illam pestem eodem anno pestis sequuta est avium, & præcipuè gallinarum, boum, & multarum utilium bestiarum.

Dumque per Lombardiam, & Marchiam timeretur de adventu Imperatoris, de quo multa, & varia dicebantur: consideraverunt Sapientes de Padua, quòd de dictis duabus Civitatibus Lombardiæ Mediolanum nolebat Imperatorem, sed Cremona laborabat pro Imperatoris adventu: electus est igitur Otho de Mandello Mediolanensis in Potestatem Paduæ, vir sapiens, & in multis regiminibus jam expertus. Ipse namque jam alio tempore, & ante ipsum pater ejus Albertus de Mandello Potestas Paduæ fuerat. Hic rexit Paduam annis duobus immediatè: in quibus duobus annis, quamvis Frater Johannes in prædicatione (16), colloquio, sive pace jussisset treugam inter Tarvisinos, & Dominos de Camino inter cetera sua dicta, tamen licèt ipsi Caminenses & olim fuissent, & nunc de novo facti forent Cives, & amici Paduæ; illi de Romano, & Tarvisini eos graviter impugnabant, ipsorum terras graviter, & cotidie devastantes: cùm quidam ipsorum Caminensium inimici niterentur eis imponere excessum, & homicidium Potestatis Tarvisii. Sed multi primò Nuntii, & Ambaxatores sunt missi, ne talis injuria fieret Paduanorum amicis: sed cùm preces omnes funderentur in vanum, videns Populus Paduanus vires aliquando plus valere quàm jura; videns etiam, quòd interdum ex humilitate pravitas sumit robur; immo ferro quandoque rescinditur cum dolore, quòd in timorem (17) permisit crescere pietas medicorum, pluribus vicibus; licèt invitus, idem Populus terras invasit hostiliter illorum de Romano, discurrens per Terras, per Castra, & per confinia Pedemontis: utpote ad Baxanum, ad Muxolentum, ad Sanctum Zenonem, & ad Romanum, ad Castrum Fontis, quod Eccelinus nuper acceperat in cambium pro Trivillis, ad Asilum (e) & ad Cornutam, per Vallem Cavaxii (f) ad Belunam, & ad Montellum (g). Et vertens se postmodum per Mistrinam, transiens ad Spinedam, ad Quartum, & Casacorbam, ad terras alias collaterales ad flumen Silum, hospitatus est inter alia duo flumina, scilicet Marzenegum, & Dragoncellum. Sicque vastatis culturis Villarum etiam, & Castrorum, videlicet Mognegi, Tribasilicæ, Castri Zigotti, & aliorum locorum inde, quæ longum esset enarrare per singula; postquam terras domuit, usque ad fluctus Plavis, habuit Terram Mestre totaliter, præter Castrum, quod contiguum est, & confine ad undas maris. Adhuc tamen Paduana potentia nolens facere quantum poterat, habito diligenti consilio, misit Dominum Henricum Paradisum, Militem Paduanum, honorabiliter sociatum, pro Rectore, & Potestate ad Castrum de Conegliano, ad postulationem Dominorum de Camino, qui tunc Castrum illud tenebant. Et cùm Tarvisini essent reversi domum, Paduani etiam Paduam redierunt. Et quietatum est tunc negotium inter Paduanos, & Tarvisinos per Ambaxatores Venetiarum, per Nuntios destinatos hinc inde, per Fratres, & religiosas personas.

CAPUT IX.

De adventu Imperatoris in Lombardiam, & postea in Marchiam.

Post hæc, videlicet An. Domini MCCXXXV. Domina Beatrix olim filia Marchionis Aldrevandini, sociata quampluribus Baronibus, & Nobilibus de Marchia Tarvisina, & aliunde; Episcopo etiam Mantuano, sicut sapienter disposuit Dominus Azo Estensis Marchio ejus patruus, ivit honorabiliter, & magnificè ad Regem Ungariæ, qui eam vocavit solemniter in suam dominam, & uxorem.

In hoc anno Dominus Tiso de Campo Sancti Petri decessit.

Et quoniam ut supra dictum est, quietatum videbatur negotium, sive guerra in Marchia Tarvisina, sperabant omnes ulteriùs permanere in bona pace: sed modica quantitate fermenti corrumpitur tota massa. Cùm forent namque innumerabiles per Lombardiam, & Marchiam, qui nolebant Imperatoris adventum, solus Eccelinus de Romano, offensas factas in Castris & locis per Marchiam ex utriusque partis exercitio, & labore, in suam attraxit injuriam: & securus amodo, postquam decesserat Tiso germanus ejus, meditatus est ultionem. Et in his duobus annis apparentibus quasi pacis literas misit, & Nuntios; & crediderunt quidam, quòd ivit personaliter ad Augustam, Civitatem scilicet Imperatoris in Alemanniam, & semper Imperii propriam mansionem: & taliter pertractavit, quòd Fredericus Imperator Augustus vênit Tridentum in Anno Domini MCCXXXVI. men-

(d) *MS. Amb. II.* excreditata &c.
(16) *Cod. Estens. & Ambr. II.* prædicto colloquio *Ambr. I.* in primo colloquio.
(17) *Cod. Estens.* tumorem.

(e) *MS. Ambr. I.* ad Asclum. *MS. Ambr. II.* ad Silium.
(f) *MS. Ambr. II.* Cavanaxii.
(g) *MS. Ambr. II.* Montebellum.

mense Februarii : exinde (h) quoque Veronam per commeatum, & consilium Eccelini, tunc habentis Veronam cum sua parte. De Verona verò ivit pertransiens flumen Menzum; currensque per partes ulteriores Theotonicus furor, vastavit Gazum (i) & Marchiam, illasque (18) Villas exinde Mantuani districtus: & procedens ultra, Brixiam pertransivit, & se cum sua gente locavit & posuit in Cremona, ubi mansit usque per mensem Octubris sequentis.

Fuit autem eodem anno Potestas Paduæ electus Rambertus de Gisleriis civis Bononiensis, qui timens, ut aliqui asserebant, ne Imperator vellet Bononiam hostiliter ire, cum haberet in ea (19) odium speciale, & Civitas ipsa multum foret fervens in parte Mediolani; paucis Paduanis volentibus, ipse Potestas duxit Paduanum exercitum cum Carrocio ad Rivaltam, Castrum Ugucionis de Crescentiis Veronensis civis. Et movit exercitus de Padua die III. intrante Octubri, & erat Ægyptiaca dies illa. Dum itaque Paduani diebus aliquibus morarentur ibidem, fuit Eccelinus de Romano cum Veronensibus omnibus in Tumba, ex altera parte Atacis, contra exercitum Paduanum. Imperator autem, literis & Nuntiis instanter rogatus ab Eccelino, in una die, & una nocte equitavit cum tota sua gente usque de Cremona in partes Castri de Sancto Bonifacio Veronensis districtus, ubi dicitur Pratum Aycardi: & tantum illic mora facta est, quantum quis cibare panem potuit festinanter. Armatis repente gentibus, cunctisque destrariis coopertis ad pugnam, Vicentiam vênit, quam subitò & ipsam prædatoriè arsit, & occupavit: & hoc fuit in Vigiliis omnium Sanctorum, in anno prædicto, in nocte. Erat tunc Marchio Rector & Potestas Vicentiæ electus per Commune Civitatis illius, & per Domnum Jordanum (K) Priorem Sancti Benedicti de Padua, cujus tunc arbitrio Padua, & Vicentia voluntariè subjacebant. Qui Marchio, cùm fama fuerit in exercitu Paduano, quòd Imperator partes Sancti Bonifacii attigerat, vênit Vicentiam antequam Imperator: nec moram aliquam ibi fecit. Paduani verò Paduam cum toto exercitu, & Carrocio, salubri reditu sunt reversi. Rupta sunt illo tempore sacramenta Societatis de Lombardia, in qua longo tempore steterant duæ partes. Hæ namque Civitates erant in parte Imperatoris, Cremona, Pergamum, Parma, Regium, Mutina, & quædam aliæ, sed non multæ.

In contraria verò parte, quæ dicebatur Societas Lombardiæ, Marchiæ, & Romagnæ, Mediolanum, Brixia, Mantua, Bononia, Faventia, Padua, Vicentia, Tarvisium, Marchio Estensis, & Comes de Sancto Bonifacio, cum omnibus amicis, & terris suis. Verona verò usque nunc nullam partem fovebat: sed ab hac die in antea Imperatoris parti se dedit, hortatu Eccelini de Romano, & quorumdam expulsorum de Mantua, qui fuerant incusati, quòd favorem dedissent quibusdam, qui violentas manus injecerant, & occiderant Episcopum Mantuanum, euntem cum Letaniis in Anno prædicto MCCXXXVI.

CAP. X.

Recessus Imperatoris ad partes Alemanniæ, post captam Vicentiam.

IN illo eodem Anno, cùm Imperator mansisset paucis diebus Vicentiæ, dimissis illic Eccelino, & Comite Gaboardo (20) cum Lombardis, & Apulis illis, quos voluit (l), & Theotonicis, in quibus plurimum confidebat; injungens eis etiam, quòd in omnibus se regere debeant ad voluntatem Domini Eccelini, exivit Vicentiam. Et ipsemet commeatu accepto, & consilio Eccelini, hostiliter ivit Carturium, ad terram scilicet Guillielmi de Carturio (21) Paduani civis, & viri Nobilis, qui semper in parte Eccelini permanserat, & pro ejus parte semper pugnaverat in arengis, & consiliis Civitatis Paduæ toto posse. Et devastavit Imperatoris exercitus, & Waldana (m) terram illam, & cultores omnes; ædificia villæ, igni, & ruinæ submisit. Inde quoque transiens devastando villas, & omnia fructifera, ivit Cittadellam; & miratus pulchritudinem loci, & castri fortitudinem, & securam munitionem, sicut in loco de plano, pervênit ad Castrum Franchum Tarvisinorum: & hospitatus ibi per noctem, Tarvisium properavit, & sedit diebus aliquibus in loco ubi dicitur Fontanellæ, credens quòd sibi redderetur Tarvisium. Sed erat tunc Petrus Theupulus de Venetiis Potestas ibidem, & de Padua sunt CC. Milites tunc illuc subitò destinati. Unde Imperator spe sua fraudatus, ivit ad Plavim: & remisso Eccelino Vicentiam, transiens aquam Plavis impetuosam, tendensque ad partes Aquilejæ, festinanter Alemanniam introivit. Ibi enim sonuerat, quod Barones Alemanniæ contrahebant amicitiam cum Lombardis; & dictum fuit, quòd filius Imperatoris Henricus debebat constitui Rex Lombardorum, & Princeps, præter conscientiam patris; unde à patre detentus, dum captivus mitteretur in Apuliam; dicunt quidam quod de jugo cujusdam montis cum toto equo se projecit in quoddam antrum, & in profundam latebram, sive clivum, & sic mortuus pertransivit patris supplicium, & aufugit. Alii dixerunt, quòd obiit in carcere tenebroso.

CAP. XI.

De XVI. Potestatibus factis in Padua uno, & eodem tempore.

STabant autem hoc tempore Vicentiæ Comes Gaboardus (22) pro Imperatore cum Theotonicis, & Apulis, & Eccelinus de Romano cum Lombardis quam pluribus, & cum multis de Pedemonte; & in deliciis, & Consiliis die noctuque manebant. Potestas autem Paduæ, & Domnus Jordanus cum Consiliariis Paduæ, non bene certi quid facerent, multa Consilia faciebant. Tamdem quoque electi sunt

(h) *MS. Ambr. I.* exivit quoque Veronam &c.
(i) *MS. Ambr. II.* vastavit Gazoltum, & Marchariam, aliasque Villas &c.
(18) *Cod. Estens.* aliasque:
(19) *Cod. Estens.* in eam odium.
(K) *MS. Ambr. II.* Jordanem Forzate Priorem &c.
(20) *Cod. Estens. & Ambr. I.* Gebcardo *Ambr. II.* Zeboardo.
(l) *MS. Amb. I.* quos volebat, & voluit &c.
(21) *Cod. Estens. & MS. Ambr. ambo.* Canturium, ad terram scilicet Guillielmi de Canturio.
(m) *MS. Ambr. ambo.* VVeraldana.
(22) *Cod. Estens. Ambr. I.* Geboardus. *MS. Ambr. II.* Zcboardus.

Digitized by Google

ſunt XVI. de majoribus Civitatis, quibus datum eſt arbitrium & poteſtas, quòd in hoc trepidationis negotio adhæreant conſilio ſaniori. Tunc CC. Milites Paduani, qui Tarviſium iverant, revocati ſunt Paduam. Miſſum eſt pro Marchione de Eſt, qui numeroſa Concione & plenaria in Palatium congregata, vocatus eſt in Palatio, & datum eſt eidem vexillum Communis Paduæ, ut cùm ipſe ſit Major & Nobilior perſona in Marchia Tarviſina, ipſius Marchiæ ſit clypeus & tutela. Sed tunc verificata eſt prophetia, quam ſcripſit Johannes Val de Taro (23) in porta Turriſellarum de Padua. Ait enim:

Arboreis fruſtra petitur ſub frondibus umbra,
Interiùs morbus ſi viſcera torret acutus.

De prædictis namque XVI. majoribus civibus Paduæ, aliqui ſcripſerunt literas clandeſtinas & occultas, miſerunt etiam ſecretarios ſuos nuntios Eccelino, quòd parati erant & poterant Civitatem Paduæ ei dare. Immo cùm crederetur, quòd aliqui de prædictis XVI. (n) noctu circa confinia (o) Paduæ, & Vicentiæ conſilia (24) cum Eccelino plura habuiſſent, Poteſtas ipſe Dominus Rambertus prædictus, & Domnus Jordanus, cùm Marchio (p) iviſſet ad Eſte, vocaverunt illos XVI. nocte quadam, & Ego juſſu Poteſtatis tractavi, & dedi ſacramentum cuilibet de præceptis Poteſtatis attendendis in rebus, & perſonis: habebam enim tunc Sigilli Communis Officium. Eis itaque præcepit Poteſtas per ſacramentum, quòd ſe cras Duci Venetiarum præſentent, omni occaſione ſublata. Non fuit autem aliquis de ipſis, qui præcepta Poteſtatis attenderet, præter Comitem Schinellam, qui vir erat ſapiens & diſcretus, habens jam annos LXX. Civitati Paduæ utilis, providus ad futura. Hic ivit Venetias, & ſtetit ad voluntatem Communis Paduæ, donec eſt poſtea honorificè revocatus. Alii verò omnes iverunt per Caſtra quædam Paduani diſtrictus, & oſtenderunt ſe tunc primò Paduano Communi rebelles, præter Dominum Artuſinum filium olim Domini Daleſmanini, qui de voluntate Poteſtatis remanſit, rogatus, ut conſuleret inconſulto Communi. Nunc quoque publicè notum eſt (25) Paduanum Commune ſinè ſuis majoribus remanſiſſe: cùm abſque illorum conſilio, & auxilio in mari quaſi fluctuet Civitas deſtituta, ad quos ſpectabat plurimum utilitas Civitatis. Felix namque (26) Venetiarum Commune: cùm cives illi in agendis ſuis omnibus adeò ad communitatem reſpiciant, ut Venetiarum nomen jam habeant quaſi numen, & jam ferè jurent per Venetiarum reverentiam, & honorem. Quid plus? licentiatus eſt dictus Dominus Rambertus Poteſtas, & electus eſt Dominus Marinus Badoarius in Poteſtatem Paduæ, & juravit die XIII. intrante Februario. Miſſi ſunt tunc CC. Milites ad Carturam (q) quoniam dicebatur, quòd Eccelinus de Romano cum gente Imperatoris volebat ad Montemſilicem ire, & cum voluntate quorumdam majorum de Monteſilice hoc fiebat: cùm dicerent illi, qui tractabant illud negotium, quòd Monſilex eſt Imperii Regalia, & Camera ſpecialis. Cuſtodiebant itaque dicti CC. Milites contratam illam totam, quæ dicitur Inſula de Cauſilve (r), & uſque Tribanum. De prædictis itaque XVI. fuerunt aliqui, ut dictum fuit, qui taliter tractaverunt cum Comite Gaboardo, & Eccelino de Romano Vicentiæ commorantibus, circa feſta Natalis, & menſe Januarii, quòd armatis omnibus, quos conducere potuerunt, & revoluto jam Anno Domini, & currente MCCXXXVII. (ſ) die X. exeunte Februario, exeuntes armata manu Vicentiam, & tranſeuntes per confinia Rovolonis, & Montemerli, & venientes per partes Montis Rubei, & per collateralia Montagnonis, devenerunt tamdem in matutinalibus horis ad vadum fluminis, ubi dicitur Vadus de (27) Terradura: & undis fluminis de facili ſuperatis inſtante crepuſculo, Villâ Terræduræ poſtpoſitâ, pervenerunt Carturam: & militibus illic cuſtodientibus expugnatis & victis, nullo habito obſtaculo, milites illos duxerunt pro captis, & de plano in Montemſilicem ſunt recepti.

CAP. XII.

Concio, quam fecit Eccelinus in principio guerræ in Monteſilice.

DUm hii Milites Paduani à Comite Gaboardo, & ab Eccelino, ceteriſque Imperatoris gentibus capti forent, placuit Eccelino ſuper hoc gloriari triumpho, in ſuæ partis lætitiam, & in tremorem adverſæ partis. Omnibus itaque vocatis Communiter de parte Imperatoris in Monteſilice ad arengam, locutus eſt iſta verba.

„ Omnipotenti Deo grates referimus copioſas, qui de miſericordiæ ſuæ dono intuetur & adjuvat cunctos in ſe ſperantes: „ fuit enim hactenus hæc Marchia ingenti „ quadam inſcitia (28) gubernata, cum nefas quaſi publicè prævalebat juſtitiæ, malum bono, virtutibus ſcelera, iniquitas „ æquitati. Sed eſt in multis negotiis jam expertum, quòd quæcumque ſunt contraria „ rationi, etſi tempore aliquanto permaneant, diu tamen nequeunt in ſua regnare malitia: ſed quanto volaverunt ad altiora, tanto lapſu corruunt graviori, & „ ruptis viſceribus demonſtrantur, (29) & „ crepant. Sed factum eſt per Dei gratiam „ in hominibus hujus Marchiæ, qui juſtum, „ & rectum dominium inclyti noſtri Domini „ Frederici, Dei gratia, Romanorum Imperatoris Auguſti deſiderant, quòd eis cedet „ longè aliter quàm credebant: quia reducti „ erunt, more fidelium, ad juſtum, rectum, „ pium, & utile benignitatis dominium, & „ præditum, per Divinam gratiam, (30) toti mundo. Nam Alemannia, Forum-Julii, „ Apulia, Romagna, Græcia, & magna „ pars Lombardiæ, præſens Marchia, immo „ ferè omnis Provincia citra Mare, & ultra, „ noſtro Domino ſubjacet, & inclinat. Cui „ no-

(23) *Cod. Eſtenſ. & Ambr. ambo* de Val-de-Tarro.
(n) *MS. Ambr. I.* die noctuque circa &c.
(o) *MS. Ambr. II.* circa vicinia.
(24) *Cod. Eſtenſ. & Ambr. I.* colloquia.
(p) *MS. Ambr. I.* cum Marchio jam iviſſet.
(25) *Cod. Eſtenſ.* publicum eſt, Paduanum.
(26) *In Cod. Eſtenſ. deeſt* namque.
(q) *MS. Ambr. II.* ad Cartuaram.

(r) *MS. Ambr. II.* Inſulæ de Conſilvæ.
(ſ) *MS. Ambr. I.* currente MCCXXXVIII.
(27) *Cod. Eſtenſ. & Ambr. II.* ad Vadum de.
(28) *Cod. Eſtenſ.* verſutia.
(29) *Cod. Eſtenſ.* demembrantur.
(30) *Cod. Eſtenſ.* prædictum per divinam providentiam.

Digitized by Google

„ nostro Domino multum erit gratissimum, A „ & acceptum, quòd ejus Nuntii in Montesilice sic honorificè sunt recepti: utpote in loco illo, quem ipse toto affectu diligit, „ & habet suam Cameram specialem, quem „ etiam proculdubio exaltabit præ cunctis „ locis Marchiæ Tarvisinæ. Nec est de Padua dubitandum, se quamvis nondum dederit, paucorum culpa, Imperio, & Coronæ. Ecce namque jam habemus in virtute & posse Imperatoriæ Majestatis majorem partem militiæ Paduanæ: quicumque autem latitant intra muros, eos obsessos habeo, immo captos: tum quoniam Imperio resistere non præsument, tum quoniam B majores & meliores de Padua Imperatoris sunt fideles, & servitores. quorum hìc alii nobis fideliter consulunt, immo & nos conducunt; alii pro nobis in ipsa Civitate laborant, & eam sinè difficultate in brevi dabunt Nuntiis Imperatoris pro certo. Rogat ergo Dominus Comes Gaboardus, qui est hìc loco Domini nostri Imperatoris invictissimi Augusti, Milites, & Burgenses, ceterosque omnes de Montesilice, fideles, & dilectos Imperii; rogat etiam magnos viros de Padua, & generaliter omnes, qui hìc sunt pro honore Imperialis culminis augmentando, ut honorem, & servitium sibi ad invicem conferant, & alternatim C recipiant, animi puritate. Sint quoque debita fidelitate muniti, armis, & equis parati; ut quandocumque expedire videbitur, equitemus ad nostri Domini gloriam, & honorem, ad inimicorum verò exterminium, & ruinam.

CAP. XIII.

Hìc loquitur, & respondet unus de XVI. Potestatibus.

SUrrexit in eodem loco unus de XVI. Potestatibus, diebus illis in Padua constitutis, & ordinata invocatione præmissa, hæc D verba breviter est locutus.

„ Benedictus Deus, bonorum omnium principium, & largitor, qui fræno justitiæ regens cuncta. (t) Scivi nanque (31) quosdam in Padua fecisse statutum, & contra voluntatem bonorum hominum, & Communis, ne quis auderet nominare Imperatorem, nec quisquam auderet loqui de parte Domini Eccelini. Sed justus Deus judicat transgressores: & ecce jam parata est via, ut Dominus noster Serenissimus Imperator de facili possit, & debeat suos suppeditare rebelles, exaltare sibi subditos, & fideles. Sicut enim de Divina, & (32) Domini nostri Imperatoris summa sapientia, E jam sumus in Montesilice, Terra quidem de carioribus, quas habeat Dominus Imperator: sic & in Padua erimus, dante Deo, in brevi, cum ingenti gaudio, & honore. Placet (u) ergo cunctis Imperiale mandatum, & erimus parati, & sumus tantùm sequi jussa nostrorum (33) Nuntiorum Imperii, quantum velle poterunt, & jubere.

CAP. XIV.

Hìc loquitur unus de Montesilice.

POst hæc locutus est Dominus Piscis de Palteneriis (34), major scilicet Castellanus de Montesilice, vir sapiens, & astutus, & quasi religiosa persona; factaque invocatione solemni, hæc verba proposuit.

„ Si bene memini, & si licitum est referre, habitus sum ego in omnibus fere tractatibus, quæ super accrescendo Domini nostri felicis Imperatoris honore facta sunt in Marchia Tarvisina; nec oportet singula per ordinem enarrare (x), quoniam quomodo sit processum infra breve spatium cognoscetur; & in omni negotio finis operum præcedentia protestatur. Hoc tamen dixerim, quòd in Montesilice, Terra scilicet Domini nostri Imperatoris inclyti Romanorum, nullus hodie reperitur major, medius, aut minor, qui non præ ceteris suis desideriis exoptasset (y) hunc diem, ut in hac Terra Imperiali videret Nuntios Imperatoriæ Majestatis. Parati sumus itaque in rebus, & in personis, quocumque, & quandocumque præcipitis, ire, redire, & stare, ut Imperialis magnificentia de bono semper in melius augmentetur & crescat, ad arrogantiam infidelium taliter edomandam, quòd tam digna victoria, tam excellens per cuncta mundi digmata (35) divulgetur.

CAP. XV.

Hìc præsumsit Eccelinus per vim intrare Paduam, sed nequivit.

CUm Comes Geboardus, ceterique Imperatoris Nuntii, adhuc apud Montemsilicem permanerent, appellatus est Marchio Estensis ab eis, & scire voluerunt omnino, si ipse volebat esse amicus Imperatoris, vel inimicus. Qui consilio habito ab hiis, in quibus maximè confidebat, Imperialibus servitiis liberaliter se spopondit: hoc posito (z), quòd tam ipse cum sua gente ubicumque sit, quàm Castrum Estense, & Villa, nullis angariis submittatur. Ipso namque Marchione à Civitatis Paduæ servitiis, ac amore sic astutè remoto, ipse Comes Geboardus, & Eccelinus de Romano, asserentes se pugnare pro Romano Imperio, fatebantur in Consiliis, & arengis, se unam de melioribus Civitatibus Imperii jam habere devictam, scilicet Civitatem Paduæ: quam sciebant procul dubio (36) captam esse, & asserebant quòd omnes in ea habitantes, quasi vinculis alligatos habebant. Sicque die quadam, scilicet die V. exeunte Februario ejusdem anni Domini MCCXXXVII.

(t) *MS. Ambr. I.* regit cuncta. Scimus namque &c.
(31) *Cod. Estens.* cuncta, Sacrosanctum Romanum Imperium in suis videtur negotiis prosperare. Memini, namque.
(32) *Cod. Estens.* de divina gratia, & de Domini.
(u) *MS. Ambr. I.* Placeat ergo cunctis &c.
(33) *Cod. Estens. deest* nostrorum.
(34) *Cod. Estens.* Plateneriis.
(x) *MS. Ambr. I.* per ordinem tractare, vel ennarare.
(y) *MS. Ambr. I.* exemplo portasset &c.
(35) *Cod. Estens. & Ambr. II.* clegmata, *idest* climata. *MS. Ambr. I.* tam extolens, quòd per cuncta mundi dogmata divulgetur.
(z) *MS. Ambr. I.* hoc exposito.
(36) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* dubio jam.

Digitized by Google

XXXVII. (a) mota generaliter tota gente partis Imperatoris de Montesilice, attentaverunt venire, quasi per violentiam, ad Paduam occupandam. Dicebatur enim, quosdam jurasse, quamvis secretò, quòd darent introitum parti Imperatoris, & Eccelini (37), & nominatim quòd Portam Pontis Molendinorum ipsis venientibus aperirent, contra voluntatem Populi Paduani, & Communis. Sed memorandum vigorem fecit Populus Paduanus eodem die: nam cùm dicta gens hostilis jam usque ad Mandriam magnificè, & hostiliter devenisset, ipse Populus Paduanus cum lanceis, ensibus, Walengis acutis, & clypeis, & omni armorum genere, pro patria defendenda, viriliter & multum laudabiliter exivit obviam inimicis, cursu velocissimo & audaci, usque ad locum illum, ubi dicitur ad Stangatum: & sic hostes in illa die proposito suo vacui, ad Montemsilicem redierunt. Felix equidem Communitas Paduana, si vel in talis vigoris proposito perstitisset in posterum, vel si forsitan inimicus (b) eadem hora fortunam suam potiùs commisisset in armis: vix enim illic poterat tantus sanguis effluere, strata quamvis utraque parte, quantus postmodum non suffecit ad satiandam ardentem sitim corporis (38) insatiabili basilisco, usque ad finem mortis.

CAP. XVI.

De primo introitu Nuntiorum Imperatoris in Padua.

HAc die Dominus Marinus Badoarius de Venetiis, qui tunc erat Paduæ Potestas, recessit cum rebus suis, & curia, & familia sua tota. Et ecce Dominus Artuxinus de Domino Dalesmanino, vir strenuus, & præclarus, largus, curialis, & dapsilis, qui Paduæ remanserat unus de (c) XVI. Communitatis consultor; die eadem, & nocte, ad petitio- A nem illorum, quorum amici capti in Montesilice tenebantur, studiosissimè laboravit: Pacta quoque, & conditiones invenit hinc inde. Quòd scilicet Imperatoris Nuntii, qui in Montesilice erant, Milites illos Paduæ (39) reddant incolumes, & absque ulla exactione pecuniæ, quos ceperant in Cartura, & inde circùm, & intrent ipsi Nuntii Imperatoris pacificè, & de plana voluntate in Civitate cum amicis suis. Apertè asserebatur (40) etiam, quòd non erit opus ulteriùs exercitus, vel expeditiones aliquas ordinare, & quòd præ ceteris de Marchia Tarvisina, Dominus Eccelinus de Romano dicit, & confitetur, se statum Civitatis Paduæ, ejusque honorem, & B bonum super omnibus suis desideriis exoptare. Sic itaque factum est, quòd statim sequenti die, scilicet quarto exeunte Februario, Comes Geboardus, & Eccelinus, cum sequacibus suis, Paduam pacificè intraverunt. Viderunt autem multi, & ego specialiter vidi, quòd cum Eccelinus intrabat per Portam Civitatis à Prato (d), capirone ferreo projecto in tergum de palafredo, ad Portam se plicuit, & osculum dedit Portæ. Quod cum (41) quidam inspicientes, & interpretantes ad bonum, dixerunt; *Ecce postquam non est possibile, Dominum Eccelinum pacem facere cum omnibus Paduanis, pro bono certè præsagio* (42) *osculum dedit portis, & donat.* Tunc est data C Civitas Comiti Gaboardo recipienti eam nomine Imperatoris, & vice ejus: sed in Consiliis & arengis loquendo, postmodum addebat, & loquebatur Dominus Eccelinus, nec perpendebat aliquis, qua de causa: dicebat enim verum esse, quòd Padua data erat Domino Gaboardo pro Imperatore, & Nuntiis Imperatoris cum ipso. Unde si qua fiebant vel tractabantur ulteriùs in Padua pro Communi, nullius valoris erant, nisi facta forent de consilio & consensu Domini Eccelini.

(a) *MS. Ambr. I. perseverat signare annum antedictum* MCCXXXVIII.
Cod. Estens. Domini currentis.
(37) *Cod. Estens.* Eccelino.
(b) *MS. Ambr. II.* vel si forsitan unitus.
(38) *Cod. Estens.* cruoris.
(c) *MS. Ambr. Ambo* unus de prædictis XVI. Communitatis &c.
D (39) *Cod. Estens.* Paduanos.
(40) *Cod. Estens. & Ambr. I.* suis, & parte. Asserebatur.
(d) *MS. Ambr. ambo.* Civitatis aperto capirone &c.
(41) *Cod. Estens.* tunc quidam.
(42) *Cod. Estens.* præsagio pacis

Explicit Liber Tertius.

Digitized by Google

INCIPIT QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Hic constituitur in Padua primus (43) Potestas pro Domino Imperatore, scilicet Comes Simon.

ROmani nominis Nuntium, immo & præcursorem, Eccelinus de Romano fiducialiter amodo se professus, quod gerebat mente, sapientissimè protegebat. Et vocato Comite Gaboardo, cum quibusdam de suis tam Theotonicis, quàm Apulis; vocatis quoque Magnatibus de Padua, & quibusdam de bonis Popularibus (e), quos voluit; stans in camera, quæ dicitur camera Potestatis, in Palatio, & in Domo Communi; locutus est inter eos. Et transcurrens brevi sermone sacrosancti Imperii Majestatem, & gratiam, quam Deus concesserat Domino Frederico, Dei gratia Romanorum Imperatori Augusto; & quòd Paduani nullo umquam tempore, nisi nunc, viderunt, & ceperant viam rectam:: proposuit, & dedit consilium Comiti Gaboardo, licèt non peteret, ut provideatur ad utilitatem Civitatis Paduæ de Rectore, & Potestate. Cùm autem omnes præsentes vellent ipsum Eccelinum constituere Potestatem, idem quasi irato animo egressus est cameram, dictam Potestariam recusans. Sed revocatus à cunctis, cujuslibet habuit solus vota, cunctorum voces, & in tali electione consensum. Elegit ergo Dominum Simonem Comitem Tiatinum de Apulia illic præsentem in Paduæ Potestatem pro anno futuro. Et fuit hæc electio facta in prædicto Anno MCCXXXVII. die III. exeunte Febrario. Hac itaque Potestate electa, & commisso sibi officio Vicariæ pro Domino Imperatore in Marchia Tarvisina, Comes Geboardus de consilio Eccelini in Alemanniam rediit, & Imperatori narravit singula, quæ in Marchia facta erant per Nuntios, & fideles Imperii. Dimisit autem Eccelino circa C. Theotonicos milites, qui steterunt ad soldum Eccelini exactum de Civitatibus tribus, scilicet de Verona (44), Padua, & Vicentia. Et non multis diebus elapsis adeò provisum est per utrumque, quòd ipse Eccelinus habuit in Padua, ad soldum Civitatum ipsarum, Saracenos circa CCC. quos postmodum per Castra, & per portas Civitatis, & alibi disposuit, secundùm quod ei melius fuit visum.

CAP. II.

De obsessione Montagnonis.

HIs itaque sic dispositis, Eccelinus vigilans in universis & singulis, quæ proposuerat se facturum, secundùm quod postea patuit per effectum; paulatim in suis factis procedere cogitavit: considerans, sicut puto, quòd quis aliquando facilius peragit quod intendit, si procedit providè, & gradatim, quàm si cum impetu, & violentia moliatur. Sic ergo diebus aliquot (45) visus est manere in tranquillitate cum Paduanis, & domesticè conversari cum eis, recolens familiariter cum eisdem interdum verba Fratris Johannis, qui jusserat ipsum in civem recipi, & in cittadantiam Paduæ, ut supra legitur in septimo Capitulo tertii Libri, §. Anno Domini. Sed timens, ne fortè contingeret, Paduanorum animos otiosos consilium permutare, statim sequenti mense Martii ordinavit exercitum, & infra breve dierum spatium Montagnonem obsedit, ducens illuc, & tenens ibidem secum diebus multis cives Paduanos invitos, Theotonicos, Apulos, Sarracenos, & quosdam, quos secum habebat de Pedemonte. Sed cùm idem Castrum vinci nequaquam posset per machinas, vel trabucchos, quoniam illuc attingere nequeunt; & prudentes viri, qui se in Castro posuerant, sese viriliter tuerentur, asserentes illuc esse Commune Paduæ reductum, propter tyrannidem Eccelini; armatis cunctis gentibus, quas habuit Eccelinus, & ad pedestrem pugnam paratis, bis, vel ter armatus & ipse insultum fecit in Montagnonem, & per vim ascendere attentavit in Castrum. Sed raro bene cedere consuevit inferioribus pugnantibus contra summos (f): sicut olim contigit in certamine Gigantæo, dum pugnarent ipsi Gigantes, viribus impares, contra Jovem. Et ita Eccelinus fraudatus sua spe temeraria & audaci, reversusque ad castra sive tentoria, permansit in ira sua: parum vel nihil curans, quòd illuc fuerunt aliqui boni Paduani cives in parte pugnantium sagittis fixi, transfossi lanceis, ensibus vulnerati. Et vidi (46) ego Militem quemdam de bonis Militibus Paduæ, qui cum Eccelino pariter ad Castrum expugnandum ascenderat, ambobus pedibus horribiliter detruncatum. Cùm nihil igitur facere posset ibi, jussit destrui campanile de Montigrotto (47), quod erat proximum huic loco, & unum bilfredum fieri jussit in ponte illic vicino, per quem itur de Montegrotto (48) ad Montem: & hoc ideo ne fortè inimici ejus vellent campanile incastellare, aut ipsis per pontem illum aliqua victualia deferantur. Circa verò Ecclesiam Sancti Petri, quæ est prope balneum, quod dicitur Montagnonis, ubi cum suis mansit tentoriis, Castrum quoddam construxit inutile, & Paduam est reversus.

CAP. III.

Prima subjugatio Communis Paduæ sub specie bona.

DEmum diebus illis immediatè sequentibus, idem Eccelinus consuluit Potestati, & fecit quòd accepti sunt obsides à Magnatibus de Padua, & etiam à quibusdam Burgensibus, quos dubitabat velle manutenere Commune, aut favere forsitan Marchionis amicis: quos obsides misit ad ejus Castra. Et post hæc statim

(43) *Cod. Estens.* prima Potestas, *& ita Ambr. I.*
(e) *MS. Ambr. I.* popularibus suis, quos &c.
(44) *Cod. Estens.* Cremona.
(45) *Cod. Estens.* aliquibus.
(f) *MS. Ambr. II. pro* summos *legit* superos.
(46) *Cod. Estens.* & videre potui ego.
(47) *Cod. Estens.* Montignono.
(48) *Cod. Estens.* Montegnoto.

Digitized by Google

tim continuè prætendens causas, quòd Estensis Marchio cum amicis suis spernebat mandata Imperii, & Communis Paduæ, per quod illi de Montagnone videbantur existere contumaces: elegit illos, quos voluit de majoribus Civitatis, Milites, & etiam aliquos Populares, & eis ingeniosè ostendens, quòd quidam ipsos inculpabant de contumacia resistentium Potestati, quod ipse penitus non credebat; rogavit eos propter ipsorum exculpationem, & ne cresceret aliqua rixa in Padua, quam Dominus noster Imperator optabat in pace tenere præ ceteris suis locis: quòd paucis diebus parum longè de Civitate secederent: dicens quòd ibi non longo tempore permanebunt. Et ita quosdam misit Carturium (g), quosdam ad Cittadellam, quosdam ad Fontanivam, & quosdam ad Castrum fontis. Et fuerunt isti, præter obsides, primi detenti circa XX. vel ultra. Volens autem paucis diebus elapsis, quod eis promiserat observare, quòd scilicet illic facerent parvam moram, misit ad eos de familiaribus suis milites quosdam bene armatos de Pedemonte, & Theotonicos quosdam, nemine sciente de Padua; & fecit ipsos accipi de locis singulis, ubi erant, & conduci ad Pratam, ubi magnam habebat fiduciam, propter amicos suos, & attinentes sibi proxima linea parentelæ. Postmodum verò de prædictis obsidibus, & de sic deceptis Militibus, immo captis quosdam misit in Lombardiam, quosdam in ejus Castra, quosdam in Apuliam, hac de causa, quoniam tunc cœpit primò eos proditores Imperii appellare. Sic ergo quidam de Padua sapientes diligenti consideratione vident, quòd facta hæc tractabantur non per justitiam, sed per partem: & volentes personis potiùs providere, quàm rebus; quam citiùs esse potuit, de Civitate exiverunt occultè: quibus utique requisitis non (49) venirent, destructæ sunt turres eorum, & domus. Et prima domus, quæ fuit dirupta in hoc facto, fuit illa scilicet Domini Pacis Judicis, filii olim Domini Sulimani (50): tamquam per hoc quasi præsagium monstraretur, quòd Pax in Padua nullum ulteriùs locum habeat (51), nullum quoque domicilium, aut locum. Secunda verò Domini Jacobi, qui dicebatur Malitia: non quòd foret homo malitiosus, immo probus, & sapiens, quamvis facta fuerit hæc malitia contra eum. Hæc autem domorum destructio inolevit tempore procedente in tantum, quòd plusquam domorum medietas, turrium, & Palatiorum in Padua jacet hodie, siquis vidit integram, & (52) videt desolatam ad præsens. Supradicto Anno Domini, sed mense Junii circa finem, præcepto Domini Eccelini, Bonacursus de Fonzae (h), cum quibusdam aliis Militibus de Pedemonte, & ipsi cum eo, iverunt ad Domnum Jordanum Priorem Sancti Benedicti de Padua; & ducto illuc palafredo quodam parato ad equitandum, dixerunt, quòd in equum ascenderet, & veniret cum eis, quia Dominus Eccelinus habebat cum eo loqui, & quædam secum negotia pertractare. Sedit itaque super equum, & ductus est illa die in Pedemonte (53), & in carcere detentus est per Castra Domini Eccelini, & numquam (54) rediit Paduam vivus, quam hactenus non aliter rexerat, quàm regit paterfamilias domum suam.

Illa eadem die Domnus Arnaldus (i) Sanctæ Justinæ Abbas de Padua, petiit Montemsilicem, & aufugit. Et sic Eccelinus videns quòd Clerici quidam, & Laici fugiebant de Padua propter metum, fecit eligi CC. milites de Padua, quos credebat plus posse in Civitate, & ne ullum ei præstare possent impedimentum, misit eos cum Comite Simone Paduæ Potestate Ravennam: eis prætendens causam, quòd Terram illam ad servitium Imperii teneant: stabant enim in parte Imperatoris, sed illic quidam eam pervertere nitebantur. Remansit quoque idem Eccelinus in Padua recturus eamdem, & remansit pro Potestate Vicarius Dominus Cyprianus Judex de Tiete, & Bartholomæus de Malanocte, qui Miles erat, & socius (55) Domini Comitis Teatini.

CAP. IV.

Factum Castri Sancti Bonifacii, & factum de Curte Nova in Lombardia.

Circa principium mensis Julii in eodem Anno MCCXXXVII. Dominus Eccelinus de Romano duxit exercitum Paduanorum, & Veronensium circa Castrum Sancti Bonifacii Veronensis districtus, & ipsum obsedit, & multùm diruit cum machinis, & trabucchis: filio Comitis Rizardi Leonisio existente in ipso, & se cum suis viriliter defendente, quamvis adhuc esset in pueritia constitutus. Donec Dominus Imperator de Alemannia descendit in Lombardia (56), & veniens ad exercitum factum per Dominum Eccelinum, jussit illud guarnimentum recedere, & recessit. Exinde ivit Imperator ad Menzum (57), quo transacto potenter, & magnificè, cum Imperiali exercitu se locavit in partibus Godi. Et dum foret castrametatus ibidem, vidi, quòd venerunt Ambaxatores ad eum quidam de majoribus civibus Mantoanis (58), & obtulerunt Imperio, & Coronæ servitium Communis Mantuæ, & Domini Rizardi Comitis Sancti Bonifacii, qui erat tunc in Mantua, & omnium amicorum suorum; quod (59) Imperator vultu hilari acceptavit, & eis gratiam suam, & bonam voluntatem ostendit. Et hoc erat jam mense Augusti prædicti anni. Hìc erant in Imperatoris exercitu Dominus Azo Estensis Marchio, Dominus Eccelinus, Dominus Jacobus de Carraria, & multi alii Magnates de Marchia Tarvisina, & aliunde.

In præsentia etiam Domini Imperatoris ibidem, dum Dominus Jacobus de Carraria verbis altercaretur cum Domino Eccelino; semievaginato gladio visus est velle percutere Eccelinum, & forsitan percussisset: sed Dominus Imperator se personaliter interposuit, & eos absque ulla læsione sedavit.

Con-

(g) *MS. Ambr. I.* Canturium.
(49) *Cod. Estens.* cùm non venirent, *& ita in ambobus MSS. Amb.*
(50) *Cod. Estens.* Sublimani.
(51) *Cod. Estens.* haberet.
(52) *Cod. Estens. deest* &.
(h) *MS. Ambr. I., & II.* Forzate.
(53) *Cod. Estens.* Pedemontem.
(54) *Cod. Estens.* numquam ultra.
(i) *MS. Ambr. I. pro* Arnaldus *legit* Jordanus.
(55) *Cod. Estens.* socius dicti.
(56) *Cod. Estens.* Lombardiam.
(57) *Cod. Estens.* Mentium.
(58) *Cod. Estens.* Civitatis Mantuæ.
(59) *Cod. Estens.* quos.

Digitized by Google

Conduxit autem hinc inde Dominus Imperator prædictos omnes Principes, & Magnates, totumque suum exercitum, & hostiliter ivit ad Monteclarum, habens secum Theotonicos, & aliam suam gentem, & C. milites de Paduano districtu. Quo Monteclaro capto per violentiam, & destructo quotcunque, & quoscunque homines ibi cepit, misit vinculatos Cremonam. Dicebant (60) autem, postquam capti fuerant, quòd Dominus Imperator promiserat eos absolutos dimittere cum personis, & rebus, si redderent ei Castrum. Sed Dominus Imperator dicebat hoc esse conditionaliter verum, si ipsi darent Brixiam Imperio, & Coronæ. Ergo cùm Imperator circuiret per partes illas, Brixiam occupare intendens; Mediolanenses in Brixiensium auxilium, & favorem extra Civitatem propriam cum exercitu exiverunt, & iverunt ad Curtem Novam. Quo audito Imperator magnificè & potenter equitavit ad ipsos, in quos utique insultavit, & de ipsis partem convertit in fugam, partem vinctos habuit, & captivos expugnavit Carrocium, quod habebant, & captum habuit Dominum Petrum Theopolum de Venetiis Potestatem ipsorum, quem detentum in Apuliam misit. Sic exinde ivit Dominus Imperator Cremonam; Dominus Eccelinus Paduam est reversus; & Dominus Azo Marchio, cum amicis suis rediit ad Este. Simon Comes Potestas Paduæ jam redierat jussu Imperatoris de Ravenna, & stetit, & rexit Paduam uno anno, & tribus mensibus, minus tribus diebus.

CAP. V.

Factum de Prato Vallis, Aldovrandino Cazaconte Potestate in Padua.

REvolutus jam erat Annus, & currebant Anni Domini MCCXXXVIII. Vocavit Dominus Imperator ad se Comitem Simonem de Potestaria Paduæ, & misit Paduæ (61) pro Potestate, & Rectore Dominum Aldovrandinum Cazacontem de Tuscia. Jam ferè omnes homines boni de Padua manifestè videbant, quòd Civitas non (62) regebatur communiter, sed per partem. Et fuerunt aliqui de bonis civibus, & magnis, & de Burgis (63) Civitatis, qui optabant, quòd Marchio Paduam venire deberet, & eam eriperet de manibus inimici: & promiserunt ei per Nuntios aliqui, qui tunc erant de majoribus Civitatis, quòd scilicet vel dabunt ei portam Turrisellarum, vel exibunt ad ipsum, si ad Civitatem venerit invadendam: & fuerunt plurimi, qui dixerunt, quòd hoc tractabatur de conscientia Potestatis. Contigit autem, quòd Dominus Marchio secum habuit Dominum Jacobum de Carraria Paduanum civem, & sapientem, & probum virum; Dominum Ugucionem de Pileo de Vicentia, strenuum, & astutum; & quosdam alios Nobiles de Marchia, potentes, & magnos viros; Milites, & Pedites, qui de Padua exiverant propter metum, & non modica quantitate; & habuit de Scodexia quasi communiter omnes: multos etiam de montanis, multos de planicie, & de villis, maximè de Turrisellarum Quarterio: & vênit cum multa turba, & armata manu, usque ad Pratum Vallis, quod est in suburbio Civitatis, & fuit hoc in XIII. (l) Julii, præscripti anni, & erat Ægyptiaca dies illa. Tunc clausæ sunt portæ Civitatis ex omni parte, & factus est clamor magnus per Civitatem: & cùm major pars civium desideraret Marchionis adventum; immo pauci se voluntariè tenerentur (64); absque ullo periculo gens Marchionis jam aperuerat portam Burgi Turrisellarum, quæ est contra Pratum, & venerat Dominus Jacobus de Carraria usque ad portam Turrisellarum, cum pulchra & strenua multitudine pugnatorum. Hanc quidem portam viriliter impugnantes, defensam ab intrinsecis invenerunt, & clausam. Fuit autem verum, quòd custodes defendentes portam, qui erant superiùs pro Communi in domo Apicacaure, portam aperire promiserant, secundùm quod occultè pacti fuerant cum quibusdam: sed quandoque in rebus pejoribus, quandoque in melioribus, fidem frangenti fides frangitur, non est mirum: sanè tam expugnati, quàm expugnantes, quod promiserant fefellerunt. Tunc Magnates quidam, & Nobiles, scilicet Comes Tyso, & Namerius (65) ejus frater, qui portam Turrisellarum aperire sperabant Marchioni, & ejus parti, cum aliquibus assistentibus sibi, audientes campanam Communis, per quam Eccelinus congregatos subitò Paduanos armari fecit, & in dextrariis sedentes, & animatos exacuit ad pugnandum; egressi sunt Civitatem per posticum in muro in Civitate (66) juxta Ecclesiam Sancti Ægidii, ibi prope ad portam, & abierunt. Qui quamvis ad Marchionem accederent, stantem in Prato Vallis, fraudatum utique se videntem: nihilominus tamen idem Marchio perstitit in suo proposito firmus, & suis monstrans animum & vigorem, in sua spe perstitit firmus, & animosus. Interea Eccelinus paratus intus à Civitate cum armata tota militia Paduana, cum Theotonicis, & cum suis de Pedemonte, magnificè & potenter vênit ad Portam Turrisellarum: & videns eam clausam, & firmatam, vocavit apud se Dominum Ugonem à Vado, quasi jam videret (67) de his aliquam suspicionem habere: & propter Portæ securitatem dimissis illic quibusdam, vertit se cum tota militia ad Pontem Sancti Stephani, & exinde ad Plateam Sancti Antonii equitavit. Ibi quærens, unde posset transire ad Pratum Vallis, descendit ab aggere fluminis, & aquam parvam de facilì transiens, gentem suam congregatam habuit ultra aquam: & sic per strictum callem quemdam, qui est apud Sanctæ Mariæ (m) Ecclesiam, pervênit in Pratum, nullo prorsus obstaculo impeditus, & stetit per parvam moram. Jam Jacobus de Carraria regressus erat de Portis Turrisellarum ad Marchionem cum illis qui secum steterant in pugnando. Ibi erat Ugucio de Pileo, prædictus Comes Tiso (68), &

(60) *Cod. Estens.* Dicebatur, *& ita in MS. Ambr. I.*
(61) *Cod. Estens.* Paduam.
(62) *Cod. Estens.* cognoscebant manifestè, quòd Civitas illa non.
(63) *Cod. Estens.* Burgiensibus.
(l) *MS. Amb. I.* XII.
(64) *Cod. Estens.* tuerentur.
(65) *Cod. Estens.* scilicet Dominus Tyso, & Naimerius, *& ita in MS. Ambr. II.*
(66) *Cod. Estens.* muro Civitatis, *& ita in MS. Amb. II.*
(67) *Cod. Estens.* A Vado, & Milites quosdam, & alios de parentela ipsius, qui omnes dicebantur de Vado, quasi jam videretur.
(m) *MS. Amb. II.* Sanctæ Mariæ Bilame.
(68) *Cod. Estens.* Dominus Tiso.

Digitized by Google

& ejus frater, & omnes Magnates, qui partem Marchionis fovebant. Voluit Dominus Eccelinus quòd Theotonici primò ferirent in hostes, sed ipsi penitus recusarunt. Jussit ergo banderiam, sive ipsius Domini (69) vexillum, quod usque nunc involutum steterat, aperiri: quod cùm factum sit, extemplo clamor, & rumor magnus insonuit per turbam, & populum Marchionis; & singuli protinus procurantes de suo facto, per eamdem viam, unde venerant, tergo dato, subitò sunt reversi. Eccelinus & omnes sui insecuti Marchionem velociter; nam & Thersites audax & intrepidus sequeretur, dum cerneret Hectorem fugientem. Ivit Marchio per ripam fluminis versùs Montisfilicis Castrum, Eccelinus per viam aliam, qua ducitur Agnam. Captus est Jacobus de Carraria à militia Theotonicorum in ipsa Agna, & quidam alii cum ipso eàdem horâ, & aliqui sinè ipso. Fuerunt multi etiam, qui dimissis equis, & armis suis, latitaverunt usque in noctem in domibus, vel per campos, donec fugam salubriorem, nocte adveniente, ceperunt. Hìc est Marchio sanus & incolumis per bonum dextrarium delatus ad Este, multùm tamen condolens, multùm quoque in suis, tam parvis, quàm magnis damnificatus amicis. Sed fuit tamquam doctrina quædam, quæ cautum ipsum reddidit plus providum ulteriùs, & astutum: interdum namque est utilis injuria patienti, & hoc in sapientibus maximè locum habet.

CAP. VI.

Hic exivit pars Marchionis de Civitate Paduæ, & factus est exercitus ad Este, & ad Montagnanam.

Reversus est Eccelinus cum magna lætitia Paduam, fugatis multis magnis, & minoribus amicis, & fidelibus Marchionis, qui cum ipso venerant (70), & qui ejus desiderabant adventum. Qui autem nunc sunt in Civitate, & burgis Paduæ, omnes quasi, se asserunt ab hac die in antea Domini Eccelini amicos, & de ipsius parte se dicunt: incipientes nunc ipsum, quasi per excellentiam, Dominum nominare, nomen ejus proprium per summam reverentiam subticentes. Hìc cunctis notorium exstitit, timorem prævalere amori: dum complet timor aliquando festinanter quod amor incipere non dignatur. Hoc plenè notavit ille, quem omnes de Padua, immo veriùs ferè de tota Marchia, Dominum appellabant. Tunc Dominus Jacobus de Carraria, qui captus fuerat, & adhuc morabatur detentus, amicos habuit Dominum Avedutum (n) Advocatum Paduanum civem, in armis prudentem virum, in morum curialitate laudandum, & in consiliis astutum, & sapientem; & quosdam alios potentes, & magnos viros in Curia Domini Eccelini, qui pactum adinvenerunt, quòd ipse Dominus Jacobus ulteriùs esse debeat Domini Eccelini amicus, & Castrum suum de Carraria ponat (71) in manu Potestatis Paduæ, & Communis, & ipse dimittatur liber, & absolutus: quod ipse Dominus Jacobus voluntariè fecit, & stetit à modo in parte Domini Eccelini.

Auditis igitur istis factis, & inquisito diligenter per Marchionem, quòd Eccelinus exercitum ordinabat, ipse Marchio cum tota sua familia ivit Rudigium, dimittens Estenses quasi omnes, & singulos lacrymantes, quando inter eos loquendo publicè, se ipsum licentiavit de Este.

Quibus omnibus sic peractis, eodem Anno MCCXXXVIII. die X. exeunte Julio, Dominus Eccelinus movit exercitum Paduanum, & ivit ad Este. De plano habuit Villam totam, & bene se gessit de habitatoribus Villæ: immo si qui bona eorum rapere, vel usurpare volebant, eos personaliter puniebat, & aliquos punivit in manibus, & pedibus amputatis. Habuit Roccham etiam, sive castrum, in quo pro ipso tenendo constituit milites omnes de Quarterio Pontis Molendinorum de Padua: posuit illic etiam pro custodia castri quamdam quantitatem Sarracenorum; & ivit Montagnanam hostiliter, quam credidit incontinenti habere: fecitque illuc Veronenses venire, in quibus Eccelinus præ ceteris Marchiæ confidebat. Homines autem de Montagnana se defenderunt viriliter: nam & ipsius bilfredum unum die quadam in meridie combuxerunt, Eccelino invito, qui tunc sub illic facto quodam operimento, & via erat, sed non cognitus, vix effugit. Tota igitur gente sua vocata, inter multa, quæ inter eos locutus est, furens & indignatus asseruit: *Montagnanam oportet destrui, & comburi; quòd si fortè incombusta remanserit, eveniet tempus, quo vivi mortuis invidebunt*. Sic mota est plurimùm sævities, & crudelitas Eccelini, credentis quòd propter hortatum aliquorum de exercitu, illi de Montagnana existerent contumaces: sæpe namque subintrat suspicio, unde cessit fiducia, sive amor. Itaque convocatis Domino Jacobo de Carraria, & Domino Advocato de Padua, districtè præcepit eis, quòd assumerent viam suam, & usque ad tres dies præsentare se debeant Capitaneo Montis Beluni, qui locum illum tenebat hoc tempore pro Domino Eccelino. Responderunt autem hilari vultu & claro, se velle totaliter in hoc, & in aliis ipsius adimplere mandatum, & assumtâ licentiâ equitaverunt eàdem horâ: sed diversum fuit eorum propositum à promissis: quàm citiùs autem sibi aptitudinem inspexerunt, cõverterunt iter suum, & Anguillariam properarunt, quæ tenebatur pro parte Domini Marchionis per Dominum Jacobinum, qui dicebatur Papafava, filium condam Domini Albertini de Carraria, fratris ipsius Domini Jacobi.

Divisus est nunc Eccelinus cum toto exercitu de circuitu Montagnanæ, & cum Veronensibus ivit Veronam. Frater ejus Albricus de Romano reversus est Paduam, cum Potestate, & cum exercitu Paduano.

Paucis autem diebus elapsis, in mense Augusti, Marchio est regressus ad Este, & Villam totam tunc habuit, & munivit: Roccham verò non habuit, nec tentavit habere. Dominus Fulco de Montagnone, cum pluribus de parte Marchionis, Montem-Rubeum occupavit, volens ipsum incastellare in Paduanorum, & Civitatis contemtum. Ipsius enim Domini Fulconis, & suorum parentum Castrum, scilicet Montagnone, Comes Gaboardus

(69) *Cod. Estens.* Domini Eccelini.
(70) *Cod. Estens.* advenerant.

(n) *MS. Ambr. I.* Advedudum *II.* Avezutum *semper*.
(71) *Cod. Estens.* ponat & det.

Digitized by Google

dus condam (o), sub prætextu concordiæ, quasi post paucos dies, quibus obsessum fuit, & ipsis Castellanis acceperat; & dum fingeret se ipsum Castrum dare custodiendum Communi Paduæ, devenerat in Dominum Eccelinum, qui ipsum nunc tenebat, & faciebat custodiri per Sarracenos, & per quosdam suos de Pedemonte. Dicti verò Potestas, & Albricus de Romano cum toto Paduano Communi ad dictum Montem-Rubeum festinanter euntes, montem per vim recuperaverunt ab ipso Domino Fulcone, & suis. Captus est ibi ipse Dominus Fulco, & multi alii, qui cum eo erant, & conducti Paduam, & in carcere sunt reclusi: idem verò Mons incastellatus contra voluntatem majoris partis de Consilio Paduæ. Et postmodum Castrum hoc factum, & præmunitum, pro Communi Paduæ custodiendum datum est, & commissum Domino Uberto de Dalesmanino de Padua.

CAP. VII.

Literæ, quas Eccelinus stans Paduæ misit Imperatori commoranti Cremonæ.

Diebus istis vênit Eccelinus Paduam de Verona: qui videns partem de majoribus de Padua repugnare, sive quia jam sub umbra alarum Imperii, secundùm sui animi præconceptum, ad ardua negotia intendebat, sive ab aliquibus persuasus, Domino Imperatori cum sua Curia permanenti Cremonæ, tales literas per quosdam suos Ambaxatores honorabiles destinavit.

„ Invictissimo, & triumphatori Domino „ Frederico, Dei gratiâ, Romanorum Imperatori, & semper Augusto, Hierusalem, & „ Siciliæ Regi, suo Domino speciali; Eccelinus de Romano, ejus humilis serviens, & „ fidelis, & subjectus, devotionis promptitudinem, cum debito desiderio serviendi. Divinæ pietatis clementia humano quidem generi providit utiliter, & eidem misericorditer dispensavit, dum quodammodo necessarium esse præscivit, quòd Orbis terrarum, „ diversorum & innumerabilium morum gentibus habitatus, Romano tamen Imperio, „ utpote naturali & unico principio pareat, „ & inclinet. Et ergo cùm bonæ memoriæ „ Pater meus Eccelinus, dictus verè de Romano, & ipse subditus, & obediens exstitisset Imperio, & Coronæ, spem vitæ meæ „ totaliter sub dominationis vestræ clypeo „ posui, & tutela: pugno quoque, & pugnabo, dum vixero, quòd honor & culmen Imperii de bono semper in melius augmentetur & crescat. Hoc est enim, ut video, „ singulare illud (p) justæ gubernationis remigium, per quod navis hujus seculi transiens fluctus Maris, ad portum salutis adducitur; hoc est illud inclytæ sapientiæ frænum, „ cujus loris Mundus, quasi currens sonipes, „ moderatur, ut per Imperium castigentur „ enormitates, injurii retundantur, tumidi „ refrænentur, justitia conservetur in terris. „ Ecce nunc, per Dei gratiam, ferè tota Italia cum ceteris mundi Provinciis sitùs est „ subdita (72) magni vestri nominis claritati: „ sola tamen quorumdam proditorum superbia contumax & effrænis, in terris Marchionis Estensis nititur contra stimulum calcitrare, & sibi (73) jam præsumit attrahere quosdam sibi complices, per quædam latibula „ Lombardiæ. Sed feriendus est serpens in „ capite, ut corpus faciliùs devincatur. Quare Majestatis Imperatoriæ moveatur & exsurgat potentia, & dissipentur vestræ Celsitudinis inimici: & venire dignemini, quàm „ citiùs esse potest, in partes Marchiæ Tarvisinæ. Scio namque pro certo, quòd protinus cùm illic Altitudinis vestræ magnalia „ comparebunt, quicumque nunc velle videntur resistere, venient ad scabellum vestrorum pedum capitibus inclinatis. Et sic in „ illis partibus, absque ullo discrimine, vel „ labore, omnia plana erunt, & sic ibidem „ habebitis pacatum Imperium, & tranquillum. Aut excelsa manus vestræ Magnificentiæ rebelles conteret, falsos exterminabit, & infideles proditores Sacri Imperii „ feliciter ebdomabit.

CAP. VIII.

Literæ, quas Dominus Imperator remisit Eccelino.

Ad prædictas autem literas Dominus Imperator rescripsit, & verba hujuscemodi Eccelino transmisit.

„ Fredericus, Dei gratiâ, Imperator Romanorum Augustus, Hierusalem, & Siciliæ Rex; Dilecto fideli suo Eccelino de „ Romano, gratiam suam, & bonam voluntatem. Si diligenti cura conspicimus devotionis tuæ operam, & effectum, appellari debes meritò illius fidelitatis legitimus „ successor, & heres, quam olim dignæ recordationis & memoriæ pater tuus in tempore suo gessit Imperio, & Coronæ. Quare fidelitatem tuam dignis laudibus commendamus, & curabimus, dante Deo, de „ munere nostræ gratiæ tuis obsequiis respondere. Inspicientes verò tuarum literarum „ tenorem, non possumus non (q) mirari: quoniam recordamur, quòd Azo Estensis Marchio, de nostris fidelibus unus, pater Marchionis præsentis, fideliter nobis astitit quondam tam in belli tempore, quàm in pacis, „ nec umquam defuit nostræ Imperatoriæ Majestati. Si enim licèt aliquando in primis annis in Apulia rebelles domuimus; si tempore procedente in partibus Alemanniæ passi „ sumus plura discrimina; si Civitatum lites, „ & schismata sedavimus in partibus Lombardiæ: nemo fuit nostrorum Principum, „ vel Baronum, qui plus lateri nostro assisteret, quàm idem Marchio, quem nostrum „ quasi patronum habuimus ab ipsis cunabulis, & præcipuum defensorem. Est itaque „ satis absonum, si filius tam enormiter à „ paternis actibus deviat, & bene gesta parentis reprobabiliter dehonestat. De ceteris „ quoque Marchiæ Tarvisinæ Nobilibus, per „ nos nulla acerbitate gravatis, etiam admiramur, si declinant ab Imperiali servitio, „ velud in tuis literis intuemur. Sed ad partes illas expedit nos venire: unde noscas „ indubitanter, nos transacto proximo festo „ Epi-

(o) *In ambobus MSS. Ambros. legit* quodam sub prætextu.

(p) *MS. Amb. I addit* remedium.

(72) *Cod. Estens.* subjecta.

(73) *Cod. Estens.* ibi jam.

(q) *MS. Amb. II.* non modicum mirari.

„ Epiphaniæ, assumturos, favente Domino, „ viam nostram: ita quòd (74) usque ad „ diem Conversionis Beati Pauli, vel circa, „ sperabimus (75), te, & alios nostros fideles de Marchia visitare, & super factis ipsius „ Marchiæ cum tuo & aliorum nostrorum „ fidelium consilio, quod utilius fuerit facie- „ mus. Data Cremonæ XII. Kal. Jan. Anno „ Domini MCCXXXVIII.

CAP. IX.

De Introitu Domini Imperatoris in Padua, & de Domino Thebaldo, qui factus est Potestas ibidem.

VEnerat Imperator Vicentiam: & inde motus sequenti Anno Dom. MCCXXXIX. die sequenti (76) exeunte Januario, versùs Paduam equitabat magnificè sociatus. Cum ipso namque fuerunt Cremonenses multi, scilicet Ambaxatores Communis illius, & alii Cremonenses Milites pro Imperatoris honore, Theotonici, Apuli, Sarraceni, Barbari quidam, & etiam quidam Græci. Occurrerunt ei obviam Eccelinus, & Paduani bene per quinque milliaria foràs à Civitate, cum multa lætitia exultantes, Milites, & Pedites, cum cymbalis, & citharis, & instrumentorum diversis generibus, cum Carrocio copiosis divitiis & ornatibus decorato. Multæ quoque Dominæ præstanti pulchritudine, pretiosis vestibus refulgentes, sedentes in phaleratis & ambulantibus palafredis. Hìc professus est Imperator loquens ad Eccelinum secum pariter equitantem, se numquam vidisse citra, vel etiam ultra Mare, nec in aliqua parte Mundi, sic communiter gentem egregiam, bonis moribus adeò insignitam, sic utique curialem, vel providam usquequaque. Tunc accessit unus de Popularibus Paduæ, nomine Jacobinus Texta ad cendatum pendens de sublimi antema (77) Carrocii, & capiens ipsum cendatum, seu vexillum ambabus manibus, Domini Imperatoris, & ait; *Hoc tibi, Domine potentissime, tuum Commune Paduæ repræsentat, ut per Coronam tui capitis, Padua in justitia conservetur*. Quod ipse visus est audire, & recipere vultu hilari & jocundo. Sic itaque cum summo gaudio receptus est Imperator in Padua die illa; & de Episcopatu, ad quem descendit in prima die, sequenti die ivit & hospitatus est in Monasterio Sanctæ Justinæ per duos menses, vel circa. Hinc ibat aliquando ad venandum, aliquando ad paissandum, ipsum namque plurimùm hæc & similia delectabant solatia. Ibat etiam quandoque Noëntam, ubi morabatur hoc tempore uxor ejus, filia Regis Angliæ, quæ volebat potiùs appellari (78) Regina, quàm Imperatrix. Fuit etiam Dominus Imperator ad Montemsilicem, quæ est Camera specialis Imperii in Paduano districtu, montis cujus securitatem murari jussit. Vidit, & cognovit, ibidem stando, Castra Marchionis Estensis, potentiam, & loca ipsius: quo siquidem in Montesilice convocato, habuit secretum colloquium cum eodem. Illic Arnaldus Abbas Sanctæ Justinæ de Padua, vir nobilis natione, quia de projenie Cataniorum (79) de Limena Paduani districtus, se Domino Imperatori, sicut bene decuit, præsentavit: per ordinem ei dicens, quòd Eccelini timore fugerat de Monasterio illo, quod nunc est Domini Imperatoris, & ejus erit, donec vixerit idem Abbas. Sic quoque diebus illis assumto ipso Abbate secum Paduam ivit (80), & habitavit Imperator, & ipse Abbas in Monasterio. Sed sequente solemnitate de Ramis Palmarum, totus quasi Populus Paduæ convênit in Prato Vallis: quoniam mos est in tali die, quòd Paduana gens illic totaliter congregatur. Ibi Dominus Imperator sedens in eminentiori loco in suo throno, se cunctis ostendit hilarem & jocundum. Et Petro de Vinea Apulo ejus Judice, pro ipso Domino sapienter locuto, inter Dominum Imperatorem, & Paduanum Populum fœderavit quodammodo multam benivolentiam & amorem. Secutum est postmodum festum Paschæ, & Dominus Imperator audita solemnitate Missarum in Majori Ecclesia, propter honorem diei; dum ad Sanctam Justinam rediret, ostendit se, cunctis videntibus, capite coronato.

Hìc autem potest (81) manifestè notari, quòd Divina potentia ludit in rebus Mundi, & tempus unius horæ vix continet certam fidem: nam ante VII. dies in Padua murmuratum est per Populum Paduanum, quòd Romæ Papa Gregorius in die de Cœna Domini tunc transacta, Fredericum ipsum Imperatorem excommunicatum pronuntiaverat cunctis gentibus congregatis ibidem, propter indulgentiam, quam annuatim facit Apostolica Sanctitas tali die.

Hiis diebus obiit Dominus Jacobus, Dei gratiâ, Episcopus Paduanus.

CAP. X.

De excusatione Imperatoris ab excommunicatione facta in eum.

CUm insonuisset per Paduam, quòd Imperator erat excommunicatus per Papam, tunc ipse fecit protinus convocari magnam Concionem in Palatio Paduæ: & dum illic in sua Majestate sederet; surrexit Judex Imperialis Petrus de Vinea, fundatus multa literatura divina, & humana, & Poëtarum: proposuit autem illam auctoritatem Ovidii:

Leniter ex merito quidquid patiare ferendum est:
Quæ venit indignè pœna, dolenda venit.

Et aptata sapienter auctoritate intentioni, disputavit, & edocuit Populum, quòd cum Dominus Imperator foret adeò benignus, & justus Princeps, & Dominus æquitatis, sicut umquam fuerit aliquis, qui à Karulo citra Imperium gubernasset: dignè poterat de Sanctæ Matris Ecclesiæ Rectoribus conqueri, & dolere. Ipse enim Dominus Imperator non dedignabatur coram omni Populo protestari, quòd si justè foret lata excommunicationis sententia contra ipsum, paratus erat modis omnibus exponere se cunctis Ecclesiæ capitulis, & mandatis. Sed quia hæc pœna indigna

(74) *Cod. Estens.* itaque.
(75) *Cod. Estens.* speramus.
(76) *Cod. Estens.* septimo.
(77) *Cod. Estens.* antenna, *& ita in MS. Ambr. II.*
(78) *Cod. Estens.* vocabatur potius.

(79) *Cod. Estens.* progenie Capitaneorum, *& ita in MS. Ambr. I.*
(80) *Cod. Estens.* rediit.
(81) *Cod. Estens.* potuit, *& ita in MS. Ambr. I.*

Digitized by Google

A gna venit, non miretur aliquis, si venit utique & dolenda. Immo si pœnam ipsam meritò pateretur, leniter sustinendum esse decerneret, & ferendum. Mirabatur ergo de Ministris Apostolicæ Sanctitatis, quòd eorum sententia in tantum præcipitium corruerat sic incautè, quòd illic, ubi nullum peccatum præcesserat, pœna sic enormiter sit annexa. Hæc autem facta sunt Anno prædicto Domini, de Mense Aprilis.

CAP. XI.

De quibusdam Paduanis missis ad mandata jussu Imperatoris, & de quibusdam redemtis. B

DIvisa Concione prædicta, cogitationes Paduanorum diversimodè movebantur. Imperator autem volens placere omnibus de Marchia toto posse, equitavit Tarvisium, ubi honorabiliter est receptus. Ibi Potestatem constituit, de voluntate totius Populi Tarvisini, Jacobum de Morra Apulum, fidelem Imperii, virum providum, & prudentem. Reversus quoque Paduam, vocavit, & fiduciam (82) dedit Marchioni Estensi: cujus acceptis Castris in Imperii custodiam, fecit eum venire Paduam, & omnes, qui pro ipsius parte Civitatem exiverant: & affidati sunt, & venerunt, præter illos, quos carceraverat Eccelinus. C Qui Eccelinus animo suo considerans quæ videbantur occurrere, spiones quosdam posuit in contrata Sanctæ Crucis de Padua, per quos scire posset qui obviam irent, quando inde Marchio veniebat in Civitatem: & eorum habuit nomina pro magna parte in scriptis. Dum itaque Imperator ad Sanctam Justinam staret, & forent in Civitate Marchio, & Magnates amici de parte ejusdem Marchionis, scilicet Dominus Biaquinus, & Wecili (r) de Camino, & alii; ex altera verò parte Dominus Eccelinus, & Albricus de Romano fratres, & omnes alii eorum amici: multa, & magna tunc fiebant secreta Consilia apud Monasterium Sanctæ Justinæ, D singulis noctibus, & diebus. Tunc accepit Imperator Principem Raynaldum filium Marchionis, & ejus uxorem, sibi jam antea deputatam, sed nondum datam, Aledeitam (83) filiam Albrici de Romano; & eos pro obsidibus tenuit, & postmodum in Apuliam misit, dicens quòd hoc erat pro bono pacis. Et prætendens causam etiam concordiæ confirmandæ, jussit idem Dominus Imperator, quòd Dominus Jacobus de Carraria, & Dominus Advedutus Advocatus de Padua, irent Mantuam; Dominus Ubertus Dalesmaninus, Dominus Henricus olim Domini Forzatè de Padua, Jacobus Alberti de Ponte Molendinorum, Gumbertinus de Balegante, Matthæus Capellina (s) E Judex, Bartholomæus Judex olim (84) Vani de Zaco, Dominus Ivanus Johannis Crosnæ Judex similiter, Aliotus Wajapa (85), & quamplures alii de majoribus civibus Paduæ, qui iverant, ut dictum fuit, obviam Marchioni, Vicentiam irent (86). Sed Domini Ubertus, & Henricus de Forzatè mandatum Imperiale spreverunt, quod eis postea bene cessit. Alii verò cum suo damno fecerunt quod eis præceptum fuit. Ivit tunc Dominus Imperator Vicentiam, & illic colloquium habuit cum Magnatibus omnibus de Marchia Tarvisina: & illuc fecit ad se venire Domnum Jordanum Priorem Sancti Benedicti de Padua, quem Eccelinus in Aslo tenuerat jam quasi per duos annos incarceratum, & quosdam alios Nobiles, quos similiter adhuc captivos tenebat in ejus Castro Sancti Zenonis, in Fonte similiter, & in Aslo, & Prata; Domnum Jordanum donavit Domino Patriarchæ Aquilejensi: hac tamen conditione facta per consilium Eccelini, quòd Paduam non veniret. De aliis (87), quosdam absolvit, & quosdam carceratos adhuc dimisit. Et stans ibidem Vicentiæ, fecit sibi Monteclum majorem dari, Castrum scilicet Ugucionis de Pileo Vicentini districtus: & positis ibi custodibus Sarracenis, fecit ipsum ulteriùs per Imperium custodiri. Ibi siquidem dictum fuit, scilicet in Vicentia, quòd facta erat conspiratio quædam in detrimentum Imperatoris, quod postmodum inventum est esse falsum. Hoc verumtamen verum fuit, quòd cùm Imperator vellet proficisci Veronam, & ire in Lombardiam, credens Marchiam planam esse: Albricus de Romano, & Biaquinus, & Wecili de Camino Tarvisium festinanter euntes, Civitatem illam quodam mane ceperunt, & tenuerunt & hoc fuit in mense Madii. Uxorem Jacobi de Morra, qui Potestas erat, ceperunt, & eam curialiter posuerunt in custodia de majoribus Dominabus de Civitate. Alii verò omnes, qui pro Imperatore illic fuerant, capti sunt, & detenti, præter Potestatem, qui per commeatum cujusdam Militis Tarvisini, qui jam erat (88) multùm amicatus cum ipso, fugit ad Castrum Mestri.

CAP. XII.

De iis, quæ facta sunt ab Imperatore stante apud Castrum-Franchum.

HAc de causa Paduam rediit Imperator. Fecerat autem & in Padua constituerat ante prædictum factum in Kalendis Madii præteritis, anni scilicet MCCXXXIX. Tybaldum Franciscum de Apulia Potestatem Paduæ, & Imperialem Vicarium in Marchia Tarvisina generaliter à flumine Olii usque Tridentum. Constituit autem eodem mense generalem exercitum, & cum Carrocio Paduæ, circa finem ejusdem mensis, duxit exercitum ipsum (89) ad Castrum-Franchum, locum Tarvisinorum. Et horam motionis elegit per consilium Magistri Theodori (t) sui Astrologi, qui stetit cum astrolabio sursum in turri Communis, expectans, ut dicebatur, quòd ascenderet prima facies, vel horoscoparet (90) Leonis, cùm diceret Jovem esse in illo. Sed cùm per astrolabium hoc videre non posset tempore nubibus obumbrato; si licitum est dicere, tunc fuit in sua electione deceptus:

(82) *Cod. Estens.* fidantiam.
(r) *MS. Ambr. I.* Vervecili, *& II.* Dominus Biannus, & Vervecili *semper*.
(83) *Cod. Estens. Idest* Adeleitam.
(s) *MS. Ambr. I.* Capellana.
(84) *Cod. Estens.* olim Domini.
(85) *Cod. Estens.* Vagnapa.
(86) *Cod. Estens.* iverunt.
(87) *Cod. Estens.* aliis autem.
(88) *Cod. Estens.* qui fuerat.
(89) *Cod. Estens.* ipsum usque ad.
(t) *MS. Ambr. II.* Theodrici.
(90) *Cod. Estens.* horoscopus, *& ita in MS. Ambr. II.*

Digitized by Google

tus: quia nec erat Juppiter in Leone, nec Leo tunc ascendebat, sed Virgo. Et ita, cùm Scorpio tunc esset domus itineris, quia tertia, innuebat quòd exercitus, vel Imperator, ad cujus petitionem fiebat, offendi deberet in fine: quasi cauda Scorpionis hoc faceret, quæ dicitur infidelis, & venenata: & hoc esse debebat, antequam Imperator longè recederet à Marchia Tarvisina. Ivit ipse tamen in sua persona propria; iverunt secum etiam Estensis Marchio, Eccelinus de Romano, & multi Magnates, & Milites utriusque amici, Pedites, Balistarii, & quasi omnes de Civitate, & Villis, quia libenter quilibet sequebatur Imperatorem. Fixis igitur tentoriis circa prædictum locum Tarvisinorum, & illic stante exercitu copioso: Dominus Imperator pro se dici fecit, & arengari, & dedit terminum Tarvisinis, quòd usque ad VIII. dies ad ipsius mandata venirent. Quod cùm facere contemsissent, termino præterito, Privilegium dedit, & scribi fecit, quòd Imperialis Majestas videns Tarvisinos existere contumaces, Paduanos verò subditos, & fideles, confirmans constitutionem illam, usque tempore Cæsaris introductam, & allegatam:

arma tenenti
Omnia dat, qui justa negat;

donavit, ex Imperiali gratia, Populo Paduano Castrum-Franchum, & Civitatem Tarvisii, à flumine Sili citra, scilicet versùs Paduam, usque ad Mare.. Et hoc Privilegium Aurea Bulla Imperii roboratum, Domino Tybaldo Potestati Paduæ, pro ipsius Civitatis Communi recipienti, solemniter ibi dedit.

Ea quoque die, qua fecit istam gratiam Paduanis, contigit Marchionem ad exercitum (91), de Cittadella, quasi cum C. militibus equitare; & Eccelinus de Romano eâdem horâ, cum militibus XX. vel circa, de exercitu equitabat ad Cittadellam. His ergo duabus Aquilis sibi ad invicem rectâ lineâ appropinquantibus equitando: fuerunt quidam hinc inde, qui diversas cogitationes fecerunt, donec ipse Marchio misit Dominum Jacobum de Sancto Andrea, & Aylum de Compagno, (u) Milites sapientes, & insignitos, qui Eccelinum ipsum curialiter rogaverunt, quòd sibi de sua liberalitate placeret divertere aliquantulum à dextris, vel à sinistris: quod ipse quidem discretè fecit, & ivit utraque militia viam suam.

CAP. XIII.

Qualiter dum staret dictus exercitus, obscuratus est Sol, & recessit Imperator in Lombardiam.

POst hæc Dominus Imperator sequenti die misit primò balisterios, & misit gualdanam (x) suam; secundò milites, & pedites, & omnes etiam vastatores, & damnificare fecit, in quibuscumque potuit, inimicos. Quibus ad Wastum manentibus, die III. intrante Junio, statim post horam nonam, in Anno Domini supradicto MCCXXXIX. Sol est cunctis videntibus obscuratus, & duravit Eclypsis Solis ferè per duas horas: ita quòd gavisi sunt illi de Castro-Francho, dicentes, quòd ipse Deus hoc miraculum ostendebat, ut pœniteret Imperatorem, & ceteros de injusta offensione, quam nitebatur facere Tarvisinis. Ipse tamen Dominus Imperator, quamvis non ignoraret causam eclypsationis, ut credo; hac re miraculosa ostendens se tamquam conterritum, recedere disposuit de hoc loco: & vocatis ad se Marchione, & Eccelino, aliisque majoribus de Marchia de ipso exercitu, quasi circa quinquaginta, locutus est inter eos: & ostendens ipsis, quòd oportebat eum ire in Lombardiam, cuilibet eorum solidum (92) de Imperiali Camera dari fecit. Exercitu vero dimisso (93), arrepto itinere equitabat versùs Lombardiam cum eis, habens & ducens secum Theotonicos omnes, & Apulos, in quibus præ ceteris gentibus confidebat. Cùm autem hæc tota militia esset in confinio Castri de Sancto Bonifacio Veronensis districtus, dicitur, quòd unus de familiaribus Imperatoris, manu dextera posita ad proprium collum suum, & versùs Marchionem respiciens, signum fecit, quasi de capite exsecando; diligebat enim Marchionem, & suam partem: quod Marchio protinus, & satis utiliter annotavit, & illis amicis suis, quibus cautè signum facere potuit, tardatis, secum post alios equitantibus, (94) intravit cum eis in Sancti Bonifacii Castrum, & ibi mansit. Quo quidem notificato Imperatori, misit Petrum de Vinea pro Marchione revocando, & suis, dicens, quòd fidantiam dabat ipsi Marchioni, & Comiti, cunctisque eorum amicis: & addens quòd volebat pacificare Comitem, & omnes de sua parte cum illis adversæ partis, ipsumque Comitem, & suos ponere in Verona. Exarserat enim capitalis discordia in Verona, usque ab illo tempore, quo pars Monteclorum, cum Eccelino, Comitem, & amicos ejus ceperat in Palatio Veronensi: unde diruptæ erant domus, & turres amicorum Comitis, & ipsius amici quidam in carceribus finiverant miserabiliter vitam suam, quidam fuerunt mortui diversis generibus tormentorum. Dum igitur Imperator scivit per suos Nuntios destinatos ad Marchionem, quòd ipse Marchio, & Comes, eorumque amici ad ipsum Imperatorem nullatenus veniebant: fecit apud Villam-Novam, ubi erat, detineri Dominum Nicolaum de Lucio (y), Aylum de Compagno, & alios, quos habere potuit Marchionis amicos: isti namque, quia erant longè à Marchione, scire non potuerunt Marchionis recessum. Esse enim consuevit aliquando, quòd ovis, quæ elongatur à grege, vel à pastore, aut fortè damnabiliter decidit in errorem, aut quod est durius, cadit in iram lupi. Demum ivit Imperator Veronam, & amodo fuit studiosior (95) custodiri exitum, & introitum de Alemannia in Lombardiam, & è converso: sunt enim quædam loca in districtu Veronæ, quæ vulgus appellat Clusas, per quas de facili potest negari talis introitus, & patêre. Nicolaum verò de Lucio, & Aylum de Compagno, Principem Raynaldum filium Marchionis, & obsidem pro eo, aliosque Paduanos cives, quos

(91) *Cod. Estens.* Castrum de Cittadella.
(u) *MS. Ambr. I.* Compungno.
(x) *MS. Ambr. II.* Guardam.
(92) *Cod. Estens.* soldum de.
(93) *Cod. Estens.* diviso.
(94) *Cod. Estens.* equitantes *ita & ambo MSS. Ambr.*
(y) *MS. Amb. I.* de Luzo *semper.*
(95) fecit studiosiùs *cum Estens. concordant MSS. Ambr.*

Digitized by Google

quos Eccelinus olim tenuerat in Castro Fontis, & in Prata, & alibi; quoscumque habere potuit, misit Cremonam, & Parmam, & jussit eos ibidem optimè custodiri.

CAP. XIV.

De Castris Marchionis per ipsum recuperatis.

SIc patuit manifestè, quòd illi, qui se monstrabant fideles Imperatoris, calcaneum, & caudam levaverunt in ipsum, primùm (96) quàm exiret Marchiam Tarvisinam. Exercitu quoque reverso à Castro-Francho, & locis, & Castris Marchionis per Imperatorem adhuc detentis; malè actum est in Civitate Paduae de aliquibus Marchionis amicis, qui apud (z) dictum exercitum iverant sub tutela Imperatoris: nam quidam redeundo securè nimis, injustè sunt detenti, & in carcere (97) sunt reclusi; alii in propriis domibus capti sunt sinè causa; alii sunt occisi, dum sani & incolumes capti forent. Et sic cives illi, qui aliquam honestatem habebant, dolere cœperunt, & quasi medullitus contristari, cùm viderent tantas & tam horribiles iniquitates in Padua perpetrari (98). Sed ipse Estensis Marchio voluit ostendere se dolere: nam congregata omni gente, quam potuit, spem suam, quam totam jactavit in Dominum (99), fortunam suam etiam, quam viriliter est secutus, proposuit attentare. Et cùm (100) sit Estensis Marchio, hostiliter venit ad Terram suam. Et hoc in brevi tempore patuit, quòd in se sperantes Deus nullatenus derelinquit. Estensem Villam protinus recuperavit, & Rocchaṁ, & Baonem per arma rapuit, Lucium propter famem, resistentibus Sarracenis usque dum potuerunt, quos illic posuerat Eccelinus. Calaonem habuit propter trabucchorum timorem: & dum circa Cerrum maneret in costis montis, & parari faceret ædificia ad capiendum inimicos, & locum; ipsi verò qui in Cerro manebant, victualia non haberent; volens Eccelinus stans Paduae dare illis succursum; festinanter paravit exercitum Paduanum, & intravit cum ipso exercitu inter Baonem, & Calaonem, suspicans forsitan, quòd Marchio cederet de obsidione Sarracenorum. Sed Marchio erat in alto montis, Eccelinus in plano. Unde deceptus est Eccelinus, nec suis expectantibus potuit exhibere succursum: quamvis sæpe nudis ensibus, & motis banderiis, nutum frequenter faceret, quòd Lombardi Mactare dicunt. Immo numquam Eccelinus ipse tantum de aliqua temeritate pœnituit, quamquam quod (1) in vanum intraverat fauces illorum montium, & quasi deserta loca. Quo festinante quàm citiùs potuit ad regressum, Marchio Cerrum habuit, & illam incultam gentem: sed ejus benignitas custodes illos offendere non permisit. Hæc autem prædicta facta sunt mense Augusti (2) præscripti anni.

CAP. XV.

De conspiratione prima, & maleficiis primò factis in Padua.

INdignatus est nimium Eccelinus, quòd Marchio recuperarat sua Castra. Et ecce diebus illis inolevit susurratio quædam, & dictum est inter Eccelini fautores, quòd aliqui conspiraverant contra eum, volentes Civitatem Paduæ tradere Marchioni, & quòd Miles quidam Paduanus manens in Buvolenta, Zufredus nomine (a), literas misit Domino Aveduto Advocato de Padua, qui tunc tenebat Castrum Brentæ contrarius Eccelino, ut veniret ad Buvolentam accipiendam, & quòd haberet eam de facili. Sic itaque Zufredus ipse captus, & ductus Paduam, primò decapitatus est in foro, nec convictus in aliquo scelere, nec confessus. Post quod rectè per dies XV. in mense Septembris ejusdem Anni MCCXXXIX. & ejusdem conspirationis causâ, ut dictum fuit, decapitatus est in foro Miles unus de Majoribus de Padua (b), qui dicebatur fuisse primus, qui juraverat in principio guerræ servire Domino Eccelino, & aperire ei Portam Molendinorum, ut Civitatem ingrederetur contra totius Communis Paduæ voluntatem. Et ista eadem die nobilis quidam Clericus de Majoribus Canonicæ (3) Paduæ (c) combustus est in Prato Vallis. Qua die similiter XVIII. (d) homines de bonis Civibus, & Burgensibus, & quibusdam Villarum habitatoribus, quos dictum fuit colloquium habuisse cum Domino Jacobo de Carraria, tunc Marchionis amico, suspendio traditi, dolorosam mortem & vituperabilem sunt perpessi.

(96) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* priusquam.
(z) *MS. Ambr. II.* qui ad prædictum exercitum.
(97) *Cod. Estens.* in carcerem.
(98) *Cod. Estens.* perpetrari sic publicè. Nec solummodo Cives commorantes in Padua doluerunt; sed ipse.
(99) *Cod. Estens.* Domino.
(100) *Cod. Estens.* Et sic Estensis *ita & Ambr. I.*
(1) *Cod. Estens. & Ambr. II.* quam quod.
(2) *Cod. Estens.* Augusto.
(a) *MS. Ambr. II.* Gufredus de Giciis nomine.
(b) *MS. Ambr. II.* de Padua qui vocabatur Monaldus de Limizonibus, sive Linguadevacca.
(3) *Cod. Estens.* Paduanæ.
(c) *MS. Ambr. II. addit in margine* vocatus Dominus Pigollus de majoribus Canonicis Paduæ combustus est in prato vallis, cum uxore Benedicti de Araldo, quæ etiam combusta fuit. Qua die &c.
(d) *MS. Ambr. I.* XXVIII.

Explicit Liber Quartus.

INCI-

INCIPIT QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

De obsessione, & captione Ferrariæ.

LAnguores igitur, & angustiæ multiplices adhuc angere videbantur Marchionis amicos: dum scilicet in Padua, in Verona, in Ferraria, in Vicentia, nullus auderet de Marchione ipso, nec de ipsius amicis facere mentionem. Immo volentes quidam (4) placere; cùm vidissent cometam, quamdam stellam comatam scilicet, apparuisse circa finem Januarii in partibus Occidentis, in anno sequenti, videlicet MCCXL. dixerunt mutari in anno illo Marchexatum Estensem: quia tale signum talia portendebat. Sed quoniam Deus Dominus, & pater justitiæ, æquitatis adjutor, superbos frangit, & conterit, benignis, & humilibus subvenit, & misericors sæpe (e) porrigit manum lapsis; cùm jam, per Dei gratiam, Marchio sua loca prædicta recuperasset, quamvis Eccelinus prædictas Civitates haberet; tamen aliquanta prosperitas quodam modo Marchionem ipsum, ejusdemque amicos movit, & animavit ulteriùs ad majora. In eodem namque Anno Domini MCCXL. mense Februarii, placuit Domino Jacobo Teopolo Duci Venetiarum; Comiti de Sancto Bonifacio; Albrico de Romano, qui indignatus tunc erat cum fratre suo Eccelino, propter suam filiam acceptam ab Imperatore pro obside consilio Eccelini, cùm Albricus idem eam haberet caram plus cunctis suis desideriis & thesauris; placuit etiam Mantuanis Communiter omnibus, obsidere Ferrariam. Et habuerunt prædicti omnes amicos suos quoscumque habere potuerunt, & undecumque. Sic itaque fuerunt omnes cum Marchione, & ipse cum eis; fueruntque ibidem etiam Nuntii Romanæ Curiæ cum Legato Domino Gregorio de Montelongo, & quantitas quædam Bononiensium, & Mediolanensium, ita quòd illic fuerit exercitus copiosus. Itaque cùm esset Dux Venetiarum in propria persona ibidem; & conducerentur naves multæ, & magnæ de Venetiis per aquas Padi, paratæ, & turritæ, ut hinc posset Civitas expugnari de facili: Salinguerra, qui erat intrinsecus, quamvis jam foret animosus (5) homo, probus tamen, sapiens, & astutus; cum ipsis Ferrariensibus dilectis suis, Civibus, subditis, & amicis, longo tempore viriliter se defendit. Tamdem ordinatum est quoddam colloquium, quòd ipse Salinguerra veniret extra: & venit, ut loqueretur cum Magnatibus de exercitu, pro facto pacis & concordiæ pertractandæ. Sic ipse, cùm fuit extra, missus est Venetias curiali modo, & digna reverentia custoditus: ubi post aliquos annos debita naturæ persolvit, & eidem in ejus morte omnes majores, & nobiles de Venetiis magnam fecerunt reverentiam, & honorem. Filius ejus Jacobus, prænominatus Taurellus, ab hiis, qui regebant exercitum, licentiatus recessit, & stetit postea multo tempore Paduæ in Curia Eccelini. Ingressus est Marchio cum Legato, & Domino Duce, ac ceteris majoribus in Ferraria, & honorabiliter sunt recepti; Civitas, & habitantes in ea, benignè, & indemnes in rebus, & in personis, & amicabiliter sunt tractati. Domino quoque Stephano Badoario de Venetiis illic constituto pro Potestate, divisus est exercitus, & sunt omnes majores, medii, & minores, cum magna lætitia regressi ad domos suas.

CAP. II.

De captione illorum à Vado (6).

ADveniente mense Junii, in ipso prædicto anno, capti sunt Nobiles illi de Vado hac de causa: nam paucis diebus ante, dum defendebatur Ferraria, locutus est Eccelinus inter quosdam Magnates de Padua, quos fictitiè appellabat amicos, confortans eos, ne de obsidione Ferrariæ dubitarent: & voluit de illorum consensu, quasi curialiter, detinere nepotem suum Guillielmum de Campo Sancti Petri, filium condam viri nobilis Domini Jacobi de Domino Tisone majore, quem Guillielmum ceperat jam condam in Castro Fontis adhuc infantem, ut supra legitur in II. Libro, nono Capitulo 5. Sic igitur, &c. Et asserens se de ipso non dubitare, dicebat, quòd hoc faciebat in sui nepotis honorem. Sed attinebant Guillielmo proxima linea parentelæ Domini Ruzerius, Ugo, & Ubertinus à Vado pro parte materna, & ipsorum consanguineus, multùmque amicus erat Dominus Gnansus Judex: qui omnes quatuor protestati sunt, Willielmum esse firmissimum & constantem Domini Eccelini amicum & servitorem. Attamen tempore procedente, protinus cùm Ferraria capta fuit, fortè timuit Willielmus, quòd Padua nollet ulteriùs Eccelino subesse. Itaque cum avo suo materno Domino Gerardo, aliisque sibi fidelibus, qui sequi voluerunt eumdem, ivit ad suum Castrum de Trivillis, & illic se posuit, & munivit. Quod cùm scitum est ab Eccelino, vocatis prædictis quatuor Guillielmi amicis, acerbè improperavit eisdem, tam id quod Willielmus fecerat, quàm id quod ipsi pro eo priùs fuerant protestati. Cùm igitur Ugo de Vado ivisset de mandato & licentia Eccelini pro Willielmo revocando mandatis, quem prorsus revocare non potuit, reversus est idem Ugo ad Dominum Eccelinum. Sic ergo incontinenti detentus est ipse, ceterique tres superiùs nominati cum ipso, & missi sunt in carcerem ad Castrum Cornutæ; bona eorum omnia accepta sunt, & posita in Communi; parentes, ac eorum amici conversi sunt in fugam, & in recessum.

Eo autem tempore, quo capti fuerunt, incusatus fuit vir quidam prudentissimus, nomine Zungus, campio virtuosus, & pugil (7), qui morabatur ad Sanctam Crucem, quòd stans sub porticu Sanctæ Crucis, lamentando dixit contra quemdam ejusdem oræ

(4) *Cod. Estens.* quidam Eccelino, *ita MSS. Ambr.*
(e) *MS. Ambr. II. addit* suam.
(5) *Cod. Estens.* annosus homo, *& ita MS. Amb. II.*

(6) *Cod. Estens. de Vado, & de eorum morte.*
(7) *Cod. Estens.* Zugnus Caphio, virtuolus & pervigil.

Digitized by Google

oræ (f) : *Nos currere deberemus ad arma*, *nec permittere Nobiles*, *& Magnates nostros de Padua sic crudeliter*, *immo viliter carcerari*. Propter hoc verbum captus est ipse Zugnus, & ille qui locutus fuit cum eo, nomine Peregrinus, de contrata eadem, & est uterque decapitatus in foro statim diebus illis. Qui autem missi fuerunt Cornutam in carcere, post quatuor annos, vel circa, jussu Eccelini existentis Veronæ, confixit magnis trabibus ad ostium carceris; XXX. diebus conclusi vociferantes, & ejulantes (8) miserabiliter panem, panem; vitam ultimo martyrio finiverunt. Et sic ibidem postmodum desiccati, tectis nervis, & ossibus pelle sola, nigra, & horrida sunt reperti. Heu dolor eximius, & tremendus, heu timor, & anxietas inaudita! Vanitatum vanitas ineffabilis, vita mortifera, mundus fallax! Quibus enim quandoque fuerat bonorum omnium, cunctarum deliciarum affluentia copiosa, tam jacent rigidi, & deformes; tam tristis eis, & dolorosus, immeritus (g), & indignus contigit finis vitæ, ut nec possit in cor alicujus ascendere, nec exprimere sufficiat lingua carnis.

CAP. III.

De facto Sylvazani (h).

SEquente Mense Julii (i) die XIII. exeunte, Dominus Marchio cum quadam militum & peditum quantitate vênit Sylvazanum. Dominus Ecceliinus cum militibus duorum Quarteriorum de Padua ea die non erat in Civitate: illi verò, qui tunc in Padua sunt reperti milites, & pedites, cum Domino Tebaldo Francisco, & Theotonicis, qui illic aderant, subitò fuerunt ad arma: exeuntes ad inimicos ferierunt (9), & captis aliquibus de parte Marchionis circa L. inter milites, & pedites; mortuis etiam illic X. Sarracenis de parte Imperatoris, qui de Monte-Rubeo descenderant cum arcubus, & sagittis, Marchio versùs Galzegnanum recessit, & transiens per montana, unde via est satis aspera & saxosa, pervênit ad Este. In facto autem prædicto aliqui, sed non multi, ferierunt hinc inde: inter quos Wercius de Travertino (10), & Jacobus de Marsilio Paduani Cives, sed expulsi de Padua, nunc (11) pro parte Marchionis viriliter pugnaverunt: & licèt ipsi capti forent ad ultimum, tamen in primo pugnæ impetu, per magnam moram temporis, totam aciem Theotonicorum ipsi soli duo viriliter tenuerunt.

CAP. IV.

De facto Agnæ, *& morte Domini Jacobi de Carraria*, *& de morte Domini Advocati*.

IN hoc eodem Anno Domini MCCXL. Domino Tibaldo Francisco Potestate in Padua, existente Eccelino Veronæ, die XIII. (12) intrante Augusto, idem Dominus Tibaldus cum tota militia Paduana, & cum M. peditibus bene armatis, equitavit sero quodam, & ivit Agnam, quam quidam de Paduanis exulibus muniverant, & loco illo disposito quasi in formam castri, permanebant ibidem. Adjunxit autem Paduana militia manè tempestivè ad locum, & insultu facto in Agnam ex improviso, Dominus Jacobus de Carraria vir strenuus, qui Castrum tenebat, cum illis de loco viriliter se reduxit ad arma: & in dextrarium suum sedens, & omnibus armis militaribus decoratus, quantum nobilis Miles debuit, prudenter & egregiè se defendit in primis: Dicit tamen vulgare proverbium, quòd *& si Deus adjuvat pauciores, plures tamen sunt soliti superare*: adveniente namque militum, & peditum multitudine numerosa, captus est ipse Dominus Jacobus, multis tamen primitus ab ipso prostratis ad campum. Dum autem mulieres quædam, & homines, qui erant in loco Agnæ, viderent se circui & superari ab inimicis, timentes mortem, in obscuram mortem, duram, & horribilem incurrerunt. Intrantes enim navem quamdam, ut transirent profundum gurgitem, qui erat à tergo Castri, cùm intrarent impetuosè, & irruerent indiscretè, homines cum ipsis mulieribus omnibus, & cum nave submersi, morte damnabili perierunt. Ductus est Dominus Jacobus detentus ad Civitatem, vestitus ab his, qui eum ceperant, nigra cappa: dicunt enim, quòd talis est mos Imperii, cùm capitur aliquis, dum sit Nobilis, si pugnando capitur Imperio contradicens. Est autem ultimo supplicio datus, & sicut virum decet Nobilem, pœna capitis est punitus die IV. post illud factum. Portatum est autem, & sepultum corpus ejus à dolentibus bonis civibus Paduæ apud Ecclesiam Sancti Johannis, à latere Civitatis Paduæ versùs sero.

Germanus ejus Dominus Avedutus Advocatus de Padua eisdem diebus, cum quibusdam Venetis, & quibusdam Paduanis expulsis, tenebat locum, qui dicitur Castrum Brentæ. Tunc quoque dictus Dominus Tibaldus Potestas claudi fecit aquas, & flumina circa Paduam, ut aquæ fluentes ad Castrum Brentæ decrescerent: & quare faceret, sciebatur à paucis. Quo facto Potestas ipse, assumtâ secum Paduanâ militiâ, & M. peditibus, equitavit ad partes illas. Inde circum erat Calcinaria (13), Mota, & Candiana: quibus captis, & devastatis; appropinquans ad Castrum Brentæ, munitiones, quæ inde factæ fuerant, diruit, & vastavit. Dum autem dictus Dominus Advocatus, derelictus quasi solus à suis, se cordis magnanimitate defenderet; & equester, fortibus armis munitus esset, & animo fortiori, ipse unus inimicos omnes ferè convertit in fugam. Sed & Theotonici quidam circa XXV. sub Conestablo (14), sive sub una banderia, stricti quasi in unum globum, ipsum invaserunt à tergo: sed ipso se viriliter defendente, nullo modo superatus fuisset, nisi quòd sub eo equus cecidit: unde captus est, & devictus, & impositâ sibi eâdem cappâ, quæ

(f) *MS. Ambr. II. prò* oræ *legit* contratæ.
(8) *Cod. Estens.* ululantes, *& ita MS. Ambr. II.*
(g) *Ambo MSS. Ambrosiani prò* immeritus *legunt* inimicus.
(h) *MS. Ambr. I.* Salvazani.
(i) *MS. Ambr. II.* Junii die XII.
(9) *Cod. Estens.* ad arma, exeuntes ad inimicos; & istæ duæ partes circa confinia Montis-Rubei ad invicem fuerunt, & captis.
(10) *Cod. Estens.* Tervisio. *MS. Ambr. I.* de Tarvesino, *MS. II.* de Traversino.
(11) *Cod. Estens.* tunc pro.
(12) *Cod. Estens.* die tertio.
(13) *Cod. Estens.* Calvaria.
(14) *Cod. Estens.* Conestabulo.

Digitized by Google

quæ germano ejus posita (15) fuerat, & eo super alium equum imposito; ductus est Paduam, & per eumdem Dominum Tibaldum eadem sævities est facta in eum, die VII. intrante Septembri ejusdem anni, quæ in supradicto Domino Jacobo facta fuit.

CAP. V.

Hoc tempore Faventia est reddita Imperatori, & Terra de Est à quadam proditione liberata.

His diebus, mense Augusti nuper præterito, Fredericus Imperator posuerat se cum magno exercitu circa Civitatem Faventiam, & obsedit illam magnificè & potenter continuè toto tempore hyemali usque per annum sequentem, scilicet MCCXLI. & tunc die XIV. intrante Aprili ejusdem anni, dicta Civitas ipsi Imperatori se reddidit, & (16) in Apuliam ivit.

In isto eodem Anno, tempore autumnali, morabatur Eccelinus Veronæ: ubi manens insidiatus est Marchioni Estensi, & taliter machinatus est cum quibusdam, quòd Terra de Este ferè tradita fuit in manus Eccelini, & inimicorum Marchionis, & suæ partis. Sed inventa veritate per mulierem quamdam, quæ (17) vidit Notarium quemdam, nomine Oldericum, legentem in quodam broylo secretè quasdam literas sigillatas cum sigillo uno, quod cujus erat (18) nescivit; & cognita re postmodum, quibus literæ legebantur, & unde processerant; per voluntatem Dei, & sapientiam Marchionis, & prudentiam Pilei filii Ugucionis de Pileo de Vicentia, qui tunc erat Potestas in Este pro Marchione; propalatum est proditionis negotium. Quo sapienter invento, puniti sunt quidam, qui culpabiles sunt inventi die XIII. exeunte Septembri prædicti anni, quasi de majoribus, qui tunc videbantur esse Marchionis amici, & Estensi domui semper visi fuerant exstitisse subditi & fideles. Et sic Estensis Terra tunc à periculo est defensa.

Et hìc incœpit Bontraversius de Maltraversis esse amicus Domini Eccelini, & suæ partis, qui usque ad tempus istud, cum omnibus de sua progenie, fuerat fidelior Marchionis, ut videbatur, quàm aliqui Magnates de Marchia, sive Lombardia. Sed o grave damnum, & abhorrendum, cùm quis claris prædecessoribus ortus, parentum facta laudabilia dehonestat!

CAP. VI.

De obitu duorum Apostolicorum in brevi tempore.

Eodem Anno similiter Gregorius Papa, (19) cira festum Assumtionis, mense Augusti decesserat: & steterunt Cardinales per XL. dies in Apostolici electione discordes. Sed mense Octubri ejusdem anni, quasi in fine mensis, Cardinales elegerunt Dominum Zufredum Mediolanensem, Cancellarium, in Theologia peritum: qui electus Missam solemniter celebravit in festo omnium Sanctorum in Laterano, ubi Cardinales quosdam, & Episcopos consecravit: & post circa dies XX. decessit.

CAP. VII.

De electione Innocentii Papæ Quarti, & obitu Imperatricis.

Post hæc Anno Domini sequente MCCXLII. Cardinales concorditer elegerunt Innocentium Papam Quartum, divini spiritus gratia illustratum. Qui tertio anno post sui electionem, experiri volens, quid Sancta Mater Ecclesia posset in Fredericum ipsum Imperatorem, sed adhuc in excommunicatione jacentem; ivit Lugdunum, dimissis literis in Apostolica Sede occultè, quibus per obedientiam, & in virtute Sancti Spiritus, fratribus suis Cardinalibus injungebat, ut ipsum, omni mora postposita, ad easdem partes Lugdunum (20) sequerentur. Quod statim factum est, ut præcepit.

In supradicto anno etiam die II. Decembris, (21) Imperatrix ejusdem Frederici uxor, & inclyti Regis Angliæ filia, diem clausit extremum.

Isto quoque eodem anno, & mense Decembris, Eccelinus Veronæ permanens, literas misit Potestati Paduæ, & fecit dirui Castrum Carrariæ Paduani districtus.

CAP. VIII.

De Montagnana combusta & capta ab Eccelino.

Ante hoc tamen, sed in isto eodem Anno, die VI. intrante Januario, Dominus Ubertus de Dalesmanino, & quidam Veneti, venerunt ad Sanctum Hilarium, volentes ipsum locum munire in modum Castri: sed à suo proposito spontè (22) destiterunt. Ipsum etiam Sancti Hilarii locum, paucis diebus ante, destructioni submiserant & ruinæ.

Paucis diebus post istud factum, eodem Anno, Eccelinus, qui nunc (23) morabatur Veronæ, nocte quadam de mense Martii, cum militia Veronensi vênit de Verona Leonicum, & ibi occultè stando, fecit ignem poni in Montagnana, quæ nunc tenebatur pro parte Marchionis, & per ipsum Marchionem: volens ipsam aut per ignem capere, aut Marchionem habere, si posset. Ipse quoque Marchio, manens in Roccha Estensi, visis primis ignibus, cum gente sua velociter cucurrit Montagnanam: & hoc providè inquisito, quòd non multùm distaret Veronensis militia, cum Eccelino; videns etiam quòd plures ignes, quasi ex improviso, levabantur per Montagnanam; notavit proditionem, & nefas. Igitur jubens & ipse ignem poni ex illa hora, sanus & incolumis est reversus: acceptis tamen secum hominibus, & mulieribus, parvis, & magnis quoscumque de sua po-

(15) *Cod. Estens.* imposita.
(16) *Cod. Estens.* reddidit se, cui Civitati gratia, & bona voluntate remissa Imperator in Apuliam.
(17) *Cod. Estens.* militem quemdam, qui.
(18) *Cod. Estens.* esset, nescivit.

(19) *Cod. Estens.* Papa Nonus, *& ita in ambobus MSS. Ambr.*
(20) *Cod. Estens.* Lugduni.
(21) *Cod. Estens. Idem* Septembris.
(22) *Cod. Estens. & Ambr. II.* sponte propria.
(23) *Corrige ex Cod. Estens.* tunc.

Digitized by Google

potuit bonitate, pro eorum securitate, portare. Ex summa namque benignitate procedit, cùm nobilitas, & altitudo Magnatum fovere debiles, protegere imbecilles, defendere impotentes nullatenus dedignatur. Habuit Eccelinus sequenti die Montagnanam combustam: & illic aliquibus diebus cum ipsa militia moram fecit. Construxit ibidem Castrum: & eidem in ipso loco manenti redditum est Castrum de Arcolis, quod usque nunc per Dominum Rizardum Veronensem Comitem tenebatur.

CAP. IX.

De quadam injusta sententia lata contra duos cives Paduanos, & de Galvano Lancea facto Potestate in Padua.

IN mense Aprilis prædicti anni, Tibaldus Franciscus à Domino Imperatore vocatus, de Potestaria recesserat, & remanserat Paduæ sinè Potestate usque ad Mensem Julii. In hoc mense Dominus Galvanus Lancea venerat ab Imperatore missus, & stetit pro Potestate Paduæ. Sed in tempore illo, quo Potestaria vacabat (& tunc Dominus Eccelinus solus dominabatur ibidem) facta est quædam electio Militum, in qua electus fuit Dominus Raynerius de Bonello Judex. Hic accusatus fuit Domino Eccelino, quòd ipse conquerebatur de electione de se facta, & de tantis angariis, quibus homines de Padua gravabantur. Et voluerunt quidam dicere, quòd accusatus fuit specialiter de hac causa, quòd possent rapi sibi, & fratribus ea, quæ in Causylve habebant: Erant enim benè divites in hoc loco. Ipsum igitur accusatum Dominus Eccelinus fecit capi, & detineri: & vocata in Palatio Concione, regnavit ipse Dominus Eccelinus: & inter cetera, quæ de ipso proponebat illic præsente & capto; asserebat ipsum ordinasse de prodenda Padua Marchioni, & ejus parti: quod ipse Raynerius, cunctis audientibus, dicebat non esse verum, & audebat dicere alta voce, quòd mentiebatur apertè. Sed ubi vis, & prava potentia dominatur, illic ratio, & justitia obmutescit. Injustè quidem, secundùm credulitatem omnium existentium in arenga, Eccelinus ipsum sententiavit ad mortem; & capite punitus est in Platea, in tertia septimana post Pascha.

Tunc etiam accusatus fuit Miles quidam de Padua, multa corporis, & animi prudentia prædotatus, Dominus Almericus de Tadis (l), quòd secretè locutus fuisset cum prædicto Domino Raynerio de prædicta Civitate prodenda, & hoc ordinasset cum eo simul in Majori Ecclesia Paduæ, illic inferiùs, ubi dicitur Confessio Sancti Fidentii: quod cùm ipse non confiteretur, mortuus est in tormento: & ita mortuus tam crudeliter, & tam injustè, decapitatus est similiter in Platea.

CAP. X.

De destructione quadam facta per partes Tarvisini districtus, & ad Este.

FActa militum electione prædicta, dum scilicet Padua Potestate vacabat, habuit Ec-

(l) *MS. Ambr. I.* de Tudis.
(24) *Cod. Estens. & Ambr. II.* etiam magnam partem &c.
(m) *MS. Ambr. II.* L. milites.

A celinus quingentos milites de Padua, & MM. peditum; habuit etiam (24) partem Wastatorum, & Balisteriorum de Padua, & Paduano districtu; ducentos milites de Vicentia, & M. pedites, Wastatores, & Balisterios multos; habuit & L. pedites (m) de Verona. Cum istis omnibus movit die VII. exeunte Madio dicti Anni Domini MCCXLII. & ivit Laurejam: & inde motus, ivit per Villas, & Terras Tarvisinorum, omnia devastando: ivit etiam ultra Plavim, & inde rediit die ultimo Junii, de quo loco divisit se amicabiliter ab ipso Comes de Golizia (n), qui ad adjuvandum ipsum destructionem facere, cum multis militibus bene sociatus advenerat. Et ita demum Dominus Eccelinus cum exercitu B reversus est Paduam, & licentiavit illos de Verona, & illos de Vicentia, die V. intrante Julio.

Tunc infra sex dies sic sunt duæ dispositæ Potestates in Marchia Tarvisina per ipsum: quia dictus Dominus Galvanus Potestariam Paduæ juravit die XI. intrante Julio prædicti Anni; & circa tempus istud Manfredus Ricchus (o) civis Tarvisinus factus est Potestas Vicentiæ. Henricus de Ygna, filius sororis Domini Eccelini, factus est Potestas Veronæ. Cum quibus tribus Potestatibus congregatis in unum, & habentibus secum quantamcumque gentem ducere potuerunt; ipse quoque C Eccelinus cum gente de Padua, & habito Communi Montisilicis, quàm pleniùs haberi potuit; hostiliter equitavit ad Este, & fruges, & omnia præter Castrum sive Roccham, radicitus devastavit. Quia verò pars altera à latere montium videbatur incolumis, vocato ad se quodam nauta, qui sciebat contratam illam, scivit per ipsum, quòd militia aliunde non poterat transire ad montes, nisi per vadum, ubi dicitur Ripa-Ulmi. Fecit illuc subitò fieri quamdam clusam, sive retentionem aquarum, de frondibus, de paleis, & de terra; & sic transivit totus exercitus tam Wastatorum, quàm militum, & peditum, die XV. D exeunte Septembri, & sequenti, & tertia die post. Et sic devastatæ sunt arbores, & vineæ, & laborationes (p) cunctæ usque ad Baonem. Et cùm demum se voluit ad regressum parare, fecit totum comburi Burgum, unde itur ad Cintum; destruxit turrim etiam, quæ erat unde itur ad Montagnanam; & Paduam est reversus.

Hoc eodem anno, mense Augusti, incœptum est Castrum, quod Eccelinus fecit in Padua fieri circa Ecclesiam Sancti Thomaxii, ipsâ Ecclesiâ circumdatâ & clausâ in Castro. Sed super hujus Castri constructionem Paduani tristati sunt, & conterriti quasi omnes, & præcipuè qui æquitatem, & justitiam exoptaE bant: qui autem gloriabantur in malitiis, quæ crescendo fiebant, exultabant plurimùm, tam desiderio insatiabilis ambitus & iniqui, quàm metu tyrannidis obcœcati. Bene tamen providit Dominus super uno, qui quæsivit ab Eccelino instanter hanc gratiam, ut ei concederet disponere, non cameras Castrensis Palatii, sed locum carceris, & tormentum: quam sibi concessam gratiam animo lætabundo assumens, totius sui studii ac ingenii excitavit acumen, &

(n) *MS. Ambr. I.* de Golis. *II.* Argolicia.
(o) *MS. Ambr. II.* Riccius.
(p) *MS. Ambr. II.* & laboreria Communis cuncta usque &c.

Digitized by Google

& quasi artifex super operariis, instititit studiosus, assiduus, & jejunus diebus pluribus, ut quod animo præconceperat feliciter consummaret. Gaudeant autem animæ defunctorum in ipso Castro, quoniam qui sæpiùs intraverat sua sponte carcerem, cùm fiebat; diligenter inspiciens, immo præcipiens, ne rimula lucis aliqua reluceret in carcere, volens locum facere tenebrosum; fœditate, ac immunditiis plenum; tristem, tartareum, horribilem, & mortalem; idem artifex captus postmodum, & conclusus Eccelini præcepto; fame, siti, vermibus, & fœtore, ac aëris angustia suffocatus; quasi lupus ululans in loco, quem paraverat infernalem, periit miserabiliter, & defecit. Hic, credo, fuit illi scurræ similis, qui & suo Regi & Domino complacere desiderans, quærenti tormenti genus inusitatum, taurum fecit cupreum fabricari, in quo peccantes statuit concludendos, igne (25) quoque circumposito (q), & accenso, Rex audiret taurum miserabiliter ululantem. Sed Rex, in hoc justissimus, & omni dignus memoria, scurram ipsum suum (26) artificem compulit esse primum, qui in tali bestia taliter ululavit: & ita qui machinabatur aliis pejus morte; versa vice pertulit morte pejus. Sicque notum est, quòd erat expediens artifici, tam carceris, quàm & tauri, non solùm quod fuit ante oculos intueri: debuit autem ipsorum prudentia rerum exitus contemplari.

CAP. XI.

De morte Comitis de Panego (r), *& de destructione Castri Sancti Bonifacii, & de quarta sconfitta facta in partibus Cornudæ, inter Paduam, & Tarvixium.*

Revoluto Anno Domini, & currente MCCXLIII. Potestate Galvano Lancea; Comiti de Panego civi Veronensi, qui erat de progenie Marchionis de Este, sed nunc Eccelini multum familiaris, imposita est occasio quædam, scilicet quòd magnam quamdam pecuniæ quantitatem acceperat à Lombardis, quibus tradere debebat Veronam. Qua occasione Eccelinus stans Paduæ, & eo vocato Paduam de Verona; ipsum pœna capitali puniri fecit in Platea Communis Paduæ die IV. intrante Junio hujus prædicti anni: de quo, quamvis non esset natione Paduanus, tamen cives omnes Paduani, licèt occulto gemitu, plurimùm doluerunt: tum quia pulcherrimus Miles fuit, tum quia de imposito sibi crimine inculpabilis credebatur.

Eodem anno Martius de Soledo Vicentini districtus, constitutus erat Capitaneus per Dominum Eccelinum super militia Paduanorum, & cùm foret ex certa scientia cum ipsa militia in Tarvisino districtu, & in confiniis Castri de Cornuta, ubi dicitur Nogaredus (27); ex adverso autem Albricus de Romano improvisus cum militia Tarvisina similiter in partibus illis esset, non longè à Paduanis; patuit plus valere astutias Albrici: quia cùm ipse Albricus haberet fortè C. milites, & prædictus Martius plus CCC. ita quòd quasi credebatur Albricum cum gente sua captum futurum de plano; ipse tamen sapienter aufugit: adeò quòd visus est quodammodo dictus Martius per fraudem, aut per inscitiam, vel fortè propter pusillanimitatem, turpiter dormitasse: nam non solùm Albricus ingeniosè fugam arripuit; immo de Paduanis aliquos, qui se sua sponte pararunt ad pugnam, victos habuit, & detentos. Et fuit hoc die XVI. Julii.

Hoc eodem anno iverat Eccelinus de Romano cum tota militia Paduana, & peditum MM. in servitium Veronensium Vigdadese (s), causâ dandi damnum Mantuanis: de quo facto rediens, vênit cum gente sua prædicta, & habuit Communiter etiam Vicentinos, & Veronenses. Vênit quidem, & posuit se & gentem suam circa Castrum Sancti Bonifacii Veronensis districtus, in quo erat Leoisius filius Comitis Rizardi, cujus hoc Castrum erat. Sciens igitur dictus Leoisius sævitiem Eccelini, consilium habuit cum hiis, in quibus maximè confidebat, & quamvis tunc esset puer, se tamen optimè ad defensionem parabat. Quod Eccelinus considerans, nepotem suum ei velle prudenter resistere, interposuit quasdam religiosas personas, & quosdam Milites, qui credebantur utriusque partis amici, & demum ad hanc concordiam est deventum, quòd recedat Comes ipse de loco cum gente sua totaliter, & cum armis (28). Et postquam descendens de loco, stetit sub tentorio Eccelini, visus est Eccelinus ipse nepoti suo multam familiaritatem & dilectionem ostendere, & data sunt ei plura (29), & data est ei scorta, & commeatus, donec ipse cum tota sua gente, cum armis, & rebus suis securus ivit quò voluit. Quo facto Eccelinus destrui fecit Castrum Disfacii. Et fuit hoc mense Septembris prædicti anni.

Post paucos dies etiam redditum est Eccelino Castrum de Gambellara.

Similiter & Ylasium est ei redditum sequenti mense Octubris.

CAP. XII.

De captione, & destructione Castri Hostiliæ, & de Comite Wizardo facto Potestate Paduæ.

Sequente Anno Domini MCCXLIV. mense Januarii captum est Castrum Hostiliæ, quod est supra Padum, erat autem Castrum Veronensium: & captum est à Comite Rizardo de Sancto Bonifacio, & Mantuanis, qui steterant illic in obsidione diutiùs. Quibus in obsidione manentibus, antequam captum foret, multùm fatigatus est Eccelinus, & fatigavit etiam Milites de Padua, de Vicentia, & de Verona, ut scilicet obsessis posset succursum dare, vel obsides (30) à Castro terrere. Sed cùm spes sæpissimè defraudetur, nec sagitta semper feriat, ut (31) studiosiùs comminatur; occupatum est dictum Castrum, & diruptum, adeò ut viderentur Mantuani cum ipso Comite, fecisse quodammodo sufficientem de Castro Sancti Bonifacii ultionem. Erat

(25) *Cod. Estens.* ut igne &c.
(q) *MS. Ambr. I.* supposito &c.
(26) *MSS. omnes* sive artificem.
(r) *MS. Ambr. I.* de Canengo.
(27) *Cod. Estens.* Nogaredum. *Ambr. II.* Negaredus.

(s) *MS. Ambr. II.* Vigdise.
(28) *Cod. Estens.* & cum amicis.
(29) *Idem* plaustra.
(30) *Cod. Estens. & Ambr. II.* obsidentes.
(31) *Cod. Estens.* ubi studiosiùs &c.

Digitized by Google

Erat autem Castrum Hostiliæ pulchris, & magnis muris circumdatum; spaldis, & magnis fossis, & Padi profunditate defensum; turribus fortibus præmunitum, & viris prudentibus circa M. (32) & dicebatur, quòd illic aderant plusquam mille, qui omnes capti, ducti sunt Mantuam, & in carcere positi longo tempore permanserunt.

Post hæc, mense Februarii, venit Eccelinus Paduam, & Dominum Galvanum Lanceam de Paduana Potestaria extraxit, cujus sororem non multo tempore antea in uxorem acceperat, datam sibi scilicet ab ipso Imperatore. Sed astutè Eccelinus ipse in odium Domini Galvani procedens, primò divortium fecit inter se, & uxorem illam: cujus divortii Judex delegatus fuit, & sententiam dedit Philippus nepos olim Domini Jacobi Episcopi Paduæ, qui erat etiam Archidiaconus in montanis de partibus Feltri, natione verumtamen Paduanus. Ipsum autem Judicem suum postea Eccelinus trusit in carcerem, & miserabiliter mortuus est jussu ejus, cui fuit obediens contra Deum. Dictum quoque Galvanum Lanceam restituere compulit quamdam magnam pecuniæ quantitatem, quam de Communis Paduæ canipa (t) malo modo abstulerat. Ejus autem Domini Galvani Judices, & Milites, scilicet Rolandum de Lombardia, & Turchisium (u) de Apulia, stare fecit in carcere, donec obierunt ibidem. Tunc dictum est proverbium quoddam per Paduam: *Impio (33) qui serviverit, & iniquo, mercedem expectat impiam, & præmium capitale.*

Tunc autem pro Potestate in Padua posuit Dominus Eccelinus Comitem Wizardum de Roaldesco (34) Brixiensis districtus: quam Potestariam juravit in anno prædicto Domini, die IV. intrante Martio, & appellatus est Sacri Imperii Vicarius à flumine Olii usque Tridentum, & Paduæ Potestas. Hujus Potestatis Judices fuerunt hoc tempore Dominus Monasterius, Dominus Riccius, & Dominus Bonaventura de Pergamo, cujus Assessoria venit ad malum (35).

Hiis ita dispositis ivit Eccelinus Veronam, & illic mansit toto illo anno, & ultra.

CAP. XIII.

De congregatione quadam facta Veronæ per Imperatorem.

ANno quoque MCCXLV. currente, ordinavit Dominus Imperator magnum quoddam colloquium debere fieri in Verona, & venit ipse primus illic mense (36) Madii, & convenerunt ad ipsum isti Principes, & Barones, videlicet, Imperator Constantinopolis, Dux qui dicitur Austriæ, Stiriæque, Dux Carinthiæ, Dux Moravii. Erat illic Eccelinus de Romano, & alii multi nobiles, & potentes, qui partem Imperatoris fovebant. Duravit hoc colloquium pluribus septimanis, nec videbatur hæc tanta Imperatoris curia (37) certum aliquid stabilire: immo fuerunt qui dicerent, quòd Dominus Imperator incedebat cautissimè, ut Veronam raperet de manibus Eccelini. Fortè voluit esse Brenno, qui primus Veronam constituit, & de quo dictum est in Chronicis antiquorum:

Dux super alta tonat Brenno, creat ecce Veronam,
Qua contra Romam voluit gestare Coronam.

Est igitur Imperator ingeniosè operatus cum Duce sibi familiari, & fideli præ ceteris, Duce (38) Austriæ, Stiriæque, quòd rumor aliquis levaretur in Civitate. Et taliter factum est, quòd rixa quædam excrevit inter gentes illius Ducis, & Veronenses, propter annonam unius equi, & ad tantum deventum est, quòd Veronenses ipsi virum quemdam nobilem, & Magnatem ex illis Ducis Austriæ occiderunt, & offenderunt in personis, & rebus quàm plures de illa gente: nam secretè Dominus Eccelinus Veronensibus dixerat, quòd nulla (39) blandirentur Theotonicis, vel eis in aliquo subjacerent. Ex hac itaque offensione cùm nulla fieret ultio, ipse Dux Austriæ indignatus, cum gente sua, hospite insalutato, recessit. Stabat autem Dominus Imperator, secundùm quod ordinaverat Eccelinus, & hospitabatur cum gente sua ad Sanctum Zenonem, & per contratam, sive burgum illum. Et Eccelinus ipse ad turres, & loca, & portas Civitatis custodes illos posuerat, in quibus maximè confidebat, ut securior, & fortior esse posset: die noctuque faciebat ad se venire milites armatos, quàm meliùs esse poterant, nunc de Padua, nunc de Vicentia, nunc de suis de Pedemonte, aliquando XXV. simul, aliquando tantùm X. ita quòd pauci, vel nulli possent hoc percipere, vel notare.

CAP. XIV.

De depositione Imperatoris Frederici.

EXivit igitur Dominus Imperator de Civitate Veronæ die VIII. intrante Julio, eodem Anno, & dicebat se velle ad Dominum Papam accedere, qui nunc (40) erat, & dudum jam steterat apud Lugdunum, causâ reconciliandi Imperatorem Ecclesiæ, qui jamdiu contumax, & excommunicatus damnabiliter permanebat. Sed cùm ad præsens multæ literæ, multique Ambaxatores ivissent hinc inde; & Imperator multas excusationes, & causas frivolas allegaret: idem Sanctus Apostolicus Innocentius Papa IV. post multos terminos peremtorios constitutos; ad ultimum videns Imperatorem abesse, præsente tamen Petro de Vinea Judice Imperatoris ipsius, in præsentia, & de voluntate (x) Cardinalium, ipsum Fredericum, olim Imperatorem, deponendum esse pronuntiavit, & deposuit; & sententiavit, ob justas causas, eum amodo privatum ab Imperio, & Corona: & hoc fuit VIII. die mense Julio exeunte. Post quam depositionem fortè per annum, vel circa, referente fama, audivimus, quòd Principes, quorum erat electio, Imperatorem elegerant Lantigravium de Turinga, qui erat po-

(32) *Millenus numerus non indicatur in Estens.*
(t) *MS. Ambr. II.* Camera.
(u) *MS. Ambr. ambo*: Trachisium.
(33) *MSS. omnes* impio Domino, qui &c.
(34) *Cod. Estens.* Redaldesco. *Ambr. I.* Realdesco. *Ambr. II.* Rizardum de VValdesco.
(35) *Cod. Estens.* ad malum finem.
(36) *Idem* in exitu Madii.
(37) *Idem* Imperatoris cura &c.
(38) *Cod. Estens.* scilicet Duce &c.
(39) *Cod. Estens. & Ambr. II.* quòd nulla ratione &c.
(40) *Cod. Estens.* qui tunc erat &c.
(x) *MS. Ambr. I.* de voluntate omnium Cardinalium.

Digitized by Google

potentia magnus, sapientia providus, divitiis affluens, nobilitate præclarus, & quod omnibus prævalet, Ecclesiæ subditus, & fidelis. Eadem verò die, & hora, qua sententia depositionis lata est in Fredericum, secundùm quod postea est repertum, Stella quædam ardens, & ignea, in vesperis ante occasum Solis visa est ab Oriente consurgere, & velocissimo cursu, tamquam ardens facula, aut sagitta volans, quasi scindendo Cœlum, ad partes Occidentales concurrere: quam ego vidi cum multis eam aspicientibus, & mirantibus cum tremore.

CAP. XV.

De Mestre, & Anoale redditis Eccelino.

PRædicto Anno Domini, die ultimo Augusti, erat Eccelinus in Padua: & assumsit militiam Paduanam, & M. pedites de civitate, & M. de villis Paduani districtus, & ivit pro damno dando Tarvisinis, per Mistrinam, & aliunde. Quo facto, misit Judicem Potestatis Paduæ Dominum Riccium Paduam, cum militibus de Quarterio Pontis Altinati, & cum dictis villarum peditibus: ipse autem cum reliquo Warnimento nocte hospitatus (y) hostiliter circa Mestre; sequenti verò die vênit cum gente sua ad Anoale, ubi erat Dominus Nicolaus, cujus erat dominium, & potestas Mestre, & Anoalis. Dum autem Eccelinus cum blidis (41), & aliis instrumentis impugnaret Anoale fortissimè, & jam fregisset Palatium Castri: ipse Nicolaus, habito cum suis consilio saniori, reddidit Domino Eccelino Anoale, & Mestre die una, scilicet die X. exeunte Septembri. Unde in præsenti Dominus Eccelinus fecit fieri unum zironem in Anoale, & III. zirones in Mestre: ubi suprastantibus, & custodibus constitutis, & licentiato exercitu, reversus est ipse Paduam, & omnes cum eo, ultima die Septembris.

CAP. XVI.

De eo, quòd Dominus Willielmus de Campo Sancti Petri vênit ad mandata Domini Eccelini.

AUdiens Willielmus de Campo Sancti Petri, quòd loca, & Castra Tarvisini districtus reddebantur Domino Eccelino; indignatus etiam, quòd sæpe cùm vellet accedere ad præsentiam Domini Albrici, qui tunc Dominus erat Tarvisii, ipsi Willielmo aditus non patebat; ex proprio ingenio & astutia habuit & tenuit Castrum Franchum: quod Castrum cùm caperetur ab ipso, & gente sua, vulneratus, & captus fuit, Miles quidam, quem Dominus Albricus illic constituerat Potestatem: & captio ista fuit die IV. exeunte Decembri. Sed tempore postea procedente, in sequenti Anno, scilicet MCCXLVI. die Dominico, in festo Pentecostes, quod fuit tunc V. die exeunte Madio, ipse Willielmus jam adolescens, amicatus est cum Domino Eccelino: ita quòd cujus nepos erat, esse voluit & amicus: & ei reddidit gratis Castrum-Franchum, & Castrum suum proprium de Trivil- A lis, immo personam suam propriam ei dedit, & exposuit servitiis, & mandatis. Non enim dissuasit hoc facere, olim bonæ memoriæ, avus ejus ex parte Matris Dominus Gerardus de Gnanso, Judex sapiens, & astutus, qui ante hoc multo tempore in habitu Religionis existens, de vita ista transitoria & caduca volaverat ad æternam. Eidem etiam Willielmo non obstitit quædam satis horrenda visio, quam præteritis annis quinque, postquam se reddidit Eccelino, Paduano cuidam retulit stans in Angarano captivus: quòd scilicet somniavit diebus illis, quibus Eccelino se dedit, quòd suos videbat patruos, viros nobiles, & multa discretione perspicuos, Dominos Ruzerium, Ugonem, & Ubertinum à Vado, B carceratos (42), & dolorosos, proferentes verba cum lacrymis, & dolore, cum multis gemitibus, & lamentis, cum ululatibus, & suspiriis inauditis.

CAP. XVII.

De Campreto reddito Domino Eccelino.

IGitur cùm videret Dominus Ugucionus, filius Domini Uberti de Traversino de Carturio, quòd Castra sibi confinia Eccelino jam data erant, & videret se solum cum gente sua remansisse in Castro Campreti; satis esse potuit perterritus, & turbatus. Jam etiam C venerat Eccelinus cum exercitu Paduanorum, & Vicentinorum ad Castrum-Francum, datum sibi per Trivillem (43); & miserat quingentos pedites de Civitate Paduæ cum ædificiis pro capiendo Campreto. Quibus visis, considerato etiam diligenter, quòd Albricus de Romano, qui eum illic posuerat, non poterat ei dare succursum: Castrum reddidit Domino Eccelino, dicens quòd Campretum olim fuerat, & nunc est, & debet esse Paduanorum de jure. Sic ergo Dominus Eccelinus præcepit eidem Ugucioni, quòd ipse, cum personis illis, quæ erant in Castro, cum rebus suis omnibus, cum quibusdam captivis & etiam quos D habebat, exeat Paduanum districtum. Fecit quoque fieri zirones in Castro-Francho, ibique positis suprastantibus & custodibus, & destructo penitus loco Campreti; accepit milites de tribus Quarteriis Paduæ, cum vastatoribus Paduanis; accepit etiam Vicentinos, & ivit circa Civitatem Tarvisii pro Wasto faciendo ibidem. Et fuit hæc redditio de Campreto statim post illam de Castro-Francho, die Lunæ immediatè sequenti, ejusdem anni.

CAP. XVIII.

De captione Castri de Muxolento.

E CUm verò recedere vellet Eccelinus à Castro-Francho, cogitavit priùs de Muxolento, Castro scilicet non multùm distante à Baxano, in quo Muxolento Albricus ejus frater, Imperatori, & Eccelino, & suæ parti contrarius, posuerat Capitaneum Jacobinum Strazettam, viris prudentibus sociatum. Ipse igitur Eccelinus vocavit ad se Jacobinum de Bonjudeo (44) Judicem Vicentinum, sed nunc in Padua Eccelini negotia facientem, & commisit

(y) *Idem* hospitatus est hostiliter &c.
(41) *MSS. omnes* cum Oledis.
(42) *Cod. Estens.* maceratos.
(43) *Cod. Estens.* per Dominum Guilielmum, & miserat &c.
(44) *Cod. Estens.* Bonvido.

Digitized by Google

misit ei Populum Paduanum, & milites de Quarterio Domi de Padua, & Baxanenses omnes: quod guarnimentum totum cum ædificiis & trabucchis præcepit ire ad Muxolentum expugnandum, & capiendum. Sic ergo iverunt omnes, & obsidione Castri sunt positi, die VI. intrante Junio prædicti anni, & cum tentoriis, & fossis, & paldis taliter circumdederunt locum, quòd nemo poterat ingredi, vel exire. Erectis etiam trabucchis quàm pluribus, frangebant die noctuque Castrum, & Castri Palatium quasi destruxerunt ex toto. Villam etiam, & cintam (z) Castri die XV. exeunte Junio combuxerunt. Quod videntes hii, qui in Castro erant, cogitantes sibi nihil aliud imminere, quàm mortem; eadem die combustionis, & Castrum, & se ipsos, & omnia quæ habebant, dederunt, & reddiderunt Domino Eccelino absenti. Unde dictus Dominus Jacobinus Strazetta est ductus (45) Paduam detentus, & vinculatus. Dominus verò Eccelinus, facto Wasto circa Tarvisium, reversus est Paduam. Et stabat nunc tota Paduana Civitas, secundùm tempus, placida (46) & tranquilla.

CAP. XIX.

Factum de Bonicis, & de conspiratione secunda.

ANno prædicto siquidem MCCXLVI. dixerunt quidam, conspirationem quamdam factam esse in Eccelinum, quòd scilicet debebat invitari ad unum convivium, & illic occidi. Itaque hac de causa capti sunt Zordanus de Bonicis, Petrus ejus frater, Patavinus Murarius (47), Patavinus, qui dicebatur Broncetta, Vvercius Johannis (a) à Vaccis, & omnes de ipsorum familiis, qui potuerunt haberi. Et tempore procedente, post captionem non multis diebus, dicti Zordanus, Patavinus Murarius, Broncetta, & Vvercius judicati ad mortem, decapitati sunt in Platea, in vigiliis Sancti Martini. Petrus autem missus est, & detentus in carcere in Castro Angarani, matre ejus Domina Gilla (48) intercedente pro ipso hoc modo: accedens enim ad Eccelinum, reduxit ad ejus memoriam, quia olim cum ipso Eccelino carnaliter juncta fuit, & protestata est, quòd tunc de ipso conceperat, unde Petrus idem erat filius Domini Eccelini. Hic notandum, quòd ante prædictorum captionem, & mortem, & ante destructionem ipsorum turrium, & domorum, multi de Padua mirati sunt expresse, videntes avem quamdam, Ciconiam nomine, quæ nidum pro pullis suis construxerat in turri prædictorum de Bonicis: quæ quasi futuræ ruinæ præscia, nidum ipsum paulatim destruens, stipitem post stipitem rostro ferens; ædificavit (b) eumdem nidum super domum quamdam aliam, quæ dicebatur de Cuticellis, qui dicebantur, & credebantur tunc temporis esse fidelissimi Eccelino.

(z) *MS. Ambr. I.* Villam etiam cunctam Castri &c.
(45) *Cod. Estens.* Unde ipse Dominus Jacobinus recepit ipsos ad voluntatem Domini Eccelini. Ductus est tunc Jacobinus Stracetta prædictus Paduam &c.
(46) *Cod. Estens.* pacifica.
(47) *Cod. Estens.* Mirarius *ita & infra*.
(a) *MS. Ambr. I.* Guercius Johannis Aracis. *Amb. II.* à Varis, vel à Vaccis. *Estens.* à Vadis.

CAP. XX.

De morte Henrici de Ygna Veronensium Potestatis, & de Wecili de Prata facto Potestate in Padua.

SEquente Anno Domini MCCXLVII. Erat Henricus de Ygna, nepos Eccelini de Romano, Potestas in Verona: qui sedens in sala Palatii, jussit ad se venire quemdam, quem habebat in carcere, qui vocabatur Johannes de Scanarola, de populo Veronensi: ad quem ipse Potestas vultu irato dixit, quòd ipse Johannes incontinenti panderet conjurationem quamdam, quam ipse Potestas contra se factam esse dicebat: cui cùm ipse Johannes responsum daret, primò volebat, & petebat instanter, quòd ipse Potestas parceret ei vitam, & postmodum panderet quicquid sciret. Hoc autem cùm Potestas facere recusaret, videns ipse Johannes sibi nihil proficere, quamvis super sua foret petitione diutiùs immoratus, tamen vinculis ferreis compeditus, paulatim cultellum arripuit, quem portaverat in sarcoto, sivè guarnacia, inter pannum, & pellicium suum; & repentè, quasi more fulmineo, in tyrannum insultans, fixit capud ejus in tribus locis, ictibus animosis. Mortuus, & truncatus est protinus vir prudens, & animosus Johannes à satellitibus Potestatis: tyrannus autem vixit in pœnis suis circa dies XIV. & non ultra. Et fuit hoc mense Februarii prædicti anni.

In hoc eodem anno, die IV. (c) exeunte Madio, Dominus Wizardus Comes de Roaldesco Potestas Paduæ, ut supra dictum est, de Potestaria exivit, & Dominus Guecili de Prata, consanguineus Eccelini, intravit in Regimine Civitatis, & appellatus est Vicarius Imperii à flumine Olii usque Tridentum, & Paduæ Potestas: juravit (d) Regimen prædicto mense Madii, die ultimo Eccelino præsente.

CAP. XXI.

De obsessione Parmæ, & destructione (49) Civitatis Victoriæ.

ADhuc in eodem anno, die XV. (e) exeunte Junio, Civitas Parmæ per exercitum Domini Bernardi Rubei, expulsi propter partem Ecclesiæ, quam fovebat, spreta parte Imperatoris, ad partem Ecclesiæ est conversa. Quod cùm Imperator existens Cremonæ audivisset, indignatus, & furore commotus, movit quantamcumque gentem movere potuit de Lombardia, de Alemannia, de Apulia, de Marchia Tarvisina, & hostiliter ivit ad Civitatem ipsam obsidendam, & destruendam pro posse. Ad quem exercitum dum Eccelinus de Romano iret, ducens secum de militibus Paduanis, Vicentinis, & Veronensibus magnam partem: Marchio Estensis,

(48) *Cod. Estens. & Ambr. II.* Gisla.
(b) *MS. Ambr. I.* ferens nidificavit &c. *Ambr. II.* rostro frangens, nidificavit &c.
(c) *MS. Ambr. II.* die quinta.
(d) *Idem* & intravit regimen &c.
(49) *Cod. Estens. & Ambr. II.* de constructione. *Ambr. I.* de constitutione.
(e) *MS. Ambr. II.* die XVI.

Digitized by Google

fis, & Mantuani fecerunt infultum in Eccelinum, & ejus militiam in Villa Gazalti (*), & dederunt damnum quibufdam militibus, & maximè Veronenfibus, qui ultimò equitabant: & fuit die XVI. exeunte menfe Junii. Non propterea tamen ftetit Eccelinus, fed ivit ad Imperatorem cum militia fua. Imperatore igitur obfidente Parmam, cùm Eccelinus haberet prædictos milites fecum, habito confilio cum Imperatore, cepit Burfellum (50), & Waftallam, & ibi ftetit, ut fcilicet impediret, ne Lombardi milites poffent Parmenfibus ulla dare victualia, vel fuccurfum. Erant enim illic prope, in favorem Parmenfium, Dominus Gregorius Apoftolicæ Sedis Legatus, Marchio Eftenfis, Dominus Rizardus Comes Sancti Bonifacii cum Mantuanis, Biaquinus de Camino, Albricus de Romano frater Eccelini, de quo credebatur à multis, quòd in iis & factis aliis Ecclefiæ fraudulenter & dolosè incederet. Erant illic etiam alii potentes, & Magnates partim in Civitate Parmenfi, partim ex oppofita parte Padi, qui contra Imperatorem partem Ecclefiæ confovebant. Dum itaque Imperator in obfidione moraretur diutiùs, tractatum habuit cum Eccelino, aliifque Sapientibus, & Baronibus fuis, & in contrarium Civitatis, quodammodo ante portas, aliam Civitatem conftruxit, quam nomine Victoriam appellavit. Et quia fcivit, quòd antiqui Magnates refpiciebant Afcendens, cùm volebant condere Civitates; & faciebant ipfimet urvum cum aratro, quo circumdabant Civitates, unde dictæ funt Urbes; incœpit & ipfe defignare hanc fuam novam Civitatem, figno Arietis afcendente: tum quia fignum eft Martis, qui dicitur Deus belli; tum quia erat Libræ Afcendenti contrarium in Occafum, quod eft fignum Veneris, qui planeta Parmæ dicitur, & effe fortuna ejus. Quafi per hoc forfitan cogitaret, quòd Parmenfium fortuna, qui oppofiti erant ei, tenderet in Occafum: in Aftrologis (51) namque & iis, quæ fubtilitatem Aftrologicam imitantur; primum operanti, & feptimum adverfario datur. Sed puto, quòd non notavit quartum ab Afcendente fuiffe Cancrum: quartum enim ædificia, domos, & Civitates defignat, & fic Civitas fub tali Afcendente incœpta cancrizare debebat.

CAP. XXII.

De obitu Imperatoris electi, & de deftructione Victoriæ.

IN anno jam antedicto, tempore autumnali, Latingravius (52) de Thuringia obiit, quem Barones Imperatorem elegerant poft depofitum Fredericum, ut fupra legitur in hoc eodem Libro, Capitulo XIV. §. Exivit. Tunc etiam fignum in Cœlo apparuit, nam menfe Augufti vifa eft à pluribus cadere maxima quædam Stella de Cœlo, in parte Septentrionali. De Latingravii hujus obitu multùm lætatus & exaltatus eft Fredericus, tamquam pro ipfo fata pronofticarentur ad bonum. Sed cautum eft in proverbiis fapientum: *Ne quis de inimici fui adverfitate congaudeat, ne fortè Divina bonitas irafcatur:* quod vifum eft habere locum diebus illis in tam excellenti perfona, nutu cujus concludebatur aliquando totum Romanum Imperium in pugillo. Nam ftatim menfe Januarii fubfequente, & anno currente Domini MCCXLVIII. Eccelinus cum prædictis, quos fecum habebat militibus de Borfello (53), & Waftalla receffit, & redierunt ifti omnes ad terras fuas; Lombardorum namque exercitus, qui erat ex altera parte Padi, fimiliter de loco illo recefferat. Parmenfes autem indignati fe obfeffos taliter, & tam diu; die XII. in exitu menfis Februarii fequentis, armati Civitatem propriam (54) exiverunt. Fuit autem vir quidam ftipendiarius, nomine Baxalupus, natione Mediolanenfis, qui movit, & induxit Dominum Gregorium de Montelongo Apoftolicæ Sedis Legatum, Dominum Epifcopum Tripolitanum, Dominum Philippum de Placentia Poteftatem Parmæ, & Barones illic commorantes, ad faciendum infultum in inimicos. Igitur invadentes Civitatem adulterinam, non finè multa inimicorum cæde & fanguine, Victoriam ipfam cum fumma victoria transfcurrerunt (55), Theotonicos transforantes, Apulos demembrantes, indulgentes Lombardis aliquibus, truncantes Sarracenos in fruftra (56), eofdemque mactantes avidè, quafi canes. Imperatori verumtamen bene ceffit in die illa, quoniam verè non erat in Victoria, quam conftruxerat ftudiosè: fed diftans per milliaria tria, vel quafi, in folito fuo venationis folatio, fuam vidit ardere Victoriam. Fugit ergo Cremonam, & ab hac die in antea receffit (57) ejus Victoria more Cancri.

CAP. XXIII.

De Feltro, & Belune (58) datis Eccelino, dimiffa parte Ecclefiæ.

SEd quoniam Fortuna defcribitur effe bifrons, fortè tunc ipfa Fortuna voluit Imperatoris parti recompenfationem facere qualemqualem. Pars namque Imperatori contraria nunc Feltrum, & Belune tenebat in Marchia Tarvifina, in quibus duobus locis dominabatur Dominus Byaquinus de Camino. Eccelinus igitur ftans Paduæ, fumta fecum quadam quantitate militum & peditum Paduanorum, & Vicentinorum; in menfe Madii ejufdem anni, equitavit ad Feltrum hoftiliter: cui jam per ftadium propinquanti ad Civitatem Pica quædam occurrens, quafi fataliter fe fuper illam appofuit haftam, qua Eccelini ferebatur infignum (59): & fic fuit avis illa humana, quòd fe capi fubftinens, portata eft Eccelino: quam fecit ex tunc, velut optimum augurium, in Padua delicatè nutriri, & fecum deferri quò ibat. Demum circa Feltrum non morâ per eum factâ, Feltrenfes ipfi præter confcientiam Domini Byaquini, Eccelino dare propofuerunt propriam Civitatem. Hoc videns idem Dominus Byaquinus, & nocte qua-

(*) *MS. Ambr. II.* in Villa Gazoldi.
(50) *Cod. Eftenf. & Ambr. II.* Berfellum.
(51) *Cod. Eftenf.* in aftrologicis. *Ambr. I.* in aftrologiis.
(52) *Cod. Eftenf. & Ambr. II.* Lantigravius *femper.*
(53) *Cod. Eftenf. & Ambr. II.* de Berfello.
(54) *Iidem addunt* viriliter.
(55) *Cod. Eftenf.* tranfiverunt.
(56) *Cod. Eftenf.* frufta.
(57) *Cod. Eftenf. & Ambr. II.* retroceffit.
(58) *Cod. Eftenf. & Ambr. MSS.* Belluno *femper.*
(59) *Cod. Eftenf.* infignium.

Digitized by Google

quadam exiens Civitatem, cum familia sua tota, & rebus suis, equitavit ad Civitatem Belunensem. Et sic cùm Feltrini Eccelino dedissent Feltrum, & ipse Feltrum pro sua voluntate disposuisset; properavit Belune cum exercitu festinanter: sed nihil illic profecit in isto anno.

Anno verò sequente MCCXLIX. cùm Beluenses iterum obsiderentur ab Eccelino; licentiato Domino Byaquino, se reddiderunt Eccelino eidem. Unde reversus est Eccelinus Paduam, & videns se pluribus occasionibus triumphare, tum quoniam Imperator in Apu-

A liam iverat, tum quia dominabatur solus in Padua, in Vicentia, in Verona, in Feltro, in Belune; gaudens etiam, quòd Albricus frater ejus Tarvisium tenet solus; reputat amodo se securum, ut scilicet valeat manus suas ad altiora extendere. Et habito consilio quodammodo per se solum, factus est versipellis amicus in tota Marchia, & præcipuè in Padua, omnium Militum generaliter, & Burgensium, tam de sua parte, quàm altera, turrium, & domorum, Castrorum quoque similiter, & Villarum.

Explicit Liber Quintus.

INCI-

Digitized by Google

INCIPIT SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

De quadam responsione, quam olim Eccelinus Imperatori fecerat, & de proditione Montissilicis.

A Divulgatum est tunc primò per populum Paduanum, in eodem Anno Domini MCCXLIX. adhuc Potestate Domino Guecilo (f) de Prata, responsum quoddam, quod dicitur olim Eccelinum fecisse Imperatori existenti in Alemannia in Civitate Augusta. Illo namque tempore, quo Comes Gaboardus pro Imperatore cum Eccelino de Romano Civitatem Paduæ primò habuerat, B misit idem Imperator Eccelino literas quasdam, quatenus ad eum accederet, ut scire per eum posset qualiter processisset in facto. Qui Eccelinus salutatione præmissa, secundùm quod decet salutare Imperatorem, sic brevi responso Domino suo scripsit (60).

Quia optatum mihi occurrit impeditum, quasi ex insperato; indulgentiam peto ab Imperatoria Majestate. Est namque Noverca mea mortua his diebus: parcite ergo mihi, quoniam ad Dominationem vestram commodè venire non possem, nisi cum honore meo primitus (61) eam dedero sepulturæ.

Utrum autem metaphoricè loqueretur, ponendo Paduam esse novercam suam, longo C tempore nemo scivit per verba notare: sed ab Anno prædicto Domini MCCXLIX. in antea, sunt talia in tota Marchia, & maximè in Padua, perpetrata, quòd Eccelini visa est ita mirabiliter exardere malitia: nequivit enim ulteriùs suum occultare furorem, nec aliquem habere amicum per opera demonstravit: immo cordis sui malitiam, venenumque palàm evomuit, quod sub labiis portitabat, nec est ampliùs verbum illud sub umbra, quod de noverca dixerat, sed quasi lippis, & tonsoribus manifestum.

Hoc enim eodem Anno die X. exeunte Junio, incipiens à Camera, sive Terra Imperii, Eccelinus in primis Castrum Montissilicis, & D Burgum, & Terram totam rapuit fraudulenter hoc modo. Erat ibi Capitaneus quidam Apulus, & Castrum pro Imperatore tenebat, & Terra tota regebatur per ipsum. Sed machinata est Eccelini subtilitas cum probissimo quodam viro de Terra illa, Domino Pisce videlicet, quem non solùm in hoc facto, sed in multo majori jam antea, scilicet in usurpanda tota Marchia Tarvisina, suis deceperat blandimentis: & concordavit etiam cum Capitaneo dicti Castri; & in ipso prædicto die missi sunt homines de Montesilice cum suis omnibus paramentis, & armis ad Solexinum, ficta occasione, quòd damnum (g) darent inimicis E Imperatoris. Qui cùm ivissent media nocte quasi, reversi sunt horâ vespertinâ eadem die. Sed invenerunt in ovili rapacem lupum, Terram scilicet captam per Eccelinum, ipsumque habere, & pro sua jam voluntate disposuisse Castrum, & Terram totam. Irati igitur, immo mirati potiùs, & dolentes, coacti sunt primitus, quid faciant dubitare: sed ira conversa est in timorem, & docti sunt perpeti patienter, quæ ante hoc tempus impossibilia reputabant. Sic equus in primis annis, qui fræni duritiam quodammodo iratus momordit, tempore procedente perdomitus, frænum lætanter accipit, jacet otiosus in chamo, & equitem dorso substinet invitus (62).

CAP. II.

De captione Dalesmaninorum.

Capto sic Montesilice, reversus est Eccelinus Paduam, & cepit (h) Gumbertum de Domino Dalesmanino, & Artusinum minorem (i), & Ubertellum fratres, filios olim Domini Jacobi, circa mensem Julii prædicti anni. Creditum autem est, quòd eorum captionis causa hæc una fuit, quoniam cùm essent valde potentes in Padua, in divitiis, & vassallis, & in amicis: suspicatus est Eccelinus, ne possent ipsius tyrannidem impedire, quam ulteriùs exercere publicè intendebat. Aliam etiam causam apposuit ad captionem ipsorum: fuerat enim verum quòd quædam ipsorum soror Domina Palmeria, operante ipso Eccelino, nupta quondam fuerat Marchioni Cavalcabò de Cremona: quo defuncto, cùm ipsa Domina vidua remansisset, Dominus Rizardus Comes de Sancto Bonifacio contraxit matrimonium inter Dominam ipsam, & virum Nobilem quemdam ipsius Comitis amicum carissimum, & dilectum: matrimonii cujus seriem, & processum, ut dicti fratres Gumbertus, & Artuxinus cognoscerent, miserunt in Lombardiam secretarium suum quemdam, Matthæum scilicet Judicem de Padua, filium Ugucionis de Almeruda (63). Qui Matthæus de Lombardia reversus, dictis fratribus negotio referato sororis, ivit ad villam suam, Sermacia (64) nomine, ubi etiam mansionem habebat. Scivit Eccelinus ipsum Matthæum venisse, sed nescitum est unde sciret. Igitur indignatus, quòd hoc nesciverat, neque per Matthæum, neque per ipsos fratres: Artusinum compulit, ut Matthæum ad se duceret omni occasione remota: & sic denique cùm Eccelinus habuit Matthæum, detenti sunt prædicti Gumbertus, & Artusinus, ut superiùs dictum est, & in carcerem missi ad Castra Domini Eccelini. Ipse verò Matthæus in tormento martyrizatus & mortuus, post mortem decapitatus est in Platea.

CAP.

(f) *MSS. Ambr. ambo.* Guilielmo.
(60) *Cod. Estens. & Ambr. I.* sic breve responsum Domino suo dedit: „ Quia optatum mihi „ incurrit impedimentum &c. *fortè* inoptatum.
(61) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* primitus solemni eam dederim.
(g) *MS. Ambr. I.* quòd magnum damnum daret inimicis.
(62) *Cod. Estens.* non invitus.
(h) *MS. Ambr. I.* & recepit Gumbertum &c.
(i) *minorem deest in Ambr. I.*
(63) *Cod. Estens.* Almerinda.
(64) *Cod. Estens. & Ambr. I.* Stratam.

Digitized by Google

CAP. III.

Hic incipit Poteſtaria Anſediſii de Widotis (65).

ANno prædicto Dominus Wecili de Prata exivit Poteſtariam Paduæ, & Anfrediſius de Widotis, filius olim ſororis Domini Eccelini, eamdem Poteſtariam juravit menſe Auguſti, & appellatus eſt Domini Imperatoris Vicarius Generalis in Marchia Tarviſina, & a flumine Olii uſque Tridentum. Ecce ſumma ſceleris, ecce malorum radix, ecce venenum mortiferum, quod eſt caudæ ſcorpionis annexum, & latitat in extremis. Cùm enim condam fuerat Civitas Paduæ moribus, & exemplis egregia, ut pote quia facta (66) Catholicæ Fidei; cunctis bonis affluens, & repleta; habens in ſe juſtitiam, potentiam, & omne gubernaculum æquitatis; prædicta fuiſſet Anſediſii electio irreparabile damnum in poſterum, deſtructio inaudita, non ſolùm in Padua, ſed in tota Marchia, & fortè in Lombardia, niſi Dominus in hujus Herodis tempore, Civitati juſtæ miſericorditer providiſſet. Bene enim Dominus diſpenſavit, quòd in hiis conceſſit temporibus, virum talem in Padua poteſtari. Ne autem miretur aliquis, ſi dixero virum talem, quis, & qualis fuerit deſcribatur. Fuit homo in apparentia ſatis affabilis: primò in promittendo largus, in attendendo tardus, & eximius excuſator: & tempore procedente dum regeret Civitatem, ſubtilis calumniator, pecuniarum exactor mirabilis, tyrannus ingenioſus, ad pœnas injuſtas velox, ad veniam verò tardus. Demum cùm habuiſſet dominium in Padua fere per VII. annos; benedictum nomen Omnipotentis, quòd circa finem ſuæ vitæ tyrannidis, factus eſt adeò immutatus, adeò mente captus, & inſcius, quòd deſiccari fecit flumina, quæ defendere poterant adventum inimicorum ipſius: & ad ultimum inſultu facto ad Civitatem, divino judicio contra eum factus eſt timoroſus in tantum (prout dicitur, vel dicetur inferiùs, dante Domino) quòd Civitatem muris vallatam fortiſſimis, munitam viris, & armis, & aliis apparatibus ad defenſam, defendere non præſumſit, habens ultra duo millia virorum intrinſecus: quam ſiquidem Civitatem mulieres ſolæ, ſi Rector fuiſſet probus, defendere debuiſſent. Sed patuit in hoc facto, quod dictum eſt: *Sumit Deus de malis ultionem pro tempore, ſed baculo non caſtigat.*

CAP. IV.

De quibuſdam captis occaſione quorumdam verſuum.

COntingit autem Paduæ diebus illis, quibus idem Anſediſius nuper electus erat, & in ſuo dominio ſubtiliter procedebat, quoddam aliud factum tale. Statim (67) enim cotidie multi Milites, & Burgenſes in aula illa domus Poteſtatis more ſolito colloquentes; & fuit illic ſparaverius quidam in pertica in ſala, quem videns aliquis literatus, memor fuit ver-

A ſuum quorumdam, jacentium in Libro, qui appellatur Yſopus, & dixit eos. Aliquis verò alter, cui verſus complacuerunt, eos voluit in ſcriptis habere: quos quidem verſus cùm oſtenderet alicui ſinè fraude; Judex Poteſtatis nomine Bonaventura de Caranzonibus (68) Pergamenſis civis, verſus familiariter audivit, & legit, & nullam ſuſpicionem in eis habens, eos ſatis dilectabiliter audiebat. Aliquis tamen Poteſtati, ſinè fraude, fecit de hiis verſibus mentionem (69): ùnde cùm Anſediſius die, noctuque ſtudioſiſſimè cogitaret cauſas habere aliquas, per quas poſſet gentem Paduæ diſperdere, ſicut ei commiſſum erat, ut per ejus opera videbatur: occa-

B ſione verſuum prædictorum, capi fecit & detineri dictum ſuum Judicem Bonaventuram, & cum ipſo quàm plures de Padua, Notarios, & Populares; qui ad audiendos verſus ſteterant, & Judices etiam quoſdam: & fuerunt circa XII. qui facti ſunt in hoc tali ſcelere principales, præter eorum filios, & uxores, & fratres, qui omnes capti ſunt, & detenti, niſi fortè fugam arripuerint. Hoc autem factum eſt Paduæ, Eccelino exiſtente Veronæ. Prædictorum autem verſuum tenor talis eſt:

(MS. Ambroſ. I.)

C *Verſus de Yſopo.*

Accipitrem milvi pulſurum bella, Columbæ
Accipiunt Regem: Rex magis hoſte nocet.
Incipiunt de Rege queri, quia ſanius eſſet
Milvi bella pati, quàm ſinè marte mori.

Itaque tempore procedente, ſed non poſt multos dies, venerat Eccelinus Paduam: & convenerunt quidam amici, & conſanguinei eorum, qui propter verſus detenti in carcere tenebantur, & accedentes ad domum illam de Ponte Altinato, ubi erat Dominus Eccelinus, petebant cum inſtantia ei loqui, ſpe-

D rantes, quòd facta ſecuritate pro carceratis, eximerentur. Tunc Eccelinus iratus, armatis cunctis de domo ſua, cum tanto furore deſcendit, quòd hii, qui eum inferiùs expectabant, fugierunt omnes, præter Aycardinum de Mundo, & Jacobum Oſtexani, qui fugere noluerunt, ſperantes in hoc rectè, quòd nullam habebant culpam. Hos verumtamen fecit capi, & in carceribus poni, & detineri: & properans ad Palatium, ſubitò milites, & pedites fecit armari omnes. Quibus omnibus in Palatio convocatis, locutus eſt iratus, & animoſus, infamando primò Daleſmaninos, inculpando illos graviter de verſibus; dicendo ſe bene noſcere proditores; aſſerendo ſe non

E eſſe accipitrem, qui velit devorare columbas, ſed eſſe illum patrem familias, qui intendit purgare ſuam domum, de qua novit ſcorpiones ejicere, verrere foras ranunculos, ſerpentum capita conterere, & mactare. Et quamvis, blandiendo quandoque, captare benivolentiam moliretur, & populum demulcere: diviſo tamen illo colloquio, fuerunt multi per Civitatem, qui recogitantes verba dicta per Ec-

(65) *MSS. omnes* de Guidotis.
(66) *Cod. Eſtenſ. & Ambr. II.* utpote fons Catholicæ &c.
(67) *Cod. Eſtenſ.* Stabant enim &c.
(68) *Cod. Eſtenſ.* Carnazonibus. *Ambr. II.* de Cantazonibus.
(69) *Cod. Eſtenſ. addit*: & ſic tamdem ſententia horum verſuum eſt reflexa in malam partem. Unde &c.

Digitized by Google

Eccelinum, sciverunt, & cognoverunt amodo manifestæ malignitatis propositum, voluntatem iniquam, & intentionem nefariam Eccelini. Dicicerunt verumtamen paulatim tolerare durissima: quemadmodum quis aliquando apostemate periculoso perterritus, acutum ferrum substinet ferè usque ad viscera subintrare.

CAP. V.

Hic accepit Eccelinus Uxorem.

POst hæc verò, mense Septembris, die Jovis XV. exeunte, Paduæ, in Palatio Patriarchatus de Quarterio Pontis Altinati, præsentibus multis Militibus, & Burgensibus Paduanis, & Vicentinis, volens Eccelinus manifestè monstrare Bontraversio de Castronovo amorem, & amicitiam specialem; guadiavit Dominam Beatricem ipsius Domini Bontraversii filiam, multa pulchritudine decoratam, sanguinis nobilitate egregiam, moribus, & sapientia insignitam. Et intrans cum ipsa eâdem horâ in cameram solus, secretum habens cum ipsa colloquium, (K) credo quòd ipsi Dominæ soli servitium, & honorem promisit, similiter & patri, & matri ejus, cunctisque suis parentibus, & amicis: sed, quod est consuetum nuptiis, (70) non ivit tunc ad domum dilecti mariti sui. Mense tamen Decembris proximo veniente, honorificè, & quanto decuit commeatu, conducta de Padua equitavit Veronam, & habitavit in eodem (l) Palatio, cum venerando marito suo, qui priùs quàm eam guadiasset, ut dicebatur, posuerat cor suum in eam, & amorem, si fas est credere, quòd stare possit amor, & summa crudelitas in eodem. Qualitercumque fuerit tamen, data est Domicella juvenis, & nobilis, & decora, viro potenti, & nobili, alto, & magnifico, sed annoso. Ex hoc ergo disparum personarum conjugio, diversi diversa senserunt, varii variè sunt locuti. Quidam namque, latenti quasi murmure, asserebant quòd Eccelinus quiescere proponebat ulteriùs, & sive in Castro, quod Paduæ fieri fecerat, sive in Palatio, quod in capite Pontis Molendinorum in Padua pro se ipso similiter facere intendebat de saxis mirabilibus, & effossis fundamentis aliarum domorum, & turrium de Padua diruptarum (sed nondum incœptum erat) vitam suam in deliciis, & solatiis (71) consummare: cùm amodo se quasi solum, & unicum videret in Marchia dominantem. Alii verò moti sunt longè aliter, quoddam fictum, & impossibile suspicantes: quòd scilicet per ostensam tantam amicitiam Domino Bontraverso, cujus se generum appellabat, venire intendebat ad pacem, & concordiam cum Domino Marchione, & cum aliis adversæ partis Magnatibus, mediante suo socero, & aliis parentelæ illius, quia magni sunt, & potentes per Marchiam, & per partes plurimas Lombardiæ; deinde quoque devenire posset in gratiam Apostolicæ Sanctitatis: sciebat enim, se omni anno, in die de Cœna Domini, anathematizatum Romæ denuntiari, coram multitudine ruinosa, (*) quæ illic tali die colli-

(K) *MS. Ambr. ambo* consilium.
(70) *Cod. Estens.* consuetudo nuptiarum.
(l) τὸ eodem *deest in Estens. Ambr. ambo* in Eccelini palatio.

A gitur de diversis regionibus Mundi. Seu asserenti cuidam militi hoc Eccelini propositum in loco Fratrum Prædicatorum de Padua, vir quidam sapiens notabiliter, & festinè respondit, dicens.

Hæc est cura minor, in pectore quippe scelesti.

CAP. VI.

De captione Estensis Villæ, & Rocchæ, & quorumdam aliorum locorum.

COnsuevit esse, ut audio, quòd qui stimulis amoris compungitur, non Castrorum desolationem desiderat, vel Villarum,
B non Urbium excidium, vel ruinam, non cædem hominum machinatur. Qua causa, non sinè ratione, admiror, si Dominus Eccelinus amorosis cogitationibus angebatur in Dominam Beatricem, ut superiùs dictum est; quomodo illis diebus eisdem, quibus in amoris Curia militabat, Estensis Castri, & omnium illic habitantium, potuit desolationem optare. In eodem namque die Jovis prædicto XV. exeunte Septembri, & Anno eodem Domini MCCXLIX. quo die scilicet guadiavit dilectam sponsam suam Dominam Beatricem, parari fecit in Padua stipendia, & expensas pro XX. diebus, & finxit se velle equitare in Lombardiam, cum militia Paduæ, & ivit Ve-
C ronam. Exinde cum Paduanis, & Vicentinis militibus, cum militia, & peditibus de Verona, ad Portum, & Legnagum XI. die exeunte eodem mense, accessit. Ubi stando, fecit eligi CCCC. pedites Veronæ: quibus ad equum positis, & munitis militaribus armis, cum tota prædicta militia, & cum ipsis, & cum Theotonicis, quos secum conducebat quòcumque, eadem die post meridiem equitavit ad Este, & illic fuit circa noctis medietatem, scilicet in Vigilia S. Matthæi. Et in Villam ipsam eâdem horâ, proditione facta per quemdam, qui multa receperat à Marchione beneficia & honores, intravit per Portam illam, per quam itur ad Montagnanam,
D quæ scilicet ab hora illa in antea usque in hodiernum diem Porta Vitaliana vocatur. Perterriti sunt, nec mirum, omnes habitatores in Este, & fugerunt, ut impetus eis dedit, alii versùs Montagnanam, & Scodesiam, alii versùs Rudigium, alii Ferrariam, ubi tunc erat Potestas Marchio. Vulneratus est ibi graviter Judex (72) quidam de Padua Dominus Bertramus, sapiens, & discretus, & plures alii se viriliter defendentes. Multi tamen Estenses, & Paduani intraverunt Estensem Roccham, quidam in Baonem, quidam in Cerrum, quidam in Calaonem. Cùm ergo Villa Estensis spoliata foret in illa nocte personis, & omnibus bonis suis, voluit Ecceli-
E nus arcem, sive Roccham Estensem, & alia collateralia Castra suo dominio subjugare: se namque in illis Castris non solùm Estenses posuerunt, sed multi viri nobiles, & prudentes, qui de patria propria, scilicet de Padua, & aliunde, magis tamen de Padua, patiebantur indignum exilium propter guerram. Jussit itaque Eccelinus, & fecit ad se venire M. pedites de Civitate, & M. de Villis Paduani

(71) *Cod. Estens.* & solatiis volebat consummare.
(*) *fortè* numerosa.
(72) *Cod. Estens.* miles quidam.

Digitized by Google

duani districtus, & omnes pedites Vicentinos, & Roccham ex omni parte hostiliter circuivit. Impugnavit intrinsecos ædificiis multis, scilicet bilfredis, prederiis, & trabucchis: muros, turres, & Palatium Marchionis abrupit. Nec mirum, erant enim XIV. ædificia, trabuccantia undique ipsam Roccham: & rotabant ædificia quædam lapides ad ipsum Castrum ponderis librarum M. & CC. & ultra. Conduxit illic Eccelinus fossores illos (73) cum suis instrumentis, & rastris, quibus in partibus Carinthiæ argentum effoditur de profundis montium latibulis, & cavernis. Qui fodientes subterraneas fossas, promittebant facere sic, quòd quingenti pedites nocte una miraculosè in Castro de terra emergere viderentur, & nasci, sicut gens Cadam (74) de terra prodiit, & secundùm fabulam de seminatis dentibus germinavit. Quid plus? gens illa intrinseca rationabiliter se defendens, & insons, impugnatur; & tanta est obsidentium multitudo, quòd examinato diligenter negotio, & habito consilio saniori, visa est redditio Castri salubrior, quàm sævi persecutoris causâ in manus incidere quodammodo Barbarorum. Est ergo Castrum redditum conditionaliter Eccelino: & licèt damnum sit intrinsecus habitum in aliquot personis vulneratis, & mortuis à lapidibus, & balistis; & extrinsecus etiam in quibusdam; Castrenses ipsi concorditer recesserunt die XIV. exeunte Octubri prædicti anni, cum personis, & rebus suis: dimissis tamen balistis, & armis, & victualibus, quæ reperta sunt esse Marchionis in Castro. Eadem conditione, & pacto reddita sunt hæc alia loca Eccelino, scilicet Baone die XI. exeunte Octubri, Vigizolum die IX. exeunte eodem mense, quod de ipsius Eccelini præcepto destructum est iis diebus. Veschevana reddita VIII. die exeunte eodem mense, quam Eccelinus diebus illis fecit destrui, & comburi. Estensis Roccha, seu Castrum, retenta est per Eccelini pedites, de ipsius mandato tali, ut data fuit; immo in reverentiam loci, fecit Eccelinus fieri aliquid reparationis in ipso loco. Cerrum autem, & Calaone, nec expugnata, nec habita sunt ad præsens: sed facto bilfredo quodam in colle montis, unde itur ad Calaonem; & factis quibusdam speculis, sive miris in riveria, unde itur de Padua ad Montemsilicem, positi sunt in hiis locis custodes, ne possint ad illa Castra ulla victualia deportari. Hæc verumtamen duo Castra partem Marchionis adhuc tenuerunt per annum, & ultra. Post Estensem Roccham, sive Castrum redditum Eccelino, divisum est guarnimentum, & reversi sunt Paduam Paduani: Eccelinus autem cum Veronensibus ivit Veronam, justa nunc occasione congaudens: jam enim in mente sua recogitabat, quòd dominetur, solus in tota Marchia Tarvisina.

CAP. VII.

De morte Judicis Potestatis.

A Modo sollicitus Eccelinus, licèt continuè moretur (75) Veronæ, nec sit umquam Paduæ, Domino disponente (76) intrinsecus; litera tamen mortiferas mittit sæpissimè Paduam ad Ansedisium de VVidotis nepotem suum Potestatem Paduæ: quemadmodum existens etiam in prædicta obsidione de Este jam miserat, quòd idem Ansedisius decapitari faceret, & decapitari fecit, Eccelini (77) obsidione manente, Bonaventuram Judicem, & asserentem (78) Potestatis ipsius; quem carceratum tenebat occasione versuum prædictorum. Venerant enim Ambaxatores de Civitate Pergami in prædicta obsidione ad Eccelinum, petentes ipsum Bonaventuram dimitti: Qui datis verbis responsionis adulatoriæ Ambaxatoribus ipsis, fecit eos secum stare in Este, donec literas misit Paduæ cautè ad Potestatem, & fecit ipsum decapitari: & sic ipsi Ambaxatores Paduam postmodum venientes, Judicem suum mortuum invenerunt.

CAP. VIII.

De morte illorum de versibus.

ET cùm occasione versuum prædictorum, Paduani quidam cives, ut dictum est, adhuc post factum de Este in carcere tenerentur, misit Eccelinus literas de Verona, & fecit ipsos decapitari in Platea Communis, alio tamen tempore, post dictum (79) Bonaventuram, sed in eodem Anno MCCXLIX. circa festum Sancti Martini. Fuerunt autem de Padua cives parentes (80), nobiles, & sapientes, & probi viri, quatuor de progenie illorum, qui dicebantur de Bellegrassis, (81) Dominus Albertus Judex de Accedello, Petrus de Zambonino Notarius, Dominus Alexius, & Aycardinus de Mundo, Judices discreti, & sapientes, & Jacobus olim filius Domini Ostexani: inde (82) autem Jacobus cùm in plena Concione judicabatur (83) per Potestatem ad mortem; cum Potestas, verbum sæpiùs iterando, eum proditorem diceret; audebat idem Jacobus clara, & alta voce dicere, quòd mentiebatur apertè. Forsitan erat memor, quòd illud idem responderat olim in eodem articulo positus, Dominus Raynerius Judex de Bonello, qui fuerat frater matris. Tunc etiam, & in hac die quidam, qui occasione dictorum versuum in carcere tenebantur, mutati sunt in pejores carceres, durioribus compedibus alligati, scilicet viri legales, & discreti in arte sua, Rizius Notarius, & Daniel Notarius, qui dicebatur Pinza (m), aliique quàm plures parvi, & magni, mares, & mulieres.

CAP.

(73) *Cod. Estens.* fossores suos cum &c.
(74) *Cod. Estens. & Ambr. II.* gens Cadmi &c.
(75) *Cod. Estens. & Ambr. II.* moraretur.
(76) *Cod. Estens.* Paduam, Domino disponente, visurus, literas &c.
(77) *Cod. Estens.* eadem obsidione.
(78) *Cod. Estens. & Ambr. II.* & Assessorem.

(79) *Cod. Estens.* prædictum Bonaventuram.
(80) *Cod. Estens.* potentes.
(81) *Cod. Estens.* Belleguissis.
(82) *Cod. Estens.* Idem autem &c.
(83) *Cod. Estens.* judicaretur per Potestatem ad mortem, & Potestas &c.
(m) *MS. Ambr. II.* Panza.

CAP. IX.

De captione illorum de Capite-Nigro, & de morte Dalesmaninorum (n).

ANno Domini revoluto, scilicet in MCCL. circa tempus Paschæ, cùm Dominus Thomaxius Capud-Nigrum, & filii, per proximam lineam parentelæ forent Dalesmaninis conjuncti; uxor enim ipsius Domini Thomaxii, scilicet Domina Speronella filia fuerat Domini Dalesmanini majoris; ipsi quoque, qui dicebantur Dalesmanini minores, scilicet supradicti Gumbertus, & fratres, adhuc in carcere tenerentur; Ansedisius ipse Paduæ Potestas, non obstante quòd frater ejus Jacobus de VVidotis in uxorem habebat Dominam Altrudam, (o) ipsius Domini Thomaxii filiam, Dominam scilicet discretam & sapientem: capi fecit Dominum Thomaxium ipsum: capti sunt etiam ejus filii Zambonetus, & Canzelerius. (84) Aycardinus autem ejus filius minor sapienter aufugit. Tunc etiam captus est Albertus Papadolla cum suis, Miles discretus, & curialis, & solummodo hac de causa, quia multùm fuerat familiaris Dalesmaninis: captos quoque Ansedisius misit Veronam ad Eccelinum.

Deinde sequenti mense Septembris, cùm Ansedisius carceratos haberet Dominos Gumbertum, & Artusinum; haberet etiam Ubertellum, qui omnes ab Avo dicebantur Dalesmanini, recogitans infra mentem, quòd hii erant de majoribus, & potentioribus Civitatis; literis etiam super hoc habitis ab Eccelino, qui nunc de Verona non recedebat, fecit eos conduci Paduam de Castris, ubi dudum steterant carcerati. Ut autem per experientiam nosceret quid exinde sequeretur, si eos condemnaret ad mortem, quia potentes erant, primò tulit sententiam mortis in Ubertellum, quoniam minor fuit. Fecit quoque sicut de furibus dici solet, qui factâ foveâ sub domus fundamento, timente ne paterfamilias intrinsecus furem, feriendo cum malleo, ut focium, (85) latenter expectet, præmittunt cucurbitam, vel pannum aliquem glomeratum, ut si nullus tumultus fuerit, fur faciat securiùs quod præsumsit. Cùm vidit igitur Ansedisius nullos Dalesmaninorum vassallos, nullosque ipsorum amicos tumultum facere (86) mortuo Ubertello, sed cunctos perterritos, & silentes; armari jussit milites, & pedites, quos de Pedemonte in Padua pro sua securitate tenebat, & complices suos omnes, circa VIII. dies postquam fecerat Ubertellum occidi: & Concione in Palatio publicè congregata, duos illos alios, Gumbertum, & Artusinum sententiavit ad mortem, & fecit eos in Platea decapitari.

Non multo verò tempore post remisit Eccelinus Dominum Thomaxium Capud-Nigrum, & filium ejus Canzelerium Paduam, quos etiam idem Ansedisius in Platea similiter fecit pœna capitali puniri, quamvis Dominus Thomaxius ipse usque in Verona, more martyris, in tormento perstiset: & hac de causa, secundùm quod dictum fuit, quia scilicet Eccelinus jubebat, ut conjurationem quamdam proderet, quam Eccelinus dicebat in eum factam: sed ipse insons, & inscius, elegit potiùs in tormento perire, quàm fingere quod penitus ignoravit. De Zamboneto autem ejus filio dictum fuit, quòd cùm Eccelinus ipsum minaretur per tormenta compellere ad illam conjurationem prodendam, quam ejus Pater noluit propalare; linguam propriam dentibus secuit, per quod in carcere positus vitam finivisse dicitur dolorosam.

De illis autem de Papadolla, quidam in Platea sunt mortui, & quidam in carcere perierunt.

Doluerunt quasi omnes de Padua de morte illorum de Capite-Nigro, & de Domino Thomaxio præcipuè, quia vir fuit discretus, & curialis, cunctis affabilis, & Communi Paduæ utilis, & fidelis.

De Dalesmaninis autem mirati sunt omnes, & singuli vehementer, cùm Eccelinus ipse nullos fideliores, nullos cariores amicos, nec proximiores videretur olim habuisse in Marchia Tarvisina: & hæc amicitia tanta steterat inter præsentis temporis coætaneos, & steterat inter prædecessores ipsorum. Sed nihil adeò pertimendum, nihil est sic horribile, vel mortale, quàm cùm amicus fraudulentus, & falsus, crescit, & exaltatur in infinitum.

CAP. X.

De morte Imperatoris Frederici.

IN prædicto Anno etiam MCCL. in Festo Sanctæ Luciæ, scilicet die XIII. intrante Decembri, Fredericus, qui olim fuerat Imperator, quem Romana Curia nunc non aliter nisi depositum appellabat, apud Palermum decessit. Factum satis Principibus recolendum; nam illa eadem die, qua extremo est supplicio deditus, summum quoque receperat gaudium in hac vita, Romani scilicet Imperii diadema, ut supra legitur in primo Capitulo secundi Libri.

CAP. XI.

Hic redditur Eccelino Cerrum, & Calaonum.

ADhuc in isto eodem Anno circa medietatem Decembris, illa duo Castra, quæ usque nunc partem Marchionis tenuerant, & in hoc medio tempore multas pertulerunt gravitates, scilicet Cerrum, & Calaone, venerunt ad pactum cum Eccelino: & qui illic steterant, habitis suis rebus, & armis (87), incolumes abierunt.

CAP. XII.

De morte Domini Guillielmi de Campo Sancti Petri.

POst negotia supradicta Dalesmaninorum; volens Eccelinus omnis sanguinis nobilitatem de Marchia Tarvisina delere pro posse, misit

(n) *MS. Ambr. ambo addunt*: & ipsorum de Capite-Nigro.

(o) *MS. Ambr. I.* Altricam.

(84) *Cod. Estens.* capi fecit etiam ejus filios Zambonettum, & Canzellerium &c.

(85) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* cum malleo, vel securi latenter &c.

(86) *Cod. Estens. & Ambr. I.* tumultum movere aliquem, mortuo &c.

(87) *Cod. Estens.* equis, armis, & rebus &c.

Digitized by Google

misit milites suos quosdam de Pedemonte ad Castrum suum de Angarano, quod est illic in montibus superiùs ad Baxanum. Ibi detinebatur jam dudum in carcere nepos ejus Dominus VVillielmus de Campo Sancti Petri, & causa detentionis dicetur inferiùs, & ipsum fecit conduci Paduam, existente Eccelino Veronæ. Cujus receptis literis Ansedisius Potestas in Padua occultè ordinavit in nocte, quòd multi eumdem Willielmum, quasi victimam, mane facto postularent, tamquam proditorem, ad puniendum (88): & hoc idem diebus illis ordinaverat Eccelinus existens in Castro Leonici, ubi fuerat Ansedisius ipse, & quidam alii, quos Eccelinus fictitiè appellabat amicos. Sic ergo in Padua specialiter facta Concione (89), armatis militibus, & peditibus suis de Pedemonte, dictum Dominum Willielmum judicavit ad mortem, & fecit ipsum in Platea occîdi, rectè in festo Sancti Bartholomæi Apostoli, die scilicet VIII. exeunte mense Augusti, & manibus impiis traditum, indignissimè lacerari. Juvenem quidem affabilem & decorum, Militem largifluum, & benignum, multa strenuitate prudentem, moribus & curialitate laudabilem, nobilitate sanguinis, & animi sapientia insignitum, &, o nefas, ipsi Ansedisio pertinentem lineâ parentelæ. Hunc autem nobilem sic immeritò detruncatum, Comitissa Daria filia quondam viri famosissimi & præclari Domini Alberti de Baone bonæ memoriæ, cum filia sua Domina Maria, & filia olim Domini Gerardi de Campo Sancti Petri, & ipsa quippe Domina (90) egregia moribus, decora formâ, sapientiâ redimita, ambæ fecerunt siquidem tantum virum recolligi per Plateam, & recollegerunt ipsæ etiam cum multa multitudine lacrymarum, & in fabricata capsa repositum, portari fecerunt, sequentibus multis Militibus, & lacrymantibus Dominabus, & Domicellis, & sepeliri in consecrato loco Ecclesiæ Sancti Antonii Beatissimi Confessoris: timore Potestatis postposito, metu cujus non audebat aliquis patrem, vel fratrem, nec filium, etiam honorare in morte, postquam per talem Curiam dignè, vel indignè punitus esset.

CAP. XIII.

Hic dicitur causa captionis ipsius Domini Guillielmi.

SI fortè quæret aliquis de ipsius Domini VVillielmi tempore captionis, & causa, notandum est, quòd non multis diebus post mortem Dalesmaninorum, cogitavit Ansedisius de VVidotis Potestas Paduæ indigna, (p), quòd idem Dominus VVillielmus in uxorem habebat Dominam Mabiliam de Dalesmaninis, filiam scilicet olim Domini Artusini majoris. Misit ergo Potestas pro ipso Domino VVillielmo, & ei dixit, & voluit, & quòd Domino Eccelino placebat, ut divortium prorsus fieret inter eum, & uxorem suam prædictam: reddens causam, quòd Dalesmanini puniti erant, quia inventi fuerant proditores partis Domini Imperatoris, & Eccelini, Aun le ipsam ulterius nulla teneat ratio ne. Visum est hoc nefarium, & maximum inconveniens Domino VVillielmo, & dans Potestati responsum, quàm plus potuit curiale, dixit se velle ire Veronam, & audire velle ab ore sui Domini Eccelini, si hoc de sui voluntate procedat, & ejus in omnibus attendere voluntatem. Cùm cepisset igitur suum iter, Potestas ipse sagacissimus, fraude plenus, præmisit cautè ac velocissimè suas literas Eccelino: ita quòd Eccelinus priùs novit talem (91) seriem hujus facti, quàm ad ipsum accederet Dominus VVillielmus. Puto quòd Eccelinus usque ab illo tempore, quo VVillielmum ipsum in Castro Fontis ceperat infantem, & jacentem in cunis, ut supra legitur in IX. Capitulo secundi Libri, §. Sic igitur, &c. quamvis tamen postea venisset ad ejus partem, eidem insidiabatur occultè, si quam mortis causam posset excogitare adversùs eum. Fuerat ergo prædicta causa, quam habuerat Eccelinus, per quam ipsum tunc capi fecit, vel fecerat, & detineri Veronæ, eumque captum, & militibus traditum uxoris occasione, quam immeritò dimittebat invitus, miserat in Angaranum, & detinuerat eum carceratum ibidem, quasi per annum unum. Et sic per experientiam scire debuit Guillielmus, quid illud somnium portendebat, cùm vidit in visione patruos suos Dominum Ruzerium, & alios, lamentantes, ut supra legitur in XVI. Capitulo V. Libri, §. Audiens &c. Pro ipso etiam, & cum ipso detentus est, & in carcere positus bajulus ipsius, & homo, nomine Tajacanis, qui numquam reliquit eum, tam in adversis, quàm prosperis, ab ipsis Guillielmi cunabulis, usque ad finem mortis.

CAP. XIV.

De captione amicorum Domini Guillielmi.

HInc etiam sumta occasione, literis habitis, & mandato Domini Eccelini, Ansedisius ipse diligenter scivit inquirere, qui forent ipsius Domini Guillielmi proximi, & amici. Sunt ergo (92) multi amici ejus, & parentes detenti, quicumque scilicet potuerunt haberi, variis modis adhibitis, & diversis occasionibus exquisitis. Alii siquidem, qui erant ipsi Domino VVillielmo per parentelam, vel per amicitiam pertinentes; alii etiam, quia ipsi Domino VVillielmo pertinentibus pertinebant. Ecce nefandum, & tyrannidis rabies reprobanda, punire filium, quia pater dicitur puniendus; vexare proximum, non ob aliud, nisi quia proximus est vexandus. Ecce quomodo morbus cancri, qui paulatim rodit loca contigua sibi, & sic procedit ratio maleficii hujus quasi in infinitum, nec est illic invenire finem: ad illius instar deridendi Philosophi, qui dicebat, quòd ad motum formicæ movebatur per consequens totus Mundus. Detenti sunt, & in carcerem positi, tam dicti (93) Guillielmi isti familiares, & ipsius amici, cum eorum familiis magni, & parvi, mares,

(88) *Cod. Estens.* ad puniendum ipsum Dominum VVilielmum.

(89) *Cod. Estens.* Paduana concione in palatio facta, armatis &c.

(90) *Cod. Estens.* ipsa quidem Domina Maria.

(p) *MS. Ambr. II.* Potestas Paduæ indignatus, quòd &c.

(91) *Cod. Estens. & Ambr. II.* totam seriem.

(92) *Cod. Estens.* sunt enim &c.

(93) *Cod. Estens.* causa dicti Domini &c.

res, & mulieres. Honor & Catanius de Tergola (94), Alverius Vanni de Zacho, Advocatus de Anoale (q). Guido autem de Anoale ſapienter ſe eripuit de manibus Eccelini Vicentiæ commorantis: ſtans namque in ejus illic Curia, quum ſubitò ſenſit hæc in Padua fieri, dixit, & finxit ſe emere velle dextrarium Ziramontis, fratris Eccelini, ſed naturalis: fecitque parari dextrarium die quadam in veſperis, & dixit ſe velle probare dextrarium ad curſum: & ſic exiens ad curſum quemdam foris à Civitate, dixit Ziramonti, ſe credere, quòd talis equus bonus erat pro ejus facto, & in præſenti quòd ita erat monſtravit: nam elongatus cum dextrario à Ziramonte, & ab hiis, qui cum eo iverant, quàm citiùs poterat tota nocte illa carum, & dilectum ſibi dextrarium cucurrit, & equitavit; & ſic manus impias & mortiferas inimici effûgit (95).

CAP. XV.

De morte illorum de Perega.

IN Anno Domini MCCLI. alii quidam Nobiles ſimiliter indebitè perierunt, occaſione injuſtè ſumta de quadam parentela, vel quaſi, cum dicto Domino VVillielmo. Olim, tumque (96) defuncto Domino Jacobo, patre ſcilicet ipſius Domini Guillielmi, cujus avus Dominus Tiſo de Campo Sancti Petri adhuc in bona ætate erat; defuncta priùs nobili Domina ipſius Domini Tiſonis uxore; ut tanta, & talis Domus de Campo Sancti Petri non remaneret in ſolo herede uno, ſtante etiam caſu dubio, cùm adhuc Guillielmus in pupillari ætate foret; de ſuorum amicorum, & vaſſallorum conſilio, prædictus Dominus Tiſo duxit, & aſſumſit feliciter in uxorem Dominam ſapientem & nobilem, forma & moribus ac animi probitate decoram, Dominam Gardioniſiam, ſororem virorum nobilium Domini Petri, & Domini Johannis de Perega, de qua poſtmodum genuit Dominum Tiſonem Novellum, virum præclarum, & ſapientem, probum, benignum, largum, & curialem, & in omnibus patri ſimilem, qualem decet eſſe virum de ſtirpe Nobili ex utroque parente. Quia igitur dicti Domini de Perega domum & Dominos de Campo Sancti Petri condam dilexerant, & nunc amore nepotis ſui, licèt latenti animo, fideliùs diligebant; optantes (nec mirum) (r) quod ipſe Tiſo Novellus in potentia creſceret, & honore, cujus ſolam potentiam Eccelinus in Marchia verebatur poſt Marchionem Eſtenſem, per quem habebat & illos de Perega ſuſpectos; ſtans Eccelinus Veronæ, ſecumque tenens multos Paduanos Milites, & hos præcipuè, in quibus de Civitate Paduæ ſuſpicionem habebat; dictos Dominos Petrum, & Johannem capi fecit, & detineri, nulla occaſione prætenſa, vel explicita (97): de quibus duobus unus primò ductus, & portatus eſt Paduam de Verona, mortuus in tormento ibidem, & decapitatus eſt poſtea in Platea Paduæ ſinè morte. Elapſis quoque diebus paucis, de altero factum eſt illud idem.

In Anno Domini ſupradicto, tempore autumnali, hoc quoque tempore patuit manifeſtè, quòd cuncta ſcelera, cuncta mala in Marchia, & in Padua maximè, ſinè intermiſſione fiebant. Itaque tam parvi, quàmque magni, tam habitantes Villas, quàm Civitates, & omnes generaliter utriuſque ſexus, videntes nefaria, quæ fiebant, ferè potiùs exoptabant ſe interimere ſponte propria, quàm in illorum impias manus incidere, qui nullam redemtionem habentes, iniquitatem pro æquitate, malum pro bono ſervent (98), & injuſtitiam pro juſtitia exercebant. Ecce namque diebus illis juvenis quidam vi corporis, & animi ſatis prudens, nomine Tavella (ſ) de Capite-Sylvæ, Paduanæ Diœceſis, dum captus detineretur Paduæ in domo Poteſtatis & ſala, videns, & audiens Poteſtatis miniſtros eidem Tavellæ crudeliter comminantes, cùm prorſus foret innocuus; projecit ſe per feneſtras in terram, & ſic (99) eſt mortuus in præſenti.

CAP. XVI.

De nimia multitudine carceratorum.

INſtat nunc quoddam Capitulum, quod nemo poſſet ſub brevitatem, ordine ſervato (100) referre. Et dicere tamen poſſumus, quòd ſicut animo capienti (1), nihil videtur feſtinanter contingere, ſic tyranno deſideranti communem deſtructionem, nihil videtur plenariè reſpondere ad votum: nec enim conſiderat æquitatem, ſed ut quocumque modo adimpleat quod intendit: quemadmodum Eccelinus in Padua tyranniam inauditam, & inopinabilem perpetravit, fortè propter vindictas quaſdam, quas Paduani fecerant condam dignè (t) per Terras ejus, ut ſupra legitur in VIII. Capitulo IV. libri. (2) §. Sequente &c. Videns (3) enim Eccelinus, quòd præcipuè tria ſunt, quæ cunctas Civitates, & loca ſingula, in quibus habitatur, exornant, ſcilicet perſonarum decor, divitiarum copia, & pulchritudo domorum; ad hæc tria removenda de Padua impius ille, hoſtis familiaris, intrinſecus, fraudulentus, ſecundùm quod patet hodie, poſuit principaliter vires ſuas: & in diverſis diverſas cauſas excogitavit, extendens occultè ac fraudulenter furorem, & iram ſuam, tam ad parvulos, quàm ad magnos, tam ad fœminas, quàm ad mares. Aliquos enim, quos in principio ſuæ tyrannidis pro obſidibus ad partes miſerat alienas, nunc ad ſe ſubdolè revocavit, ut eorum diſperderet ſanguinem, ad injuriam Civitatis. Sicut de Briſco fecit in prædicto Anno Domini MCCLI. quem quomdam pro obſide miſſum in Lombardia, nunc fecit

(94) *Cod. Eſtenſ.* mulieres; ſcilicet Honor Capitaneus de Tergolla &c.
(q) *MS. Ambr. I.* Advocatus de Anoale ſapienter ſe &c.
(95) *Cod. Eſtenſ.* inimici vix effugit.
(96) *Cod. Eſtenſ.* namque.
(r) *MS. Ambr. II.* optantes verò unum, quòd ipſe &c.
(97) *Cod. Eſtenſ.* explicata.
(98) *Cod. Eſtenſ. & Ambr. I.* ferventer. *II.* faciunt, *& inde* exercent.
(ſ) *MS. Ambr. I.* de Villa de Capite-Sylvæ.
(99) *Cod. Eſtenſ.* & ſic dictus Tavella eſt &c.
(100) *Verba hæc* ordine ſervato *deſunt in omnibus MSS.*
(1) *Cod. Eſtenſ.* cupienti.
(t) *MS. Ambr. II.* fecerant condignè.
(2) *Cod. Eſtenſ. & Ambr. I.* tertii libri.
(3) *Cod. Eſtenſ.* Audiens &c.

Digitized by Google

fecit ad se venire, & in eo nullam aliam causam inveniens, nisi quòd attinebat Dalesmaninis per parentelam: eum fecit capi, & in carcerem detineri. Causam aliam Vando de Viguncia, adolescenti, & amabili juveni, filio Johannis de Natícherio (u) dedit, quòd scilicet equitasset diebus illis ad colloquendum cum Albrico de Romano ipsius fratre: unde & Vandum ipsum fecit incarcerari. Dominum Guillielmum de Carturio (4) virum sapientem, & nobilem, annorum LXX. vel quasi, ejusque filios Eccelinum, & Gerardum, & eorum familiam totam, quia similiter attinebant Dalesmaninis, fecit in carceribus poni. Et fuerat idem Dominus Guillielmus, ut vidi ego sæpiùs, pro Eccelino scutum, & præcipuus defensator ipsius in Padua, in consiliis, & arengis, in ordinamentis, & in statutis, & cunctis, quæ pertinent ad exaltationem Eccelini, & suæ partis, quem suum Dominum appellabat. Ad hæc Albertum Judicem de Borsellis, Jacob fratrem ejus, Bartholomæum eorum fratrem, qui omnes dicebantur Gataroli, præter Blaxium, qui aufùgit, ipsos quidem, & omnes eorum familias. Simeonem de Ariberto, Jacobum Botacium Judicem de Rogatis (5) (frater cujus Matthæus Judex fùgit) Dominum Benedictum Judicem de Runcho, patrem ejus Dominum Andream, Peruculum (x) nepotem ejus cum sua familia, Rolandinum Capud-de-Lista, Dominum Raynaldum Judicem (6) de Oti, Pisanum, Morrialem (y) de Plebe, Jordanum Ferratorem, Gerardum ejus filium, Milites quidem, & Pedites, Judices, & Notarios, Dominos, & Populares, magnos, & parvos utriusque sexus, in tanta quantitate detineri fecit hoc tempore rabies Eccelini, quamvis Veronæ foret, quòd longum esset singulas, & singulos nominare: quorum quidam de Padua, in Padua sunt detenti, quidam Paduani etiam cùm capti sunt in Verona, Paduam mittebantur captivi: ipsos namque Veronam ad se vocabat fingens causas plurimas & diversas. Auditum est etiam diebus hiis in Padua, quòd Gerardus Schachus, qui apud Castrum Marosticæ morabatur, Miles scilicet quidam de quadam nobili projenie de Padua, quæ dicebatur de Offreduciis (z), sive Baratis; visus est in verbis quibusdam resistere Capitaneo ejusdem Castri Marosticæ, fratri Ansedisii de Widotis, qui vocabatur Jacobus de Widotis: propter quæ verba decapitatus est in Marostica, jussu Domini Eccelini. Hinc quoque sumta occasione, detenti sunt in Padua omnes ejus consanguinei, & parentes, & qui etiam vel per sanguinem, vel per amicitiam pertinebant amicis ejus, præter Zilium Techum de Padua Militem providum, & discretum, quem tunc Eccelinus jussit, sicut inscium hujus facti, stare ad præcepta ipsius Eccelini in Vicentia, & Vicentino districtu. Hi autem, occasione prædicti Gerardi Schachi, in Padua capti sunt, Dominus Henricus condam Archidiaconus & Canonicus Paduæ, Henricus Abbas Carrariæ, Philippus, Henricus, & Albertus fratres, filii quondam Domini Alcherii, nobilis civis de Padua, Antonius Judex, Uguzionus, & Alexius fratres, filii condam Domini Jacobi de Alexio Judicis Paduæ. Tunc etiam captus est Albertus de Aldrevando, & ejus filius Leonardus. Sed hi duo capti sunt hac de causa, quia in eorum domo Domina quædam maritata erat de Dominabus de Bellegrassis, qui jam puniti fuerant propter prædictos versus. Prædicti autem Milites, & Dominæ, Burgenses, & Populares, cùm tot, & tanti, qui ferè innumerabiles, capti forent, & carceres per Paduam non forent tantæ quantitatis capaces; excogitavit Ansedisius de Widotis, cujus animus delectabatur in malis inferendis, & pœnis, fieri fecit mortalem carcerem in Cittadella, Castro scilicet Paduani districtus, quod est in confinio eundo Baxanum, & ad partes Pedemontanas, cui carceri nomen imposuit, & fecit vocari Maltam. Tunc illuc primò missi sunt milites circa LXX. sub equorum corporibus pedibus alligati, pedites laqueati funibus circa C. quamvis illic postmodum tempore procedente triplicatus, immo quadruplicatus, & ultra fit numerus captivorum: nihilominus tamen Paduæ in pluribus carceribus multi, & multæ, & ferè innumerabiles, remanserunt: & sic de hominibus, ac mulieribus ubilibet carceratis, aliqui post hæc tempora mortes miserrimas in carcere pertulerunt, aliqui de carcere trahebantur: de quibus multi, qui adulti erant, in Platea Communis Paduæ tamquam bestiæ sunt truncati.

CAP. XVII.

Hic tangitur de quibusdam occisis gladio, & de pueris cœcatis, & castratis.

CUrrente Anno Domini MCCLII. de consilio, & instinctu quorumdam, multiplicatæ sunt iniquitates in Padua, excogitata sunt diversa genera tormentorum, & addita mala malis. Aliqui enim, qui talia operabantur in alios, qualia expectare poterant in se ipsis, deliberato consilio asserentes, quòd hoc placebat Domino Eccelino existenti Veronæ; consuluerunt (7) Ansedisio, voluntario, atque prono ad mala, ut de tot proditoribus, quos tenebat, punire debeat, & poterat magnam partem. Unde isto eodem anno circa mensem Julii ducti sunt in Palatio Nobiles quidam viri, qui jam per tempus steterant carcerati, videlicet prædicti Briscus, Vandus de Viguncia, Eccelinus, & Gerardus filii VVillielmi de Carturio (ipse namque mortuus erat in carcere, quia fuit annosus homo, & multis in coactis (8) angustiis) & sunt illi quatuor judicati ad mortem, & in Platea crudeliter detruncati. Quorum unus Briscus, dum sentiret se injustè condemnari ad mortem, dum adhuc in Palatio erat, respondebat sæpius falsum esse quod repetebat Potestas, ipsum esse proditorem Domini Eccelini, & suæ partis: quare quidam prope ipsum assistens (sed Paduanus non fuit) evaginato gladio, ipsum vulneravit ad mortem, ita quòd ipse Po-

(u) *MS. Ambr. I.* de Vatacherio.
(4) *Cod. Estens.* de Canturio.
(5) *Cod. Estens.* de Aliogatis.
(x) *MS. Ambr. II.* Peniculum; *supra inscribitur* Puculum. *Estens.* Parruculum.
(6) *Cod. Estens.* Raynaldum Videloti Pisanum. *Ambr. II.* Raymbaldum &c.
(y) *MS. Ambr. I.* Monrialem.
(z) *MS. Ambr. II.* de Offeduciis.
(7) *Cod. Estens.* consiliaverunt.
(8) *Cod. Estens.* multis coactus angustiis.

Digitized by Google

Potestas visus est hoc ferre molestè : portatus est tunc semivivus in Platea inferiùs (9), & unà cum aliis detruncatus est. Sic in istos quatuor factum est summum scelus, & inaudita sævities die illa.

Sed & diebus illis etiam perpetratum est aliud non minus horribile & nefandum in pueros aliquorum, non solùm Popularium, sed virorum Nobilium, & Magnatum, qui pueri primitus cœcabantur, & cum eis adhuc in carcere positis erat cœcitas quodammodo solidata, secabantur genitalibus, & fiebant spadones parvi. Quorum nomina dignum puto silentio pertransire, ne de talibus, & tantis faciam mentionem, quos non possem præter lachrymas nominare. Hoc tamen optaverim, quòd illius anima, de cujus ore primùm prodiit (*hæc*) vindicta in innocentes & vindicta per mortem, & incendium in insontes adultos, numquam habeat participationem in cœlis. Dat & illi aliam maledictionem Ovidius dicens:

Qui primùm pueris secuit genitalia membra,
Vulnera quæ dederat, debuit ipse pati.

Istæ namque vindictæ duæ tam detestabiles, & enormes, incœperunt in anno isto, & de malo semper radicaverunt in pejus, donec Ansedisius de VVidotis, & quidam ejusdem complices, pravitatis suæ tyrannidem potuerunt sub alterius tyrannidis velamine palliare. Nam istis post breve tempus suorum facinorum finis anxius, & immortalis imponetur ab illo, in cujus nunc servitium operantur, & cui placere cupiunt plusquam Deo.

CAP. XVIII.

De Capitaneis positis per contratas Paduæ.

ETsi tanta cœcitas occupaverat Ansedisium de VVidotis, & quosdam ipsius consocios, in summis iniquitatibus perpetrandis, ut longo tempore gloriari crederent in hoc statu; Eccelinus tamen die noctuque cogitans quæ fiebant, & quodam spiritu conscientiæ prævidens quòd Divina dispensatione cautum est, ne Mundus in eodem statu maneat, & quòd etiam

Summa cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur:

voluit, dum potuit, optinere quod cœpit. Misit itaque Paduam Capitaneos quosdam, quos constituit per contratas, ut si fortè aliquis vellet mutare Consilium, vel reducere Paduam ad Commune, quam sciebat Ministros suos regere non communiter, sed per partem (cùm jam illic nullam videretur habere partem, delendo tam amicos, quàm inimicos) nulla possit fieri versutia Eccelino. Constituit ergo Gorciam de Feltro, ut existens in contrata Ruthenæ, conversationem Ruthinensium noscat; Guidonem de Meledo in Ponte Molendinorum, ut cùm illic plurimi congregentur de longa vicina & extensa, multorum cautus audiat & intelligat voluntates, Crepadam de Beluno posuit in Turrisellis, & circa Pratum, ut per ipsum intelligat voluntates illorum de Quarterio illo, & præcipuè extra portam Turrisellarum, qualem gerant animum Marchioni. Istis tribus præposuit Frassapajam in Quarterio Pontis Altinati, ut & illis præsit, & de tota provideat Civitate. Qui Frassapaja die quadam, sicut mos est in viciniis per contratas, stabat sub frascata, sive laubia (a) quadam, quæ erat prope ad domum Pontis Altinati, ubi cotidie cum multis Militibus, & Burgensibus morabatur: & ecce quidam in apparentia satis discretus homo retulit, quòd nocte præterita per Castra de Pedevenda ubicumque erant, visus est ignis per merlos Castrorum ardere diu, & manifestè comburere crates (b), & munitiones Castrorum, sed adveniente die nihil est læsionis inventum. Audiens hæc alius retulit in exemplum, quòd ipse viderat in principio guerræ per Estense confinium, nocte quadam, ivisse quamdam dragonariam, sive nubem, quæ sic dextruxit arbores, fruges, vineas, & herbas radicitus, ut mane facto visum sit omnibus manifestè, quòd illic, unde ivit, non fuisset umquam herba, arbor aliqua, vel cultura. Recitavit ibidem tertius recitator, se isto eodem anno stellam quamdam in hora matutina vidisse, magnam, ut foret cometa, sed cometa non erat, non enim habebat comam: in hoc autem erat ejus miraculum, quia videbatur ferè magna ut Luna, & habebat cursum multò velociorem quàm Luna: sed nec erat cita more cadentis stellæ, & verè nec Luna fuit. Visa quoque per unius horæ spatium, evanuit paulatim. Et fuit hæc recitatio Anno Domini MCCLII. mense Augusti.

(9) *Cod. Estens.* in plateam inferiorem.
(a) *MS. Ambr. II.* sive logia quadam &c.
(b) *Idem loco verbi* crates *habet* turres.

Explicit Liber Sextus.

INCIPIT SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM.

De multis detentis in Padua, & de tertia conspiratione.

Nimia jam astutia Eccelini confuderat Paduanos in tantum, ut majores dispersi forent, minores diminuti per membra, & loqui per vicinias vix auderent in Civitate: qui tantus timor cùm foret in Villis etiam, juvenis quidam de Plebe (10) nomine Zasi, satis confidens de prudentia sui corporis (c), videns quòd facta Communis Paduæ tractabantur per multas iniquitates, ad partem alteram se transtulit, scilicet Marchionis: cujus recessus occasione in revoluto jam Anno Domini MCCLIII. in die Sancti Stephani detentus est pater ejus Rubeus de Plebe, Bonacordus Antoniacius, & quidam alii de Plebe Sacci similiter; & non explicabatur apertè, sed quasi murmure dicebatur, quamdam esse conspirationem inventam, in qua multi de Civitate, & Villis juraverant (11). Et primo loco detentus est quidam Notarius, & Scholaris, qui nominabatur Magister Michaël, qui olim causâ studii venerat Paduam, & natione fuerat Cremonensis: & dicebatur (licèt non manifestè) quòd iste portans in scriptis per Civitatem formam juramenti, & illorum nomina qui juraverant, jam multos contra Eccelinum conjunxerat in voluntate eadem. Quid plus? detentus est ipse, & positus ad tormentum; quid autem manifestaverit nescitum est publicè, nec relatum: sed ab ista die, qua captus est, in antea multi capti sunt, & detenti, quidam in Padua, & quidam qui de voluntate Eccelini stabant Veronæ (d). Henreginus à Flumine captus est cum duobus suis filiis, & familia ejus tota; Janne de Moro, quem nuntii pro eo missi nudum ceperunt in balneo naturali de Montigroto; Thomaxius ejus filius in Civitate cum familia sua tota; Monarius Medicus, qui Eccelinum condam de gravi spallatura sanaverat in exercitu Imperatoris ad Curtem-Novam in Lombardia; Borrachus (e), Thomaxius de Bonaldis natione Venetus, sed nunc præ ceteris Eccelini familiaris (12) benefactor. Habuit autem ipse Thomaxinus apud Eccelinum hoc meritum, quòd cùm missus fuit Veronam ab Ansedisio ligatis pedibus subter (f) equum, reportatus est rectè VIII. die Paduam mortuus, & truncatum est ei capud in foro, & corpus ejus combuxerunt ibidem quidam Gastaldiones ejus de Villa de Caudevico, quos ipse injustè fecerat carcerari. Prædictus etiam Janne diebus illis portatus est mortuus de Verona, & decapitatus est Paduæ in Platea. Eademque die in sero, Johannes Dominicus filius olim Menzellæ de Burgo Turrisellarum, qui faciebat custodiam noctis, corpus illud cum magna aviditate combuxit.

CAP. II.

De quibusdam captis in Verona, & de quibusdam combustis in Padua.

Studiosus steterat Johannes Dominicus nocte illa ad comburendum prædictum corpus: sed statim sequenti die Ansedisius Potestas Johannem Dominicum ipsum, Menigінum ejus fratrem, & totam ipsorum familiam capi fecit, & carcerari. Præterita namque die Parasius (g) eorum frater captus fuerat in Verona ab Eccelino, qui Eccelinus tota nocte illa literas Ansedisio miserat, pro Parasi fratribus detinendis. Vvercius de Manzio captus erat Veronæ similiter die illa, nepos cujus Manzius natato flumine Atacis fugit, & se liberavit à captione. Henricus itaque pater Manzii similiter captus est illa die in Padua, qui erat honestus homo, & propter legalitatem personæ suæ pecuniam multam, licèt invitus, de tolomeo (13) vini multis annis collegerat, & dederat fideliter nuntiis Eccelini. Paucis diebus post hæc portatus est Parasus mortuus de Verona, cui capud est in Platea sinè sanguinis effusione abscissum, & ibidem combustum. De Johanne Dominico, qui adhuc in carcere vivus erat, factum est illud idem.

CAP. III.

Hic cepit Eccelinus quosdam (14), quos habebat in Padua, & Verona.

Sciendum est, quòd adhuc in isto anno MCCLIII. & ab isto anno in antea, factæ sunt multæ captiones nunc Paduæ, nunc Veronæ, nunc Militum, nunc Popularium, immo quorumdam etiam, qui, licèt per simultatem, tamen dicebantur amici: unde cùm non possim expresse dicere die tali, vel mense, dicam quàm plus potero, prope verum. Contigit, quòd mense Februarii hujus anni quidam nuntius intraverat Curiam Eccelini Veronæ, ferens literam quamdam clausam, & sigillatam, quam dare volebat Othoni, qui dicebatur Vulpis, qui erat unus de magis potentibus in Curia Eccelini, Notarius quidem de Padua. Pervênit nuntius ille cum litera ad fratrem naturalem Eccelini, nomine Ziramontem, dicto Othone absente: dedit ergo literam Ziramonti, ut eam postea daret Othoni. Dictum est, quòd vidit hoc Dominus Eccelinus, ibi prope in sala sedens, & literam in manu accipiens sinè fractione sigilli, chartâ paulisper in litera (15) ex una parte inspectâ, vidit hæc duo,

(10) *Cod. Estens.* de plebe Sacci.
(c) *MS. Ambr. I.* de prudentia sui cordis.
(11) *Cod. Estens.* intraverant.
(d) *MS. Ambr. II.* qui stabant Veronæ capti in Verona. Henzerinus &c. *Ambr. I.* Henciгninus.
(e) *MS. Ambr. I.* Botarchus, & Thomasinus. *Ambr. II.* Loracus, & Thomaxinus.
(12) *Cod. Estens.* familiaris, & carus, & dicti Michaelis in victu, & vestitu tamquam pater, & præcipuus benefactor.
(f) *MS. Ambr. II.* ligatis pedibus, & manibus subtus equum. *Estens.* pedibus subtus &c.
(g) *MS. Ambr. II.* Parysius.
(13) *Cod. Estens. & Ambr. II.* de toloneo.
(14) *Cod. Estens. & Ambr. I.* quosdam de fidelioribus.
(15) *Cod. Estens.* in' in litera *non habet*.

duo, vel tria verba, *Frater Albertinus de Ordine* (h): sciebat quoque quòd ipse Otho germanum quemdam in Ordine Fratrum Minorum habebat, de quibus Fratribus Eccelinus plus timebat in suis factis, quàm de aliquibus aliis personis in Mundo, cùm Fratres ipsi vadant, & veniant propter liberam paupertatem securi: & tenebat ipse tunc quosdam de illo Ordine carceratos. Ipse igitur iratus, & apertâ literâ, legit, quòd Frater Albertinus salutans germanum suum, inter cetera verba dicebat ei, Fratrem Minorem quemdam ipsius Fratris Albertini, & suorum amicorum carissimum amicum, habuisse diebus istis gratiam ab Apostolica Sanctitate, & dignitatem Episcopalem in Romania (i), & quòd firmiter hoc sciret, guerram illam de Marchia non posse durare amodo tribus annis. Sic ergo in Verona protinus captus est Otho Vulpis. In sequenti verò die capti sunt in Padua isti parentes ejus, Vvercius ejus frater, Leonardus Notarius de Cuticellis frater patris Othonis Vulpis, Rolandus Judex, Trepinus (16) filius Leonardi, Lazarellus (17) Notarius, & Antonius ejus filius, attinentes eis per parentelam, Henrichus Branzuza (18), cujus filiam in uxorem habebat unus de Cuticellis, & filius ipsius Henrici, & demum omnes familiæ omnium prædictorum.

CAP. IV.

Iterum hìc capiuntur quidam fidelissimi Eccelini, jussu ipsius.

ANno prædicto multi capti sunt de Paduanis civibus in Verona, quos Magister Michaël prædictus accusaverat, & adhuc cotidie accusabat in prædicta conspiratione fuisse. Potestas enim Ansedisius prædictus ipsum Michaëlem in carcere longo tempore tenuit, postquam captus fuit, propinans ei necessaria affluenter, ut scilicet accusaret illos, de quibus, vel in quibus causas Ansedisius, sive justas, sive injustas libenter inveniebat. Et ne credatur hoc aliter esse, quàm dicam, Michaël ipse postmodum, cùm in ultimo judicio fuit in Platea Communis, omnibus audientibus, sic fuisse publicè testabatur, accusans semetipsum in morte, clamando culpam, dicendo se falsum esse, ac proditorem, dignum omni supplicio, morte, & pejùs morte.

Hoc anno etiam capti sunt quidam in Padua, quidam in Verona, propter accusationem prædicti falsi accusatoris. Jacobus Jaja captus est in Verona, frater ejus nomine Comes cum eo. Vvaragninus Salomonis de Mandria ductus mortuus de Verona, decapitatus est in Platea post mortem. Et cuidam de familia de Schinellis ibidem truncatus est capud, ad instantiam Bontraversi.

Illo eodem die, quo factum est istud, Judex quidam sapiens, & discretus, transfiguratus in vestimentis, dictus est velle de Civitate fugere, & ire ad partem inimicorum, pro tantis maleficiis, quæ sinè intermissione fiebant: sed eo capto eundo per viam (K), & sic in vestimentis mille colorum (19) ducto ad Potestatem; cùm inventum sit, quòd ejus non erat transfiguratio fraudulenta, cunctos convertit in risum, & sic dimissus est impunis.

CAP. V.

De morte illorum de Montesilice honorabiliter acquisita.

FActum istud de hoc Judice fuit quodammodo delectabile, & jocosum; sed quod nunc sequitur, ferè fuit Eccelino, & suæ parti periculosum. Eccelino namque ut dictum est, multo tempore manente Veronæ, cùm illic, sicut & in Padua, multi accusarentur manentes in Civitate, & extra: accusati sunt Monte, & Araldus de Montesilice: pro quibus ad se conducendis, misit Eccelinus quosdam Milites de melioribus specialiter, quos habebat. Stabant namque tempore illo Veronæ multi Nobiles de Padua (20), & aliunde, pro securitate Domini Eccelini, & ut ejus Curia plenior, & honoratior appareret. Ducti quoque sunt Nobiles illi de Montesilice, detenti tamen curialiter, ad Curiam, die quadam mense Februarii, prædicti anni MCCLIII. & casu fortuito illa die, & hora Eccelinus in prandio recumbebat. Dum igitur clamarent alta voce inferiùs, dicentes se nec esse nunc, nec fuisse prædecessores suos aliquo tempore proditores, & dicerent hæc verba frequenter; & cùm Eccelinus stans superiùs hoc totum audiret; irato animo, sed sinè armis, descendit inferiùs, & accedens ad ipsos, ait: *malè veniant proditores*. Dictus verò Monte hoc audiens, furore inflammatus, & ira, fecit insultum in Eccelinum, ipsumque capiens toto corde, & animo, prostravit in terram, & audaciter extendit se totum superiùs & inferiùs positum inimicum, & omni postposita reverentia, & timore, cùm à se cultellum non haberet, vel arma, cultellum tyranni subterpositi, stridens dentibus, perquirebat. Esse profectò potuit illa dies multorum malorum finis, viduarum, & orphanorum vindicta, consolatio pauperum, multorum mortalitatis defensio, finis innumerabilium rapinarum, Lombardiæ ac Marchiæ securitas, & libertas: sed sinister casus illic posuerat Militem prudentem, & animosum Jacobinum filium Comitis Schinellæ de Padua, quem Eccelinus, cum multis aliis Militibus in Verona, ut supra dictum est, pro sui securitate tenebat. Hic evaginato gladio, crus Montis dextrum ictu subito detruncavit. Et tamen Mons ipse, quasi immobilis, virum impium ad ultimum suffocasset, nisi ceteri circumstantes ipsum, & ejus fratrem continuò per viscera lacerassent. Habuerunt tamen Medici usque ad plures dies quid facerent circa faciem Eccelini signatam dentibus, & sanguinatam unguibus viri (l) commendabilis, & audacis, & qui, præ ceteris hominibus hujus Mundi, finivit sic laudabiliter vitam suam.

CAP.

(h) *MS. Ambr. II. addit* Fratrum Minorum.
(i) *Idem* in Romana Curia.
(16) *Cod. Estens.* Turpinus *ita & Ambr. II. verùm Ambr. I.* Tyrepinus.
(17) *Cod. Estens.* Lancerolus.
(18) *Cod. Estens.* Brancutia.

(K) *MS. Ambr. II. loco verbi* per viam *habet* Parmam.
(19) *Cod. Estens.* nullo colore.
(20) *Cod. Estens.* multi nobiles Paduani milites &c.
(l) *MS. Ambr. II.* commendabilis, nobilis, & audacis.

Digitized by Google

CAP. VI.

De captione Fratris Felicis, & Carnaroli ejus fratris Veronæ.

IN isto eodem Anno visum est quòd Eccelinus de Romano suspectum habuit Dominum Carnarolum, virum potentem, & divitem de Verona. Ipsum itaque fecit curialiter detineri, & quasi sub forma boni faciebat secum ad mensam stare, cautus tamen semper in facto suo. In Padua verò hoc aliter est nescitum, nisi quòd mense Octubris ejusdem anni Frater Felisius Præceptor, sive Magister Ordinis Alemannorum in Padua, cùm foret carnalis frater Carnaroli prædicti, & ivisset die dicto ad paisandum, ut dixit, portans secum in equo servientis sui panem, vinum, & pisces, captus est, & detentus jussu Potestatis Paduæ in campanea Paduæ (21) Montis Rubei Paduani districtus, missusque Veronam detentus. Nescitum est ulteriùs, an gladio, an carcere perisset. Priùs tamen quàm foret Veronam missus, positus fuit quidam Notarius nomine Ricardus à Sancta Cruce de Padua causâ servandi eum in Padua in loco Fratrum Alemannorum, de quo Notario postmodum dictum fuit, quòd conventione cum Fratre Felisio facta de libris M. fugere debebat uterque. Detentus est & Ricardus, missusque cum illo Veronam. Relatum est Paduæ postmodum, quòd dimissis ambobus brachiis in tormento mortuus decidit, & deformis. Supradictus siquidem Dominus Carnarolus in Platea Veronæ est dilaceratus per frustra (22).

Diebus illis captus est Ubertus olim filius Ugonis à Vado in Padua, propter conversationem quamdam solummodo, quam occasione fratris sui nomine Benastrii habebat cum ipso Fratre Felisio, qui olim in suo Ordine receperat ipsum Benastrum, & eum ad partes transmiserat alienas.

Detentus est & Ziraldus de Parma, Miles, & socius Eccelini, qui nunc secum Veronæ erat: & erant jam anni XVII. & ultra, quòd tam in pace, quàm in guerra, in die cum ipso stabat, & cum eo nocte in eadem camera dormiebat.

CAP. VII.

De multis captis in Padua, & Verona.

NUnc restat Capitulum quoddam ponere, in quo fiat quasi summaria mentio de multitudine captorum prædicto anno, in quocumque scilicet tempore ejus anni; de quibus quidam sunt capti de Padua in Padua, & aliqui in Verona, quidam eis impositâ causâ, & si justa fuerat, vel injusta, explicatâ, etiam aliquibus occultatâ. Brizafollus (23) Notarius captus est eo solo, quòd ejus filii sinè fraude dixerunt, ipsum velle Religionem intrare. Ugo à Sancta Juliana de Padua, quem Eccelinus constituerat, & stare fecerat Potestatem in Regio, & fuerat illic ejus Notarius Brizafollus. Captus est Otholinus ipsius frater. Domicellus Eccelini nomine Sylvester, quem etiam præ ceteris videbatur habere carum, hac sola occasione captus est, quòd Dominum Ugonem amicum suum in carcere visitabat. Guidotus de Burzigana, Dominus Albertus tertius filius Comitis Schinellæ de Padua captus est in Verona. Ugo ejus nepos, Dominus Ugolinus frater ejusdem Alberti tertii captus in Padua. Dominus Jacobinus de Schinella frater istorum, stans Veronæ missus est ad præcepta ad partes Bozani (24), & Pressinoris, cui vita donata est, & ejus filio Domino Michaëli, totique ipsorum familiæ, propterea quòd occidit Montem de Montesilice, & Eccelinum liberavit à morte (25). Thomaxius à Sancta Juliana Judex de Padua captus est in Verona, Lucas ipsius frater, Petrus Bonus de Nannis (26), Artusius de Nannis, Advedutus Judex, & Nicolaus Rubeus de cognatione eadem. De quadam autem projenie de Padua eorum, qui dicebantur Pinchoti (27), Tisolinus existens Veronæ Vicarius obiit sua morte; Dalesmanellum ejus fratrem Eccelinus incarceravit; Petrum Judicem eorum patruum carceravit. Benvenutus Judex de Favalixis de Padua, existens Veronæ Vicarius, jussu Eccelini incarceratus est in Verona, & sic demum vitam in carcere finiverunt. De prædictis autem omnibus tam Nobilibus, quàm Militibus, vel Judicibus, manifestum erat in Padua, quòd nullos habebat Eccelinus in tota Marchia fideliores, nec magis ferventes in ejus parte, & erant in Padua multùm divites, & potentes. Trivixolus faber captus est in Padua quasi ultimus post prædictos, fictâ in eum causâ, quòd claves debebat fabricare adulterinas, ut portæ Civitatis Paduæ nocte inimicis aperirentur furtivè. Bertholasius Notarius à Prato, quia pertinebat supradicto Paraxio (28), & fratribus, captus est in eodem Anno Domini circa finem mensis Junii. Manfredinus ipsius pater, Bellotus alter filius Manfredini, Thomasius, & Pipinus fratres Manfredini ejusdem, Armenardus, & Joannes ipsius Pipini filii, Marcus Thomasii filius, Leonardus de Zambo, Riprandinus, & Zambus filii Leonardi, Josue gener Leonardi. Florius ipsius Leonardi filius tunc ad campos exiverat ad aves capiendas, & fûgit. Otho frater Leonardi est captus, Floravans, & Thomasius olim filii Zimboni (m) de eadem parentela sunt capti; captus est Cavurlus (n) quia supradicti Paraxii consanguineus erat, captus est Patavinus à Prato cognominatus Comes, & est causâ solummodo, quia ipsi Paraxio erat familiaris. Quid plus? & de familiis omnium prædictorum, scilicet de mulieribus, de magnis, & parvis, de servitoribus, & servitricibus eorumdem, de rebus, & supellectilibus suis generaliter, nihil aliud est dicendum, nisi quòd omnes, & omnia sunt erepta. Sciendum insuper, quòd tres erant in Padua, qui credebantur habere magnam pecuniæ quantitatem, causâ cujus pecuniæ habendæ, unus de familiaribus Ansedisii

(21) *In Estens.* τὸ Paduæ *deest*.
(22) *Cod. Estens.* frusta.
(23) *Cod. Estens.* occulta. Brizafolis quidam Notarius.
(24) *Cod. Estens.* Bassani. *Ambr. I.* Rozani. *Ambr. II.* Bolzani.
(25) *Cod. Estens.* à morte, ut supra legitur in hoc eodem libro Cap. V. §. Factum istud &c.
(26) *Cod. Estens.* Bonus de Vannis, Artasius de Vannis. *Ambr. II.* de Naninis.
(27) *Cod. Estens.* Pictori.
(28) *Cod. Estens.* Paxio *semper*.
(m) *MSS. Ambr. ambo*. Zamboni.
(n) *MS. Ambr. II.* Carnarolus.

Digitized by Google

dissi de VVidotis eos de diversis criminibus incusavit: unde tres illi omnes eodem prædicto anno capti sunt, & in carcere positi, & sic ipsorum totam pecuniam habuit Ansedisius de VVidotis. Fuerunt autem isti tres, videlicet Papa-Sancti, Mustus campsor, cum ejus fratre, & Prosdocimus Notarius, qui dicebatur de Cavo. (o) Cui nempe Prosdocimo duæ causæ hujusmodi nocuerunt, una scilicet quia Ugo de Sancta Juliana, qui jam antea captus erat, ejus habebat filiam in uxorem; altera verò causa, quia pecuniam quasi innumerabilem dicebatur habere: nam & post captionem ipsius inventa est intrinsecus in quodam angulo domus ejus Calderia quædam super terra posita, Venetialibus grossis plena, quæ capax erat, ut dictum fuit, duorum stariorum, (29) & ultra.

CAP. VIII.

De pœnis carceris Cittadellæ.

IN eo satis patuit manifestè, quòd effusa pecunia sapienter clarum reddit hominem & dilectum; cumulata verumtamen, & suffossa, possessorem reddit omnibus odiosum. Ut posset namque tanta pecunia rapi commodiùs, captus est prædictus Prosdocimus, missus quoque ad carcerem Cittadellæ ad Maltam, cujus loci dispositio, immò ærumnæ infernales, vix possent scribi, vel recitari, quemadmodum illi referunt, tamen pauci, qui pœnas illas intolerabiles passi, quasi Martyres confitentes in Christo, per ejus misericordiam miraculosè superaverunt. Ibi verè fletus, & stridor dentium, ibi dolor, & ululatus, ibi continuæ tenebræ, ibi vermes, ibi fœtor, & angustiæ deficcantes, sitis, fames, timor, tremor, gemitus, & suspiria inaudita. Quid plus? non est relatu dignum, sed illic multi consumti fame, siti quoque arida nihilati, talem (n) auferunt potum, talem furtim emerunt cibum, qualis per sui fratris posteriora, vel socii de corpore desiccato exivit, forsitan & de suo. Hìc inventum est esse aliquid pejus morte. Bene quidem ait Ovidius:

Morsque minus pœnæ, quàm mora mortis habet.

Beati namque reputabantur, qui tracti de tantis pœnis, per mortis beneficium millies appellatæ, viginti die qualibet, immo plures, exportabantur mortui nigris cutibus circa spinas, & ossa, in cratellis, & curriculis, quasi ad campum Alchedemach, foris à Cittadella hiis martyribus deputatum, ibique cooperiebantur adeò parva terra, ut lupi noctibus multa traherent inde corpora Christiana per campos, & (proh dolor) humanis visceribus ferarum viscera pascerentur. Stetit namque continua ista pestis ab Anno prædicto Domini MCCLI. quo factus est talis carcer, usque ad MCCLVI. quo Padua est, ut dicetur inferiùs, de jugo servitutis erepta.

CAP. IX.

De morte multorum in Padua, & Verona.

ILlo eodem Anno superiùs nominato, scilicet MCCLIII. (p) una injusta, horribilis, & crudelis mors in Padua facta fuit: nam Ubertus filius olim viri Nobilis Ugonis à Vado Paduani civis, qui consumtus fame fuerat in Castro Cornutæ, ut supra dictum est, in secundo Capitulo V. Libri 5. Adveniente &c. captus Paduæ tenebatur, contra quem cùm nullus haberet causam, præter familiaritatis cum fratre Felisio Magistro Alemannorum, propter ipsius fratrem, ut dictum est; quidam, causâ placendi Ansedisio solummodo Potestati, petierunt ipsum Ubertum ad puniendum: quem per Civitatem, per terram horribiliter tractum, gladiis laceratum, ultimò combusserunt. Ex hoc juvene quasi communiter doluerunt omnes, cùm nulla sit inventa persona, quam ipse verbo, vel facto, in aliquo molestasset.

Hoc eodem tempore apparuit Veronæ quidam in Curia Eccelini sedentis ad mensam, volens ad ipsum Eccelinum accedere, quem Senescalcus procedere vetuit: & sic inventus est ille ignotus homo gladium deferre occultum. Ab eo autem incontinenti detento, & diebus pluribus in carcere compedito, nec Eccelinus, nec aliquis potuit scire per modum aliquem, vel per ingenium, vel tormenta, quis foret, vel etiam unde missus: nec ipse voluit, vel fortè non potuit confiteri, nam & idioma nostrum non videbatur habere. Et sic demum, quia nihil penitus potuit inveniri per eum, vivus in igne positus est combustus, & visus est lætanter subire mortem. Unde quidam illic dixerunt, quòd fuit Assaxinus pro certo, missus à quodam Principe de partibus transmarinis, qui dicitur Veglus de Montagna, cujus nuntii euntes per Mundum tyrannos occidendo, si possent; incontinenti cùm possunt lucrari mortem de mandato sui Domini, sperant (30) in æterna gloria collocari.

Veronæ adhuc, in isto eodem Anno, facta est una die horribilis quædam cædes, & magna, ad quam perpetrandam vocati sunt quidam usque de Padua, sicut vocantur operarii ad arbores excidendas. Hii autem occisi fuerunt Veronæ in Platea, eadem die, Thomaxius de Janne de Padua, Rubeus de Plebe, Henreginus à Flumine, Comes frater Jajæ, Ugo à Sancta Juliana, Otholinus ejus frater, Bartholomæus Johannis Vialucii (31); Sylvester, quem Eccelinus habuerat præ ceteris suum carissimum domicellum, & servientem, & ejus jussu traynatus per Civitatem crudeliter est peremtus. Sicque & alii multò plures, tam de Padua, quàm de Verona, quidam ferro, quidam carcere perierunt, & aliqui sunt missi Paduam mortui, & post mortem in Platea Paduæ decapitabantur, quorum corpora postmodum comburebantur, & ossa.

Similiter in hoc anno capti erant quamplures de fratribus Minoribus, de Prædicatoribus, de Ordine Sancti Willielmi, de Fratribus Albis, & in carcere tenebantur.

CAP.

(o) *MS. Ambr. I.* de Calvo.
(29) *Cod. Estens.* sestariorum.
(p) *MS. Ambr. I.* MCCLII.
(30) *Cod. Estens.* Domini in æterna gloria collocari se credunt.
(31) *Cod. Estens.* Malyitii, *cui adhæret Ambr. II. Ambr. verò I.* Malucii.

CAP. X.

Iterum hìc tangitur de (32) morte multorum in Padua, & Verona.

QUamvis usque ad hæc tempora in quibusdam annis sit captio facta de multis, & sit etiam facta cædes; adhuc tamen in Anno Domini MCCLIV. facta est magna captio, & facta est magna cædes. Ecce namque mense Februarii, licèt affidata fuisset tota quædam projenies, quæ dicebatur de Belludis, & jam securè stetisset tempore aliquanto in Padua; nunc fracta est eis fides per Ansedisium de VVidotis, adhuc Paduæ Potestatem, & capti sunt isti, Dominus Figura, Bondi, Coxetta, & Belludus, eorumque Dominæ, & de ipsorum familiis omnes. Tempore quoque Quadragesimali immediatè sequenti, Thomaxius à Sancta Lucia de Padua captus est in Verona, quem Eccelinus multis annis fecerat, & dimiserat Vicentiæ Potestatem; Gerardus Judex de Spinabello. Capti verò sunt Paduæ Rolandinus, & Gastonus, Dominus (33) Menedusius Canonicus Paduæ, & quidam Frater Minor, qui omnes erant de cognatione prædicti Thomasii de Sancta Lucia. Et captus est Albertus Rayba de Buvolenta, Meneduxius ejus filius, Jacobus filius Meneduxii, & Licanor, cum familiis suis omnibus, masculis, & fœminis, parvulis, atque magnis; Salatrexius de Lignaro, Montebellus ipsius frater, eorumque familiæ: dicebatur enim, quòd hi prædicti omnes attinebant illis de Sancta Lucia (34) per lineam parentelæ. Bonifacinus de Robegano nunc erat miles & socius Potestatis, scilicet prædicti Ansedisii de VVidotis: & ipse circa mensem Junii captus est, & detentus in carcere in Castro de Padua, ubi tunc etiam alii multi erant.

Tunc unus solus Judex natione de Padua, qui Ferrariæ honorem habebat in parte Marchionis, & loco (35), visus est pericula non timere: prædicta parte namque Marchionis relicta, vênit Paduam, & dictus est Eccelini amicus.

In opinione verò alia & diversa fuerunt Jacobus, Bartholomæus, & Ruffus fratres, qui cum uxoribus cautè fugierunt dominium Ansedisii Paduæ (36) Potestatis. Nec mirum, nam ipsorum pater Miles curialis & strenuus Dominus Henselminus de Ruffo, quem Eccelinus habuerat multo tempore præ ceteris Militibus cariorem, prædicto mense Junii per ipsum Eccelinum detentus fuit, & injustè carceratus Veronæ.

CAP. XI.

Iterum de morte, & horribili truncatione multorum.

DIximus de detentis, licèt non de omnibus, nunc possumus dicere de multis injustè occisis: nec est possibile de omnibus, nec de singulis facere mentionem, quorum quidam in Padua, quidam mortui in Verona decapitati sunt, quidam confracti, quidam tracti per terram, alii & alii sunt combusti, excœcati quidem aliqui, & aliqui sunt castrati; nec dico de omnibus uno die, sed diversis diebus, & mensibus, & in maxima quantitate prædicto anno. Dominus Figura de Belludis vir discretus & honorandus, mortuus in tormento in Castro Paduæ, post mortem decapitatus est in Platea. De Othone de Zambo factum est illud idem; idem de Morriale de Plebe Sacci. Bonifacinus de Robegano prædictus, qui Miles fuerat Potestatis, infra mensem postquam detentus fuit, tractus est per Civitatem ad caudam unius equi à famil aribus Potestatis, & ab eisdem truncatus etiam, & combustus in foro. Mense quoque Septembris ejusdem anni sequente, XVII. in una die, & ferè in hora una, in Platea Paduæ sunt crudeliter lacerati per frustra (37), & factis ignibus plurimis & diversis, membratim ipsa corpora sunt combusta. Horum autem aliqui Milites, & aliqui plus quàm Milites; aliqui Burgenses, & aliqui fuerant honorabiles Populares. Studiosus namque Eccelinus totis viribus Paduam deformare, non ponebat curam ad inimicos (38), quamvis etiam & de illis aliqui perierunt. Hi autem fuerunt, qui sic indignè, sic horribiliter sunt puniti, Dominus Ugolinus filius Comitis Sichinellæ de Padua, Petrus Bonus de Nannis (39), Simeon Domini Ariberti, Dominus Honor de Tergula, Jacobus Trapolator, Bertholaxius à Prato, Lucas à Sancta Juliana, Dominus Albertus Judex de Borsellis, Floravans à Prato, Jacobus Bottacius Judex, Henricus de Alcherio, & Peruculus de Runchis, Johannes Malvicius, Bertholomæus Papasancti, Jacob (40) de Gatarolis, Bonacordus de Plebe Sacci, Bartholomæus Gatarolus. Ibi etiam Notarius quidam, scilicet Johannes Bavosus, privatus lumine, de Padua est expulsus.

CAP. XII.

Adhuc de morte quorumdam (41) & de demembratione multorum.

IN sequenti Anno Domini MCCLV. in mense Augusti truncati sunt, & demembrati quidam in Platea Communis, Henreginellus de (q) Villa Plebis, Rolandus Judex de Cutticellis, Thomaxius Armenardi à Prato Vallis, Josue de eadem ora, Bellotus (r) frater Bertholaxii (s), & Cavurlus. Magister verò Michaël Cremonensis solus in hiis justè punitus fuit, & notandum, quòd quasi ultimus: reservatus enim fuerat studiosè, immo etiam nutritus, & alimentatus in carcere, ut per ejus linguam maledicam, immo veriùs maledictam, omnium supradictorum malorum qualis posset haberi causa. Sanè cùm vidit gladiatores se ad ejus truncationem parare, quod usque nunc vix (t) credebat; se miserum alta voce publicè accusabat, & illam suam linguam falsissimam,

(32) *Cod. Estens. & Ambr. II.* de captione, & morte &c.
(33) *Cod. Estens.* Guasconus.
(34) *Cod. Estens.* Juliana.
(35) *Cod. Estens.* & locum.
(36) *Cod. Estens.* de VVidotis Paduæ Potestatis.
(37) *Cod. Estens.* per frusta.
(38) *Cod. Estens. & Ambr. II.* minimos.
(39) *Cod. Estens. & Ambr. II.* de Vannis.
(40) *Cod. Estens.* Jacobus.
(41) *Cod. Estens.* quorumdam in Padua.
(q) *MS. Ambr. II.* de Plebe Sacci.
(r) *Idem pro* Bellotus, *habet* Bertholotus.
(s) *MS. Ambr. I.* Bartholomæi, aliter Bertholasii.
(t) *Idem* vix esse credebat.

Digitized by Google

simam, quæ tot, & tantos falsò accusaverat, ad tormenta conduxerat, & ad mortem. Est demum & ipse truncatus cum ceteris, & combustus. Hic locutus est aliquis, inspiciens Michaëlem sic turpiter per viscera laceratum. *Suos*, inquid, *bene remunerat Diabolus servitores, ut quanto fideliùs ejus ministris servivevint, tanto duriùs & turpiùs puniantur*.

Tunc etiam per multas contratas per Paduam multi pueri sunt cœcati, post quod circa dies XV. castrabantur, & fuerunt numero circa XXXV.

Procedente quoque tempore, circa festum Assumtionis Virginis gloriosæ, cujus solemne festum celebratur in Clugia, posuit Ansedisius de VVidotis insidias illic inferiùs citra (42) Cavarcerem prope locum Sancti Johannis ad flumen Veglum; & capti sunt illic Paduani quidam, stantes tunc temporis in parte (43) Ecclesiæ, qui redibant ab ipso festo, & tendebant versùs Comitatum Rudigii. Ducti quoque Paduam, & nullâ inventâ in eis causâ offensionis, diminuti sunt aliquibus suis membris Chaceta filius Galinarii, viri discreti & curialis, Capa filius olim Boni, & Jacobus de Polveraria indignè sunt singulis manibus & pedibus mutilati.

Mense quoque Novembris sequente, capti sunt alii quatuor boni cives in Padua, & de bono Populo Paduano, Pyrrus, & Gerardellus fratres, Jacobus de Gastone, & Azo Johannis Ranæ, impositâ eis causâ, quòd literas receperant à filiis olim Domini Macarussi de Padua, & eorum matre, qui nuper de Padua ad partem Ecclesiæ, & Marchionis exiverant, propter mala tanta, quæ in Padua sinè intermissione fiebant. Dicti autem Pyrrhus, & Gerardus (44) fratres, elapsis diebus paucis, sunt in Platea occisi.

CAP. XIII.

Monitio quædam, sive utilis injunctiva (45).

Sciendum est denique, quòd de quibuscumque superiùs facta est mentio, quòd sint capti per Eccelinum, vel aliqualiter conversati cum eo; nulli, vel valde pauci, manus ejus sanguineas effugerunt, quinimmo sunt mortui quasi generaliter omnes, vel Paduæ, vel Veronæ, aut Vicentiæ, ubi dominabatur nunc (46), depauperati sunt prorsus, & quasi compulsi ad mendicandum. Quod esse debet exemplum cunctis, ut talium sit spernendum dominium, conversatio fugienda, vitandum servile jugum, & modis omnibus defendenda libertas usque ad finem mortis. Ecce nunc manifestè videmus, quanta horribilia, & nefanda tyranni tales operantur in Civitatibus, quibus regnant. Ubi nunc innumerabilis, immo laudabilis multitudo Populi Paduani, dispersi crudeliter, & mortui ante tempus? Ubi divitiarum copia? Ubi turres, & ædificia, domus, & palatia, loca, & habitacula delicata? Sunt namque per fas & nefas hæc tria sublata de Padua, immo de tota Marchia Tarvisina, non per Barbaros, vel Judæos, & non per Medos, vel Sarracenos, non per Sacromacas (47), vel Britannos, non per Tartaros, vel Chaldæos. Et oh detestabilis illa dies, qua tumescente superbia, invidia subintrante, argento forsitan mediante, vel auro, in Marchia vigor evanuit, tepuit fides, & veritas, Prudentia friguit, Caritas, rectitudo, sapientia, & curialitas sunt corruptæ! Sed agamus gratias fomiti gratiarum, quòd malefactorum memoria cum sonitu periit, & Commune Paduæ, licèt multis incussum fluctibus, tamen amodo, Divinâ, & Apostolicâ gratiâ reformatum, in propria conservabitur libertate, exemtum quidem à talibus pecuniarum exactionibus, & à tantis, & sic diversis dispersionibus personarum, quales, & quantas numquam intulit hominibus Pharao, nec Nero, neque cruentus Annibal, nec Busiris, non Syllæ nequitia, vel Herodis. Tempore namque tyrannidis Eccelini verificata est comminatio illa, quam apud Montagnanam, multis audientibus, dixit: Tempus futurum esse, quo vivi mortuis inviderent, ut supra legitur in VI. Capitulo Libri IV. §. Reversus &c. Illius quidem tempore tyranniæ nullus habuit requiem, nisi mortem, nec licitum erat cuiquam relinquere Civitatem. Vir enim quidam providus & discretus de Padua proposuit effugere tantas pœnas, & ad præcepta Matris Ecclesiæ se transferre, & fuit Canonicalis persona. Captus est, hac occasione solummodo, sequente Anno Domini MCCLVI. mense Aprilis, & igne consumtus in foro. Duo autem homines, qui promiserant eumdem conducere, hac injusta causa, pœnam suspendii sunt perpessi.

(42) *Cod. Estens.* circa Cavarcerem.
(43) *Cod. Estens.* in partibus Ecclesiæ.
(44) *Cod. Estens. & Ambr. II.* Girardellus.
(45) *Cod. Estens. & Ambr. II.* invectiva.
(46) *Cod. Estens.* nunc terro, nunc igne, nunc carcere, nunc tormento; & qui non mortui sunt, depauperati &c.
(47) *Cod. Estens.* Sauromatas.

Explicit Liber Septimus.

IN-

INCIPIT OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

Adventus Legati ad partem Marchiæ Tarvisinæ.

DAtori (48) bonorum omnium grates debitas exſolvamus, qui ſuos Nuntios, & miniſtros ſemper inſpirat ad bonum, & poſt inſpirationem porrigit (49) eis manum, ut ſi qua malefacta duraverint, tamen cum laude Domini emendentur. Ecce quidem Sanctus Apoſtolicus Chriſti Vicarius, de ſuorum fratrum conſilio habita deliberatione ſolemni, tum propter inſtantiam Marchionis Eſtenſis, & Domini Tyſolini (50) Novelli de Campo Sancti Petri (ætate tunc juvenis, ſed ſenſu maturus (51) & ſapiens erat) & aliorum Nobilium de ſuis Civitatibus expulſorum; Dominum Philippum, Dei gratiâ, Ravennatem Electum, jam conſtituerat Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Nuntium, & Legatum ad partes Marchiæ Tarviſinæ, ipſe igitur Legatus congregatis gentibus undecumque, & prædicans Chriſti Crucem, prima fronte ad partes Venetiarum deſcendit, in dicto Anno Domini MCCLVI. menſe Martii. Fecerat autem Eccelinus diebus illis propoſitum terras Mantuanorum intrare hoſtiliter. Itaque congregatis in Verona militibus, & peditibus, berroëriis (52), & baliſteriis de Marchia, & de Pedemonte, potenter & magnificè cum omni illo bellico apparatu movit de Verona circa principium menſis Madii, eligens punctum ſui motus, cum ſapientibus ſuis, more ſolito; & equitavit in hoſtes, tota ſua intentione deſiderans ad effectum nunc ducere quod jam longo tempore peroptabat, Mantuanum diſtrictum ſcilicet ſubmittere deſtructioni & igni. Sed antequam iret, Dominum Bontraverſium, virum nobilem, ſuum ſocerum, carceravit, ignorante ipſius filia Domina Beatrice. Igitur Anſediſius Paduæ Poteſtas, audiens Dominum Legatum veniſſe Venetias, & Paduanos expulſos pro ſua Poteſtate legiſſe Dominum Marcum Quirinum, civem Venetiarum, virum probum, & ſapientem; & Dominum Marcum Badoarium factum eſſe Mareſcalchum Domini Legati, & Poteſtatis, ac totius exercitus: volens ipſe primum inſultum facere, nocte quadam rumpi fecit molendina quædam ipſius Marci Badoarii, quæ ſunt illic inferiùs, ubi aqua dulcis labitur, & diſcurrit in ſalſam. Caſtrum quoque de Buvolenta fecit plus ſolito cunctis neceſſariis præmuniri, fecitque claudi flumina ſpecialiter hac de' cauſa, ne Venetorum naves poſſent ad Buvolentam appropinquare. Muniri fecit Caſtrum de Concadalbero, & ſolicitè cuſtodiri; Cauſylve fecit circumdari magnis foſſis, & generaliter præmunitum

A ubique omnem portum, & omnem locum, unde hoſtes venire poſſent. Sed non obſtitit venerabili ſigno Crucis locorum munitio, nec aquarum detentio; immo facilior fuit tranſitus, ubi non erant aquæ: ſic enim Sapientia Domini diſpenſavit, ut tota (53) ſtoliditas inimicum Eccleſiæ obcœcaret, quòd dum vellet ſubtractis aquis vias Sanctæ Matris Eccleſiæ impedire, largas faceret, & potiùs expediret. Sic nempe cadit aliquando vir injuſtus in foveam, quam paravit,

Et ferit actorem ſæpe ſagitta ſuum.

Exercitus ergo Crucifer providè gubernatus pervênit ad Caſtrum Brentæ. Quo audito Anſediſius Poteſtas Paduæ in principio menſis,
B (54) nocte quadam cum Paduanis, & cum illis de Feltro, & Pedemonte, quos ſecum tenebat in Padua, feſtinanter equitavit ad Plebem (u), & ibi fecit illico fieri magnas foſſas, inimicis graviter comminando. Legatus autem ſuis ſubditis ſæpiùs aſſerebat, ſe voluntatem noſſe plenariè Paduanorum omnium, qui ſub Eccelini tyrannide tenebantur inviti. Unde ſuos confortabat aſſiduè, ut ſecurè ſtarent, & niterentur, & gentem quaſi barbaram, & hæreſim expugnarent, muniti ſignaculo Sanctæ Crucis, & in ſervitium Jeſu Chriſti: & ſic eos feliciter (55) conduxit ad Correzolam, caſtramentatus (56) ibidem. Ubi dum diebus aliquibus moraretur, gens verò die,
C noctuque clamaret *ad Plebem*, *ad Plebem*; *Moriantur hæretici*, *moriantur*; rumor ille inimicos terruit, amicos Eccleſiæ plurimùm animavit. Tunc datum eſt Vexillum exercitus, & totius guarnimenti, laborantis pro Eccleſia Sancta Dei, prædicto viro Nobili Domino Tyſoni de Campo Sancti Petri, utpote fideli Eccleſiæ, in quo jam virtus, & ſapientia reflorebat in tantum, ut cum ipſo ulteriùs omnia ſecreta conſilia tractarentur. Nunc apud ipſum utique aſtiterunt egregii quidam Milites, ſcilicet Dominus Aycardinus Capud-Nigrum, & aliquot alii cives ſtrenui Paduæ; ſumentes ſecum quamdam peditum quantitatem, & terras infidelium inſultaverunt: qui
D talis inſultus & vigor fideles Eccleſiæ iterum roboravit, & terruit infideles. Anſediſius ergo Poteſtas de Padua, volens timorem contegere ſuum, & ſuæ gentis; Militem ſuum ſatis providum (57), & prudentem de Feltre, Gorziam nomine, Capitaneum militum, & peditum ſui guarnimenti conſtituit; & equitaverunt ambo cum magna gentium quantitate ad Pontem Longum, & partes illas, ubi jam erant prope illi, qui pro Eccleſia (x) laborabant: & voluit tunc Gorzia inſultare in inimicos, ſed Anſediſius non permiſit; ſed ambo dederunt terga cum ſua gente uſque ad Villam Plebis. Et fugiens Anſediſius dicebat Gorziæ quaſi in ſubſurro: *Vides ecce Gorzia,*
E *quòd*

(48) *Cod. Eſtenſ.* Factori &c.
(49) *Cod. Eſtenſ.* ſemper porrigit.
(50) *Cod. Eſtenſ. & Ambr. II.* Tiſonis.
(51) *Cod. Eſtenſ.* (qui vivit uſque MCCLXXXXVI. & ultra, ſed ſenſu maturus tunc in ipſa juventute, & ſapiens erat.)
(52) *Cod. Eſtenſ.* Barberiis: *Ambr. I.* Baroeriis: *Ambr. II.* Beroderiis.
(53) *Cod. Eſtenſ.* ut tanta ſtoliditas &c.
(54) *Cod. Eſtenſ.* menſis Junii.
(u) *MS. Ambr. II. addit* Sacci.
(55) *Cod. Eſtenſ.* ſalubriter.
(56) *Cod. Eſtenſ.* & eſt caſtramentatus &c.
(57) *Cod. Eſtenſ.* militem quemdam ſuum ſatis prodem & prudentem.
(x) *MS. Ambr. I. pro* Eccleſia *legit* Patria.

Digitized by Google

quòd certè non erat tutum cum hac gente insultare in hostes: quia gens est trepidans, & inermis, nec sunt homines consueti in actibus bellicosis, & quod etiam pejus est, infideles sunt nostro Domino Eccelino, & ejus parti. Et sic ambo loquentes ad invicem intra dentes, devenerunt ad Plebem, & hospitati sunt non sine timore ibidem.

CAP. II.

Factum de Concadalbaro.

POst hæc statim sequenti die, dimissa sufficienti gente in Correzola, pro custodia navium, & castrorum, Potestas, & gens Legati mota est, & equitavit ad Concadalbarum; erat enim locus magnis fossis aqua plenis, & aliis munitionibus præmunitus. Primò Potestas fecit vocari Martinum de Dayniaxo (58), & Gregorium de Zuchis Capitaneos loci, ut redderent Castrum Ecclesiæ: quod cùm penitus recusassent, jussit Potestas locum undique expugnari; & tam intrinseci, quàm extrinseci adeò pugnaverunt, quòd hinc inde vulnerati, & mortui sunt quamplures, alii sagittis, & lanceis, alii fudibus (59), & lapidibus; alii quoque in aquis loci, in quibus utique perierunt aliqui filii Militum, propter suam audaciam, & præcipuè propter arma. Sarraceni autem (60) locum defendentes sagittis, & ipsi sagittis, & lanceis sunt occisi, & ut bruta animalia macellati. Reddiderunt ergo prædicti Capitanei Castrum, & habuerunt à Potestate licentiam, cum hiis, qui secum erant, ire ad Ansedisium de VVidotis. Qui quidem, ignorans (61) Concadalbarum captam esse, cum gente sua jam venerat usque ad Pontem-Longum: sed agnita veritate per redeuntes de loco capto, properanter reversus est ad Plebem, dolens, & timorosus. Inde misit literas ad Gerardum Capitaneum Montissilicis pro Eccelino, hoc factum ei significans, & præcipiens, ut assumtis gentibus quascumque movere potest, omni mora postposita, incitet inimicos: nunc enim tempus est, & in casu fortunæ pendet nostri Domini Eccelini victoria prospera, vel adversa; quod absit. Gerardus itaque milites, & berroërios congregatos (62), & gentem quamcumque potuit de Montesilice, & Tribano, & inde circum; diebus illis, & vicibus, quibus ei aptiùs videbatur, ibat ad Villas, & illa loca, quæ favere videbantur Ecclesiæ, & eis quæcumque damna poterat inferebat in personis & rebus: ita quòd cepit die quadam XVII. pedites de parte Legati, quos misit Paduam alligatos; sed eos Ansedisius, ob Legati reverentiam, noluit punire, ut dixit, sed tenuit.

CAP. III.

Factum de Buvolenta, & de Causylve.

ADveniente querela Legato de offensione, quam Gerardus Capitaneus Montissilicis, cum gente sua cotidie inferebat personis, & rebus, in terris illis, quæ favebant Ecclesiæ; concepit inde Legatus ipse quamdam indignationem, & iram: & iterum relicta sufficienti custodia suis castris, & navibus, milites, berroërios, & balisterios movit, & pedites, volens tendere principaliter ad Causylve: sed primò pervênit ad Buvolentam. Castrum Buvolentæ non attentavit, sed in Burgo, & per Villam misso igne, Villam damnificavit quàm plurimùm, ita quòd perterriti sunt castrenses, & elevatus fumus exinde, signum fuit, tam illis adversæ partis, qui sunt in Plebe, quàm illis qui sunt in Padua, instantis magni periculi & timoris.

Hinc processerunt pugnantes pro Ecclesia ad Causylve. Est autem potens, & magna Villa, divitiis abundans, & probitate laudabili (63). Hic erat Capitaneus pro Eccelino Miles quidam, nomine Byaxa de Padua, qui in primo insultu inimicorum, Terram, & Villam magnis fossis circumdatam & munitam defendit laudabiliter satis. Sed demum, imposito igne tectis, fûgit Pernumiam cum quibusdam suis sequacibus festinanter. Et sic gens Causelvana congaudens, Ecclesiæ continuò se reddidit, & Legato, & muniti sunt omnes signaculo Sanctæ Crucis.

CAP. IV.

Hic revertitur Ansedisius Potestas Paduæ in Padua, dimisso Vvarnimento in Villa Plebis.

CRescunt rumores amodo, timor accumulatur timori, & duarum partium diversæ intentionis, catervatim decrescit altera, sublimatur altera, & accrescit. Ansedisius autem permanens in Villa de Plebe Sacci solicitus, nec per se scit partem eligere saniorem, nec habere potest consilium aliunde, quid potiùs sit agendum. Summo tamen urgente dolore, Capitaneos illos, quos (64) in Concadalbaro frustra posuerat, scilicet Martinum de Daniaxo, & Gregorium de Zuchis prædictos, alligatos misit Paduam, & fecit eos in carceris obscuritate detrudi. Post hæc tota gente sibi subdita convocata, tam scilicet de Padua, quàm de Plebe, & aliunde, timorem, quem non modicum habebat operiens, multa & varia est locutus: fuit tamen hæc vel consimilis sententia suæ locutionis, & summa. Dicebat enim id, quod ulteriùs occultare non poterat, scilicet verum esse, quòd proditores quidam volebant Villas Paduæ offendere, sed pro certo sciebat, quòd diu stare in illo loco non poterant, scilicet ad Correzolam, in quam descenderant: illic enim victualia non habebant, nec habere poterant aliunde; non erant personæ alicujus valoris, sed viles homines, pauperes, & inermes, nec Rectorem habebant, qui foret instructus armis, nec qui sciret regere guarnimentum, quamvis forsitan esset doctus ad Antiphonas, vel ad Missas. Confortabat cunctos itaque, asserens suum Dominum Eccelinum de Romano proximum esse, & quòd ipsum infra tertiam diem habebunt in Villa Plebis cum exercitu copioso, ad exaltationem & multiplicem utilitatem suorum, ad inimicorum interitum & ruinam. Addi-

(58) *Cod. Estens.* de Dominasco.
(59) *Cod. Estens.* stipitibus.
(60) *Cod. Estens.* Sarraceni autem duodecim.
(61) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* adhuc ignorans &c.
(62) *MSS. omnes* congregans.
(63) *Iidem* laudabili personarum.
(64) *Cod. Estens. & Ambr. II.* quos quondam in &c.

Digitized by Google

Addidit etiam Ansedisius istis verbis, quòd cum ire Paduam oportebat, tum propter mittenda victualia, & alia paramenta ad confusionem inimicorum; tum propterea quòd esse volebat in Padua in adventu Domini Eccelini, ut cum ipso, & cum expeditione tota reverteretur ad Plebem. Et ita illic relicto Gorzia pro Rectore, & Caro (65) Judice de Vicentia pro Consultore ipsius; aliisque constitutis Capitaneis super militibus, & peditibus, & berroëriis (66), non aliter quàm cùm in bello gens debet surgere contra gentem; constitutoque Notario quodam de Padua, nomine Persiccaria, super Populo, & gente de Villa Plebis: ipse Ansedisius cum illis de sua Curia, dimisso guarnimento in Plebe, veloci reditu Paduam festinavit.

CAP. V.

De Procuratorum angustiis, & de dispersione Populi Paduani.

VIdens Ansedisius stans in Padua, se esse quasi ad extremum suæ rapacitatis examen, Procuratores omnes ad se vocavit. Erant autem Procuratores in Padua ultra XXV. qui non sua sponte, sed metu mortis, & tormentorum, procuraliter (67) extorquebant tributa, scilicet omnem pecuniam, & quasi omnia bona de Padua, & Paduano districtu, & cogebantur dare postmodum Ansedisio devoranda: utpote bona Episcopatus, & Ecclesiarum, bona omnium expulsorum, omnium captivorum, ementium, & vendentium omnium, sive panem, sive vinum, sive bestias, sive fœnum, sive lanificia, sive ligna, & generaliter cujuslibet extorsionis rapinas, quæ posset aliquis cogitare. Ab hujusmodi Procuratoribus petiit Ansedisius, ut infra duos dies ei darent quantamcumque facere possent pecuniam per se, vel per amicos suos, debeantque postea de suis procurationibus restaurari: sic enim penitus oportebat propter ardua facta nunc occurrentia Civitati: & addidit illis pœnam, quòd nisi hoc fecerint, in carceris profunditate mittentur, ubi non cibus, non potus, non eis dabitur aliquod sustentamen, sed eorum vita sic miserabiliter finietur. Desperati ergo procuratores, expectabant nihil aliud nisi mortem, pœnarum scilicet alleviationem, & consolamen. Et sic, cùm nondum esset eis prohibitum simul loqui, sederunt nocte quadam pariter duo satis tristes, & anxii, in camera Palatii, alligati compedibus ferreis, positi sub custodia VI. peditum armatorum de Pedemonte. Mirum autem quòd ausi fuerunt dicere, sed erant remoti parùm à custodibus, & loquebantur etiam in subsurro, & ait unus; „ Ecce ad quid devênit populus Paduanus! „ Destructæ sunt domus, & turres omnes, „ divitiæ, & pecuniæ sunt extortæ, dispersi „ sunt homines, & fœminæ viduatæ, parvuli „ demembrati; & eorum, qui nunc supersunt, „ quidam jacent in carceribus semivivi, pars „ est in periculo apud Villam de Plebe Sacci, „ pars quoque terras circuit, aliena (68) mendicando suffragia; pars est cum Eccelino „ in Lombardia, in mortalibus laboribus, & „ ærumnis: & ecce melius esset nobis citò „ subire mortem, quàm miserabilem vitam „ producere, vitam continuatam, & plenam „ omnibus angustiis, & tormentis, omnibus „ doloribus, & flagellis, languoribus, & timoribus, singultibus, & ploratibus, & suspiriis, radicitus desiccantibus corda nostra. His verbis cùm alter pararet se lachrymantibus oculis respondere, accessit unus de custodibus & sic utriusque verba suppressa sunt silentio saniori.

CAP. VI.

Hic revertitur Gorzia Paduam cum toto guarnimento de Plebe.

NOn solùm Procuratores & eorum bona crudelitas Ansedisii devorabat, sed & aliorum omnium subditorum sibi de Padua videbatur usque nunc personas, & divitias deglutire. Verumtamen hoc tempore quodammodo visus est de Padua curare; timuit enim, ne gens Legati forsitan insultaret in Paduanos, manentes in Villa Plebis: nam habebat spiones cotidie de guarnimento Legati; & Gorzia, factus Rector exercitus existentis in Plebe, non minùs erat solicitus scire quæ tractabantur ab inimicis; immo dictum fuit ipsum Gorziam, nocte quadam, ivisse furtivè in castra adversæ partis. Tamen quocumque modo sciverit, fecit quemdam decapitari, & comburi in Villa Plebis, quem fuisse locutum cum quodam Cruce-signato asseruit. Alium quemdam misit Paduam vinculis alligatum, qui dictus fuit portasse ceresa inimicis, hunc Ansedisius disperdi fecit solummodo illa causa. Misit demum literas suas Gorziæ Capitaneo, & Rectori in Plebe super totum Populum Paduanum, ut guarnimentum Paduam festinanter conducat. Qui Gorzia protinus divulgari fecit per suam gentem, quòd Dominus Eccelinus est Paduæ, & hodie in exercitu erit. Unde versùs inimicos fecit planari fossas, & adamplari (y) vias, & omnia paramenta disposuit, quibus credi posset, quòd Eccelinus vellet configere cum Legato. Et militum, & peditum quasi omni acie ordinata ad bellum, jussit omnes supter (69) sua insignia, & vexilla, prætermittens nocte proxima pedites suos omnes; die verò cum militia subsecutus; non lora, non fræna contraxit, donec fuerunt intus omnes in municipiis Civitatis. Et erat hoc die Veneris XV. exeunte Junio MCCLVI. Anni.

CAP. VII.

Hic facit Ansedisius magnam Concionem in Palatio Paduano.

JAm est Ansedisius in Padua cum Gorzia, & tota sua gente, sive de Padua, sive de Pedemonte: sed altera solicitudo forinsecis in Padua stantibus, & altera civibus Paduæ. Fecit autem tunc Ansedisius magnam, & ultimam in Palatio Paduæ Concionem, & hæc verba locutus est, à corde suo longè varia, & diversa.

„ Au-

(65) *Cod. Estens.* Indecaro.
(66) *Cod. Estens.* Barderiis.
(67) *Cod. Estens. & Ambr. II.* procurabant, & extorquebant.
(68) *Cod. Estens.* terras circuit alienas, mendicando &c.
(y) *MS. Ambr. I.* adimpleri vias: *Ambr. II.* ampliari vias.
(69) *Cod. Estens.* sequi sua &c.

Digitized by Google

„ Audivi à Sapientibus, quòd de duobus malis minus eligendum est malum: unde quòd de Plebe Paduam venimus, melius esse dico, sive quòd inimicos pro nihilo reputamus, sive quòd meliùs parabimur armis, & aliis (z) opportunis ad inimicos disperdendos radicitus, & ad libertatem Communis Paduæ ostendendam. Si enim bene memini, transacti sunt anni XL. & ultra, quòd nominari audio Populum Paduanum præ cunctis Mundi gentibus defendere libertatem. Qua causa meritò possumus admirari, quòd ausæ sunt gentes quædam conspirare innocentiam (70), & potentiam tam liberæ Civitatis. Et est verum, quòd una manus hominum proditorum, qui in hac sua Patria nequiverunt propter suam nequitatem habitare, adhibuerunt sibi quosdam advenas pauperes, & mendaces (71), despectibiles, & inermes, qui, tamquam canes famelici, nihil habentes de proprio, intendunt, si possunt, rapere alienum, & sunt illic in paludibus Correzolæ. Sed utinam ad terram firmiorem deveniant, nam ipsos verè trucidabimus tamquam canes; & qui venerunt per aquas in navibus; per terram in plaustris, & curribus referentur: ad quos de facili puniendos ipse Deus, & ratio est nobiscum: quoniam pugnamus pro Patria defendenda, & altior est nobis potentia ad vindictam. Fortè enim nesciunt, qui valeat Populus Paduanus cum carissimis nostris fratribus, & amicis, & militibus Pedemontis. Et quod spectat etiam ad majorem confusionem inimicorum; literas habemus expressas ab invictissimo nostro Domino Eccelino, quòd Mantuanos perfidos suos inimicos, & nostros, per Dei gratiam, jam conclusit in tantum, quòd latentes intra mœnia Civitatis, solam habent in portis clausis fiduciam, non in armis. Quare usque ad III. dies, indubitanter hìc Dominum nostrum habebimus. Et nisi foret, quòd inimici nostri palustres victualibus carent, unde scimus, quòd illic ampliùs permanere non possunt; talem de eis victoriam habebimus (72), qualis numquam habita fuit de gentibus aliquibus in Provincia Lombardiæ. Quare parati sitis armis, & equis, & audacis animi plenitudine, ac vigore, ut, si nos illis per ipsorum infortunium expectabunt, fama celebri de nostra victoria per totum Mundi circulum deferatur.

Hac nempe eadem die, qua prædicta Concio facta fuit, quasi post Vesperas, venit quidam de versùs stratam de Ponte-Corbo, ad Plateam Communis, clamando, quia percussus erat cum quodam alio (73) graviter, & offensus. Sed cùm nihil aliud diceret, nisi solummodo quòd clamabat: creditum est, quòd diceret *ad arma*, *ad arma*, quoniam veniunt inimici. Jussit ipsum Ansedisius capi, & linguam maliloquam mutilari, cœcari oculos, truncari pedibus (74): sed cùm omnes has pœnas ferre se videret injustè, non cessabat homo ille magnanimus maledicere Potestati, & Eccelino, dicens, & quasi prophetizans, quòd Potestas usque ad paucos dies attenderet illud idem. Iratus Potestas itaque jussit ipsum truncari capud, & tunc confessus est in pœnitentia homo ille, se nihil ad arma clamasse, nec mala intentione fuisse motum. Nihil tamen profuit, sed capite est punitus. Et fuit die (75) XIV. exeunte Junio prædicti anni.

CAP. VIII.

Hìc facit Legatus Concionem in Ecclesia Sancti Martini de Plebe.

Sequenti die Dominico XIII. exeunte prædicto mense, duplicatus est vigor in Legato, & gente sua, & surgens in aurora diei hujus, de consilio & favore prudentis & sapientis viri Domini Marchi Quirini Paduæ Potestatis, Domini Marchi Badoarii Marescalchi, Domini Tysonis (a), aliorumque nobilium, & potentum, guarnimentum suum duxit, & feliciter collocavit in Villa Plebis. Jam fama sonuit per totum Paduanum districtum, quòd exercitus Legati, & Ecclesiæ, de bono prosperatur in melius, de gradu ascendit in gradum, procedit de victoria in victoriam, & triumphum. Et ecce multi habitatores Villarum, non solùm affinium, verùm etiam existentium à remotis, & usque ad Pedeveuda, (76) veniunt ad Legatum, & quasi deberent ire contra barbaras nationes, & pugnare cum Sarracenis, signaculo Sanctæ Crucis se muniunt, & audent se amodo fateri Christi pugiles, & milites Sancti Petri. Itaque Legatus cum Potestate, & Marescalcho, & cum Domino Tysone Confalonerio hujus exercitus pro Ecclesia Sancta Dei, advocato consilio Sapientum, habuit in Ecclesia Sancti Martini (77) de Plebe omnes illos, ad quos totus spectabat exercitus, & in quos pendet amodo Civitatis Paduæ conditio. Hæc autem verba locutus est inter eos.

„ Viri fortes, & qui timetis Deum, gratulemini vobis ipsis. Jam ecce vobis à Domino magna gratia est concessa, quoniam ipse pater misericors, Deus libens, justè recipiens, (78) videtur recipere preces nostras, scilicet dum pro nobis pugnat, inimicos Sanctæ Matris Ecclesiæ fugat, & dirigit gressus nostros. Et hoc est nobis certum indicium, quòd propositum nostrum habebimus, nulla erit defensio inimicis; nitimur enim à persecutoribus Sanctam Matrem Ecclesiam liberare, carceres aperire, imbecilles defendere, pravitatem hæreticam exstirpare, rapinas prohibere tyrannicas, tueri sanguinem innocentem, & Civitatem condam Catholicam Paduæ præ ceteris Civitatibus Lombardiæ, à venenosis morsibus viperarum eripere, & quasi à faucibus Antichristi. Quare viriliter agite, & confortetur cor vestrum. Et disponatur primò, quòd locus, & Villa ista conservetur illæsa; gens autem quælibet tam Plebana, quàm aliunde, & generaliter quicumque possunt movere arma, parati sint omnibus „ op-

(z) *MS. Ambr. II. addit* paramentis.
(70) *Cod. Estens.* in innocentiam.
(71) *Cod. Estens.* & mendicos.
(72) *Cod. Estens.* jam haberemus &c.
(73) *Verba hæc* cum quodam alio *desunt in Cod. Estens.*
(74) *Cod. Estens.* truncari pedem &c.

(75) *Cod. Estens.* die Dominico XIII.
(a) *MS. Ambr. II. addit* de Campo Sancti Petri.
(76) *Cod. Estens.* Pedemonte.
(77) *Cod. Estens.* Sancti Petri de Plebe.
(78) *Cod. Estens. & Ambr. II.* libenter justa respiciens.

Digitized by Google

A „ opportunis, ut quacumque hora, tam die, „ quàm nocte videbitur nobis, & Potestati, „ & Merescalcho, nostris, & Consiliariis; „ equitemus, Domino præeunte, in servitium Sanctæ Crucis, magnificè & potenter, ad honorem, & gloriam Jesu Christi, „ ad damnum, & confusionem illorum, qui „ Christianitatem dissipant & dispergunt.

CAP. IX.

De motu Legati, de Plebe venientis ad Paduam occupandam.

POst hæc Legati verba, dispositus est totus
B exercitus (79), utpote cùm illic forent gentes honorabiles, in personis, & numero personarum, prudentia, sapientia, & virtute, de Venetiis scilicet, de Ferraria, de Padua, de Comitatu Rudigii, & aliunde, tam de Civitatibus, quàm de Villis; & constituta gente qualibet sub suis Capitaneis, Rectoribus, & Vexillis, ponderata sunt plaustra armis, victualibus, gratis (80), & aliis paramentis ad pugnam. Et statim sequenti die Lunæ in mane, arripiunt iter suum. Stant Legatus, Potestas, Marescalchus, & Confalonerius (81) totius exercitus, læti, fortes, & hilares, & audaces, in dextrariis, armis fulgentibus decorati, & orientis Solis radiis coruscantes: &
C de certo suo proposito cuncti clamant, & tendunt ad Paduam occupandam. Exaltans (82) Legatus igitur, cùm totum suum vidit exercitum sic pronum & voluntarium pro victoria Sanctæ Matris Ecclesiæ, habuit in suo circuitu Clerum suum, & cum omnibus Clericis, & literatis circumstantibus, cecinit, & omnes alternatim, & alta voce inceperunt Hymnum illum in honorem venerabilis Sanctæ Crucis

Vexilla Regis prodeunt
Fulget Crucis mysterium, &c.

& est Hymnus totus alacriter decantatus. Eis autem sic hymnizantibus solemniter & devotè, posset quis manifestè vidisse duo millia hominum, tam militum, quàm peditum, præ ni-
D mia lætitia lachrymantium. Equitat nunc, & ordinatè incedit populus Christianus, quasi, ut rectè dicas, nunc populus Israëliticus vadit obviam Phylistæis. Et ventum est ad Pontem Sancti Nicolai de Villa Ronchaliæ, ubi tunc habitatores illius loci pontem destruere festinabant; sed nec eis erat potentia, nec voluntas. Et profuit etiam venientibus, quòd stolidus Ansedisius fecerat aquas fluminis deficcari. Interea Ansedisius in Palatio Paduæ convocat omnes de Pedemonte (nam in hiis præcipuè confidebat) & cum consilio Gorziæ, qui secundus erat à Potestate, Feltrinos omnes, qui secum erant in Civitate retinuit, præter quosdam, quos misit, ut quasi supervideant gen-
E tem illam, quam ipse esse dicebat plebeculam venientem. Fuerunt autem isti, quos causâ videndi transmisit, scilicet ipse Gorzia, Aynardus de Agordo, Pachagnellus in Cividate, & Theupus nepos Gorziæ, qui bindam quamdam, amore unius Dominæ, in sua tulit lancea; & erant cum istis quidam alii circa X. Iverunt autem usque ad Voltam Berrocii, qui locus distans est à Civitate circa milliaria duo.

(79) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* exercitus sapienter, utpote &c.
(80) *Cod. Estens.* cratibus.
(81) *Cod. Estens.* & Confalonerius, & totus exercitus.

Ex adversa quoque parte venerunt quidam alii milites contra istos in planam viam, videlicet Dominus Uguzonus de Carraria, Dominus Marsilius, & Albertinus omnes tres fratres, Dominus Aycardinus Capud-Nigrum, & Thomaxius Cavaza, & quidam alii, insultare volentes potiùs in hostes equites, quàm pedestres. Dum itaque Gorzia hos vidisset, & alios, bis vel ter voluit insultare in eos, hastam audaci animo inclinando, & Theupus ipsius nepos ad hoc ipsum satis familiariter invitabat: deliberatione tamen habita saniori, Gorzia videns Legati venientia signa, gentesque irruere, quasi leones ad prædam, venientibus terga dedit cum suis: Et sic isti milites Ansedisii, spem totius vitæ suæ jactantes in fugam potiùs, quàm in arma, ad Ansedisium quàm velociter sunt reversi.

CAP. X.

Hic capiuntur Burgi Paduæ à Legato, & gente sua.

HOc audito in Padua, sunt multi, qui plurimùm collætantur; sed timor & tremor aliquorum quassat viscera & medullas. Gens namque illa, quæ veniens sperat Paduam occupare, illis qui fugam arripiunt (83), nequaquam est visa plebecula, immo potiùs tamquam aquilæ devolantes, & turba prorsus innumerabilis quantitatis. Potestas itaq; Ansedisius, immo anxius, mittit continuò gentes ad Pontecorbum, unde videbantur venire hostes, & suam gentem ordinavit hoc modo: Nam circa CC. pedites de Vicentia, & Vicentino districtu, cùm talavaciis statuit super turrim, & portam, & spaldum de Pontecorbo, & inde circum. Pedites verò de Padua circa M. forsitan, à lateribus illorum hinc inde ad vada, & à rota scilicet Fratrum Minorum inferiùs, usque ad molendina de Terra-Nigra. Balisterios circa XL. posuit aliquos ad portas, & aliquos per ipsos pedites, extendens eos, & miscens per plura loca. Milites quosdam novos, quos in Padua constituerat hiis diebus, propter Paduanorum Militum absentiam, & defectum, jussit intrinsecus post spaldum discurrere, ut hostibus venientibus undecumque prorsus denegetur introitus, & illic viriliter sanguis venientium effundatur. Sed spes frequenter in exultantibus fallitur, & multo magis in trepidantibus evanescit. Ecce namque repentè Milites Sancti Petri decurrunt, irruunt omnes inordinatè, subitò quoque deveniunt impugnantes obstrusam portam viriliter & audacter. Convertuntur itaque defensores in fugam, latitant intrinsecus per porticus, & per domos, & cùm non sit illic aliquis, qui eos impellat, aut animet ad defensam, patuit porta de facili venientibus inimicis: si qui verò reperti sunt super turrim, super aggerem, super spaldum, finguntur (84) protinus ab imbribus sagittarum, cæduntur gladiis, & lanceis transforantur: & non solùm pugnantur ad turrim, sed ab utraque parte pontis & turris ferè per milliare. Hic Dominus Aycardinus de Capite-Nigro vir strenuus & præclarus, partem unam de gente Cruce-signata con-

(82) *Cod. Estens.* Exultans Legatus &c.
(83) *Cod. Estens.* arripuerunt.
(84) *Cod. Estens. & Ambr. II.* figuntur.

conducens inferiùs ad prædicta Molendina de Terra-Nigra, resistentes in aggere ultra flumen viriliter expugnavit & vicit. Quo viso Ansedisius fugam cepit ad Civitatem; Tholbertus de Berricha, qui assistebat ad latus ejus, Guido de Malledo, & Albertus de Fineto, omnes tres Vicentini, anxiantes & fugientes secuti sunt fugientem. Bruxa tenuit viam aliam, & fugit usque ad Cittadellam; Crepada tenuit versùs Pratum: sed Gorzia, quamvis Potestatem fugientem fugiens sequeretur, tamen paulatim regrediens, pugnando viriliter, invitus venientibus & pugnantibus hostibus cessit, & ingressus est Civitatem. Hesbergerius de Vivario etiam pugnando contra venientes, captus est illâ horâ. Demum captus est Burgus, & totus circuitus Ruthinensis. Qui verò introitum defendebant, partim fugierunt ad Fratrum Minorum locum, partim versùs Pontem Sancti Stephani post dictum Gorziam fugierunt, partim ad Pontem Altinatum, sicut impetus eos tulit. Priùs tamen quàm in toto pateret introitus, Crepada prædictus, & quidam secum, extra à Ponte-Corbo exierant, & per ripam fluminis venerant versùs Pratum, ubi tunc morabatur Crepada, quem terga dantem de discrimine Pontis-Corbi cum sequacibus suis, insecuta est gens signata signaculo Sanctæ Crucis: & inter sequentes fuit vir prudens & strenuus Thomaxius Cavaza in dextrario, & in armis; & videns Crepadam ipsum cum quadam equitantium quantitate circa XXV. subintrantium domum Molendinorum Sanctæ Mariæ de Vantio, velud fugam arriperent, & relinquerent civitatem procedere: & (85) vênit ad portam Prati, quam apertam inveniens introivit, & occurrentibus ei duobus militibus adversæ partis, armis militaribus egregiè præmunitis, cùm fuisset usum (86) confractæ lanceæ prudenter operatus in unum; percussit alterum taliter forti clava, quòd in terram cecidit, & à peditibus est finitus. Sic itaque Milites isti duo tota die illa mortui jacuerunt ante Sancti Danielis Ecclesiam intus à Porta Prati, multis quærentibus, & nullis cognoscentibus qui fuissent. Fuit autem, sicut puto, Divina voluntas, quòd in tanta Burgorum victoria, tantoque strepitu, quo Legatus cum gente sua, tam potentem, & tam munitam habuit Civitatem, præter à muris intrinsecus, & non fuit multa strages hominum occisorum: sed inter hos duos, de quibus fecimus mentionem, & alios circa XIV. qui sunt inventi per contratam Ecclesiæ Sancti Antonii, & quosdam alios ad Sanctam Malgaritam, & per Ruthenam & alibi, L. fortè inter unam partem & alteram perierunt. Et facta sunt hæc omnia supradicta die Lunæ XII. exeunte Mense Junii prædicti Anni Domini MCCLVI.

CAP. XI.

Hic Ansedisius reclusus intra muros Paduæ circuit Civitatem in nocte.

REclusis Christi hostibus intra muros, mersisque (87) Solis radiis in occasum, audax gens Legati, prudens, & victoriosa quievit. Receptique sunt milites, & pedites omnes per burgos, & per vicinias quasi fratres, & tota nocte illa cum hospitibus hospites sunt lætati, quærentes, & respondentes alternatim ubi steterunt (88), & quid fecerunt temporibus retroactis. Istam quoque diem benedicebant affectuosè, quam nostra ætate venturam vix aliquis cogitabat: sed nemo reputet impossibile diem gratam supervenire, & horam, quæ forsitan non sperabatur. Quid nunc faciat Ansedisius (b), clausus, & contremiscens, cum sua gente de Pedemonte? Gens enim Paduana intrinseca, etsi suam adhuc non audeat voluntatem ostendere, vigilanter expectat tamen ab hostibus extrinsecis in crastinum superari. Itaque Ansedisius nocte illa penitus non descendit ab equo; bibere, vel cibare non meminit; sed cum fidelibus & complicibus suis, Gorzia, Alberto de Fineto, & aliis, Civitatem intrinsecus multis vicibus solicitè circuivit: nec in suis scutiferis confidebat, quin manu portarum seras tentaret: repagula palpat & vectes, videtque quòd firmæ sunt clavaturæ, & factus est claviger nocte illa. Sed fortè in crastinum alter claviger introibit. Ut portas etiam faciat firmiores, murari facit intrinsecus quasi omnes; & si visum est, quòd hostes heri rupissent (c) alicubi, fecit muris, & trabibus subitò reparari. In turribus balisterios posuit, in muris quoque pedites, à latere contra hostes. Ad portarum autem introitus defendendos, multos constituit defensores.

CAP. XII.

Hic ordinatur à Legato, & gente sua impugnare Civitatem.

ECce quoque, aurora fugante noctem, congregati sunt Domini Marcus Quirinus Paduæ Potestas, Mareschalchus, & reliqui Barones exercitus, ad Legatum, quibus Legatus pauca verba exposuit, quæ Sapientes (89) loquebantur eidem. Dicebant enim, Civitatem totis viribus expugnandam: sed alii in contrarium sentientes, consulebant, sed bona fide, quòd burgi omnes circumquaque ad Civitatem ignibus concrementur, & dimittatur Civitas desolata. Quærebat ab eis igitur, quid consulerent faciendum. Itaque post verba Legati, concordaverunt omnes, quòd Urbs, quæ condam fuerat bonis omnibus copiosa, tam nobilis, tam decora, tam Catholica, tam Divina, cùm sit circumdata personis religiosis, & locis, steteritque condam dissipatrix hæreticorum, fons, & alumna Fidei, Sanctæ Matris Ecclesiæ vernula & ministra; nequaquam vastari debeat, nec suis deliciosis suburbiis mutilari: ipsi enim inimici, qui nunc per fas & nefas ea abutuntur, & tenent, in deformatione Paduæ lætarentur, cùm eorum ad hoc intentio totaliter elaboret. Addebant etiam ad Legatum, & dicebant singuli quodammodo una voce; „ Ecce jam ad tantum deventum est, Divina gratia faciente (90), quòd „ inimici tremunt intrinsecus, dolent medul- „ li-

(85) *Cod. Estens.* procedere, venit &c. *Ambr. II.* procedit, & venit &c.
(86) *Cod. Estens.* usu.
(87) *Cod. Estens.* versisque solis &c.
(88) *Cod. Estens.* steterint, & quid fecerint.

(b) *MS. Ambr. I. addit* nocte illa.
(c) *MS. Ambr. I.* hostes erupissent alicubi, alicubi fecit muris, & turribus subitò &c.
(89) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* sapientes aliqui.
(90) *Cod. Estens. & Ambr. II.* favente.

Digitized by Google

„ litus & suspirant; pœnitet eos equidem tyrannidem operatos; vident oculis mortem suam: gens verò nostra tota mente desiderat inimicos delere, Paduam in suam reducere libertatem, sanguinem innocentem ulcisci. Assumamus ergo arma, viriliter pugnemus, tamquam in servitio Terræ-Sanctæ; domos nostras, & bona propria gladio convincamus: est enim nobiscum Deus; virtus, æquitas, & prudentia est nobiscum. Scimus enim pro certo, quòd non est pars centesima de intrinsecis omnibus, quæ sit nobis opposita, vel (91) voluntaria in pugnando. Et quis muros defendet? quis aditus prohibebit, vel portas? Sunt fortè ribaldi C. intrinsecus, vel de Villis sylvestribus Pedemontis ad soldum, nudi, famelici, & inermes. Nonne bonus Populus Paduanus, & quicumque habent arma, coacti tenentur in partibus Lombardiæ cum Eccelino? Nos igitur, & gens nostra totaliter ad arma prosiliamus, irrumpamus, & feliciter intremus in Civitatem, quæ gaudenter jamdudum expectat adventum nostrum. Erit hodie dies illa profectò, qua victoria Sanctæ Matris Ecclesiæ prædicabitur citra Mare, & ultra. Nos quoque, & successores nostri hanc diem omni tempore habebimus celebrem & solemnem.

CAP. XIII.

Hic impugnatur Padua à Militibus Sancti Petri.

HAc itaque die Martis XI. exeunte Junio MCCLVI. Anni Cruce-signata gens omnis, arma lætanter arripuit, & tam milites, quàm pedites ad pugnam pedestrem parati, muros, & totam circuunt Civitatem ex latere de Ruthena, à Ponte Contarinorum (d) videlicet, usque ad Sancti Michaëlis Ecclesiam, sitam ex altera parte fluminis, ultra Castrum, quod fieri fecerat Eccelinus tempore hujus guerræ, ut supra legitur in X. Capitulo V. Libri, §. Facta militum &c. Et quamvis ferè pugnetur undique, sunt verumtamen certa loca, in quibus duriùs est pugnatum hinc inde. Illic enim ad Sanctum Lucam, ubi murus videbatur debilior, extrinseci, qui præterita die pugnantes murum ascenderant (& intrassent equidem, nisi quòd defecerunt spicula sagittantium) adhuc hodie redierunt. Et quamvis viderent locum fortiùs reparatum, nihilominus tamen nisi sunt defendentes inimicos depellere, eosque fingere (92) nunc lanceis, nunc sagittis, fundis petras rotantibus, & sonantibus cazafustis. Sic in magna diei parte (e) exstitit ibi pugna, & sunt illic vulnerati, non tamen mortui, de intrinsecis circa X. & de extrinsecis circa XIV. Ad portam verò Turrisellarum validior & periculosior pugna fuit, præter quòd ibi multa vulnera non fuerunt. Erat enim Porta defensa multùm magno castro quodammodo, utpote castellata domo lapidea, quæ fuit olim Apicacauræ, defensa turri fortissima & sublimi; balistis magnis, & parvis plurimis præmunita; acutis sudibus, & lapidibus ponderosis. Hic neutra pars alteri prævaluit die illa, quamvis illic utrinque durissimè sit pugnatum. Ferrariensis autem unus cum acuta securi quadam portam ipsam frustra nitebatur incidere, sicut hodie patet in ipsa porta: sed proficere nihil potuit, nam desuper tot lapides compluebant, quòd vix mortis effugit periculum, & rediit fatigatus in vanum. Pugnatum est etiam ad Portam Sancti Stephani, & exinde ad Pontem Altinatum, per murum illum, quia planior erat murus, & alicubi picei assidibus (93) coadjutus, & inde spissiores intrinseci defendentes: nec mirum, cùm illic adhibenda sit potiùs medicina, ubi majora morbi contraria invalescunt. Cùm pugnaret denique gens Legati in cunctis locis aliis (f) ferè inutiliter & incassum, impugnantium maxima multitudo ad pontem Altinatum convênit, nec Laicorum tantùm, sed Clericorum, & Conventualium personarum. Ibi ipse Legatus, ibi Minores Fratres, ibi Prædicatores, ibi de Sancti Benedicti Ordine, ibi de Griseis, ibi de Albis, ut verè possis dicere, tam Clericos, quàm Laicos pugnare unanimiter in Paganos. Inspirante ergo Divino Spiritu, qui semper operatur ad bonum, voluntas fuit ipsis omnibus Fratribus, militibus, & peditibus unâ horâ ædificium quoddam construere; quod vulgò Vinea dicitur, idest gattus. Quo facto, & ad Portam conducto salubriter, nitebantur hii, qui sub gatto erant, Portam confringere, & confractam, ad mortem defendentium subintrare. Sed ecce desuper ab intrinsecis jactatus est ignis in gattum, jactatum est oleum, jactatæ (94) porcinæ carnes, & pernæ plures, sulphur, pix, & similia incentiva (g), ita quòd ab illis est ædificium inflammatum, & gattus, quibus cessit in exodium (95), & ruinam. Hoc autem videntes extrinseci esse mortem, & periculum defensorum, protinus exultantes, ligna lignis, flammam flammis, & stramina straminibus addiderunt, & adeò augmentatus est ignis, quòd incœpit ardere Porta, nec potest ignis ulteriùs modo aliquo, vel ingenio suffocari.

CAP. XIV.

Hic fugit Ansedisius de Padua, cum militibus, & peditibus suis.

AModo videt Ansedisius mortem suam, & inspiciens jam ignem ardere intrinsecus, factus est tremebundus, & anxius, gemens, pavidus, & stupescens. Et ecce Paduanus civis quidam de bonis Popularibus Civitatis, Minus de Maniosis, salubre voluit dare consilium jam quasi terminanti tyranno, & ait Ansedisio ipsi: *Domine mi care, Pater, & Domine Reverende, paciscamur, care Domine, cum Legato, & possumus personas nostras ab omni liberare periculo, & Civitatem nostram servare incolumem & indemnem.* Hunc quidem plurima non locutum, impius ille Nero respiciens oculo tortuoso, dolorem, quem in mente

(91) *Cod. Estens.* vel fortè voluntaria &c.
(d) *MS. Ambr. I.* à ponte contrariorum Contariorum.
(92) *Corrige ope MSS. Ambr. & Estens.* figere.
(e) *MS. Ambr. ambo* valida extitit &c.
(93) *Cod. Estens.* picibus assiduis.

(f) *MS. Ambr. II.* in cunctis locis foret inutiliter &c.
(94) *Cod. Estens.* jactatæ sunt porcinæ carnes, & parvæ pulveres.
(g) *MS. Ambr. II.* similia incensiva.
(95) *Cod. Estens. & Ambr. II.* in excidium, & ruinam.

mente conceperat, rabiem, iniquitatem, & iram effudit in innocentem, & evaginato confestim gladio illum morte interemit indigna, qui ei salutis viam, & vitæ semitam nuntiabat, qui tyranno sic immerito, de sui animi bona simplicitate, liberationis consilium dederat & quietis. Itaque cruore suso innocuo, excitata dæmoniaca pravitate, Ansedisius dedit terga vincentibus: & relinquens ardentem ignem, pro sua defensione & scuto cucurrit ad Sancti Johannis Portam, clavem cujus tenebat, ex altera parte Civitatis versùs partem Occidentalem, & hospite insalutato aufûgit, crebris usus calcaribus, & vitæ suæ habitis in succursum. Quem sui videntes conversum in fugam vilissimam, fugam arripuerunt & ipsi. Tunc Confalonerius Generalis

A

B

Dominus Tyso de Campo Sancti Petri prædictus, audacter & viriliter, cum quadam militum quantitate repentè insequitur quasi per milliaria quatuor Ansedisium versùs Vicentiam fugientem, cupiens personaliter ipsum, & suos capere, vel potiùs quòd converterentur ad pugnam. Et sic habuit quosdam equos de inimicis, quibusdam prostratis, quibusdam occisis, quibusdam fugatis per foveas, & spineta. Et sic Sanctæ Ecclesiæ proditores angustiatum Ansedisium sequentes, dolorosi, & anxii in munitionibus Vicentiæ latuerunt, corde reverberante quamplurimùm, pulvere mixto sudoribus, & anhelantibus arteriis, timore relicto procul, & adhuc verumtamen non securi.

Explicit Liber Octavus.

IN-

Digitized by Google

INCIPIT NONUS.

CAPUT PRIMUM.

Hìc intrat Legatus, & milites Sancti Petri in Padua.

TAlis, & tanta virorum debilitas, pusillanimitas animorum, vilitas, & inertia personarum, numquam fuisse legitur in aliquibus partibus hujus Mundi. Qui enim se Vicarium Generalem Sacri Imperii à flumine Olii usque Tridentum in suis literis appellabat; qui Civitatem habebat in manibus, repletam sufficienter hoc tempore sibi subditis personis, & armis, aquis undique circumseptam, nisi eas per stultitiam obstruxisset, muris ex omni parte munitam, turribus prædefensam ad portas, in fugiendo solummodo vitam suam statuit & salutem. Nullam quoque compassionem habuit super adversitatibus Civitatis illius, in qua magnos honores habuerat, magnamque divitiarum copiam, cujus dominium possederat annis VII. (h) minùs fortè per duos menses. Ergo fugatis hostibus, apertæ sunt portæ Civitatis ex omni parte, extracti sunt de carceribus homines, mulieres, & pueri, quibus sex magnæ domus intus à muris Paduæ (96) erant plenæ, quòd vix poterant vivere, vel spirare, præter carcerem de Sancta Sophia, quem hesterna die gens Cruce-signata confregerat, & liberati erant exinde captivi & carcerati circa CCC. & ultra. In hac die itaque captionis, durities, & iniquitas fugati Ansedisii redundavit ad damnum inæstimabile Civitati: potuit enim crudelissimus ille Rector cum veniente Legato, & suis, bonas habuisse conditiones, & pacta, & se ab Eccelini flagellis, & à morte durissima, Paduanos à pauperie liberasse, secundùm quod erat salubre consilium Mini de Maniosis, de quo supra fecimus mentionem. Qui, sicut & gens Legati adveniens, visus est scivisse Lucani legem per Cæsarem introductam: inquit enim:

arma tenenti
Omnia dat, qui justa negat, nec numina desunt.

Non enim dici posset, vel cogitari domorum violenta prædatio, tam in domo Communis, quàm ubicumque per Civitatem, Mercatorum scilicet & aliarum gentium rapta spolia in cunctis, quæ possidentur, tam in hiis, quæ in cameris, sive stationibus erant, quàm in rebus carioribus, quæ in rebus (97) subterraneis fuerunt reposita propter metum. Et duravit hæc rapacitatis insanies ferè per dies VIII. Ita quòd hiis diebus fuit Nobilis illa Civitas Paduæ pauperior, quàm eo tempore Zenusii de Ruthena, quo ab Athila destructa canino, translata mutavit lectum (98) ultra flumen, quod erat Paduæ munitio primitus à latere occidentis: & nunc ibi Ruina dicitur, ubi ante Athilam primò fundata erat, & Patavium dicebatur. Quamvis autem in rapiendis rebus (99) mobilibus solitum sit ut plurimùm discordias & cædes emergere, hìc tamen à Domino factum est, quòd in tanto strepitu, & furore, non multa sunt in Civitate homicidia perpetrata, & multùm dubitabatur ante Civitatis introitum. Tuscus quidam nomine Johannes de Scanta (i), suam volens prætueri pecuniam, quam ad pignora mutuabat, defendendo pecuniam est occisus. Alii quidam etiam forsitan circa V. sunt mortui in introitu Civitatis, quasi ex improviso. Quòd autem multa cessavit cædes, hæc fuit credita esse causa, quòd Paduani intrinseci Paduanorum extrinsecorum adventum toto desiderio expectabant. Fuit autem prædictus introitus Civitatis eadem die Martis prædicta.

CAP. II.

Hìc tangitur de Carrocio Paduano.

POstquam sic transcursa est Civitas à militibus & gentibus Sancti Petri, vir quidam Paduanus fuit, qui fugerat condam ad Este, propter Eccelini timorem, cum uxore, & familia sua totà, cui natus est filius in principio guerræ ibidem. Contigit autem hac die ipsum patrem, & filium transire per Plateam apud Palatium Paduæ, & vidit filius Carrocium Paduæ putridum, & deforme, diruptum, & despectum, inutile, & confractum, & ait; *Pater,* (100) *ecce nunc Pater, & Domine, quale hìc ædificium video! Si hos radios inspicio, sive rotas, si noto brachiolas, & considero artemonem; plaustri videtur habere speciem, sed fuisse magnitudinis tantæ, quòd duo boves ipsum conducere non valerent, nisi fortè fuisset, ut audio, quòd animalia olim majora erant, & homines, unde fiebant utensilia ampliora.* Cui Pater quasi ridendo respondit: *Fili mi, hoc est Carrocium Paduanum, quod est quasi pro Castro quodam, quod ducitur cum lætitia, & honore, quando Civitas vult prodire in hostes. Et super ipsum in quadam excellenti antenna defertur igneum, & triumphale Vexillum* (K), *ad quod totus spectat exercitus. Nec est aliquod Castrum in Paduano districtu in montibus, vel in plano, pro quo defendendo totus Populus Paduanus adeò pugnaret viriliter, & exponeret suam vitam, & animam omni periculo, & fortunæ. In hoc enim pendet honor, vigor, & gloria Paduani Communis. Per hoc itaque apparet manifestè, quòd Paduanorum inimici mortales, illi* (* *de Romano, conculcare volentes propensiùs Civitatem, & Civitatis honorem, jam sunt XVI. anni, & ultra, faciunt ipsum Carrocium, ad Communis Paduæ vituperium, hìc manere continuè, solibus desiccatum, putredine diruptum, pluviis deformatum. Fuit enim tempus* (1), *quo pulchritudine decoratum mirabili, pictum coloribus pretiosis, de media nocte fulgebat in tantum, ut argenti nitorem excederet, plusquam*

(h) *MS. Ambr. I.* annis XII.
(96) *Cod. Estens.* à muris adeò erant &c.
(97) *Cod. Estens. & Ambr. II.* in locis.
(98) *Cod. Estens.* mutavit locum.
(99) *Cod. Estens.* bonis mobilibus.

(i) *MS. Ambr. I.* de Scantata. *Ambr. II.* de Scinta.
(100) *Cod. Estens.* ait patri: Ecce &c.
(K) *MS. Ambr. II.* & quod totus &c.
(*) *Cod. Estens.* illi videlicet de Romano.
(1) *Cod. Estens.* tempus aliquando, quo &c.

Digitized by Google

quam auri fulgor mirificè radiaret. Et erat tremor hostibus Paduani Communis, dum terra tremeret tota, unde ibat, quasi volitans ad modum fulminis & draconum. Si verò fortè quæreres, unde primitus originem habuit, respicies supra Altare Majoris Ecclesiæ Paduanæ: ibi namque videre poteris in picturis pulchrè & artificiosè protractis, Milonem tunc Episcopum Paduanum, Regem Corradum, & Reginam Uxorem ejus nomine Bertam, quæ Regina petiit pro Populo Paduano à Rege, ut Paduanis gratiam faceret, ut ædificarent Carrocium, quod eis (2) *Athila tyrannus destruxerat, dum ipsos ad tantam paupertatem conduxit, quòd jam non dici poterat populus Paduanus, sed popellus. Hoc igitur munere eis dato, quoniam intercedente Regina istam gratiam habuerunt, fulgentissimum fecerunt Carrocium, & ad ipsius Reginæ memoriam, & honorem, imposuerunt Carrocio nomen Berta, quo quidem nomine vocatur hodie, & vocabitur in æternum.*

CAP. III.

Hic redditur officium, excommunicatione remota, & Terra Montissilicis redditur Ecclesiæ.

Licèt, ut dictum est, plurimùm spoliata sit Civitas, gaudent tamen generaliter omnes, tam hii, scilicet, qui in Civitate inventi fuerant, quàm qui etiam advenerunt: & gratulantur Domino, & Patri in Christo Reverendo Legato; congratulantur utique Potestati; congratulantur ad invicem parentes parentibus, cognoscentibus cognoscentes, vicini cum vicinis. Eis omnibus igitur, qui in Civitate condam tempore tyranniæ permanserant, ab excommunicationis vinculo absolutis, & devotè recipientibus mandatum Ecclesiæ, incipiunt cum tanto gaudio celebrari Divina, quanto gauderet aliquis Christianus ereptus post annos XX. vel ultra à jugo & à vinculis Paganorum. Erat autem hæc tanta lætitia non solùm in Civitate vel burgis, sed & in Castris, & in Villis utique, (3) nisi fortè ubi adhuc stabant Capitanei Eccelini, quemadmodum in Montissilicis summitate. Nam hii, qui erant per Villam, & Burgum inferiùs, auditâ victoriâ militum Sancti Petri in Padua, statim prosilierunt ad arma, & secuti Domnum Gontarinum fratrem in loco Sanctæ Justinæ (4) de Padua, Terram illico percurrentes, terruerunt inimicos Ecclesiæ; & muniti signaculo Sanctæ Crucis, protestantur amodo manifestè se fovere partem Ecclesiæ, & habere ulteriùs Eccelinum, ejusque amicos pro mortalibus inimicis. Igitur Gerardus de Tarvisio condam Presbyter, sed apostata nunc, (l) & Capitaneus in Villa Montissilicis constitutus per Eccelinum, qui & illic in Capitanaria sua multa commiserat, quæ non sunt relatu digna; cum quibusdam suis sequacibus superiùs fûgit ad Castrum, & summum montis. Sed ipse Capitaneus Castri pro Eccelino, nomine Propheta, Gerardum, & eos qui secum fugerant, manere dimisit (m) in cinta, sive in circuitu Castri, sed in Castrum intrare nulla ratione permisit: timuit enim, ne fortè de Castro vellet facere tradimentum.

CAP. IV.

Hic redditur Cittadella, & Mestre, per interpositas personas, Legato.

Sonant rumores amodo per totam Marchiam Tarvisinam: & ecce habitatores de Cittadella, ubi carcer mortalis erat, habito saniori consilio, mittunt ad Dominum Tysonem de Campo Sancti Petri, qui cum Legato erat Paduæ, ut quamcitiùs veniat ad Cittadellam accipiendam ad libitum suum & voluntatem. Sicque qui Capitaneus erat pro Eccelino, & Cittadellam rexerat usque modò, & hii, qui cum eo erant, qui voluerunt, protinus ascenderunt zironem, suarum timentes periculum personarum. Quanta autem trepidatio erat istis, tanta erat exultatio carceratis, qui sperabant de tenebris exire ad lucem, de flagellis ad gaudia, de morte pervenire ad vitam: & fractis compedibus, vinculis dissolutis, apertis carceribus, præ nimia lætitia lachrymantes carcerati ipsi CCC. & ultra, alii videntes, & alii non videntes, ad portas Cittadellæ perveniunt, laudantes misericordiam Jesu Christi, & clamantes altis vocibus Milites Sancti Petri. Erat quippe clamor maximus circumquaque ad portas, & voluntas eadem omnibus se reddere Christi Nuntiis, & bajulatoribus Sanctæ Crucis. Interea Dominus Tyso advênit, & oblata securitate per eum illis, qui zironem ascenderant, Cittadellam habuit, & in sua protectione recepit, & omnes loci habitatores, & alios, sicut fideles Ecclesiæ pertractavit, ad honorem & voluntatem Domini Legati, & Potestatis, totiusque Communis Paduæ, in rebus, & in personis.

Hiis sic peractis in Cittadella, custodes Castri de Mestre, Burgenses, & omnes habitantes ibidem, sicut divina voluntas fuit, inventi sunt unanimes omnes unâ horâ Castrum & locum reddere Ecclesiæ, & Domino Episcopo Tarvisino; & ipsum ei sinè ullo tenore concorditer reddiderunt, à quo sunt animo gaudenti recepti, & oblati per ipsum Domino Legato, sicut amodo Christi fidelissimi & devoti.

CAP. V.

Hic redditur Castrum Zigotum Albrico de Romano.

HÆc omnia facta sunt in septimana eadem, qua Civitas capta fuit. Sed & statim septimana sequenti visum est, quòd adhuc quædam vestigia partium remansissent. Illi enim, qui Castrum Zigotum Tarvisini districtus habebant, sperantes adhuc forsitan, quòd illi de Romano, cùm haberent adhuc Tarvisium, possent Paduam rehabere, Castrum Zigotum reddiderunt Albrico de Romano, qui Tarvisium possidebat: prætendentes hanc causam, quòd ipse scilicet videbatur favere Ec-

(2) *Cod. Estens. & Ambr. II.* eis olim.
(3) *Cod. Estens.* ubique.
(4) *Cod. Estens.* Sanctæ Justinæ de Montesilice sub obedientia Monasterii Sanctæ Justinæ de Padua.

(l) *MS. Ambr. II. legit in margine* quondam Presbyter, sed Potestas nunc &c.
(m) *MS. Ambr. I.* permisit in contrata, sive in &c.

Digitized by Google

Ecclesiæ: Nam in eo tanta dolositas versipellis latitaverat usque modò, quòd crediderant aliqui, eum jam longis retro temporibus fratri suo Eccelino contrarium exstitisse. Sed hæc credulitas nequaquam locum habuit apud illos, qui noscunt naturalem amorem fratrum. Si enim veritatem loquitur Horatius dicens;

Naturam expellas furca, tamen usque recurret,
Et mala prorumpet furtim fastigia victrix.

Non enim erat credibile, quòd duo fratres ex utroque parente, laborarent, & niterentur, ita quòd unus in alterum tenderet ad inimicitiam capitalem. Sanè aliqui de Padua, de Tarvisie, de Baxano, & aliunde, sive liberi, sive de ipsorum familiis, sunt pœnas, & mortem perpessi, qui crediderunt fratres illos inter se inimicari ad mortem. Immo de certo consilio & scientia utriusque, unus eorum parti adhæsit Ecclesiæ, alter parti Imperatoris, ut utriusque partis uterque secreta cognosceret, & illos aptiùs possent disperdere, quos volebant. Nam & cautissimus Abbas ille Sanctæ Luciæ primò, & Abbas factus postea Sancti Felicis de Vicentia; quidam alter etiam nomine Moscardinus de Pedemonte, nocte multis vicibus unius fratris ad alterum tulit literas, & secreta: quod notum fuit in Vando de Viguncia mortuo injustè, ut superiùs dictum est, & in multis aliis, qui similiter perierunt indignè.

CAP. VI.

Hic redduntur Legato quasi omnia Castra Paduani districtus.

AUdientes illi, qui tenebant Estensem Roccham, & Castrum Montagnanæ, & alias Terras de Scodesia, datum esse Castrum Zigotum Albrico de Romano, & suæ parti; ipsum Este, & terras de Scodesia totaliter Domino Marchioni, & ejus Nuntiis pro eo recipientibus reddiderunt. Non verumtamen denegantes, quòd dabant omnia Ecclesiæ, & Legato, utpote quia Dominus Marchio erat in hiis partibus membrum Ecclesiæ principale.

Quid plus? in eisdem diebus, quibus fuit Padua de jugo hæreticorum erepta, data Sanctæ Matri Ecclesiæ, reddita Domino Legato, & Marco Quirino Paduæ Potestati, de summa & ineffabili voluntate (n) Castro illo fortissimo, quod erat in Padua similiter reddito (5) per Vendraminum de Pedemonte, Capitaneum ibi constitutum ab Eccelino; Turri etiam, & munitissima domo Apicacura (o) in porta Turrisellarum redditis statim sequenti die post Civitatem captam, & habitam à Legato, affidatis ibi custodibus solummodo in personis: Statim (6) & ista loca sunt reddita Domino Legato, & Communi Paduæ, videlicet Buvolenta, Cintum, Lucium, Montagnonum, Castrum Montis-Rubei, Castrumnovum, Castrum Episcopale Pyndisii, ceteraque loca omnia totius Paduani districtus, præter summum Montisilicis, & Cerrum, & Calaonum, tam in montibus, quàm in plano. Quæ cum affectu tanto & voluntate se præceptis Matris Ecclesiæ subdiderunt, ut pauci, vel ferè nulli forent, qui haberent præteritorum malorum memoriam, aut de transactis cruciatibus condolerent. Profectò multo gratior est post pœnam tranquillitas, & dulcedo post amaritudinem plus delectat.

CAP. VII.

De reditu Eccelini à devastatione Mantuani districtus.

CIrca diem tertiam postquam Paduana Civitas reddita erat, redibat Eccelinus à dissipatione & vastatione Mantuani districtus Veronam, quò perrexerat circa principium Madii nunc transacti, ut superiùs dictum est, & per Mantuanum (7) Episcopatum, in quacumque parte potuit, illis diebus destruxerat: & ventum erat ad aquas Menzi, ubi Nuntius ecce quidam anxius, & anhelans stetit ante tyranni præsentiam, & ipsi interroganti: *Quæ nova?* respondit infelix ille: *mala, Domine, quia Paduam perdidistis*: illum siquidem Nuntium absque mora fecit occìdi suspendio. Posthæc per spatium temporis aliquanti alter advênit Nuntius primo felicior, & fato editus meliori. Hic Eccelino quærenti: *Quæ nova?* sapienter, & devotè respondit, quòd si ejus Dominationi placeret, volebat ei secretè loqui. Hunc commendavit Tyrannus in corde suo, & auditis secretò rumoribus insperatis, quos etiam bene potuit occultare, & novit transmutare in aliud, finxit se aliud audivisse. Et parva temporis quantitate transacta, ecce ad eum veniunt de suis Militibus quidam, qui Paduæ erant in conflictu, scilicet (8) Gorzia, nunc Crepada, nunc Brixa, nunc & alii, & non eâdem horâ, sed successivè. Ansedisius autem, qui Paduæ Potestas exstiterat, stabat adhuc Vicentiæ, & dicitur (9), ut pecuniam, quam Eccelinus etiam habebat Vicentiæ, colligeret festinanter in unum, & ad suum Dominum exportaret, quem cum sua infelicitate videbit. Ipsis ergo cum suis militibus congregatis ad Eccelinum, & de capta Padua cognita veritate, Eccelinus ipse aliud mente habuit, & aliud dixit ore: confestim namque taliter ordinans gentem suam, quòd omnes Veronam trahat, & nemo valeat deviare, quamvis die jam inclinante, jussit transire Menzum (10). Quo si quidem transvadato, quamvis omnes crederent hospitari, tamen fecit taliter, quòd exercitus tota nocte defessus, collectus est in Verona. Tunc murmurabatur latenter & timorosè per omnes, Paduam esse captam ab inimicis; & si quamvis Eccelinus hoc tegeret quantum posset, vulgus verumtamen noscens omnia, non erat sinè lachrymis & dolore. Igitur ne liceret mœstis gentibus mutare propositum, claudi fecit omnes januas Civitatis, custodes ad stratas posuit, & si quis recedere præsumebat, manibus, & pedibus truncabatur. Ad hæc fecit eos subdolè convenire in unum conclusum locum, & jussit, ut veniant sinè armis, hoc fortè, ut possit eos faciliùs detinere incautos: & sta-

(n) *MS. Ambr. II. addit* Dei.
(5) *Cod. Estens.* reddito operatione virtutis, & sapientiæ Nobilis Domini-Thomasini Justignani de Regno Venetiarum per Vendraminum &c.
(o) *MS. Ambr. II.* Apiccataure.
(6) *Cod. Estens.* tunc quoque ista &c.
(7) *Cod. Estens.* Mantuanum districtum, vel Episcopatum.
(8) *Cod. Estens.* scilicet nunc Gorzia, nunc Crepada, nunc Brusa, nunc &c.
(9) *Cod. Estens.* Denarios, & pecuniam.
(10) *Cod. Estens.* Menzium.

Digitized by Google

ſtatuit aliquos ſubſurrones ſuos fidos ire per turbam gentium, qui dicebant, fingentes ſe dicere in ſecreto: *Nos ſinè dubio imus Paduam, & ſi inimicos inveniemus ibidem, ipſos trucidabimus tamquam canes*. Contriſtati attamen Paduani diverſi deverſimodè cogitabant, timentes aliqui patres ſuos, filios, & uxores, fratres, vel conſanguineos in Civitatis occupatione peremtos; aliqui ſuas divitias eſſe raptas, & domos; aliqui Civitatem Paduæ totaliter ignibus & ſanguinibus deformatam. Contingit enim ut plurimùm, quòd ſi quis abeſt à re principaliter exoptata, vix eſt abſque ſolicitudine, & timor, & aſſiduè pericula ſuſpicatur.

A

B

CAP. VIII.

De Paduanis carceratis Veronæ.

VUlt amodo Eccelinus ſui odii venenum evomere, quod longo jam tempore cupiebat in gentem effundere Paduanam. Et ſuis convocatis complicibus, quos fingebat habere caros, inter cetera, quæ locutus eſt inter eos, breviter conſilium petiit, quid facere habeat de Paduanis, quos jam concluſos tenebat in loco uno. Super quo Antonius, qui dicebatur Broſima, filius olim Domini Lemici de Ardengis de Padua, qui etiam nunc erat Vicentinus Poteſtas pro Eccelino, ſuum bona fide conſilium dedit, quòd ſcilicet Paduani veniant cum ipſo Vicentiam, quos illic tenere poteſt ad utilitatem amicorum commodiùs, & ad inimicorum confuſionem, & mortem. Surrexit protinus & locutus eſt alius Miles quidam diverſo modo, & ait, ſuum dando conſilium, quòd Paduani omnes prorſus teneantur Veronæ, timendum quippe eſt, ne ſi Paduani (11) appropinquant, ad partem alteram convertantur; & ſic foret error noviſſimus pejor primo. Quid ultra? primò detineri fecit cunctos illos de Plebe Sacci, unde Legatus venerat, ſecundò illos de Cittadella, quoniam locum illum reddiderant ſui de Cittadella; tertiò bubulcos; poſt quos pedites, & milites: ſed iſtos ultimo loco, nam ipſi primò ceperunt alios, & ipſi poſtmodum capti ſunt, & in carceribus poſiti, denuo cum aliis perierunt. Et fuerunt (12) XI. millia perſonarum, & ultra de ſolis his de Padua, & Paduano diſtrictu, quos in carceribus Veronæ poſitos, & detentos, vir ipſe perditionis, & homo inauditæ iniquitatis, morte mala tempore procedente perire fecit, fame, ſiti, frigore, nuditate, aliquos ſuſpendio, aliquos quoque gladio, alios verò igne. De tanta quoque multitudine captivorum numquam CC. Paduam redierunt. Et habuit Eccelinus prædictorum omnium, quos ſic mortaliter carceravit, equos, arma, tentoria, veſtimenta, pecuniam, cunctaque ornamenta, quæ tulerant ſtudioſè ad Eccelini decorem, & ad ſui magnificentiam guarnimenti. Jam ecce ſecundò (13) depauperata eſt Civitas Paduæ, primò namque divitiis per milites Sancti Petri, ſecundò perſonis, & (14) hominibus per vicarium Antichriſti. Sed depauperationis primæ nulla eſt comparatio ad ſecundam. Inopia namque rerum poterit reſtaurari, ſed non eſt reſtauratio perſonarum. Immo nulli extat ambiguum, quòd humani generis tanta facta perditio, in Verona ſpecialiter, in ætate præſenti, viris perditis, mulieribus viduatis, damnificavit populum Paduanum in tantum, quòd *nec* ſecunda ætas, *nec* tertia, *nec* quarta poterit reſtaurare quod iniqui & tyranni pravitas abolevit. Qua (15) conſulo, quòd provideant populi Civitatum, ne talibus dominis ſe ſubmittant, quorum rabies bonos opprimat, malos foveat, iniquitatem diligat, & odiat æquitatem. Eſt enim, ut ait Philoſophus, ſors graviſſima, ſors mortalis, quotiens iniquus gladius (16) veneno ſæviſſimo ſociatur.

C

D

E

CAP. IX.

De pugna quadam facta ad Roſtam Longariæ.

DIebus illis dum talia tractarentur, & fierent per inimicum Eccleſiæ in Verona, & Paduæ Civitas mandatis Eccleſiæ in omnibus obediret: ſtabat Legatus cum ſuo Clero in Monaſterio Sanctæ Juſtinæ de Padua, in contrata de Prato Vallis. Illuc ad ipſum cuncti conveniebant, ut de factis Paduæ, & Paduani diſtrictus ſalubriter diſponeret, & tractaret. Et quoniam quaſi communiter ab omnibus dicebatur, quòd Vicentia poſſet haberi de facili, & eripi de Dominio Eccelini, ſuper hoc cogitavit Legatus, cum Poteſtate Paduæ, cum Domino Marchione Azone de Eſte, qui noviſſimè hiis diebus advenerat, & cum aliis ſapientibus, & potentibus Civitatis. Ita quòd per eos proviſum eſt taliter, quòd venerunt Paduam electi quidam milites, & pedites de Bononia cum venerabili viro Fratre Johanne de Ordine Prædicatorum; & de Venetiis, & de Clugia, venerunt pedites, & baliſterii; de Ferraria milites, & pedites electa quantitas; & ſtabant omnes ire parati quòcumque Domino Legato placeret. Tunc quamvis guarnimentum nondum exiret totaliter, milites quidam, & pedites die X. exeunte Julio manè iverunt, ut roſtam, ſive cluſam diſrumperent, quæ tenebatur à Vicentinis obſtruſa in loco ubi dicitur à Longare, nolebant enim, quòd aquæ illæ Paduam, vel ad Paduanum diſtrictum decurrerent. Itaque Vincentini milites, & pedites exiverunt obviam, ut apertionem aquæ contradicerent Paduanis. Unde illic apud aquam commiſſa eſt pugna quædam, ibique incurſus exſtitit (p) militum pugnantium prudenter utrinque. Fuit igitur fractio lancearum, & ſtridor, tinnitus enſium in galeis, & loricis, & pugnatum eſt hinc inde viriliter, quaſi per unam horam, donec proſtratis aliis de Vicentinis in terram, aliis revolutis ad aquam, aliis de campo fugatis; vagantur dextrarii hinnientes per campum, ſellis vacuis, loris inæqualiter pendentibus contra pedes. Jacuerunt per terram clypei, enſes fracti; arma multa militum, & peditum ſunt neglecta per vias. Et ita denuo poſt conflictum mortuus ibi jacuit Antonius Broſima Poteſtas Vicentiæ, Marchabrunus de Vivario (q), Biaxa de Padua, qui tunc contra Paduanos pugna-

(11) *Cod. Eſtenſ. & Ambr. II.* Paduam.
(12) *Cod. Eſtenſ.* fuerunt numero XI. m. &c.
(13) *Cod. Eſtenſ. & Amb. ambo* ſecundo diebus iſtis &c.
(14) *Cod. Eſtenſ.* perſonis, & rebus.
(15) *Cod. Eſtenſ.* quare. *Ambr. II.* quapropter.
(16) *Cod. Eſtenſ.* gladius additus veneno &c.
(p) *MS. Ambr. II.* tremitus enſium.
(q) *Idem addit* omnes tres de Padua.

Digitized by Google

gnabant, Karus de Marano, & Miles quidam qui vocabatur Aregle. Longinus verò, juvenis quidam de Berrica (17) mortuus est in aqua, & alii quamplures cum eo. Tunc Dominus Gerardus Judex similiter de Berrica, Guido Pandecampi de Maledo, Andreas de Luscho, & filius Domini Gerardini, & multi alii de Vicentia capti sunt in hoc certamine die illa, & Paduam sunt conducti.

CAP. X.

Qualier gens Legati est in Longare perterrita.

EOdem mense Julii, scilicet penultimo die Mensis, movit Legatus de Padua, & Cruce aurea, more solito, antecedente ad ipsum, Vexillo Crucifero allevato, Clericis, & Militibus honorificè sociatus, equitavit in Christi nomine (18), & posuit se ad Arlesicam, ad quem protinus Potestas cum Paduanis, Dominus Marchio cum Ferrariensibus, Mantuani cum eo, etiam Frater Johannes cum Bononiensibus suis, Veneti, & Clugienses, Veronenses, & Vicentini, de suis expulsi patriis, & gentes aliquæ de Romagna, totumque guarnimentum, quod collectum erat in Padua, convênit magnificè & potenter. Quibus omnibus congregatis, equitavit exercitus, & de (19) Martis prima Augusti castramentatus est ad Longare. Illuc enim vênit Albricus de Romano cum quadam gentium quantitate, datâ sibi fiduciâ per Legatum, de cujus adventu quodammodo mirati sunt omnes; & fuit rumor quidam, & quasi tumultus in populo, propter adventum ejus, sed ob Domini Legati reverentiam siluerunt. Tunc constitutus est Dominus Marchio Capitaneus, & totus exercitus Marescalchus; & hoc modo gens tota quieta fuit, & securior, propter Domini Marchionis magnitudinem, sapientiam, & virtutem. Ibi abundavit exercitus multis bonis, pane, vino, & victualibus omnibus ad talia opportunis. Apertum (*est*) cubalum de Villa, quæ appellatur Custodia. Inter cetera namque cubala, sive cavernas (20) quæ sunt multæ per montes illos, hæc est caverna præ ceteris mirabilior subter montem, longa per milliare, & ultra, in altum ardua, in latum ampla, hyemali tempore calida, frigidissima in æstate, obscura omni tempore, si non illic luceant cerei, aut faces. Hinc vina optima, quæ tamquam in cellario cuncti de circumstantibus Villis tempore vindemiarum reponunt, ad exercitum sunt delata. Dominum Legatum, & alios omnes vina illa lætificaverunt plurimùm, fecerunt hilares, & jocundos. Stetitque gens tota ibidem diebus aliquibus placidè & lætanter. Sed extrema gaudii luctus occupat. Nam loqui cœperunt aliqui per exercitum susurrantes, quòd Eccelinus de Romano cum magna multitudine gentis venerat de Verona Vicentiam, & crescebat quotidie gens ipsius, & hoc specialiter faciebat pro Legati exercitu invadendo. Inde timor, & tremor aliquos de gente Legati perterruit, & cœperunt cogitare solùm de suo facto, quid foret eis in tali articulo faciendum. Est autem non bonum indicium in expeditionibus Civitatum, & guerris, cùm hii, qui debent communitati consulere, utilitatem spectant propriam, non communem.

CAP. XI.

Qualiter Legatus cum exercitu rediit de Longare.

HOc itaque notaverunt Legatus, Potestas, & Marchio, & parabant apponere tanto vulneri medicinam. Sed ecce primò Bononienses (nec inquiri potuit auctor commotæ rixæ) apertè lamentari cœperunt, quòd soldum, sive salarium à suo sibi Communi promissum penitus habere non poterant; unde illic ampliùs manere nolebant: nec potuit Frater Johannes eorum Magister, & Rector, ipsos ad manendum ulteriùs confortare. Stabant autem ipsi Bononienses cum eo, segregati ab exercitu aliquanto spatio contra hostes. Itaque Veneti, & Clugienses sentientes aliquid per exercitum murmurari, naves suas quasdam, quas jam traxerant ultra rostam, reduxerunt nocte quadam versùs exercitum, ad locum securiorem. Et sic istis visis, & auditis indiciis pronosticantibus non ad bonum, statim nocte una jussit, & voluit Legatus, & stare fecit totum exercitum providum, & armatum; & sequenti die in Vigiliis Sancti Laurentii, scilicet IX. die intrante Augusto, movere cœperunt multa (21) tentoria, & castra de locis suis, quasi jam vellent arripere viam, & tenderent ad regressum. Quid plus (22)? nec Legati reverentia valuit, nec Potestatis mandata, vel Marchionis: sed cœperunt omnes & singuli ruere, & inordinatè Paduam regredi, tamquam (23) hostes sequerentur eorum terga. Videns itaque Potestas quàm subitò, quòd talis impetus, & amentia inconsulta, suam posset Civitatem damnificare (quod absit) suspicans se in suo exercitu serpentem quasi nutrivisse in sinu, præmisit illico festinanter nuntios suos ad Civitatem, ut januæ concludantur; & quod mandavit, subitò factum est. Sed parvâ transactâ morâ, ecce Albricus de Romano properanter præveniens Potestatem, Civitatem ex omni quasi latere circuivit, postulans intrinsecus hospitari: nemo tamen potuit scire, quid ejus animus intendebat: unde recessit indignatus, & murmurans, & hospitatus est extra Civitatem, quasi per milliare. Sequenti verò mane Tarvisium ivit. Legatus autem, & totus exercitus, Paduam sanus, & incolumis est regressus.

CAP. XII.

Quo tempore Dominus Episcopus Paduanus, & Dominus Abbas Sanctæ Justinæ de Padua sunt in suis dignitatibus positi.

HIc prætermittendum non arbitror, quòd Divina dispensatio ultra communem valentiam hominum commendanda, de sua inesfabili

(17) *Cod. Estens.* Beriza.
(18) *Cod. Estens. & Ambr. II.* nomine, ivitque, & posuit &c.
(19) *Cod. Estens.* & die Martis.
(20) *Cod. Estens.* cameras, *infra*, *ubi* caverna *legit* camera.
(21) *Cod. Estens.* multi.
(22) *Cod. Estens.* Quod populus &c.
(23) *Cod. Estens.* tamquam si hostes &c.

Digitized by Google

sabili bonitate, sine intermissione procurat, quòd humanum genus salubriter gubernetur, habeatque in spiritalibus etiam Patres venerabiles, & dignos Pastores in suis locis. His namque diebus, quibus Sedes Episcopalis in Padua jam tempore longo vacaverat, propter tyrannidem Eccelini, vir venerabilis, & discretus, moribus imitandus, Divina, & humana lege perspicuus, olim filius nobilis viri Domini Forzatè de Padua, Johannes nomine, quod rectè sonat Christi gratia, dignitate Episcopali ab ipsa Sancta Romana Ecclesia jam antea dignis meritis acquisita, in Anno Domini supradicto MCCLVI. die III. intrante Augusto, à cuncto Clero, & Populo Paduano processione celebrata solemniter, in sua Sede Episcopali de Padua susceptus honorabiliter est locatus, cunctis himnizantibus, & psallentibus, sive cantantibus, *Te Deum laudamus*, & (24) orationes alias ad laudem Domini pertinentes.

Luce verò tertia ante præsentem diem, ut puta prima die Augusti, Abbas Jacobus, vir omni laude dignissimus, collocatus erat, & positus (25) Monasterii, seu Abbatiæ Sanctæ Justinæ de Padua, per dictam Sanctam Ecclesiam Romanam sibi datæ.

CAP. XIII.

Post regressum exercitum de Longare, loquitur Eccelinus Vicentiæ inter suos.

AUdito Vicentiæ, quòd guarnimentum Legati recesserat de Longare, ostensum est magnum gaudium Vicentiæ apud omnes. Sed fuerunt plurimi, quorum lætitia ficta erat: nam aliqui expectabant ibidem de servili jugo collum eripere per Legatum, & gentem suam, nequaquam autem suum animum ostendere præsumserunt, memores, quòd paucis adhuc diebus elapsis, quando scilicet Padua capta fuit, viri quidam de porta Sancti Petri de Vicentia, muniti nimiùm properè signaculo Sanctæ Crucis, impiis manibus, & indignis in Civitate propria sunt occisi. Interea stante Legato in Padua cum toto suo guarnimento prædicto, Eccelinus Vicentiam vênit, cum Theotonicis, quos semper ducebat secum, & cum magna militum, & peditum quantitate. Qui sciens Vicentinos diversos diversimoda cogitantes, stetit in eorum Palatio, & facta Concione solemni, non solùm de Populo Vicentino, sed de cunctis aliis, quos habebat, de Verona, de Lombardia, de Pedemonte, & aliunde; hæc verba locutus est inter eos:

„ Etsi contingat aliquando, quòd iniquitas „ æquitati præjudicet, corrumpatur justitia „ ab injustis: Dei tamen violentia nullatenus „ violatur, neque est ingenium humanum sufficiens in cunctis discernere plenariè quod „ est justum. Immo solus ipse Deus omnipotens justè considerans universa, quod est „ melius in omnibus statuit, & disponit. Est „ namque verum, quòd inimici nostri, pars „ quippe rationi contraria, & rectitudinis „ inimici (26), Vicentinum districtum invaserunt, & minabantur quidam voluptuosè „ viventes Civitatem Vicentiam insultare, volentes viros bonos confundere, qui vitam „ insontem ducunt, nequaquam rapiunt alienum; disperdere, nos, & nostram Civitatem igni submittere; effundere sanguinem „ innocentem; exheredare immeritos, orphanare pupillos, viduas compellere mendicari. Placuit autem Deo, qui damnat iniquitatem, ut scisma cresceret, & seditio inter „ eos, dum vires nostras plurimùm pertimentes, non utique præsumserunt nos expectare „ in campo, sed iter suum arripuerunt inordinatè, conversi quidem in suum improperium, & in fugam. Nos igitur cognoscamus à Domino quod est factum, & simus „ unanimes, & concordes, equis, & armis „ viriliter præparati: quoniam si considero „ amicorum magnificentiam, & vigorem, „ propositum, & laudabilem voluntatem, non „ multa tempora elabuntur, quòd amicis nostris honor accrescet, & gloria, virtus, & „ potentia extendetur. Erit autem nostris inimicis confusio, dolor, & dispersio violenta, mortis etiam extrema obscuritas, & irreparabilis in æternum.

Hæc autem omnia supradicta hujus Noni Libri sunt in prædicto Anno Domini MCCLVI. facta.

(24) *Cod. Estens.* Odas alias &c.
(25) *Cod. Estens.* positus in Sede sua Monasterii &c.
(26) *Cod. Estens.* inimica Vicentinum districtum invaserat.

Explicit Liber Nonus.

Digitized by Google

INCIPIT DECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Hic faciunt Paduani spaldum pro securitate sua, & Civitatis.

PArata credit amodo esse tempora Eccelinus, ut Paduam valeat rehabere, sive incolumem, sive læsam. Itaque nocte quadam, solicitus, & insomnis, inter cetera magna, & ardua facta, quæ corde magnanimo revolvebat, ait ad semetipsum, & solum. „ Ecce „ jam inimici fugam arripuerunt de campo, „ & necesse est de duabus occasionibus unam „ esse, forsitan vel utramque, aut enim est „ scisma, & seditio inter eos, aut fortè timo„ ris causa. Colligam igitur vires meas, & „ Paduanos, dante Domino, sub pedibus con„ culcabo, aut terga conteram proditorum. Et sic continuò post hæc intra suum animum revoluta, quamvis Vicentiæ gentem copiosam haberet, non neglexit tamen literas, & nuntios mittere ad quamcumque partem, unde sperare potuit suum accrescere guarnimentum. Scivit enim, quòd abundans cautela non nocet; & qui paratus fuerit opportunis, vix poterit irrideri. Tunc, sive per famam fuerit, quam nullum latet secretum, sive per exploratores, qui facta referunt Civitatis (27) ad Civitates, cognitum est in Padua, quòd Eccelinus proponit invadere Paduanum districtum. Ergo, deliberato consilio, statuunt Paduani fossatum, & spaldum facere à latere Civitatis Paduæ versùs serò, in qua parte potiùs expedire videtur, propter futurum exinde inimici adventum, foris muro scilicet circa CCC. (r) passus: & quamvis laboriosum exstiterit, omnes tamen voluntariè laborantes, opus magnum paucis adimpleverunt diebus: utpote longam foveam, quasi per milliaria tria, amplam etiam, ut quasi Brentæ alveus crederetur. Foveâ quidem factâ, constructum est ibi spaldum trabeum, longo tractu (28) fortissimum, & condendum. turres quoque ligneæ, tortirellæ, sive prederiæ certis locis, ut si temerarius inimicus accesserit, redeat cum pudore, & damno. Hoc opus tamen nullus vilitati ascribat, quod equidem factum est potiùs propter Civitatis, & personarum tutelam, quàm ipsius Civitatis decorem: nam qui possent pugnasse postmodum intra spaldum securiores, foris exiverunt ut plurimùm, sicut postea tempore discriminis patuit manifestè, & pugnantes extrinsecus viriliter contra hostes, ex eis ceperunt quosdam, milites (29) converterunt in fugam, vulneraverunt aliquos, & aliquos occiderunt.

CAP. II.

Hic victâ Montegaldâ, & Montegaldellâ, vênit Eccelinus versùs Paduam hostiliter.

MOvit quoque diebus illis Paduæ persecutor, & hostis, & hoc solum mente gerens propositum, scilicet Paduam occupare, si poterit; perrexit prima fronte ad locum illum dictum superiùs de Longare, ubi rostam, sive clusam reparari fecit firmiùs, ut aqua circa Paduam deficcetur. Motusque exinde ivit Montegaldam, & Montegaldellam, loca Vicentini districtus, quæ jam videbantur esse reddita parti Ecclesiæ, & Eccelini dominium neglexisse, & partem. Nolens ibi (30) personaliter facere moram, Vicentinos illic reliquit, eis districtè præcipiens, ut obsidentes utrumque locum, exinde non recedant, nisi utriusque loci proditores personaliter habeant, eosdemque ad eum ducant vinculis alligatos. Ipse itaque vênit Arlesicam, Terram Paduani districtus, cum ingenti turba gentium, & exercitu copioso, & crescebat cotidie gens ipsius. Dum autem Vicentini obsiderent sibi præcepta loca, elapsis diebus paucis post Eccelini recessum ibi commissa est pugna, & ex utraque parte multis mortuis, Vicentinis tamdem est reddita Montegalda, recedentibus illis, qui eam reddiderunt, solummodo in camisiis, & in braccis. Et sic postea dum victores turrim Montegaldellæ deposcerent, negantibus illis, qui defendebant, & dum se præpararent extrinseci turrim incidere, videntes intrinseci se perire, turrim, & se omnes protinus reddiderunt: & sic alligati vinculis, ducti ad Eccelinum, jussu ejus sunt luminibus excœcati: dum ipse fremens, & iratus assereret, ipsos se non reddidisse, immo per violentiam esse captos. Et erant hæc omnia in Augusto, circa finem ipsius mensis, in prædicto MCCLVI. Anno.

CAP. III.

Hic stat Eccelinus prope spaldum Paduæ, & nominantur gentes, quæ sunt cum eo.

TUnc processit copiosus exercitus Eccelini de loco Arlexicæ, & veniens versùs Paduam, castrametatus est in confinio de Tumba, & de Areolda: & facta unica hospitatione ibidem, vênit die Dominico V. (s) exeunte Augusto, & hospitatus est cum exercitu suo toto, & maximo, juxta Brentam, in territorio scilicet, & in Villa Vedeitæ (t) prope Paduam per unum milliare, vel circa hoc. Villas inde totaliter spoliavit, vastavit fruges, arbores extirpavit, &, ut verè loquar, omnia generaliter mobilia rapuit, quæ locorum habitatores, vel nequiverunt secum ducere, vel Paduam deportare. Sed nec sufficere poterant illarum Villarum spolia tantis tur-

(27) *Cod. Estens.* Civitatum.
(r) *MS. Ambr. II. pro* CCC. *legit* D.
(28) *Cod. Estens.* firmissimum.
(29) *Cod. Estens. non legit* Milites, *sed* multos.

(30) *Cod. Estens.* Nolens autem ibi &c.
(s) *MS. Ambr. II.* die XXV.
(t) *Idem* Videciæ.

Digitized by Google

A turbis: erant enim cum Eccelino Veronenses generaliter pro Communi, omnes Vicentini, similiter Feltrini, & Bellunenses Communiter omnes, milites Cremonenses, & Papienses in maxima quantitate, de Placentia, de Vercellis, Brixienses, & Pergamenses, & gentes aliæ tantæ de diversis partibus congregatæ, quòd longum foret singulariter numerare. De Theotonicis non est dicere, quoniam multos habebat ad solidum, & sinè ipsis omnibus nusquam (31) ibat. Stans hic (32) potentissimus, & magnificus Paduæ inimicus, manifestè considerat, quòd irrumpere nequid in Civitatem. Itaque multa consilia faciens, cœpit examinare, & quærere ab aliquibus Paduanis, quos secum de Verona conduxerat, & qui præci-
B puè noverant situm loci, quid fieri posset ad inimicos potiùs confundendos. Cui Paduani ipsi, non audentes dicere de recessu, quàm cautiùs poterant respondebant, hoc esse damnum maximum quod fiebat, & æternum obprobrium Paduanis. Unde fideliter ei dabant consilium, quòd hìc moram cum exercitu faceret, & interdum gentes poneret ad spaldum impugnandum, & invadendum: quoniam hii, qui venerant Paduam in succursum, ibi pro certo non multo tempore morabuntur.

CAP. IV.

C *Hic exeunt Paduani obviam Eccelino, & nominantur gentes, quæ sunt cum eis.*

SCientes amodo Paduani, quòd locatus est exercitus valde prope ad Civitatem, exire volunt obviam inimicis: & cum tentoriis, travachis, & tendis, exeunt Civitatem magnificè, locantes se foris à Civitatis muro, & intra spaldum, ubi erat & habitatio Domini Legati, & sui Cleri, qui in loco, & Monasterio spatioso Sancti Benedicti posuerat suam mansionem, & sedem quàm plus (33) poterat ad inimicos. Erant autem in hoc Paduanorum, immo Ecclesiæ guarnimento, Dominus Gregorius Sanctæ Sedis Aquilegiensis
D Patriarcha, cum militibus suis de Foro-Julii, veneratque hesterna die, habens secum societatem honorabilem, & decentem, & in ejus societate venerat Dominus Biaquinus de Camino, vir providus, & discretus, sapiens, strenuus, & astutus. Erat illic etiam nobilis ille Azo, Dei, & Apostolicâ (u) gratiâ, Marchio Estensis, & Anconæ, qui venire fecerat Ferrariensem militiam, quasi totam, pedites autem nondum venerant, sed prorsus in brevi venturi erant. Volebat equidem ipse Marchio totam suam movere potentiam pro matre sua Padua defendenda, ut asserebat.
E Fuerunt illic in magna parte milites Mantuani, quos scilicet compellebat amor quodammodo naturalis. Dicunt enim qui recolunt, quòd quidam specialis amicitiæ vigor, quasi radicitus (34), antiquitus exstat inter Paduam & Mantuam longis temporibus jam transactis, usque videlicet illo tempore, quo IX. Civitates de Lombardia venerunt hostiliter usque ad Pontem Brentæ de Viguntia, pro Padua invadenda. Inter quas dum esset Mantua, Miles quidam Mantuanus probus, astutus, & sapiens, prædecessor Domini Zuchonis Militis Mantuani, Paduanorum hostes sapienter & ingeniosè submovit ab obsidione, seu exterminio Paduano. Quare adhuc Commune Paduæ omni anno donat heredibus Domini Zuchonis unum spariverium (35) jure feudi. Erat etiam in prædicto guarnimento Ecclesiæ pulchra satis quantitas Venetorum, & Clugiensium, quorumdam etiam de Romagna, erant illic etiam, qui expulsi fuerant de Verona tempore tyrannidis Eccelini. Milites verò Bononienses, & pedites, qui cum Fratre Johanne venerant, ob Sanctæ Crucis reverentiam, ut dixerunt, ecce nunc cum ipso Fratre Johanne recesserant, Dominum Legatum, & alios, qui pro Cruce pugnabant, in majori, immo maximo necessitatis articulo relinquentes. Sed hoc ipsis improperare non audeo, quoniam apud ipsos Bononienses in scientia literali nutritus, in Anno Domini MCCXXI. illic à Bonocompagno (36) meo Domino, & Magistro, natione, & eloquentia Florentino, licèt indignus, recepi officium Magistratus.

CAP. V.

Primus insultus, quem fecit Eccelinus ad spaldum Paduæ.

UTriusque partibus gentibus, & amicis, ut dictum est superiùs, præparatis, & cognito per Eccelinum, quòd quantum in numero personarum, guarnimentum Ecclesiæ suo guarnimento comparari non poterat, suam voluit experiri fortunam. Ergo die Mercurii penultimo Mensis Augusti in supradicto Anno MCCLVI. movit militiam suam totam, movit etiam magnam peditum quantitatem, præmisit balisterios, & gualdanam, omnesque vastatores cum illis, & miro quodam modo, & sapienti ordinavit VI. acies militum sub certis insigniis, & vexillis, ardentes quidem armis fulgentibus, in dextrariis faleratis. Stetit autem ipse Magnificus & timendus in septima Theotonicorum suorum acie, in qua erat solitus confidentiùs equitare. Jussit dictos balisterios, & Waldanam procedere, cum vastatoribus ferentibus roncones acutissimos, & secures, fossoria, & ligones; arbores incidere, (x) & rubeca, vineas, & segetes omnes, planare vias, fossasque cunctas obstruere, tamquam militum expectaret incursus, & optaret habere bellum sanguineum & campestre. Gente siquidem ordinata, subitò pervênit ad spaldum, & fossas, quæ nondum ex toto completæ erant, optans, ut videbatur, quòd intrinseca militia etiam se committeret casui, & fortunæ. Tunc Dominus Marcus Quirinus providus Paduæ Potestas fecit illico signum dari, & gens tota Cruce-signata, quæ fuit in Civitate, & extra, repentè devoluta ad spaldum hostibus viriliter occurrebat. Immo, secundùm quod volebat Dominus (y) Marchio, Comes de Sancto Bonifacio, Dominus Biaqui-

(31) *Cod. Estens.* numquam.
(32) *Cod. Estens.* Stans igitur &c.
(33) *Cod. Estens.* plus prope poterat ad inimicos. *Ambr. II.* apud inimicos.
(u) *MS. Ambr. II.* Dei, & Apostolicæ Sedis gratia &c.
(34) *Cod. Estens.* radicatus.
(35) *Cod. Estens.* Ipsius Domini Zuchonis unum Sparaverium.
(36) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* Boncompagno.
(x) *MS. Ambr. II.* arbores incidere, & vastare vineas. *Estens.* & rubeta.
(y) *MS. Ambr. II.* quod volebat Dominus Marcus Quirinus, & Comes &c.

Digitized by Google

quinus, ceterique Magnates, & nobiles viri, strenui, & prudentes, tam scilicet forenses, quàm cives, esse potuit illa dies, qua Deus justum fecisset judicium, & vidisset Civitas Paduæ de magnis suis injuriis recompensationem meritam, & vindictam. Nam cuncti milites Ecclesiæ, & Legati, armis militaribus refulgentes, sedentes quoque stabiles in bellicosis dextrariis, nihil securi minùs, quàm si foret quilibet in Castello, alto vigore animi mirabiliter præmuniti, hastis ad feltrum positis, portam spaldi rumpere jam parabant, & sub fortunæ alea securissimè exponere se, & sua. Prohibuerunt autem Dominus Legatus, & Dominus Patriarcha militibus ipsis penitus, ne exirent, imposita gravi pœna etiam personarum. Exiverunt ergo multi pedites, motu spontaneo, extra spaldum, & cum Waldana, & cum inimicis pedestribus, qui ante venerant, strenuè pugnaverunt, ita quòd hac die de gente Eccelini circa XIV. vulnerati redierunt ad castra, tres mortui jacuerunt in campo, quartus autem quidam de gente illa tyrannica Paduanum quemdam cepit, adjutus à tribus, nomine Placitum, qui se virum de Curia, cantatorem scilicet fatebatur, & erat, & captor capto suspendium minabatur: sed recuperatus Paduanus à suis, eâdem horâ, tamquam bonus debitor, illic in quadam arbore dedit, & reddidit suspendium minatori. Duo etiam pedites de gente Legati sunt mortui die illa pugnantes viriliter, ut verum fatear, contra hostes quasi circa X. & ultra. Vulnerati verò V. redierunt ad Civitatem. Sic quoque steterunt milites Eccelini de mane usque ad Vesperas die illa inertes, & tamdem ad tentoria sunt reversi.

CAP. VI.

Hic facit Eccelinus secundum insultum ad spaldum.

Altera verò die movit Eccelinus militiam suam (37), & pedites supradictos: & iterum reversus ad spaldum, aut proculdubio expectabat, quòd Paduanum guarnimentum exiret ei obviam ad pugnandum, aut sperabat fortè, quòd in Civitate scisma, vel seditio moveretur. Volebat namque castrum, quod olim in Padua fecerat, introire, si posset: quod si ei contigisset (quod absit) Padua jam non ampliùs Padua diceretur. O quoties illa die furor, & rabies Eccelini optavit Vendramo (38) de Pedemonte mortales pœnas usque ad finem mortis, & sinè morte perpetuò duraturas: in eo enim præ ceteris confisus aliquando, Capitaneum ipsum in Castro Paduano posuerat, in quo sperans, nulla ratione timebat dominio tantæ Civitatis carere, & sic per consequens nihil de tota Marchia dubitabat: nec umquam crediderat ante factum, quòd ipse Vendramus fidelitati suæ commissum Castrum hostibus umquam redderet, priùs immo subiret mortem, & si quid horribilius foret morte. Stantibus autem sic militibus Eccelini, multi de suis peditibus moti sunt, cum Waldana, tendentes velociter, quasi venirent ad portam spaldi: sed cùm Legati milites non permitterentur exire, Paduani quidam pedites, & aliqui forenses cum eis, hostibus venientibus occurrerunt in contrarium contra spaldum: inter quos fuit vir quidam strenuus, & fortis in armis, nomine Bonxemblante, qui condam multo tempore propter suæ personæ decorem, & probitatem, valde carus fuerat Eccelino, & inter multa discrimina ejus assistens lateri, reddebat ipsum intrepidum & securum. Hic demum, post temporis diuturnitatem, considerans sui Domini Eccelini tyrannidem diebus singulis inolere, Veronæ cum ipso permanens, cautè & sapienter arripuit subter fugium, jam antea diutiùs præconceptum. Exstitit igitur in hoc loco dictus Bonxemblante cum ceteris pro Cruce pugnantibus, & pedestrem pugnam faciens contra pedites Sanctæ Fidei inimicos, tres in parua mora temporis dedit morti, duos quoque vulneratos mortaliter, compulit ad castra scelerata redire: & ita cum hiis, qui secuti sunt eum, prudenter barram quamdam factam ab inimicis discerpuit, suosque consocios verbis & factis animavit in tantum, quòd de illis adversæ partis in die illa, sive per manus ejus, sive per manus compugnantium secum pro Ecclesia Sancta Dei, circa XL. mortui jacuerunt per campos, vulnerati verò plures quàm L. usque ad Eccelini tentoria redierunt, cruore signante vias. De peditibus etiam partis Ecclesiæ tres meruerunt præmium sacræ mortis, vulnerati verò circa XXV. redierunt ad Civitatem, fugatis inimicis ad castra. Ecce jam hora vespertina advenerat, cùm Eccelinus de morte peditum nihil curans, sed expectans hoc solum, quòd milites Civitatis (39) exirent, suos milites nusquam moveri permiserat; Et sic spe rabida defraudatus in totum, se cum sua vertit militia tota, & equitavit versùs stratas, & vias, quæ veniunt de parte Baxani, ut victualibus, quæ de Baxano ad ejus exercitum ferebantur, daret securitatem, & commeatum. Novissimè namque diebus illis prudentia militum, & peditum nostrorum per Legatum in Rovolone violenter acceperat circa XL. plaustra vini, cum bubulcis, & bobus, quæ jussu Domini Eccelini, Maynardus Capitaneus Baxani, & Pedemontis ad Eccelini exercitum transmittebat.

CAP. VII.

Quærit Eccelinus consilium, unde possit in Civitatem irrumpere.

Postquam duabus vicibus Eccelinus in vanum steterat circa spaldum, tunc aliud fecit propositum, & sero quodam cùm castra jam forent clausa silentio, Paduanos quosdam, quos secum de Verona conduxerat, scilicet Tomaxium Johannis Zoti de Padua, Vitalianum de Arcolda, & Fredolfinum Notarium, quos dicebat fideliores quos haberet in Padua, & alios fortè circa XII. fecit ad se venire, & ait illis.

Ecce jam inimici, in suis tantùm munitionibus confidentes, exire ad nos non audent, sed velut cuniculi latitant intra spaldum: nobis igitur est videndum, si qua parte posset haberi ad eos introitus, vel accessus, ut vel ipsos aggredi valeamus, vel saltem ad Montemsilicem dirigere gentem nostram. Illic enim in summo montis, & Castro, fideles nostri Propheta, & Gerardus adhuc viriliter se defendunt: immo cum

(37) *Cod. Estens.* eamdem militiam.
(38) *Cod. Estens. & Ambr. II.* Vendramino *semper.*
(39) *Cod. Estens.* Civitatem exirent.

Digitized by Google

cum prederiis, & balistis, die ac nocte grandinant proditores & Villam eosque impugnant jugiter, & occidunt. Nec dubito, quòd si illuc accedere valeamus, Villam in instanti habebimus; & habito Montesilice, & habito Montericco, nec Padua se defendet, sicut nec fecit olim, nec inimici locum invenient, ubi possint, vel audeant in Marchia commorari. Ad hoc surgens respondit unus, & ait:

Verum est quòd immensus timor compulit Paduanos, dum sic se fossis subitis vallaverunt, sed esse solet locus quidam imo in (40) *suburbiis Civitatis, per quem deberet facilis haberi accessus: Ubi namque est portus navium in contrata de Sancta Cruce, illic fluminis alveus quodammodo ampliatus puto potest absque difficultate vadari. Itaque per locum illum flumine superato, nullum restat ultra obstaculum; sed positis castris in Prato Vallis, nulla erit postmodum Civitatis defensio: & habita Civitate, locus Montissilicis, cum Montericco, & aliis pertinentiis suis confestim veniet ad mandata. Immo loca & Castra quælibet Paduani districtus vestris pedibus advolventur: ubi namque declinat capud, & membra quælibet subsequuntur.*

CAP. VIII.

Hìc vult Eccelinus intrare Paduam à Sancta Cruce, vel ire ad Montemsilicem.

Hoc nempe consilio confortatus, statim sequenti die universis suis militibus dispositis, & more solito armatis, & ordinatis, vênit Eccelinus ipse cum acie una militum usque super fluminis ripam ex parte altera Sanctæ Crucis, dimissâ totâ aliâ militiâ illic prope: sed nec minùs velociter parati fuerunt Legati milites universi ex opposita parte fluminis in contrarium Eccelino. Tunc quoque consideravit rugiens ille leo, quærens quem (41) devoraret, & vidit fossam magnam, & præter flumen aggerem elevatum, magnis adjutum sepibus, longum, continuum, & extensum; plurimas, & densas prederias per ripam fluminis ab Ecclesia Sanctæ Crucis, usque ad pontem de Baxanello; & ait ad Thomaxium, Militem quemdam Paduanum equitantem ad latus ejus: *Ecce quia decepti sumus, nam res est aliter, quàm sit dictum, & inimici nullatenus dormivisse videntur, quoniam nobis obstat constructi operis ingens vallum, defensio, & munitio fortis, militum etiam multitudo, confidens etiam* (42) *in loci munimine potiùs quàm in armis.* Rediit ergo protinus, & conversus est cum illa sua militia, quæ secum venerat (43) versùs Villam, quæ Volta dicitur, quæ est illic supra flumen ex parte opposita Eccelino. Qui fluminis quamdam obliquitatem considerans, postquam nequid amodo in Civitatem irrumpere, præsumit flumen in (44) crastinum pertransire cum parte sui exercitus, vel cum toto, ut ire possit ad Terram Montisfilicis rehabendam, cùm sui adhuc teneant summum Montis, & ipsum Castrum. Jussit igitur berroërium quemdam (45) intrare flumen, & experiri passagium, sive vadum: qui dum ingressus est ignorans aquam, & palpitans iniquo Domino cuperet complacere, lapso jumenti pede in profundum gurgitem obrutus berroërius ipse, cum jumento, & panceria, qua stultus ille vestitus erat, non comparuit ulteriùs super aquam: sed jumentum ad ripam alteram se retraxit, & hoc jumentum habuit rusticus quidam de Villa Voltæ, qui singula securus intuebatur: stans enim in sublimi quadam arbore, & erat specula, quam miram dicimus, ibi facta in capite quasi ipsius Villæ, die ac nocte videbat cuncta quodammodo, quæ fiebant in exercitu Eccelini, & gentem ejus. Sic itaque rediit Eccelinus ad tentoria, totamque suam militiam redire fecit: expertus quòd sub ascendente sibi contrario fixerat sua castra Vedeitæ, & in hiis partibus Paduanis. Indignatus itaque, sequenti die Dominico tertio intrante Septembri, misit CCC. milites Carturium, ad Villam quamdam Paduani districtus, Terræ cujus olim possessores, & domini, Viri nobiles Dominus Guillielmus, & filii, & omnes qui spectabant ad eos, Eccelino semper steterant servitores, & suæ parti. Invenerunt autem ipsi milites ab Eccelino transmissi custodes Castri, & Villæ Carturii dormientes, de quibus XV. occiderunt, & ceperunt XXV. Ducentes eos postmodum ad exercitum alligatos. Combusto Carturio toto, reversi sunt ad Eccelini exercitum cum rapina.

CAP. IX.

Hìc revertitur Eccelinus (46) *ab obsessione Paduæ, & vadit Vicentiam.*

Videns amodo Eccelinus se gentem tantam frustra in obsidione tenêre; quarto die intrante mense Septembris moto suo exercitu de Vedeita, ivit, & attigit Burziganam, & illic posuit sua castra, adhuc sperans transire flumen, & ad Montensilicem equitare, si posset. Sed providus Legatus, & Paduanorum Potestas hoc sentiens, tota sequenti nocte stare fecit milites, & pedites solicitos, & armatos: optabant enim, si hoc attentaverit inimicus, in ipsius terga ruere ipsumque conclusum habere, non aliter quàm aliquando Vulpis subdola clauditur in caverna. Sed nec præsumsit hostis transire flumen, nec illud iter assumere, quod ei esse poterat finis vitæ: Immo totam gentem suam fecit pernoctare sub armis, animo delassato jam timens, ne gens Legati in ejus exercitum insultaret. Ergo sequenti die fecit Eccelinus Burziganam, & loca alia inde circum igni, & destructioni submitti. Quod cùm Paduani viderent, scientes inimicum recedere, voluerunt eum multi insequi, veluti fugientem, inter quos erant Dominus Biaquinus de Camino, Advocatus de Padua, Bonxemblante, & multi alii majores, medii, & minores de militibus, & peditibus Paduanis. Sed Legatus, & hii, qui sibi pro Consiliariis dati erant, prohibuerunt, & cum summa difficultate vetantes, elegerunt fortè melius consilium, & salubre: quoniam dictum fuit, quòd quantitate gentis veraciter indagata hinc inde, Eccelinus militiam habuit ultra triplum: quam militiam gentemque suam totaliter in unum sapienter conglomeraverat, & viam ordinatè arripiens Vicentiam est reversus.

CAP.

(40) *Cod. Estens.* quidam in uno de Suburbiis.
(41) *Cod. Estens.* quærens quos devoraret.
(42) *Cod. Estens.* confidens licèt in &c.
(43) *Cod. Estens.* militia, quam secum duxerat.
(44) *Cod. Estens.* flumen inde in crastinum.
(45) *Cod. Estens.* barderium: *paulò post ubi* **Berroerius** *legit* barderius.
(46) *Cod. Estens.* exercitus Eccelini.

Digitized by Google

CAP. X.

Hic ponit Eccelinus Vicentinos extra propriam Civitatem.

ECcelinus in Vicentia permanens die VI. prædicti mensis, primò fecit ibidem solemnem publicam Concionem, in qua locutus multa, factum quod sui milites, & pedites magnificè fecerant, plurimùm commendavit, dicens quòd Paduam metu subegerant, obsederant Marchionem Estensem cum sua gente; Venetos, Ferrarienses, & Mantuanos conclusos tenuerant; & quod plus est, Romanam Ecclesiam compulerant turpiter trepidare, dum Legatus Apostolicæ Sedis nimio timore conterritus, latuit intra spaldos. Hiis verbis propositis, ipse fortè dubitans, ne Vicentiam perdat, subdidit ille callidus, & astutus, & ait: „ Meis autem fidelibus Vicentinis sic dico: „ Nolo umquam quòd aliqui possint eis improperare, quòd intra muros vel fossas Vicentiæ lateant propter metum gentis alicujus, dum vixero, quemadmodum fœminei „ Paduani: sed foris à Civitate permaneant, „ & per burgos, ut si qui vellent forsitan „ ausu temerario venire Vicentiam violenter, „ redeant flebiliter, & dolenter, & noscant „ quid valeat Vicentinorum libertas. „ Et sic positis in Civitate Veronensibus, Theotonicis, & illis de Pedemonte, Vicentinos manere fecit extrinsecus, & ita eis Lunam monstravit in puteo, & sub auri specie præstitit auricalcum. Hinc sumta occasione multi de Vicentinis, & de Paduanis, qui cum ipso venerant de Verona, cùm aptitudinem sibi viderunt, fugierunt Paduam, tamquam ad portum refugii, & salutis.

CAP. XI.

De pœna quadam indigna, & turpi, quam fecit Eccelinus Veronæ.

POst hæc properavit Veronam, & illi genti de Lombardia, & aliunde, qui in ejus servitium steterant, grates debitas referens, cunctis dedit licentiam, & suum eis optulit servitium, & promisit.

Tunc verò quoniam ejus animus assiduè versabatur quid de multitudine Paduanorum faceret, quos Veronæ carceratos tenebat, vocavit ad se Capitaneos carcerum, & quæsivit quid dicant, vel quid faciant carcerati: cui de Capitaneis respondit unus (47): „ Cognoscat indubitanter Dominatio vestra, „ quòd carcerati omnes per nos fideliter servabuntur, ad honorem vestrum, beneplacitum, & mandatum; & quid dicent, vel „ quid facient totaliter cognoscetis. Ecce „ namque diebus istis dum Altitudo vestra „ circa Paduam in expeditione maneret, quidam de carceratis solicitè perquirebant per „ sortes, ad quem finem vester exercitus deveniret. Et unus per puncta quædam unius „ artis, quam dicunt nescio quam Geumantiam, dicere videbatur, quòd Padua non „ poterat hiis temporibus capi. Nescio quid „ allegans, quòd figura primæ domus exercitui attributa videbatur fortuna minor, figura verò septimæ, quæ stabat pro inimicis, „ erat fortuna major, & erant pro exercitu „ mobiles nescio quales cardines quæstionis, „ præter unum, qui erat firmus, & ille dies „ erat inimicorum. Huic savit & quidam alter de carceratis, dicens, quòd diligenter „ examinato Libro quodam, qui dicitur Alcalandrinus (48) super facto ejusdem exercitus, talem ei respondit versum Judex quidam in ipso Libro, quem Judicem Alcorentem appellabat. Inquid enim:

Stat grandi damno, nec erit victoria nostris (z).

Igitur Eccelinus auditis hiis verbis, & exquisito diligenter hoc facto, videlicet per sortes istas qui posuerant, quique conscii fuerant, & præsentes, nullo remedio habito, nulla pietate commotus, acer, & inexorabilis, immo immemor, quòd olim quidam ex illis fuerant in Padua carnifices, & homicidæ pro ipso: fecit eos mortem vituperabilem perpeti, quia turpi suspendio decollari (49). Et fuerunt VI. Viri honorabiles, & discreti, qui toto vitæ suæ tempore in ejus parte firmi permanserant, & nitebantur ipsius exaltare honorem præ ceteris eorum desideriis in hac vita.

CAP. XII.

Factum quoddam Coloniæ Veronensis districtus.

AUdientes homines de Colonia, quæ est in Veronæ districtu (50), quæ tam horribilis Dominus inremediabiliter Veronæ operabatur; tam propter metum ineffabilem Domini sævientis, quàm propter infestationem, quam gens, & pars Legati de Montagnana Paduani districtus jugiter Coloniensibus inferebat; amici facti sunt Marchionis Estensis, & conjunxerunt se adeò cum illis de Montagnana, ut cum Marchione, & ipsis facti sunt unum & idem simul. Dimissi sunt itaque carcerati quidam, qui erant Coloniæ (51). Incontinenti equitavit Eccelinus Coloniam cum omnibus Theotonicis, quos secum tenebat ad soldum, & in quibus præcipuè confidebat, per quorum cursum subitum, & adventum Colonià est recuperata continuò, & stetit in Eccelini parte deinceps, sicut & priùs erat, vel voluntaria vel invita. De illis autem, qui Ecclesiæ Terram dederant, aliqui sunt extremo puniti supplicio, & aliqui recesserunt ad Scodesiam, & Montagnanam.

Hæc autem omnia prædicta, ab illo scilicet tempore, quo Legatus prædicto modo ad partes Venetiarum descendit, usque hoc factum Coloniæ, facta sunt in dicto Anno Domini MCCLVI. Fuit enim annus ille perpetuò venerandus in parte, ut pote quia visus est illo anno Pater Omnipotens Deus, Misericordiæ Fons, & Radix, mittendo Legatum ipsum, justorum preces suscipere, & voces justè clamantium misericorditer exaudire.

CAP.

(47) *Cod. Estens.* respondit unus, & dixit.
(48) *Cod. Estens.* Aloandrinus.
(z) *MS. Ambr. II. non legit* nostris, *sed* vestris.
(49) *Cod. Estens.* decollavit.
(50) *Cod. Estens. & Ambr. I.* Veronensis districtus hæc, & similia, quæ &c. *Ambr. II.* de Cologna, quæ &c.
(51) *Cod. Estens.* Coloniæ, & absoluti de vinculis abierunt. Hoc audito Veronæ, incontinenti &c.

Digitized by Google

CAP. XIII.

Hic redditur Marchioni Castrum Montisfilicis, & Cerrum, & Calaonum.

CIrca finem prædicti anni, & circa principium subsequentis MCCLVII. taliter est tractatum per nuntios Domini Marchionis Estensis, cum Gerardo, qui quondam fuerat Capitaneus Montisfilicis, & adhuc erat in cinta Castri illic apud summum Montis inferiùs à Propheta, quòd Gerardus ipse, & hii qui secum ibidem aderant, venientes ad Marchionis mandata, securi habitaverunt per Terras Marchionis, & Comitatum ipsius. Immo volens ipse Marchio Gerardo gratiam facere specialem, ipsum statuit habitatorem Rudigii, & ille (52) tam à Curia, quàm ab aliis de Comitatu honorabiliter & familiariter tractabatur, & eidem designati sunt certi reditus, quibus stare potuit, & stetit honorabiliter & decenter.

Itaque Propheta, qui adhuc tenebat Montisfilicis summum, & Castrum, audiens valde bene cessisse Gerardo, quòd adhæserat Marchioni, cogitavit & ipse de facto suo: ergo cum obsideretur à Marchione, & gente sua, & à Montesilicensibus cunctis, nec ab Eccelino posset ulteriùs ullum habere auxilium, vel succursum: timuit de Vicentinis custodibus secum in Castro manentibus, ne facerent proditionem de ipso. Sciebat autem, quòd Montesilicanos die ac nocte multùm offenderat, lapidando cum prederiis, & rumpendo eorum tecta. Primò igitur Vicentinis de Castro expulsis, misit cautè literas Eccelino, ita quòd Eccelinus eos, licèt innoxios, eorumque patres, fratres, & filios, de quibus falsus ille Propheta scripserat, nefando punivit supplicio (a), appensis, & alligatis parvulis ad patrum brachia, & ad colla, eorum quoque filias, & uxores summisit incendio, & consumsit. Posthæc stetit Propheta diebus paucis, & interpositis personis religiosis, & aliis, Castrum reddidit Marchioni, receptis de Marchionis Camera M. libris, & pacto apposito, quòd habere debeat totum reditum Molendinorum Montisfilicis, ubi dicitur Bagnarolum; donec ipsum Prophetam contigerit ad propria remeare.

Illis eisdem diebus sunt Marchioni reddita Castra illa duo, scilicet Cerrum, & Calaonum.

CAP. XIV.

De quibusdam Vicentinis occisis à Theotonicis in partibus Cittadellæ.

FActa sunt hæc omnia circa vernale tempus prædicti anni, & lætata est Civitas Paduana de Castro Montisfilicis, aliisque duobus Castris redditis Marchioni. Militia, & populus Montisfilicis meritò collætatur, gaudetque gens Marchionis, & Scodesia, cùm solidatus sit totus Paduanus districtus: & quantum homines in mœrore tabescunt, tantum in lætitia vigorantur. Insurrexerunt itaque diebus illis, lætitia suadente, Viri quidam providi, & prudentes, Vicentini scilicet, qui Paduam de Vicentia fugerant, & de eisdem quidam, qui erant in Montagnana, & Scodesia, adjungentes sibi etiam aliquos Paduanos, & percurrentes Villas Vicentini districtus Eccelino subditas, prædabantur. Demum quoque venientes Baxanum, illic unum de Burgis viriliter incenderunt, jumenta rapuerunt, & boves, aliaque animalia multa, pecuniam, vestimenta, supellectilia, cunctaque mobilia, quæ violentiæ subjacent & rapinæ. Valuit quoque præda circa MMM. librarum, & ultra. Sed dum prædam deferentes redirent, forentque in campo quodam non longè à Castro de Cittadella, & recessissent ab eis aliqui Paduani, timentes insidias illorum, qui pro Eccelino morabantur in Fontaniva, quæ parùm distat à Cittadella; alii verò descendissent in campum pro dividenda præda: CCC. Milites Theotonici, qui erant in Fontaniva ad soldum, armati velociter, & latenter, circumdederunt illos ex improviso, qui prædam dividebant in campo. Insultus autem inopinatus, & repentinus audaces terruit, imbecilles exanimavit, fortes fecit pavidos, potentes reddidit impotentes, dum hii, qui pedestres descenderant, inimicis equestribus occurrere nequiverunt. Sic itaque de illis, qui pro dividenda præda inconsultè remanserant, & incautè, alii mortui jacuerunt in campo, alii semivivi; alios autem captos, & ad Fontanivam conductos quorumdam redarguenda nequitia trucidavit. Neque enim debet magnanimitas militum tolerare quemquam redditum, vel vinculis alligatum pro suæ defensione personæ, in ore gladii deperire, si Nobilitas attenderet, quod dictum est,

Parcere prostratis scit nobilis ira Leonis (53):
Pugna suum finem, cùm jacet hostis, habet.

Demum paucis arripientibus fugam, campum Theotonici collegerunt, & reversi Fontanivam redemtâ prædâ, magnum duxerunt gaudium & triumphum.

CAP. XV.

Pugna quædam facta inter Theotonicos, & illos de Montagnana.

CUm sonuisset hoc factum per Paduam, & Paduæ districtum, pervênit rumor usque ad Montagnanam, ubi adhuc erant multi de Vicentinis: hii ergo volentes vindictam sumere de suis compatriotis, ex hoc quod advenerat Cittadellæ, adhibuerunt sibi quosdam Montagnanenses prudentes viros, & bellicosos; & congregati sunt, & armati decenter bene CC. prudentes viri ad equestrem pugnam aliqui, plures verumtamen ad pedestrem. Et venerunt in eodem Anno MCCLVII. statim sequenti nocte post factum de Cittadella unanimiter, & elevato Vexillo ad Villam-Novam, Terram scilicet Veronensis districtus, & subditam Eccelino; ipsam quoque viriliter invaserunt, submittentes eam ruinæ, destructioni, & igni, homines occidendo, jumenta rapiendo, & boves, vestimenta, victualia, cunctaque mobilia, quæ commodè poterant asportari. Igne

(52) *Cod. Estens.* & illic tam &c.
(a) *MS. Ambr. ambo pro* supplicio *legunt* suspendio.

(53) *Cod. Estens.* Leonum.

Igne siquidem invalente, dum fumus visus est in Verona, Eccelinus armatus protinus, cum CCCC. (b) Theotonicis securè paratis ad pugnam, cucurrit ad partes, & confinia Villæ-Novæ, estque repentè positus in strata, sive in via quadam, unde inimicorum debebat esse regressus, nec redire poterant aliunde, & multùm sapienter, & subitò duas acies ordinavit. Quò cùm hostes, qui prædam fecerant, remearent, visis insigniis Eccelini, prima fronte conterriti, sed forti postmodum Capitaneo confortati, se viriliter obtulerunt ad pugnam, spem suam ponentes totaliter in Sanctæ Matris Ecclesiæ reverentiam, pro qua pugnabant, & in signaculum Sanctæ Crucis, non aliter quàm certamen suscipiant quasi contra perfidos Sarracenos, & Sanctæ Fidei Catholicæ inimicos. Insultum quidem fecerunt primùm in aciem Eccelini, conversoque timore in iram, nihilò minùs faciunt hostes ipsos præcipitare ad terram, quàm flante impetu Aquilonis declinant arundines ad paludem. Tunc dictum fuit, Eccelinum de dextrario fuisse prostratum, sed in strepitu tanto non cognitus, ascendit in palafredum. Hac itaque prima acie in duas partes aperta, Crucesignata acies providè glomerata in unum, irruit in secundam summo timore perterritam, & turbatam. Et hìc manifestè apparuit, quòd impossibile non est Divinam virtutem, paucorum fidelium devotione, juvare contra multos nefarios infideles. Nam ipsorū Montagnanensium acies cum animorum constantia & vigore discurrens, pugnavit in ultima inimicorum catervatam prudenter, & animosè, quòd licèt illic de suis XXV. mortem famosissimam subissent, de Theotonicis L. mortui sunt per campos; & sic demum qui pro parte pugnabant Ecclesiæ reversi sunt cum victoria Montagnanam.

CAP. XVI.

De vindicta facta in Gerardum Presbyterum proditorem.

Ecce nunc Ecclesiæ victoria videbatur totum Paduanum districtum habere pacificatum, nam & Castra quieta erant, & hii, qui Castra reddiderant, cum Paduæ amatoribus familiariter habitabant. Sed heu quàm periculosum, & pertimendum nutrire serpentem in sinu, & infido se credere scorpioni! Gerardus namque, qui dicebatur Presbyter, de quo est mentio facta superiùs, qui Terram Montisfilicis olim totam rexerat, præter summum, nunc in Rudigio permanens in honore Curiæ, Marchionis dilectissimus præ ceteris familiaris, & carus, venerabilis fidelibus, & masnadis; non pertimuit se ostendere proditorem: nam infidelitatis iter ille (c) miser arripiens, ivit Venetias, de Venetiis ivit Tarvisium, inde quoque furtivum assumens iter per latibula & speluncas, pervênit usque Vicentiam, ubi Eccelinus tunc erat: cum quo locutus clandestinè, præsumsit in Marchionis mortem Judas ille infelicissimus machinari. Et reversus Rudigium vultu infrontuoso, non aliter quàm coluber tortuosus & falsus, diem expectabat, & horam, qua suas posset insidias

(b) *MS. Ambr. II. pro* CCCC. *habet* CCC.
(c) *MS. Ambr. I.* ille solus miser &c.

A perpetrare. Sive tamen aliquid ex hoc nefando proposito dictum est Marchioni, sive notavit forsitan aliquas conjecturas: captus Gerardus ipse, tam vias suæ proditionis, quàm etiam suum nefandum propositum non negavit. Sic itaque Marchio volens, quòd ex hoc voluntatem suam faciat Padua, quam ipse reputat suam Matrem, misit ipsum Gerardum detentum Paduæ Potestati, & Communi; & sic cœcatus utroque lumine, naribus cum toto labio deformatus, missus est inde Vicentiam in illius obprobrium, cujus complere beneplacitum nitebatur, ductus à duobus factis monoculis secum eâdem horâ, qui tunc pro spionibus missi erant, hac de causa solummodò,

B ut scirent, quid fieret de Gerardo: & hii non ob aliud, nisi ut ipsum Vicentiam ducerent, singulos oculos reportarunt. Transiverant autem tres menses vel circa à tempore illo, quo Marchio Gerardum receperat, & ipsum tanquam suum fidelissimum tractari fecerat, & tractabat.

CAP. XVII.

De vindicta Prophetæ, & Jacomacii.

Sed esse potuit, quòd Propheta, scilicet Capitaneus ille, qui pretio numerario, summum, seu Castrum Montisfilicis reddiderat

C Marchioni, audito quòd Gerardus complere nequiverat quod intendit, illi demembrato visus est invidere, vel quòd est fortè prædestinatum, ne iniquitas, & proditio lateat, vel regnare diu debeat super terram. Ipse enim Propheta Ferrariæ permanens Marchioni carissimus erat, multùmque fidelis, ut videbatur, & tantam habebat gratiam apud omnes, ut diceretur à cunctis quasi secundus à Marchione. Quare nec spes aliqua, nec timor, nulla umquam dignitas, nulla promissio, vel thesaurus à Marchionis servitio movere debuisset eumdem. Sed contingit aliquando, quòd benivolentia monstrata, superflua quies,

D & diuturnum otium facit lascivescere asellum; & collata homini fastuoso immoderata servitia, stolidum inebriant, & excœcant. Ipsum namque Prophetam, Pseudopropheta diabolus, suumque infortunium attrahebat, dum Ferrariæ vidit virum quemdam Nobilem genere de Marchia Tarvisina, nomine Jacobacium; & notavit quòd erat vir fortis, & animosus, quem suis est falsis blanditiis adeò allocutus, quòd inito secreto consilio, ipsi duo solummodo statuerant ipsis (54) aptitudinem latenter & astutè notare, quo possent occidere Marchionem. Et in hoc nefando proposito juraverunt, quòd unus alterum prorsus non deseret, tam ad vitam, qualiscumque fuerit,

E quàm ad mortem. Mirum est, quòd pronosticatur aliquando animus quod est futurum, homine ignorante: hii enim duo quodammodo juraverunt quod eis futurum erat, videlicet simul mori. Hæc namque duellis (55) conjuratio, quocumque modo fuerit, patuit Marchioni, & ipsam in districto examine positi confessi sunt proditores. Unde conducti ad Montemsilicem in Platea Communis decapitati sunt ambo eâdem horâ, Et sic juramentum ipsorum adimpletum est plenariè, quòd unus

(54) *Cod. Estens.* statuerunt temporis aptitudinem.
(55) *Cod. Estens.* dominalis.

Digitized by Google

unus videlicet alterum non deseruit, nec deserere potuit, licèt non spontanea voluntate, usque ad finem mortis, immo in ipsa morte. Fuit autem hoc circa finem mensis Junii, in

A prædicto Anno MCCLVII. Potestate adhuc Domino Marco Quirino, in exitu Potestatis (56) ipsius.

Explicit Liber Decimus.

INCIPIT UNDECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Hic incipit Dominus Johannes Badoarius suam Potestariam in Padua.

DUbitabatur adhuc in Padua, quicquid (57) proponerent facere iniquitatis filii Eccelinus, & Albricus; & huic dubitationi suberat causa duplex: nam nec videbatur dolositas Eccelini à suis versutiis declinare, nec bene certum erat, si frater ejus Albricus ad ceteros falsus, & versipellis, latenter favebat fratri, quamvis se adhuc fidelem Ecclesiæ appellaret. Memores ergo Sapientes de Padua, quòd olim vir sapiens, & astutus Dominus Stephanus Badoarius de Venetiis illos de Romano domuerat, ecce jam elegerunt: & tunc ad Regimen vocaverunt ipsius Domini Stephani filium, Dominum Johannem Badoarium pro sequenti Anno in Padua Rectorem, & Potestatem: Virum atque (58) sapientem, & probum, moribus, & legalitate decorum, multa cordis magnanimitate fortem & animosum. Et incœpit suum Regimen more solito in festo Sancti Petri de Junio prædicti Anni MCCLVII. Hoc autem intellexerunt prædicti fratres, & amodo missis hinc inde nuntiis, monstrare incipiunt fraudulenter, & fingunt, quòd inter eos nova concordia contrahatur. Incœpit etiam Albricus novam tyrannidem exercere in Tarvisio, ubi solus dominabatur. Milites, & Populares torquere plus solito, Ecclesiis, viduis, orphanis, & pupillis imponere dura vectigalia, & tributa, quosdam punire gladio, quosdam igne, quosdam occidere in tormento, in carcere, alios (59) exulare (d). Unde multi Venetias tunc, multi Paduam fugierunt. Et sic idem Albricus, se adhuc nihilominus asserens de Sanctæ Matris Ecclesiæ parte, & obtinens Tarvisium sibi soli, fatebatur publicè in suis consiliis, & arengis, dicens, quòd ad honorem Sanctæ Ecclesiæ servarat (59) granum à paleis, serpentes à virgulto rejecerat, & lupos, per Dei gratiam, expulerat ab ovili.

CAP. II.

Hic tangitur, quòd discordia fuit in electione Regis Alamanniæ.

ADhuc Annus Domini MCCLVII. decurrebat, & stabat Civitas Paduana satis in bono statu. Nam & ipsi inimici Paduani

B Communis videbantur remissi hoc tempore; sive quòd potentia Paduæ terribilis esse poterat inimicis, sive quòd Eccelinus, ut videbatur, timebat, ne Padua ipsum exhæredaret, & fratrem. Jam enim verum erat, Eccelinum subtilizare, qualiter adhærere posset Imperatori futuro, ut faceret, sicut olim sub umbra Imperii suos inimicos cum Frederico Imperatore confuderat, cui fraudulenter applicuit, & adhæsit. Ecce quoque in hoc Anno tempore autumnali fama fuit per Marchiam, quòd mortuo Wilielmo Rege Alamannorum à Frixonibus in campestri bello, Principes Alamanniæ fuerunt in Regis electione discordes. Nam ibi alii elegerunt Comitem Rizardum Regem

C Angliæ in Regem Alamanniæ, alii Regem Castellæ de finibus Occidentis, qui & Rex Hispaniæ dicitur; & debebat postmodum tempore procedente coronam habere Imperii, quicumque foret in Alamanniæ Regem legitimè constitutus. Super hiis igitur magnis factis & arduis, Eccelinus vigilans, & intendens, literas, & nuntios assiduè transmittebat, nunc ad Romanam Curiam, in qua latentes habebat amicos per pecuniam acquisitos, nunc ad ipsum Castellæ Regem, cujus jam acquisiverat amicitiam, & sperabat ipsum esse Imperatorem futurum. Et vidi ego tunc temporis literas hujus Regis in Padua, ipsius sigillatas sigillo, quibus Potestatem Paduæ salutabat, &

D Antianos, & Consilium, & Populum universum, ipsosque jam suos appellabat fideles: & in literis continebatur eisdem, ut essent providi, & parati, Ambaxatores, & Nuntios, honorabiles mittere pro Communi Paduæ, statim cùm fama erit venientem ipsum fines attingere Lombardiæ, qui eum associare debeant venientem. Et creditum fuit in Padua, quòd dolosè fecerat fabricari Eccelinus illas literas in Verona. Quibus literis per Commune Paduæ curialiter est responsum sub stilo epistolari, per quemdam, qui credebatur satis doctus in arte illa: sed nescitum est postea, qualiter sit processum in illorum Regnum electione incerta, nisi quòd secundùm verbum

E Horatii,

Certantes certant, & adhuc sub Judice lis est.

CAP. III.

Hic perierunt quidam volentes violenter intrare Tarvisium.

SEd ne videar à proposito deviare, aliarum Provinciarum facta suis compatriotis resigno, & libentiùs ea prosequor, quæ ad stilum

(56) *Cod. Estens.* Potestariæ ipsius.
(57) *Cod. Estens.* quid proponerent &c.
(58) *Cod. Estens.* virum utique.

(d) *MS. Ambr. II.* in carcerem alios expellere *Estens.* in carcerem alios, & alios exulare.
(59) *Fortè* secreverat *Muratorius*.

Digitized by Google

lum meum, & meam Patriam pertinere cognosco. Erat ecce Annus Domini revolutus, & currebat MCCLVIII. etiam in mense Martii hujus Anni: cùm Albricus de Romano cum (60) suis complicibus teneret Tarvisium, & ibi crudeliter perpetraret, quæ sui fideles etiam redarguerent, si audirent; tractaverunt quidam Tarvisini de propria Civitate expulsi, cum quibusdam Vicentinis, & Veronensibus similiter ejectis de suis Civitatibus, & de bonis; & habuerunt etiam in auxilium sui partem de militibus, & peditibus Paduanis, de Venetiis etiam pedites, & balisterios quosdam, & iverunt hostiliter pro Civitate Tarvisii invadenda: & posset esse, quòd eam damnificassent quamplurimùm, si stetissent ordinatè qui iverant ad voluntatem regentium, & mandatum. Sed quidam pedites, & zaffones illi, quos vulgò Waldanam dicimus, præcedentes inordinatè ante militum acies, quasi per milliare, & ampliùs, animosi plusquàm oportuit, & nimiùm irruentes, munitiones, & barras Tarvisii minùs providè, immo infeliciter intraverunt. Unde cùm accesserunt milites, & exercitus festinantes laudabiliter satis, ut succursum suis temerariis exhiberent, illos, qui sic incautè intraverunt, Albricus de Romano, juvantibus Theotonicis, jam omnes morti dederat, & fuerunt mortui bene C. & sic est reversus exercitus non letanter. Patuit quoque per experientiam in hoc facto, quòd quamvis vires, & audacia soleant valere in hostes, sensus tamen, & sapientia prævalet, & plus confert.

CAP. IV.

Hic pugnaverunt quidam Paduani milites cum Theotonicis in contrata Roxani.

PRotestatur ulteriùs Albricus apertè se cum fratre suo Eccelino unum & idem esse, & manifestè dat unus alteri, cùm expedit, auxilium, & succursum. Ecce nunc propter prædictum impetum, qui factus fuit in Albricum, Eccelinus Veronæ permanens misit Baxanum C. milites Theotonicos, qui acceptis L. viris de Baxano, & aliis L. de Pedemonte tam militibus, quàm peditibus prudentibus, & opportunè armatis, Tarvisium ire debebant, & stare cum Albrico. Sed die quadam milites illi Baxanum intraverant, & moturi erant sequenti die: casu autem fortuito die illa, qua movere debebant, electi quidam milites Paduani equitaverant adeò tempestivè, causa dandi damnum terris inimicorum, quòd oriente die fuerunt in partibus de Roxano. Visis itaque Theotonicis venientibus, & hiis, qui cum eis erant versùs Roxani partes, Paduana militia pulchrè & decenter armata, ordinata est protinus sapienter & animosè ad pugnam, stetitque in campis viriliter, & in dextrariis faleratis. Nisi quoque prohibuissent Capitanei, & Rectores, ipsi milites Paduæ fortes, & animosi clypeis ardentibus, & lanceis apprehensis, ferire voluerunt in hostes. Ipsi verò Theotonici, & hii, qui cum eis erant, non minùs ordinatè steterunt, & parati sunt laudabiliter ad defensam. Paduani tamdem milites suos profecuti Rectores, gradatim ad Theo-

(60) *Cod. Estens.* solus cum suis &c. *ita Ambr. ambo*.

(61) *Cod. Estens.* fanellos.

A tonicos appropinquant, pugnamque committunt primitus, & conflictum, firmatis & stabilitis aliquibus Paduanis à parte illa, unde fugere poterant inimici, ne scilicet eis liceat absque defensione perire, aut strenuè pugnantibus dare terga. Itaque Paduani, figentes calcaribus sonipedes ignientes, discurrunt per aciem Alemannorum, non aliter quàm animosi leones discurrerent per pecudes, vel juvencos: & quamvis in tanto strepitu non sit possibile singulorum facta referre, demum patuit per effectum, quòd generaliter ipsi milites omnes pro parte Ecclesiæ dimicantes, tales in hoc campestri certamine sunt probati, ut dici possint meritò, quasi veloces accipitres cùm irruunt in sturnellos (61), aut volantes aquilæ cùm sæviunt in columbas. De

B Theotonicis etiam aliqui pugnaverunt prudenter, ut quosdam de Paduanis prosternerent, dum dextrariis per campum errantibus, Paduani quidam in palafredos ascenderent, & aliqui in runcinos. Catanius autem de Tergola Paduanus Miles, laxatis loris nobiliter, & jocundè discurrens in Militem quemdam Theotonicum audacem, & personatum, inimici clypeo deaurato lanceam fixit viriliter, quæ protinus confracta in stipites, & in tirsos, velud arundo confractilis, devolavit ad campum. Sed horum duorum bellantium cursu repetito secundò, videns Alemannus Miles

C Paduanum Militem sibi quantùm personaliter inæqualem, brachio jactato ad collum hostis, captum trahebat secum Militem Paduanum, & equum, in quo sedebat. Alii verò Milites Paduani videntes commilitonem suum sic asportari, subitò irruerunt in inimicum, & redimentes prædictum Cataneum, duxerunt (62) illum cum ejus equo & armis, qui gaudebat se ducere talem prædam. Sic ergo devicto campo, Theotonici, & hii, qui secum venerant, fugam arripuerunt, remanentibus illic de gente illa mortuis circa C. & duxerunt Paduam captivos XXXV. milites Theotonicos, cum cunctis eorum armis, nec non & dextrariis nobilibus, altis, & animosis. In hoc etiam negotio & conflictu captus

D est, & ductus Paduam Jacobus de Castrotocho, qui pro Eccelino Vicedominus erat in partibus Pedemontis, & in Baxano. Fuit autem prædictum factum mense Aprilis prædicti Anni Domini MCCLVIII.

CAP. V.

De quibusdam captis ad Villam-Novam.

PRocedente quoque tempore, quidam de Castro-Francho, de Fontaniva, & de terris de Pedemonte, unum & idem fecerunt

E propositum, volentes in Paduanum districtum insultum facere, & sumere ultionem quodammodo de hiis, quæ facta fuerant in partibus de Roxano, si possent. Itaque congregati in unum, nocte quadam circa finem mensis Madii, venientes ad Villam-Novam Paduani districtus, Terram totaliter (63) viriliter invaserunt, comburentes domos, capientes homines, fugantes alios, & alios occidentes, rapientes prædam quamlibet, quam rapere poterant, & conducere, & portare. Sed non sem-

(62) *Cod. Estens.* captivum duxerunt illum.

(63) *Cod. Estens.* terram totam viriliter &c.

Digitized by Google

semper de prospero principio finis sequitur exoptatus, & aliquando post mellis dulcedinem mordet aculeus pungitivus. Repentè namque supervenerunt Berroarii (64), sive Zaffones quidam, qui lucrandi causâ circa Paduanum confinium positi per Potestatem Paduæ, vigilabant, non curantes penitus quid pietas, quid honestas, credentes immo potiùs ibi fas ubi maxima merces. Hii siquidem Berroërii, & Zaffones contra prædones illos animosè insultaverunt, & prædam recuperaverunt ex toto, redimentes illos, qui ducebantur captivi, & reddiderunt prædatoribus tristem vicem. Nam cùm ex illis majorem partem convertissent in fugam, multos mortuos prostravissent, XXIV. captos, & alligatos Paduam in Commune Palatium adduxerunt; quos in carcere positos, vir strenuus Paduæ Potestas infra VIII. dies fecit exoculari, dimissis duobus tantùm cum singulis oculis, ut ceteros conducant Vicentiam excœcatos. Hoc tamen aliquibus Paduanis non plenè complacuit, timebant enim de aliquibus suis, qui usque à tempore tyrannidis Eccelini, quo Paduam devorabat, adhuc erant detenti per Pedemontem, de quibus postmodum horum occasione injusta (65), pœnam aliqui sunt perpessi. Cùm ergo fierent sic indignè iniquitates utrinque, tremuerunt (nec mirum) quicumque suos in parte altera carceratos habebant. Itaque literis, & Nuntiis destinatis de Baxano Paduam, & è converso, causâ redimendi Jacobum de Castro-Tocho prædictum adhuc detentum in carcere Paduæ, & causâ redimendi pro eo Petrum filium Johannis Sangonatii de Padua detentum adhuc in carcere Eccelini; facta conventione hinc inde, de præcepto Potestatis Paduæ, & de Eccelini consensu, carcerati iidem sunt redditi, & sic ex eis uno pro altero permutato, uterque ad propria rediit, parentibus congaudentibus, & amicis.

CAP. VI.

Hic incipit Dominus Matthæus de Corrigia suam Potestariam in Padua.

ECce nunc appropinquante fine, sive termino Potestariæ dicti Domini Johannis Badoarii Paduæ Potestatis, existente Marchione in Padua, factaque in Palatio publica Concione, & magna, pro eligendo Potestate sequentis anni; de communi beneplacito, & voluntate cunctorum, ipse Marchio, dato sibi arbitrio eligendi, elegit Dominum Matthæum de Correza in Paduæ Rectorem, & Potestatem, qui Potestariam ipsam juravit mense Julii, prædicto Anno Domini MCCLVIII. Fuit autem vir probus, & sapiens, largus, curialis, & bonus, & tota intentione solicitus ad ea peragenda in Padua, & Paduano districtu, per quæ possent inimici Ecclesiæ deprimi, malefactores puniri, justitia conservari, honor Sanctæ Matris Ecclesiæ crescere, & Paduæ Civitas de bono semper in melius augmentari.

CAP. VII.

Pugna quædam inter milites Paduæ, & Theotonicos in Campanea Baxani.

CUm igitur disposuisset Dominus Matthæus prædictus Paduæ Potestas negotia Civitatis salubriter, & fautores Communis Paduæ carissimos haberet amicos: voluit scire etiam, quid facere posset cum inimicis. Ergo Potestas ipse sumto secum Marchione Estense die III. exeunte Julio, sero quodam, noctis instante crepusculo, electis, & motis militibus quibusdam de Padua, & Berroëriis, equitavit ad Cittadellam. Sequenti quoque mane ivit cum ipsa militia, & latuit in Campanea de Baxano, donec quantitatem quamdam militum, & Berroariorum præmisit, ut Baxani percurrant Campaneam, & bestias quascumque invenient prædatoriè rapiant, & eas versùs Cittadellam conducant. Qui cùm ivissent usque ad fossas, & munitiones Baxani, multamque bestiarum prædam viriliter occupatam ducerent: Jacobus de Castro-Tocho iterum Vicedominus in Baxano, & milites Baxani, & Pedemontis cum VI. (e) banderiis Theotonicorum, qui adhuc ituri erant de Baxano Tarvisium, armati velociter insecuti sunt milites Paduanos prædam utique conducentes: & fuit insecutio talis usque ad foveam quamdam magnam, citra quam Baxanenses sperabant, & prædam recuperare totaliter, & cunctos occidere prædatores, utpote quia lanceis reclinatis ad fugientium terga, jam crederes Spartanos (66) leporarios quasi citis (f) leporibus, fugiendo visum fallentibus, imminere. Vir autem nobilis Martius de Montemerlo fugientium Capitaneus, videns suum, & suæ gentis adesse periculum, alta voce Paduanorum clamabat succursum. Sicque vir providus, & astutus Paduæ Potestas prædictus, cum consilio Marchionis, suas detexit insidias sapienter, & misit Paduanam militiam, & se ipsum in terga inimicorum velociter. Eis quoque (67) conterritis, qui Paduanos insequebantur, Paduani, qui terga dabant, jam vertunt pectora inimicis; & sic undique circumdatis Alemannis, & gente sua, pugnatum est hinc inde viriliter, & clamatum. Elevato tumultu clypei contra clypeos crepuerunt, fragor strepuit lancearum, ensium tinnitus insonuit, & clavis nodosis, & ferreis ferientibus ad galeas tulibosas (68), igneæ resultarunt scintillæ, ut diceres quasi fulgentes stellas. Nec licet in tanto strepitu singulorum ictus dicere, vel egregias probitates, aut hujus militis, vel illius strenuam laudare prudentiam, vel incursum. Hoc tamen expressè patuit, quòd militia Paduana contra Theotonicos etiam egregiè debellantes pulchrè & laudabiliter dimicavit: unde in Sauro, & Hongarello Paduanis Militibus, si notaveris, apparebunt dum vixerint in ipsorum facie cicatrices. Stetit utique (69) talis pugna per horam in campis, & in cultibus de Baxano, donec tum propter probitatem Rectorum, & Sapientum, tum

(64) *Cod. Estens.* bardarii *semper*.
(65) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* horum occasione, injustam pœnam &c.
(e) *MS. Ambr. I.* septem.
(66) *Cod. Estens.* spertaneos.
(f) *MS. Ambr. II. pro* citis *legit* cunctis.
(67) *Cod. Estens.* Eis ergo &c.
(68) *Cod. Estens. & Ambr. II.* calibosas.
(69) *Cod. Estens.* stetit itaque talis &c.

Digitized by Google

tum propter militum bellicosè pugnantium audaciam, & vigorem, fugati sunt inimici Ecclesiæ usque ad foveam circumdantem mœnia de Baxano, de quibus multi mortui, mixtis equis cum hominibus, in ipsam foveam corruerunt. Capti sunt illic de Theotonicis militibus, & de hiis, qui cum illis erant pro militibus, circa XXV. Captus est iterum Jacobus de Castro-Tocho prædictus, mortui jacuerunt in hoc conflictu circa CC. inter Theotonicos, & alios de gente prædicta; & sic Paduani victoriosam in hoc facto habentes gloriam, & triumphum, reversi sunt Paduam cum honore: habuerunt inimicorum arma, & multa spolia, sive prædam, equos quidem C. & L. inter pretiosos dextrarios, roncinos, & palafredos. Fuit autem in prædicto discrimine, & conflictu Theotonicorum Rector, & Mareschalchus vir sapiens, & strenuus, & laudabiliter literatus Gilbertus (70) nomine, qui finito certamine nullatenus est repertus. Dictum fuit verumtamen, quòd Berroërii quidam de Anoale, stantes in facto cum Paduanis, ipsum captum duxerunt ad Anoale, unde postmodum redemtus pecunia, ivit Venetias, & sic in Alemanniam est reversus, absque Eccelini consensu, cui pecuniaria mercede servierat toto tempore hujus guerræ.

CAP. VIII.

Hic ivit Eccelinus ad exercitum Cremonensium contra Legatum.

HActenus satis prosperè favit gratia genti Catholicæ, pugnanti contra Fidei inimicos in Marchia Tarvisina. Sed sic est provisum à Domino, quòd in rebus hujus seculi vix ulla sit prosperitas, quam adversitatis stimulus non (71) compungat. Ecce namque notorium est per totam Italiam, quòd à tempore illo, quo Fredericus Imperator Lombardiam intravit, ut supra legitur, in Tertio Libro Cap. IX. §. Post hæc &c. Eccelinus, & Cremonenses unanimes pro Imperatore ipso contra Ecclesiam pugnaverunt, & Marchio Pelavicinus Cremonensis ferè eumdem modum tyrannidis operatus est in Cremona, & inde circum, quem in Marchia Eccelinus. Nunc itaque cùm Civitas Brixiæ partem teneret Ecclesiæ, Marchio ipse Pelavicinus, & Cremonenses, Eccelini suggestione, duo Castra Brixiensium prope flumen Olii invaserunt. Quapropter Legatus supradictus, existens tunc temporis Brixiæ, ipsique Magnates Brixiæ, & ejusdem Civitatis populus, cum Potestate Mantuanorum, & ipsa militia Mantuana, & cum aliis nobilibus, & potentibus Clericis, & Laicis, qui cum ipso Legato erant, de diversis Italiæ partibus, ad honorem Ecclesiæ conservandum, & augmentandum, exiverunt hostiliter, ut Pelavisino, & Cremonensibus in contrarium obviarent. Hoc audito Eccelinus, iter suum arripuit cum Theotonicorum militia, cum Veronensibus, & Vicentinis, cum illis de Pedemonte, & gente alia, quantamcumque potuit convocare, & ivit Piscariam. Inde nocte quadam furtiva, & subita motione transiens flumen Olii, exercitui Cremonen-

(70) *Cod. Estens.* Zilibertus.
(71) *Cod. Estens. & Ambr. II.* stimulus aliquando non compungat.

A

B

C

D

E

sium est adjunctus, & fuit hoc in dicto Anno MCCLVIII. circa finem Augusti.

CAP. IX.

Hic capitur Legatus ab Eccelino.

AUdito in Legati exercitu, non multùm distante ab inimicis, quòd Eccelinus cum magna militiæ quantitate Cremonensibus erat adjunctus, cœpit Legatus animo varias cogitationes revolvere: sciebat enim secum tantam gentis copiam non adesse, quòd posset occurrere inimicis, nec adhuc Estensis Marchio venerat, in quo sperabat plurimum, & quem venturum cum Ferrariensibus, & cum multis aliunde collectis gentibus jugiter expectabat. Igitur proponebat, si posset ad Castrum Gambariæ (72) reducere gentem suam, & illic securiùs suum auxilium expectare. Sed Dominus Biaquinus de Camine vir nobilis, & magnanimus, ceterique Magnates sui exercitus vetuerunt, Ecclesiæ reputantes opprobrium, tam aliquibus Castri munitionibus latitare, quàm de campo secedere, vel hostibus dare terga. Temporis autem parvâ transactâ morâ, ecce viderunt quasi ex improviso insignia Cremonensium, & insignia Eccelini, flumine Olii jam transacto, ad se venire, cum ingenti multitudine militum, & peditum seriatim distincta, & longis tractibus ordinata. Quid plus? factus est insultus ex exercitu Cremonensium in exercitum Legati, & ejus gentem, & parva illic est facta defensio per Ecclesiæ pugnatores. Nam Brixienses modicâ morâ post impetum, dederunt terga venientibus inimicis: quod videntes ceteri milites, & pedites de parte Legati, suspicati sunt inimicos, qui usque nunc familiares Legato exstiterant, fraudem proditoriam ordinasse, quo nihil plus est timendum in actibus bellicosis. Est itaque conterrita gens Legati; & sic hostibus assumentibus audaciam, & vigorem, captus est Mantuanorum Potestas, se quamvis ausu magnanimo defendebat; capti sunt secum etiam pugnantes in articulo tali viriliter multi strenui Milites Mantuani; non enim est unius pugna parilis contra VII. Captus est fugiens populus Brixiensis; Demum captus est & Legatus, & Veronensis Electus cum illo. Sic quoque triumphavit in hoc loco inimicus Ecclesiæ super omnem gloriam, quam habuisse ferè posset hoc tempore in toto circuitu Lombardiæ. Tunc ergo perire timens Dominus Biaquinus (73), post multum, & laboriosum conflictum in hostes, secessit de campo salubriter, vix manus multitudinis inimicorum, sed sapienter effugiens, contristatus verò medullitus, Mantuam properans, illic retulit sinistrum eventum, qui scilicet totam Marchiam contristavit, Lombardiæ magnam partem conterruit, secum (74) trepidare Romagnam, & quod plus est, Sanctam Sedem Apostolicam condolere. Fuit autem mense Septembri prædicti anni.

CAP.

(72) *Cod. Estens.* Gambaræ.
(73) *Cod. Estens.* D. Biaquinus de Camino.
(74) *Cod. Estens.* terruit fecit trepidare &c.

Digitized by Google

CAP. X.

Hic redditur Brixia Eccelino, & suæ parti.

BRixiensis quoque Civitas, quæ steterat usque nunc in parte fidelium, & in qua Legatus ipse, & Estensis Marchio, Comes Sancti Bonifacii, ceterique Barones, & fideles Ecclesiæ recepti, & visi fuerant cum lætitia, & honore, jam incipit vacillare. Et cùm populus Brixiensis, & quantitas aliqua Militum, & Magnatum sit in manibus Eccelini, & suæ partis, missis hinc inde literis, & nuntiis, & rescriptis, ad hoc ventum est tamdem, quòd data est Civitas Eccelino, Marchioni Pelavicino, & fautoribus eorumdem in Septembri mense prædicto. Quid autem post hæc fuerit Eccelinus in Brixia operatus non est nostrum referre per singula, sed illic sit aliquis, qui scribat, referat, & memoriæ recommendet, si placet. Profectò Civitatem primò divisit in partes, & partem primò comparavit pecunia, partem Pelavicino subjecit, Milites quamplurimos decollavit, truxit Populares in carcere, fœminas viduavit, exulavit pauperes, & pupillos, multorum innocentium civium de Civitate ejecit, depauperavit Ecclesias, & destruxit, castra fieri fecit in Civitate ad omnium detrimentum, & mortem; & breviter Civitatem, & Brixiam quasi totam dedit exterminio, & ruinæ, multo magis, quàm olim fuerit ruinæ dedita tempore terræmotus, de quo supra legitur in Secundo Libro Cap. III. §. Non modicus &c. Unde cùm nunc Brixia secundò quodammodo dedita sit ruinæ, sit etiam divisa in partes, illos quoque scismaticos exaltaverit, duxerit ad honores, quorum unus scisma in (75) Marchia, alter in Lombardia, prophetia illa antiqua jam est intellecta veraciter, quæ condam reperta fuit in lapide quodam marmoreo, dum fodiebantur foveæ in munitionem Brixiæ, & defensam. Lapide illo siquidem sub terra longè abscondito, sculptâque literâ prophetiæ miserabiliter (76), & formatâ: inquid enim:

Brixia parva nimis urbs deformata ruinis,
Scinderis in partes, solitas non deseris artes,
Scismatis autores ad summos ducis honores.

Satis illic habet aliquis (77) amplam materiam, & diffusam, qua potest cujusque prudentis animus obversari, ut noscant qui debent noscere tyrannias, fugere proditores, pravum vitare dominium, & usque ad mortem defendere libertatem. Nullum est sanè diluvium, nulla pestis, nullum incendium, vel gehenna, quod tantam inferat miseriam toleranti, quam sub iniquo (78) privatio libertatis: neque enim sinè causa reperitur in jure, quòd nequeat homo liber pretio numerario comparari.

CAP. XI.

Hic misit Romana Curia alium Legatum in Marchiam.

MAgna fuit Ecclesiæ fidelibus tribulatio, & occasus, de damno & captione Legati. Hæ igitur Civitates, & loca, cum Baronibus suis, quæ necessitatis tempore, Ecclesiæ (79) fideliter astiterunt, viso quòd quanto magis (*est*) periculosior ægritudo, tanto magìs salubrior exigitur medicina, deliberato consilio in Anno Domini MCCLIX. tempore veris appropinquante, miserunt ad Apostolicam Sedem Ambaxatores viros (80) sapientes, & nobiles de Venetiis, de Padua, de Mantua (g), de Ferraria, & aliunde, secundùm quod visum est expedire. Qui facti serie sapienter exposita coram (81) Apostolico, & Cardinalibus, Legatum impetraverunt Dominum Henricum Dei gratiâ Archiepiscopum Embrunensem de Anglia, sed (*) hic cùm venisset in Marchiam Tarvisinam, modicam illic residentiam fecit: fortè namque providentia Divina decreverat, quòd opus non foret amodo Matrem Ecclesiam laborare in anno illo, supra quod finis inimici Ecclesiæ jam instabat (82). Dici namque potest veraciter, quòd hic erat annus ille, quo gens fidelis Imperio Romanorum gaudere debebat in summo, utpote, si vel Angelica prævisio reservasset aliquibus sanctis viris, vel revolutio planetarum revelasset Astrologis quod in brevi (83) futurum erat. Profectò hic fuit ille annus malorum (84) finis, servilis catenæ confractio, initium libertatis, mortis, & tormentorum exemtio, & totius humani generis consolamen, ut in sequentibus, Domino concedente, dicetur.

CAP. XII.

Hic voluit Eccelinus stans Brixiæ mittere Bosium de Dovara Veronam pro Potestate.

DIvinæ pietatis est opus emendare paulatim enormia, facere temporibus ultionem (85), & post diuturnam expectationem aliquando quasi ex improviso graves angustias emendare. Erant namque in Brixia prædicto Anno Domini MCCLIX. Eccelinus de Romano, Marchio Pelavicinus, & Boxius de Dovara, cum magna Cremonensium quantitate crudeliter fulminantes assiduè cives, & Civitatem. Stabant quoque in camera die quadam Eccelinus, & Marchio soli conferentes quæ facta erant, tamquam duæ personæ illæ, per quarum manus, & exercitia tractata fuerant usque modo feliciter cuncta negotia suæ partis. Et lo-

(75) *Cod. Estens.* scisma fecit in &c.
(76) *Cod. Estens.* mirabiliter.
(77) *Cod. Estens.* aliquis amodo amplam &c.
(78) *Cod. Estens. & Ambr. II.* sub iniquo Domino privatio &c.
(79) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* Fidelibus Ecclesiæ astiterunt.
(80) *Cod. Estens. & Ambr. ambo*, & Nuntios sapientes.
(g) *MS. Ambr. I. addit* de Verona.
(81) *Cod. Estens. & Ambr. II.* coram Domno Apostolico.
(*) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* de Anglia virum omni discretione perspicuum, benignum & curialem Theologica scientia plenum, doctum siquidem, immo doctissimum in scientia naturali, in Veteri, & Novo Testamento peritum, utique in Jure Canonico, & Civili. Sed &c.
(82) *Cod. Estens. & Ambr. ambo*: scilicet, quo finis hosti Ecclesiæ appropinquabat.
(83) *MSS. iidem* quod hoc anno futurum erat.
(84) *MSS. iidem* malorum innumerabilium finis.
(85) *MSS. ipsi* meritam ultionem.

Digitized by Google

locutus est Eccelinus ipsi Marchioni, & ait: (86) *Est ne aliquis in Communi* (87), *& Civitate Cremonæ, qui possit, vel audeat nostræ parti, nostræque voluntati resistere?* Cui Marchio protestatus est, & respondit, se nullum noscere in Cremona, qui vel in consiliis, vel arengis publicis, vel secretis sit ejus voluntati contrarius, præter Bosium de Dovara. Ab hac hora in antea cogitat (88) Eccelinus de medio tollere ipsum Boxium, ut suspectum, & vult ipsum mittere pro Potestate Veronam, ut illic liberiùs facere possit de ipso, quod de quibusdam aliis Vicentiæ jam fecerat, & Veronæ; ad instar fortunæ videlicet suprema rotantis in infimum, dum (89) illis, quos exaltavit appellando amicos, tormenta & mortem reddidit, eos asserens proditores. Ipsum ad se itaque Boxium Brixiæ existentem, semel & iterum convocavit, dicens, quòd Veronensium Potestariam pro partis, & amicorum summa utilitate recipiat. Sed habuit secretum in corde, quòd si forsitan ad ultimum recusabit, eum faciet personaliter detineri. Tunc fortè notavit Boxius fraudulentæ promissionis aliquas conjecturas, vel habuit fortè (90) præ oculis illorum proditionem, & mortem, qui sub honoris specie perierunt per Eccelinum. Igitur & ipsam Potestariam penitus recusavit, & quoties vocabatur ad tyrannum, taliter sociatus adveniebat à Cremonensibus, qui eum fideliter diligebant, quòd Eccelinus ipsum capere non præsumsit, tum propter Cremonensium commeatum, tum propterea quòd sciebat suam cunctos noscere tyranniam. Sic quoque (h) subdola vulpis, & versipellis, quod de facto mente putaverat, ad alia diverticula verbis blandiloquiis regiravit. Nec minùs interea cautus & ipse Boxius animadvertebat solicitus, quid esset in tali casu facturus. (91) Contingit autem, quòd Eccelinus ipse solus voluit in Brixia dominari, sic de ejus beneplacito, & consensu, Marchio Pelavicinus, & Boxius de Dovara, cum Cremonensibus sunt reversi Cremonam, & remansit Eccelinus solus Brixiæ dominator.

CAP. XIII.

Hic gloriatur Eccelinus, quòd habet Legatum captum, & audet Ecclesiam redarguere.

POst Marchionis Pelavicini, & Bosii Dovarensis recessum de Brixia, cùm Eccelinus solus totum haberet ibidem Dominium, potuit & voluit in suis gloriari triumphis, & cum Legato prexonerio suo voluit aliquam collationem (i) habere. Ergo diebus illis, quibus Legatus ipse, Quadragesima appropinquante (92), voluit abstinere à cibis, ante hoc die quadam, Legatum ipsum, more solito, habuit in convivio secum. Et eis splendidè epulatis, sedit in sala pariter Legatus cum Eccelino, & ait Eccelinus ad ipsum: *Domine mi Legate, dudum meus animus sub ingenti dubitationis articulo titubavit* (93), *qualiter scilicet & quomodo Sancta Mater Ecclesia patiatur, quòd sub umbra alarum ejus inferat Christianus Christiano injuriam, aut nitantur ad tributa Ministri ejus* (*), *nitantur & ad rapinas. Scitis enim, quòd illa die, qua Paduam habuistis, hii, qui vobiscum Crucem Domini bajulabant, dicentes se Christianos, & Milites Sancti Petri, Christianos bonis propriis spoliabant* (94) *interfecerunt, extorserunt exactiones ab aliis, & alios, utpote pupillos, & orphanos,* (95), *compulserunt ad mendicandum. Et fuit mirum, quoniam manifestè confitebantur se ab Ecclesia hoc habere mandatum, & erant à Sede Apostolica absoluti, nec debent umquam prædam illam reddere, vel ablatum: quamvis & ipsi videbunt, quòd aliquando manus Domini extenditur ad vindictam.* Ad hæc (96) Legatus respondit; *Vestræ Altitudini supplicamus, ut ad verba Domini sapientiæ vestræ animus, more nobilium, inclinetur. Scimus namque Vos plenariè nosse, quòd aliud est præcipere, & aliud consentire. Similiter vobis satis extat notorium, Sanctam Romanam Ecclesiam totiùs Christianitatis bajulam, & magistram, sumsisse à Christo Regni Cœlorum claves, secundùm Evangelicam sanctionem, ut quodcumque ligaverit super terram, sit legatum in Cœlis, & quodcumque solverit super terram, sit & solutum in Cœlis. Quare potest liberè de licentia Jesu Christi, si justam causam invenerit, illas castigare personas, quas noverit Ecclesiasticæ libertati rebelles: nec ex hoc possunt Ecclesiæ* (97) *Ministri redargui, si gentes pluries monitas, cùm in sua contumacia perseverant, in rebus hujus Mundi castigant, cùm possent, si vellent, etiam in personis, citra mortem vel sanguinem castigare. Nec ob hoc ista dicimus, quòd non fuisset honestius tempore captionis Civitatis, tam Catholicæ condam, à præda abstinuisse; aut quòd non credimus hodie salubrius esse quibuslibet, si restituant quæcum-*

(86) *MSS. ipsi.* Inter cetera verò quæ loquebantur, ait Eccelinus ad Marchionem: *Est* &c.
(87) τὸ in Communi *deest in MS. Estensi.*
(88) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* cogitavit Eccelinus, quomodo possit ipsum Boxium, sicut suspectum de medio tollere, & removere tamquam odiosum impedimentum suum, & suæ partis. Vult ipsum itaque mittere &c.
(89) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* nam quos in altum exaltaverat, appellando amicos, illis inaudita tormenta, & mortem reddidit, proditores falsos nominans, & asserens inimicos. Ad se itaque ipsum Boxium &c.
(90) *MSS. iidem* præ oculis suæ discretæ mentis illorum proditionem, & mortem, qui sub spe dominatus, & Potestatum, sunt destructi per Eccelinum in rebus, & in personis. Igitur ipsam Potestariam tenuit curialiter, & discretè, & ex tunc quoties vocabatur ad Eccelinum, ad ipsum ibat taliter sociatus Cremonensibus suis, qui &c.
(h) *MS. Ambr. I.* Sic quoque versuties Eccelini tyranni, quod &c.
(91) *Cod. Estens. & Ambr. ambo*. Demum voluit Eccelinus ipse solus in Brixia dominari, & sic de voluntate plana, communique beneplacito, & consensu, ipse Marchio Pelavicinus, & Boxius de Dovaria cum eo, & omnes ceteri Cremonenses sunt &c.
(i) *MS. Ambr. I. rectiùs* collocutionem.
(92) *Cod. Estens.* voluit more solito abstinere à cibis, die quadam ante jejunium placuit Eccelino, secundùm quod & solebat, Legatum ipsum habere *, & eis splendidè epulatis, recedentibus cunctis, sedet Eccelinus solus in sala pariter cum Legato, & ait quasi causa solatii ad ipsum: Domine mi &c. *cui adhærent etiam MSS. Ambrosiani, ubi * addentes* in convivio secum.
(93) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* pendet; *infra, ubi* patiatur, *legunt* sustinet.
(*) *MSS. iidem* Ministri Apostolicæ Sanctitatis.
(94) *MSS. iidem* spoliatos quosdam.
(95) *Ipsi.* Orphanos, & Viduas.
(96) *Ipsi.* Ad hæc verba Domini Eccelini Legatus respondit, dicens: Vestræ &c.
(97) *Cod. Estens. & Ambr. II.* Ministri dignè redargui &c.

Digitized by Google

cumque post Civitatis introitum rapuerunt, præcipuè si propter odium, vel avaritiam rapuissent: nam & si compunctus aliquis (K) *nostrorum super hoc consilium postularet, confortaremus eum utique, ut sibi quamcitiùs possibilitas foret, ablata redderet, vel illis, quorum fuerant, si eos habere posset, vel pauperibus, & egenis.*

CAP. XIV.

Quoddam somnium, quod vidit Eccelinus in Brixia.

His dictis, surrexerunt de bino colloquio Legatus, & Eccelinus, & abeunte Legato cum duobus illis militibus, quibus ipsius erat commissa custodia, remansit Eccelinus in sala cum solo domicello, & serviente, qui ei serviebat ad lectum. Igitur pulpito (98) jam strato purpureo, peregit Eccelinus per salam gressus solitos ultra C. quemadmodum à Physicis doctus erat, secundùm illud Aristotelis verbum, in Libro Posteriorum (99). Omne, quod facit cibum non eminere in stomacho, est sanum; sed deambulatio post cœnam facit cibum non eminere in stomacho, ergo deambulatio post cœnam est sana. Post hæc ad lectum repositus, dedituſque sopori, visus est vidisse quodammodo hujusmodi visionem. Quòd erat scilicet die quadam in una venatione succintus, & studiosus in partibus Pedemontis, in extremis quasi finibus Marchiæ Tarvisinæ, & cùm jussisset ministris suis, ut cœnam sibi pararent, & requiem post venatum in eisdem partibus, in loco Campisionis; illa eadem die, sive quòd fata sic paraverant, (100) sive quòd non intellexerunt ministri mandatum horribiliter dominantis: videbatur eidem, quòd cœna illa, & requies multum longè foret (1) à loco, quem præceperat, constituta, utpote per milliaria circa C. & quasi in meditullio Lombardiæ, videlicet in Sonzino: nec aliter requiescere poterat, nisi longum illud iter perageret, & durissimè fatigatus venando, multo magis lassaretur ad requiem veniendo. Ex hoc igitur ejus jussu non observato fuit ipsi tanta indignatio dormienti, quòd est protinus excitatus à somno, & (2) qui ministros proposuerat facere non videntes, comminatum sibi judicium non prævidit. Scivit enim, quòd sæpe fallunt somnia somniantem, & insatiabilis illa cura & pervigil, quæ ipsum ad ardua diebus & noctibus distrahebat, visionem talem posuit in numero vanitatum. Sic enim contingere nos videmus assiduè, quòd insipidus sensus ad plurima devolutus, persæpe quidem fallitur, & minùs perspicaciter in singulis intuetur (1). Et vidit Eccelinus visionem prædictam in præscripto Anno Domini MCCLIX. secunda die Februarii, in Purificatione Sanctæ Mariæ.

CAP. XV.

Hic firmata est quædam secreta concordia inter omnes fideles, & amicos Ecclesiæ.

Æterna Christi bonitas, quæ semper bona promovet, malis imponit finem, de culmine summi cœli misericordiæ suæ oculos in hæc inferiora deflexit, & elapsis diebus paucis postquam Marchio Pelavicinus, & Boxius de Dovara (3) redierunt Cremonam, cùm Eccelini sævicies per homines refrænari non posset, placuit (4) Deo quòd idem Boxius animum suum applicuit, qualiter amici Ecclesiæ possent vindictam sumere de Christianitate offensa per Eccelinum in Lombardia, & in Marchia, & qualiter posset ipse Boxius se ipsum ulcisci super hoc, quòd ipsum fraudulenter voluit facere Potestatem Veronæ. Igitur adjunctus est amicabiliter Marchioni Pelavicino, & sapienter, & cum eo prætendens causam Sanctæ Matris Ecclesiæ (5), ob reverentiam cujus Christiani meritò (6) tenentur, & debent guerras abominari, pacificari ad invicem, & vivere sicut fratres: & sopiunt ambo litem illam de facto Cremæ, quæ steterat longo tempore condam inter Commune Mediolani, & Cremonæ, & nuper Cremenses quidam Cremonensibus eam dederant, in odium inimicorum suorum de Crema ipsa: qua lite per Dei gratiam absque difficultate sedata, Marchio Estensis, (7) & ipsi duo, aliique Barones nobiles, & potentes de parte Ecclesiæ Lombardiæ, & Marchiæ, inspirati Divino Spiritu, uno, & eodem tempore quoddam consilium inierunt latenter, super quo in Anno prædicto Domini, in mense Martii, appellati sunt Barones, & Civitates de parte Ecclesiæ; appellatum est & Paduanorum Consilium & Commune à Marchione Estensi, ut consentiat quibusdam ordinamentis factis nuper in Lombardia, quamvis latentibus, & occultis. Quibus (8) primò Paduanis visum est durissimè consentire: sed fuit tanta fiducia, quam Paduani generaliter omnes habuerunt in nobilitate, & amicitia Marchionis, experta vetusto tempore & moderno, quòd pro negotiis nunc instantibus, consen-

(K) MS. *Ambr. I.* si aliquis vestrum nostrum &c.

(98) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* pulpito, sive lecto.

(99) *Iidem* qui dicit; Omne &c.

(100) *Iidem* fata sic statuerant.

(1) *Ipsi* longè erat parata à loco, in quem præceperat, & in quo credebat se debere requiescere post venatum, utpote per milliaria C. & ultra, & quasi in medio Lombardiæ &c.

(2) *Cod. Estens. & Ambr. ambo*, & qui facere proponebat Ministros (*MS. Ambr. I. addit* in Longobardia) inobedientes excollare, comminatum sibi judicium superbis oculis non prævidit. Statim namque mente varia sibi metipsi, quasi disputando conclusit, quòd &c.

(1) *MSS. Ambr.* continetur.

(3) *Iidem* Boxius de Dovaria redierunt Cremonam de Brizia.

(4) *Iidem* placuit ipsi Deo, qoòd Bosius idem sapiens, & astutus animum &c.

(5) *Ipsi addunt* graviter offensæ per Eccelinum.

(6) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* tenentur meritò ipsam Ecclesiam prætueri, guerras abominari, pacificari ad invicem, malorum vindictam sumere, & vivere sicut fratres, sopivit primò cum ipso, & de ejus consilio litem &c.

(7) *Iidem* Estensis Azo, & ipsi duo, aliique Barones aliqui, nobiles viri ac sapientes de parte Ecclesiæ Lombardi, & Marchiani, inspirati Divino Spiritu, uno tempore, & eodem, secretum quoddam consilium inierunt, latens & paucis notum; super quo in anno prædicto Domini mense Martii, appellata sunt per Lombardiam Communia Civitatum, quæ favebant Ecclesiæ; appellati sunt Barones ceteri, appellatum est & Paduanorum &c.

(8) *Cod. Estens. & Ambr. ambo*. Sed primò visum est Populo Paduano durissimum consentire, seque adstringere ignotis ordinamentis, vel consiliis, quæ non noscunt; fuit autem &c.

senserunt ejus voluntati, totaliter parati in rebus, & in personis attendere quæcumque, & quandocumque voluerit in hoc facto. Et sic diebus illis firmata est concordia quædam talis inter cives, & Civitates partis Ecclesiæ, & potentes ipsius partis, quæ primò, ut dictum est, paucis innotuit, sed (m) ad fi t'-ram, & evidentem postmodum utilitatem totius Lombardiæ, & Marchiæ plurimos alligavit in unum. Et ita Paduana Civitas præ cunctis desideriis optans, quòd totus Lombardiæ circuitus in pace & tranquillitate permaneat, nec pepercit personarum laboribus, nec expensis: fuit immo idem propositum cunctis, ut si antiquam possint libertatem redimere; & rerum omnium substantiam cum summa aviditate distribuant, & personas submittant omni casui & fortunæ. Et verbum illud authenticum viriliter (n) servaverunt: Quòd communis utilitas præferenda est speciali.

CAP. XVI.

Hic tractatur, qualiter Vicentinus districtus à latere versùs Paduam est transcursus (9).

DUm hæc interea tractabantur in Lombardia, noluerunt Paduani in Marchia otiosi vivere, vel inertes: sed sequente Aprilis Mense prædicti anni (10), pars quædam militiæ Paduanæ, cujus erat tantum desiderium, & voluntas fautores Eccelini confundere, quòd Paduani ipsi (11) vix differre poterant, inter tempora, vel etiam inter dies; rectè in die Pascæ post cœnam, ad Vicentinorum instantiam, qui per fas, & nefas expulsi erant de propria Civitate, & quorumdam aliorum forensium de Verona, & aliunde, movit, & equitavit Leonicum, & ad terram Custodiæ (12), vino, & oleo affluentem, Terras scilicet Vicentini districtus, de quibus Eccelinus multam pecuniam, multa quoque victualia extorquebat, viros prudentes etiam exinde persæpe congregabat in unum, quorum juvamine damnificabat Paduanum confinium, nunc inter Paduam, & Vicentiam, nunc in finibus Scodesiæ. Hiis ergo duobus locis prædæ, & combustioni submissis, præter munitiones, & Castra, quibus non adhæserunt, gens ipsa tota sana & incolumis Paduam est regressa.

Adhuc iterum nec Paduani ipsi, nec expulsi Vicentini, vel alii sibi sufficere putaverunt Vicentinum districtum ex illo solùm latere fustigasse. Itaque pars prædictæ militiæ movit eodem mense cum eadem gente Communiter, & quibusdam viris prudentibus alieni cupidis, quos appellamus Zaffones (13), & equitaverunt unanimiter ad Tienem, Villam similiter Vicentini districtus, magnam & copiosam; & facta ingenti præda, & Villâ ignibus deformatâ, reversi sunt omnes alacres, & ditati: præter quòd Zaffonum præda forensibus injustè concessa, rumorem movit in populo, & inolevit ferè seditio perennitudinis (14), & damnosa, quæ tamdem sopita fuit studio & peritia Sapientum. In omni namque negotio sapientia prævalet adeò, quòd citò refrænat iras, discordes ducit ad idem velle, avaritiæ pascit ingluviem & lacunam (o); exaltat humiles, & mitigat contumaces.

Subsequenter etiam prædictæ gentes sunt congregatæ, & in mense Madii equitaverunt ad Friolam Terram Vicentinorum. Eodem modo Villam totam, & locum, & omnes indigenas ad præcepta Communis Paduæ velociter habuerunt. Et quoniam de Paduanis ipsis quidam nobiles Milites, & potentes viri jus aliquod habebant in Friola; factum illic, & habitum est consilium, facere munitionem in villa, eamque vallare fossis, aliisque munire paratibus ad defensam. Quod cùm fecissent, constitutis ibi viris prudentibus pro loci custodia; & terrigenis omnibus ibi positis, voluntariis utique subesse ulteriùs Paduano Communi; armis quoque, & victualibus pro virorum locique securitate abundanter illic dimissis, Paduani reversi sunt Paduam, & sperant amodo districtu Vicentiæ à latere versùs Paduam quodammodo subjugato, Civitatem ipsam Vicentiam debere mutare consilium, & parti Ecclesiæ se daturam.

CAP. XVII.

Hic tangitur factum, quod fecit Eccelinus ad Friolam.

SEd illud vulgare proverbium, quod dicitur: *Spes etiam si sit justa, sæpe credulum decipit, & sperantem*: in facto Friolæ patuit verum esse: dum spes, quæ de ipsa Friola habebatur, facta sit brevi tempore (*verè*) frivola & inanis. Namque diebus illis, videlicet mense Junii immediatè sequenti, erat Eccelinus adhuc in Brixia, & Theotonicos mittebat Veronam, ut Veronenses quosdam, in magna quantitate accusatos indignè disperderet: sed favente fortuna (15) temporis Veronensibus accusatis indignè, cùm Eccelinus audisset Friolam esse redditam Paduano Communi: non tantùm indignatus de loco, de quo parvam gerebat curam, quantùm quòd locus erat in confiniis, & in partibus de Baxano, quem habebat pro sua Camera quasi (16) speciali: Theotonicos missos, cùm forent adhuc in via, subitò per literas revocavit. Quos quidem movens, (17) prope totamque militiam de Verona, de Vicentia, de Pedemonte, & aliunde, quàm plus movere potuit, venit ad Friolam. Illic quoque generaliter omnes habuit Baxanenses, & castramentatus ibi sedit hostiliter, donec gentem suam circa Friolæ locum exacuit, posuitque crudeliter, & explicuit multitudinem contra paucos: locum cepit, quem subitò gentemque totam habuit humiliter se reddentem, sed fecit omnes illico vinculis alligari; nec fuit in hac severitate contentus: immo cùm olim Civitates, & loca, Ecclesias, turres, & palatia devastasset, in hoc

(m) *MS. Ambr. I.* sed firmiter ad futuram &c.
(n) *MS. Ambr. ambo*: voluntariè servaverunt.
(9) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* transcursus a Paduanis.
(10) *Iidem* Anni MCCLIX. pars &c.
(11) *Iidem* vix volebant inter tempora discernere, vel etiam inter dies, rectè quidem in die &c.
(12) *Cod. Estens.* terram, quæ Custodia appellatur. *Ambr. II.* quæ Custoza &c.
(13) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* Zaffones, sibi associatis, & equitaverunt &c.
(14) *MSS. iidem* pœnitudinis.
(o) *MS. Ambr. II.* ingluviem, & latrocinium.
(15) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* ipsis Veronensibus indebitè accusatis.
(16) *In Estens.* τὸ quasi *deest*.
(17) *Cod. Estens.* movens properè, totamque &c.

hoc loco vastare voluit etiam formam Christi, & fecit quòd infelix illa gens Friolana, mares, & fœminæ, magni, & parvi, Clerici, & Laici, generaliter omnes cæsi (p) & deformati, per Lombardiam, & Marchiam, signum deferunt Eccelinicæ rabiei. Nihil quoque profuit parvulis innocentibus non peccasse, immo cùm triplicem pœnam senes, & juvenes paterentur, oculis, naribus, & pedibus mutilati; infantes, & innocentes pœnam quadruplicem habuerunt, nam Eccelini jussu naribus, & pedibus deformati (q), cœcati sunt oculis, & parvis genitalibus sunt exsecti. Fuit autem hæc Eccelini ultima perpetrata crudelitas in prædicto Anno Domini, mense Junii circa finem. Quo facto Brixiam rediit, non ulteriùs in Marchia reversurus.

CAP. XVIII.

Hic attraxit Eccelinus latenter ad suam partem quosdam Mediolanenses.

Audiunt, & vident ulteriùs omnes de Lombardia, & Marchia, & quicumque invocant nomen Christi, quòd nullum sperandum remedium amodo, nullum est humanum consilium, fiducia quoque nulla, quòd cessent radicatæ iniquitates, quæ cotidie multiplicare videntur: immo & ipse Deus, si licet dicere, visus est tam enormia facta, tamque nefaria tolerare molestè. Ecce namque, sive (18) quòd ad finem tendunt omnia, nec est quicquam stabile super terram; sive quòd summa cadunt, & quanto magìs altiora permanserint, tanto lapsu corruunt graviori; sive fortè quòd in hiis prudentes & sapientes viri de Lombardia, & aliunde assiduè vigilabant, contingit talis casus. Nam Rex Castellæ, qui & Hispaniæ dicitur, in discordia electus fuerat Rex Alamanniæ, quem Eccelinus sperabat Romanum Imperatorem futurum, ut supra legitur in secundo Capitulo hujus Libri §. Adhuc &c. Hic utique Rex Castellæ speciales literas, & nuntios miserat Eccelino, quòd de ipsius consilio, & favore volebat ingredi Lombardiam, unde paratus foret ad eum recipiendum magnificè; erit enim ejus adventus in brevi, spectabitque totaliter ad exaltationem ipsius Eccelini, & suæ partis. His itaque verbis, & aliis consimilibus per Regis Nuntios sapienter Eccelino propositis: cogitat Eccelinus deinceps, quid super hoc magno negotio sit acturus. Itaque primitus per suam industriam nuntiis, atque literis, aliisque modis quibus scivit, & potuit, taliter laboravit, quòd attraxit ad suam partem Vavassores, & Proceres (19) Mediolani, ita quòd ei, & suæ parti favere cœperunt, in consiliis, & arengis in propria Civitate, & jam quasi suo Populo resistebant. Et nisi quòd dubitabant Ecclesiæ indignationem incurrere, plus forsitan in suis excessionibus (20) processissent; sed habuerunt tunc Mediolanenses alii, & Populus, & Commune de consilio saniori pro suo Capotaneo (21) Martinum de Turre de Civitate eadem, virum probum, & sapientem, strenuum, tractabilem, & constantem. Sciverunt namque cujuslibet Civitatis populos in divisione vigorem amittere, quem nempe resumunt, & retinent, cùm providè separati (22) communem utilitatem attendunt, & spectant salubriter ad Rectorem. Erat autem circa finem mensis Julii prædicti anni, quòd tractabantur hæc, & movebantur per Lombardiam.

(p) Omnes cœci, & deformati *leguntur in Amb. II.*
(q) *Ambr. II.* duodecim cœcati sunt oculis.
(18) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* sive fuerit, quòd &c.
(19) *Cod. Estens.* & proceres civitatis Mediolani..
(20) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* excessibus.
(21) *Cod. Estens.* Capitaneo *ita semper*.
(22) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* cùm in unum providè fœderati ..

Explicit Liber Undecimus.

INCIPIT DUODECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Hic incipit Dominus Guido de Montefojano suam Potestariam in Padua.

Electus erat equidem illo eodem Anno MCCLIX. Dominus Guido de Montefojano Reginus Civis, pro sequenti anno in Potestatem Paduæ, & Rectorem, & juraverat Potestariam eamdem mense Julii die VI. intrante. Fuit autem vir prudens, nobilis, sapiens, & discretus, hominibus quoque placibilis, utpote quoniam affabilis, & benignus, providus, curialis, & largus, cunctisque bonis moribus insignitus, & in quo verè locum habuit verbum illud Ovidii loquentis de Augusto Principe Romanorum, cùm diceret:

Est piger ad pœnam Princeps, ad præmia velox.
Quique dolet quoties cogitur esse ferox.

Bene providit itaque benignitas Divina tunc temporis, cùm prope malorum finem vindicta erat, in exhibendo Rectorem talem Civitati Catholicæ Paduanæ, quæ Romam ipsam est imitata in multis, in fide videlicet, & in illatis sibi multis injuriis per diversa genera tyranniæ. Numquid Padua condam est ab Antenore constituta egresso Civitatem Trojanam eâdem horâ cum Æneâ conditore Romano? Numquid passa est multas tribulationes, & Werras, ut ipsa Roma? Numquid in suis civibus est offensa crudeliter, turribus, & palatiis, domibus, & decoribus suis dirutis (23), & prostratis? Nempe si mihi parcat Romana Curia, jam Padua dici potest quasi secunda Roma. Nec hoc dico in præjudicium aliarum Civitatum de Lombardia, sed cùm Paduam olim viderim rationis, & justitiæ bajulam, utriusque sexus civibus ornatissimè decoratam, divitiis affluentem, ædificiis splendidam, bonis omnibus copiosam, & sanctorum virorum undique sancta Religione circumdatam; usurpatis hiis omnibus per tyrannicam pravitatem, neminem condecet admirari, si ex abundantia cordis os loquitur, & de meæ patriæ desolatione lamentor. Quam expresse desolationem video esse consimilem desolationi antiquæ, quam fecisse legimus Principes perditionis in Roma, & Urbem audivimus ipsam totius Orbis (24) persecutiones indignas plurimas pertulisse.

CAP. II.

De puncto electionis Eccelini ad ultimum suum iter in Lombardiam.

Jam animus Eccelini quodammodo elevatur in altum; scit enim, quòd Rex Castellæ venire prorsus intendit in Lombardiam; scit etiam Mediolani nobiles, & potentes esse favorabiles suæ parti: quibus duabus causis de facili sperat amodo suos conterere inimicos. Itaque mense Augusti, prædicto Anno, Warnimentum paravit quammaximum, & amicos suos congregans universos, & singulos, &

A quoscumque movere potuit proximos, & remotos; reserato proposito suo paucis, sed quos credidit sibi fidos, testatus est se nunc velle in Lombardiam rem fortè majorem peragere, quàm facta foret à tempore Karuli Magni citra. Electo die itaque suæ motionis, & puncto de consilio suorum Astrologorum & Sapientum, sua etiam provisione firmata; circa finem ipsius mensis Augusti, suam totam movit militiam, & populum Brixiensem, & hoc ferè innumerabile guarnimentum, & equitavit magnificè ad Castrum; & circa mœnia Urceorum: est enim hoc Castrum quoddam Brixiensis districtus, quòd solùm adhuc in tota diœcesi Brixiensi partem tenebat Ecclesiæ, B Eccelino etiam, ejusque favoribus viriliter resistebat. Et notandum, quòd cùm movit Eccelinus gentem suam de Brixia, & equitavit ad Urceos, tunc fuit Ascendens Sagittarii signum, Sol erat in Virgine, Luna in Scorpione, Saturnus in Aquario, eratque retroguardus Jupiter in Libra directus, Mars in Leone similiter directus, Venus in Cancro directa, Mercurius in Leone directus, Capud autem, & Cauda Draconis in signis fixis. Neminem quoque credimus dubitare, quòd elegit Eccelinus hoc punctum, & horam talem, credens cœlestes domos, Planetas etiam, domorumque dispositionem, & Planetarum favere sibi, quoniam in hiis quamplurimùm, tamC quam Gentilis, & Idolatra, confidebat. Volebat, ut puto, credere, quòd cùm sit Sagittarius domus Jovis, & sit ille Planeta benivolus, nam & fortuna dicitur, debebat esse fortunatum, & prosperum ejus iter, sub tali Ascendente inceptum. Suspicor etiam, quòd notavit Martem in Leone tunc esse, nam Mars à Poëtis dicitur Deus belli, & signum Leonis dicitur fortitudinis, & dominii, altitudinis, & magnificæ potestatis. Jovem etiam tunc fortè providit in Libra positum, quæ est domus Veneris, quod appellatur salubre signum. Puto etiam, quòd signum, sive domum Mercurii, signum videlicet Geminorum, posuit septimum, & posuit in Occasum, voD lens, quòd inimicorum, & adversantium ei sapientia caderet. Nam Mercurius Deus sapientiæ ponitur, & septima domus, sive in Astrologis, seu in Geumnaticis, semper adversantibus assignatur. Hæc, & his similia de Planetis, & domibus Planetarum in favorem suum & suæ gentis diligenter attendit, & expectavit, ut credo. Mirum tamen, quòd non notavit Lunam in Scorpione tunc esse, cùm Luna infimus Planetarum in hæc inferiora, inter ceteros Planetas multam habeat influentiam, & virtutem; & cùm Scorpio venenosum sit animal, fundatque venenum cauda: quasi hoc portendere videretur, quòd iter ejus significatum per Planetam itineris, idest LuE nam, quæ pedes habet in homine, tamquam Scorpionis veneno circa finem poterat sauciari. Quid plus? si verum est, quod Mathematici dicunt, ut refert Beatus Gregorius in quodam Sermone suo, quòd nati sub Aquario, habere debeant officium piscatorum, & nati sub

(23) *Cod. Estens.* diruptis.

(24) *Cod. Estens.* totius Orbis Dominam.

sub signo Libræ de suæ constellationis natura esse debeant trapezitæ: jam fortè per argumentum probabile, & quasi per simile credi possit, quòd confidens aliquis in signo Sagittarii ascendente, tam si natus sub eo erit, quàm si sub eo iter incipiat, vel aliquod suum opus; aliquid (25) credatur habere facere cum sagitta. Et demum veraciter est ostensum de facto, quòd Eccelinus ipse, cujus iter incœptum est, ut supra diximus, signo Sagittarii ascendente, in pede, quod (26) est instrumentum itineris, sagittam habuit, ut dicetur infra, Domino concedente. Sed hæc omittamus ad præsens, ne videamur in hiis aliquas phylacterias dilatare, in quibus numquam confisi sumus: nec in talibus perdere volumus tempus nostrum, quamquam neminem redarguere deceat, qui pro posse (27) de omni scientia studeat, cujus possit particulam qualem qualem habere.

CAP. III.

Hic transit Eccelinus flumen Olei, Lombardis stantibus in contrarium.

SEdit Eccelinus non multis diebus in campis, & in cultibus Urceorum, & destruxit quidquid potuit inde, ac circa Castrum: minabatur etiam Castrenses omnes gladio, & morti summittere, nec ullum posset in hoc remedium inveniri (28). Auditum est hoc Cremonæ, & habent nunc causam Marchio Pelavicinus, & Boxius de Dovara, qua possunt exire obviam Eccelino injurianti fidelibus Ecclesiæ, & in his, qui faventes Ecclesiæ, & Cremonæ, se, ac sua exponunt fideliter omni periculo rerum, & personarum. Sic ergo circa principium mensis Septembris mota est militia Cremonensis (29) Communiter, & exeuntes ipsi milites omnes, locati sunt circa suum Castrum proprium de Sonzino: dumque ibi magnificè morarentur, motus est similiter Mantuanorum exercitus, & Ferrariensis eodem modo cum Domino Marchione (30), & equitaverunt isti unanimiter omnes ad Castrum Marchariæ Mantuani districtus, ut scilicet dare possint Cremonensibus ipsis, & Ecclesiæ fidelibus, auxilium, & succursum, inimicum autem, ejusque complices confundere, & terrere. His etiam sic se habentibus, Mediolanenses venire promiserunt Communiter, & hostiliter Cremonensibus in succursum contra Ecclesiæ inimicum, cœperuntque parari pontes, ubi visum est opportunum, ut ipsi exercitus possent socialiter simul jungi. Hæc nota fuerunt omnia Eccelino, sed multam habebat fiduciam (31), quòd Vavasores, & Proceres, & quidam Magnates alii Mediolani, ut supra diximus, suo Populo resistentes, spem ei dederant, & suos filios jam posuerant obsides, quòd firmi erunt, & in omnibus favorabiles ejus parti (32). Igitur Eccelinus ipse nocte quadam subitò, & latenter Populum Brixiensem domum remisit, retentaque militia Brixiensi, & his omnibus, quos equestres facere potuit de Pedemonte, & aliunde, cum aliquibus, quos adhuc (33) secum habebat de Padua, de Vicentia, & de Lombardia, cum Theotonicorum militia, furtivo (r) gressu quodammodo, transivit flumen Olii per pontem de Palazolo: & licèt cum gente militari solummodo, verumtamen tam magnificè, & potenter, ut nulla in Lombardia Civitas crederetur ejus posse militiæ obviare (34): nec mirum, in his enim tota ejus intentio versabatur, & ipse noverat potentiam Lombardorum; & scimus hoc esse verum generaliter apud omnes, quòd ubi potentis, & sapientis totus intendit animus, illic est ejus ingenium, quammaximè fructuosum.

CAP. IV.

Hic transit Eccelinus flumen, quod appellatur Adda, & tendit versùs Mediolanum.

POstquam Eccelinus securus flumen Olii pertransivit, Mediolanenses illi, per quos fortè sperabat Mediolanum habere, & adimplere suum propositum paucis notum; patriæ devotione postposita devenerunt ad ipsum. Sed Mediolanense Commune, & Populus universus (s) Capotaneum habens Martinum de Turre, memorandum, & reverendum Patriæ defensorem, nihilominus exiverunt cum tota sua gente hostiliter, ut Cremonensibus, ceterisque Ecclesiæ fidelibus, & amicis fidem attenderent, & promissum. Itaque tam Capotaneus, quàm & ipsum Commune potenter & magnificè cum ferè innumerabili, & copioso exercitu jam parato advenerant, ita quòd si contiget (t) Mediolanenses cum Cremonensibus amicabiliter simul jungi, jam dignè tremere debent hostes, & poterit innotescere toti Mundo, quid Lombardiæ virtus valeat, vigor, ac strenuitas, & libertas. Cùm autem Mediolanenses adeò processissent, quòd circa paucos dies unà cum Cremonensibus possent jungi; ecce leo rugiens, qui terram perambulans, circuibat quærens, quem, immo (35) quos devorare posset, furtivum diverticulum fecit, & pervenit, ignorantibus Lombardis, ad vadum quoddam fluminis, quod dicitur Adda: quo vado cum multa diligentia perscrutato, & superato, ripam adversam attigit, & est illic ulteriùs cum gente sua totaliter, & cum his Mediolanensibus, qui suæ patriæ sunt rebelles. Cœpit igitur versùs Mediolanum dirigere iter suum (36), & heu forsitan peregisset illius sui crudelis animi præconceptum: sed fuit voluntas Dei, cujus semper est proprium obviare malignitatibus, bona quidem (37) in melius promovere; quòd inspiratus Divino Spiritu nuntius quidam, quasi ex improviso properans ad Capotaneum ante dictum Martinum de la Turre, animo anhelante retulit, festinantem cum proditoribus proditorem. Quo

(25) *Cod. Estens.* aliud credatur &c.
(26) *Idem* in pede, qui est &c.
(27) *Idem* qui pro se de omni &c.
(28) *Idem* submittere sine remedio aliquo. Auditum &c.
(29) *Idem* movit Cremona communiter.
(30) *Cod. Estens. & Ambr. II.* Marchione Estensi.
(31) *Cod. Estens.* hæc novit Eccelinus, sed fiduciabat, quòd &c.
(32) *Idem* favorabilis sibi.

(33) *Idem* quos ad hæc suum &c.
(r) *MS. Ambr. II.* furtivo regressu.
(s) *MSS. Ambr. ambo* populus supradictum Capitaneum habens &c.
(t) *MS. Ambr. I.* si contingeret.
(34) *Cod. Estens.* sibi obviare posse: nec &c.
(35) *Cod. Estens.* quem, vel quos.
(36) *Idem* dirrigere se.
(37) *Idem* bona quidem semper in meliùs &c.

Digitized by Google

Quo audito vir probus idem Martinus, & tota nunc Marticita (38) intentione deserviens (u), reversus Mediolanum, quamsubitò cum exercitu suo toto ingressus Patriam; adversarii prævênit adventum, Civitatem illæsam habuit, eam quoque sanam, & incolumen reservavit. Et sic deceptus est hostis unà cum illis, qui ad tantam cœcitatem devenerant, ut quasi traherent ad suspendium semetipsos.

CAP. V.

Locatus est Eccelinus cum gente sua in Vicomercato, & tenet pontem Caxani (39) *super Addam.*

HIc exultant patriæ defensores, sed offensores meritò contremiscunt. Ipse autem coluber tortuosus, humani sanguinis diluvium, & vorago, fons scelerum, & magister, cùm facere jam nequeat quod præsumsit, spumanti quadam rabie indignatus, vertitur in furorem, & tamquam desperans ulteriùs, suaque intentione fraudatus, motusque lymphante sævitia, discurrere cœpit per Mediolani confinium, loca, & Castra finitima dissipando pro posse, Burgum Modiciam (40) attentavit intrare; volens eam privare forsitan illa nobili dignitate Coronæ Ferreæ, quæ illic est ab antiquis nostris, in honorem Lombardicæ libertatis, hac de causa reposita, ut scilicet quandocumque fuit Romanorum Imperator (41) legitimè post electionem de se factam in Regem Alamannorum, hìc idem Corona illa Ferrea primitus coronetur, denique pergens Romam, sumat coronam auream ab Apostolica dignitate. Sed Eccelinum intrare Modiciam ipsi Modiciani viriliter prohibentes, continuò fuerunt ad arma, & Terram suam adeò laudabiliter defensarunt, quòd hostis cum gente sua hostilica cessit procul. In Castrum similiter Trecii fecit inimicus omnium cum tanta ferocitate insultum, ut velle videretur quodammodo deglutire omnes indifferenter: quemadmodum Pardus famelicus in partibus Africanis, ut dicitur, nocte circuens dente rabido tuguria rusticana plena torosis arietibus, vel juvencis (42), qui mox clastris obstantibus in insaniam vertitur, & quæcumque foris stabulo reperit, debacchando confringere gaudet, & lacerare. Sic Eccelinus, cùm Castrum Trecii rumpere nequeat, Burgum submittit incendio. De quo loco motus, ad ultimum Vicummercatum attigit, & Caxanum, unde Mediolanensis Capotaneus nuper,ejusque Commune recesserat, cùm ad conservationem Civitatis, & suæ Patriæ sapienter, & festinanter, ut supra diximus, redierunt. Ecce jam ipsa tempora quodammodo fataliter innuebant, quòd erat Eccelino fortunæ circulus revolutus, & diversum ei fatum transactis olim casibus minabatur. Ipse namque Planetarum effectus jam inscius, spe corporum superiorum delusus, in ipso Vicomercato, Septembris mense jam dicto, mansionem suam posuit infelicem: cum non amodo considerans de contemplatione domorum supercœlestium, neque de sideribus suis, in quibus sperabat tantum;

A jam infra se solum incipit retractare, solicitus quid (43) instantibus articulis sit acturus. Nam jam cognoscit indubitanter, quòd est Commune Mediolani non incautum; Milites illos etiam Mediolani, de quorum consilio procedebat scit fidem, & propositum mutaturos; & conclusum se videt amodo (44) inter loca inimicorum, inter flumina, inter hostes. Denique non ignorat, sibi summum esse periculum, & mortale, consumsisse semper in sanguinibus, & funeribus dies suos, se quoque vixisse continuè cunctis gentibus Italiæ odiosum. Ut vitare possit igitur insultum inimicorum, ut si necesse fuerit, via sibi pateat ad recessum: Caxani pontem super flumen Addam positum, & hostibus adhuc vacantem,
B cepit, tenuit, & armavit, studetque de genti sua plus solito procurare. Sive namque propter inimicorum timorem, sive propter victualium penuriam, & defectum, diversi diversimoda cogitabant: immo fuerunt aliqui de Mediolanensibus, qui in ejus favorem advenerant, & de aliis etiam, qui tota intentione, ac posse, ad subterfugium intenderunt.

CAP. VI.

Appropinquat exercitus Lombardorum ad Eccelinum, & violenter occupant
C *Pontem Addæ.*

MAnente Eccelino in loco Vicimercati, ecce Cremonenses omnes, & Mantuani (x), & Estensis Marchio nobilis, potens, & sapiens, cum Ferrariensibus suis fidelibus, & dilectis, omnesque de parte Ecclesiæ, unanimes, & modis omnibus studiosi quòd deleatur flagellum Divini cultus in Lombardia, iniquitas tyrannica decidat, sanguis innocuus non fundatur, finiatur Idolatria, hæresis refrænetur; moverunt Castra, totumque generaliter guarnimentum in una eademque die, & hora, sunt quoque castramentati, se omnes in antea producentes ad partes, & in partibus pontis Addæ, quem Eccelinus jam ante
D ipsos occupaverat, & tenebat. Sed ibi non diutiùs immorati, immo graviter, & indignè ferentes, quòd hostis pontem ceperit, & possideat (45) sic impunè, unanimes omnes assumtis armis, & navibus præparatis, pontem expugnaverunt, & vincerunt subitò, munieruntque firmis ædificiis, & bilfredis, sudibus, saxis, armis, & Ecclesiæ insignibus, opportunis viris quoque prudentibus, & balistis, & cunctis apparatibus bellicosis. Fluminis vada etiam diligenter superiùs, & inferiùs exquisita clauserunt, & plenam adhibuerunt custodiam & cautelam, ne impunis effugiat sævus hostis. Nec non & Mediolanenses ipsi Communiter & concorditer dispositis suæ Civita-
E tis negotiis, ex altera parte magnificè in terga Eccelini jam venerant, optantes illum perfidum inimicum invadere, qui Civitatem ipsorum visus fuerat sic velle radicitus desolare. Sic clauditur aper aliquando in partibus Paduanis, dum prudentes juvenes, & soliti venatores in Insula Nogarensi astutè sectantes ferina vestigia, omni casui se exponit, & armati

(38) *Idem* nunc matri ejus intentione &c.
(u) *MS. Ambr. II.* discurrens.
(39) *Cod. Estens. & Ambr. II.* Cassani.
(40) *Cod. Estens.* Montiam *Ambr. I.* Modoetiam.
(41) *Cod. Estens. & Ambr. II.* Imperator electus.
(42) *Cod. Estens.* jumentis.
(43) *Idem* quid in instantibns &c.
(44) *Idem* videt quodammodo inter &c.
(x) *MS. Ambr. II. addit*, & Paduani.
(45) *Cod. Estens.* quòd Eccelinus Pontem cœpit & possidebat, sic &c.

Digitized by Google

nati validis venabulis, & acutis, habentes canes etiam, sua collaria deferentes, fideles, & animosos, feram non solummodo insectantur, sed eam certis expectant locis, spretoque dente vulnifico, & animi vigore juvante, fetigeram illam bestiam, & horrendam cuspide crucifera confodiunt, & prosternunt. Et quoniam animo cupienti nihil satis festinare videtur, Mediolanenses omnes Patriæ defensores sapienter, & concorditer die noctuque se jam constantissimè præparabant committere bellum cum Eccelino, & in campestri pugna de inimico quodammodo circumsepto vindictam sumere, dante Deo. Sed literas receperant à Cremonensibus, à Marchione Estense, & à Baronibus Ecclesiastici guarnimenti, quòd adhuc modicum expectarent, quoniam in brevi continget hostem humani generis in manus fidelium Ecclesiæ sinè sanguinis effusione decidere, & in laqueum, quem incautè paraverat, irretiri.

CAP. VII.

Hìc vulneratus est Eccelinus in pede, & transit ad alteram partem Addæ, ubi sunt inimici.

ILlo quoque tempore, sive hora, cùm Lombardi ceperunt pontem, dormiebat Eccelinus illinc non longè, scilicet in Vicomercato, securus; hostes enim contemnere videbatur, & nolle suam habere sedem, vel aliquam residentiam in Caxano: nam quasi hoc solùm nomen videbatur horrere, nec sciebatur ab aliquibus qua de causa, nisi quòd ipsi facienti primò transitum (y) inde, dum loci nomen quæreret, quidam responderat, quòd Caxanum appellabatur. Ergo dum capto ponte, nuntius venisset ad eum referens facti seriem, festinanter ipse motus subitò, multa magnanimitate, & ira, cum gente sua, & experta militia, protinus properavit ad pontem: quem de facili recuperare confidens, milites, & pedites astutè, & ordinatè impellens premebat, & animabat ad pugnam: & per ejus partem adeò pugnabatur, ut quasi hostes de ponte jam (46) cederent Eccelino. Sed extrema gaudii luctus occupat, & quanto magis favet jocunditas, tanto magis adversitas est timenda: Ecce namque sagitta quædam de pontis munitione emissa, fixit Eccelini sinistrum pedem, quo sic inopinatè transfixo, plus est perterrita gens ipsius, quàm ipse, qui ferrum sumsit, & adhuc in osse sinè (z) sanguinis effusione ferebat. Tunc ipse sua gente trepida comitante ad Vicummercatum de odioso Caxano reversus, dolorem vulneris alta mente contexit, sicut strenuus athleta victus aliquando cùm rediit de arena, gestus monstrat fortes, & animosos, ut qui spem in ipso posuerant, non diffidant. Pedis postmodum vulnere adoperto, (47) fortis tamen, & animosus firmat animum, mutat propositum, & consilium, & vult exprimere vires suas, factique sui fortem, & aleam (a) experiri. Mota itaque gente sua totaliter, & armata, præmissis signis,

A gradatim cœpit, & ordinatè, versùs (48), & ad vadum fluminis dirigere gressus suos: dixitque tunc pluribus audientibus verbum quoddam; *Nos*, inquit, *hodie sinè ponte viam talem faciemus & iter, quale cum ponte hostes nullatenus attentarent*. Sicque vadum cepit salubriter, & cum suis aciebus, & gente sua flumen transivit Addam. Stabat igitur Eccelinus jam ultra flumen cum gente illa, quæ ipsius sequebatur insignia, quasi regali more, in dextrario falerato, & tergo verso ad inimicos, tamquam eos pro nihilo reputaret, & directa facie ad militiam suam Brixiensium, qui ultimò transvadabant. Sed jam hora profectò venerat, quam Deus ipse in salutem

B Lombardiæ, & Marchiæ providerat ab æterno, &, si liceret futura prænoscere, per totam Italiam poterat fluminis Addæ transitus desiderari, non aliter quàm per Sanctam Christi Crucem, & Passionem, Adæ primi hominis restauratio, sive remedium poterat expectari. Quare puto forsitan quòd pura (49) bonitas antiquorum pronosticatione, licèt non meditata, imposuit illi fluvio nomen Addam, ut nos Adæ filii, protoplasti nostri primarii, simus illic ad Addam exemti, & liberati de barathro, & voragine insatiabilis Eccelini.

CAP. VIII.

C *Qualiter Eccelinus captus est in Lombardia.*

STat nunc Eccelinus cunctis munitus armis ad alteram partem Addæ cum munita gente sua magnificè, & armata, & est in eadem planitie cum suorum inimicorum multitudine numerosa, nec est aliquod intervallum hinc inde. Expectat autem Rector ipse promtus, & animosus, credulus, & confidens; expectat fideliter, & attentè, quòd sua gens, & militia Brixiensis tota transeat citra Addam; sed post gentis illius transitum nemini notum erat, si Rector ipse ad bellum prodeat, vel recessum. Interea tamen gens, & exercitus Lombardorum pugnantium pro Ecclesiæ par-

D te, adeò propinquaverat ad acies Eccelini, quòd jam quidam berroërii de Lombardis, lanceis declinatis in inimicos, semel & iterum feriebant, ut quodammodo jam factum esse propositum indicarent, ne sic impunis transeat hostis Lombardicæ libertatis. Et ecce Brixiensis militia suis insigniis præcedentibus glomerata in unum, ampliare cœpit, & extendere viam suam, nec ad Eccelini securitatem more debito declinare (50), nec ad suæ gentis auxilium, vel defensam. Hoc Eccelinus primo, & post eum ceteri perpenderunt, & ipse quamvis audax, & animosus in ceteris, suæ partis ex hoc notavit aliquos trepidare, aliquos ad

E fugam intendere, aliquos se ad ipsum reducere, tamquam ad locum muniminis, & ad castrum: nullos verò penitus in viribus confidere, vel in armis. Sic ratis in pelago quandoque deperit inconsulta, cùm ventis incumbentibus vehementer ex omni parte, velum scinditur, arbor rumpitur, & antenna, spes est remorum inutilis, fractoque remigio (b) quolibet, scit nauta

(y) *MS. Ambr. II.* transitum viæ, ut loci nomine &c.

(46) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* de Ponte descenderent, & cederent &c.

(z) *MS. Ambr. II. prò* sinè *legit* sui.

(47) *An* adaperto? *Muratorius* &c.

(a) *MS. Ambr. II.* loco, *verbi* aleam *legit* alienam.

(48) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* versùs Pontem &c.

(49) *Cod. Estens.* quòd parabula.

(50) *Cod. Estens.* more solito inclinare.

(b) *MS. Ambr. I.* fractoque remigio, quilibet scit nauta &c.

Digitized by Google

nauta venisse naufragium, & deserit artemonem. Tunc visa est gens Lombardorum, & existentium citra Addam, & ultra, equestrium, & pedestrium tota unanimis, tota promta ad locum concurrere, ubi creditur Eccelinus, non aliter quàm ad punctum terræ medium, quod Philosophi Centrum dicunt, ponderosa cuncta tendere naturaliter elaborant. Se videt amodo Eccelinus à suis quasi omnibus derelictum, & à tantis hostibus circumventum, ut mirari possit, quomodo gens non Lombardiæ tantùm, sed fortè (51) totiùs Italiæ sic subitò conjurasset in eum. Stans igitur in articulo tali, & solicita inquisitione inquirens, quæ via ducat Pergamum, tendebat ad partes illas cum gente sua, non equidem sicut fugiens, equis immo procedentibus quasi passim. Sed insecuta est gens Lombardica Eccelinum, & ad eum omnes post parvam moram temporis adjunxerunt. Ecce namque Estensis Marchio magnus, & potens, & animosus, cujus Estense Castrum, & Roccham Eccelinus cepit hostiliter olim, sed ob reverentiam Marchexatus, quamvis plurimi peterent Castri destructionem, Castrum ipsum servavit incolume, ac illæsum; Ecce Marchio Pelavicinus & ipse, qui condam in obsessione Paduæ, quasi esset unum & idem cum Eccelino, misit ei quotcumque movere potuit de Cremona; Ecce Boxius Dovarensis similiter exemtus condam per Eccelinum de carcere tenebroso Bononiæ, ubi dudum detentus erat. Hii siquidem Principes, & Barones, aliique multi Nobiles, & Magnates Civitatum, Castrorum, Villarum, aliorumque locorum, Communia de Lombardia, & Marchia, de Romagna, & aliunde, Eccelinum circumdederunt, ceperunt, & tenuerunt. Et fuit in illis quidam, secundùm multorum dictum, qui Eccelinum sic circumdatum, & jam quasi non Eccelinum, sed virum captum, & indefensum; bis, vel ter in capite rusticanè percussit, excusans improperium suum, & dicens, quòd hoc fecit in cujusdam sui fratris vindictam, quem pede uno fecerat mutilari. Sed idem quisquis fuerit, non laudem meruit, sed summæ potiùs obbrobrium vilitatis: nam idem facinus est putandum, captum Nobilem, vel ignobilem offendere, vel ferire; quasi gladio cædere cadaver inæstimatum, & hominem panno funereo jam insutum. Fuit autem hæc captio Eccelini in Anno prædicto Domini MCCLIX. die XVI. (52) exeunte Septembri.

CAP. IX.

Hic tractatur, ubi Eccelinus jacet mortuus, & sepultus.

CAptus permanet Eccelinus silentio comminanti conclusus, vultu demisso sævissimo, & ejus alta indignatione repressa. Et ecce concurrunt gentes undique, & populi conclamando, videre volentes siquidem virum potentissimum condam, præ ceteris Mundi Principibus horribilem, terribilem, & famosum, & gaudium quodammodo generale. Sic aves aliquando, nyctimine, quæ noctua dicitur, in specula constituta, undique, & inordinatè decurrunt, garriunt, vociferant, & minantur. Sed utriusque Marchionis, & Boxii Dovarensis, & aliorum Magnatum nobilitas non tulit, (53) quòd virum Nobilem instantis turbæ frequentia factis, aut dictis (54) offendat. Ipsum ergo Eccelinum (55) ad tentorium Domini Boxii, deinde ad Castrum Soncini, honorabiliter, ut in hoc casu decuit, conduxerunt, & adhibitis sapientibus Medicis, quicumque sunt crediti meliores, habitus est Eccelinus in ali & tanta cura, qualem laudare possis factam per Albricum (56) ipsius fratrem. Est autem sapientibus notum, quòd medicina potest fortè differre mortem, nequid autem tollere, vel fugare. Mortis namque liberalitas (c), sive morsus, altitudinem spernit, potentiam (57) vilipendit, superbiam calcat pedibus, ridet nobilitatem, corpora quoque cuncta sive deformia, sive speciosa deformat, suum quoque dominium infallibile triumphaliter monstrat in cunctis genitis super terram. Nam ecce quòd Eccelinus, olim tantæ altitudinis homo, in prædicto Anno Domini, die XI. (d) post prædictam captionem ejusdem, sublatus de medio hujus vitæ, diem clausit extremum, & à prædictis Baronibus, & Militibus de Cremona, & aliunde, quantum decuit, honoratus, sepultus est in Soncino, ibique post longæva certamina, mortisque multa discrimina, post labores anxios, & multiplices, ac plures strepitus bellicosos, in loco sibi, licèt in ænigmate, præmonstrato, Campisionis tumulo defraudato parentum, in aliena patria corporaliter requievit.

CAP. X.

Qualiter Vicentia est reddita Ecclesiæ, & pacificata statim post obitum Eccelini.

CUm de ipsius Eccelini desiderabili captione primitus rumores auditi forent, populis exultantibus in immensum, nunc de ipsius morte centuplicatum est gaudium quòcumque fama tanti desiderii potuit pervenire. Fuerunt autem quamplurimi timentes timore magno, ne fictitium foret quod dicebatur; sunt namque solicitudo, & tarditas quæ terrent (58) animum cupientem. Itaque postquam veritas cognita est, ubique uniuntur amicitia gentes, Urbes pacificantur, & cùm is de medio sit sublatus, qui Fidei, & Sanctæ Matri Ecclesiæ tyrannicè repugnabat, jam incipit invalescere firmiùs Fides, & Ecclesiasticum Sacramentum. Si qui verò Nobiles, si qua Castra, vel loca suis Civitatibus, vel Dominis repugnabant, errore dimisso penitus, locis debitis, & dominis, veniâ impetratâ, se subdunt. Civitates etiam, si quæ fuerunt potentiores, (59) Civitates oppressas tyrannide, pro posse, libera-

(51) *Cod. Estens.* Sed ferè totius &c.
(52) *Idem* die quarto: *& cum hac lectione concors est Monachi Paduani historia, & MS. Ambr. I.*
(53) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* noluit tolerare, quòd virum tantum, & tam famosum &c.
(54) *MSS. iidem* lædere debeat.
(55) *MSS. ipsi* Eccelinum priùs ad &c.
(56) *Iidem* posses habitam per Albericum, vel fortè per aliquos ejus fidelissimos de Romano. Est autem &c.

(c) *MS. Ambr. II. loco verbi* liberalitas *legit* libertas.
(57) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* vilipendit, divitias præterit, superbiam &c.
(d) *MS. Ambr. II.* die XX.
(58) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* quæ terrent, & quassant plurimùm animum &c.
(59) *MSS. iidem* potentiores, suas civitates affines, tyrannidi malè subditas, opere pietatis pro posse eripere voluerunt.

Digitized by Google

beraverunt. Ergo diebus illis statim post obitum Eccelini, desideravit Commune Paduæ Vicentiam de servitute redimere, quam adhuc tenebant quidam Eccelinici violenter, & contra voluntatem Vicentinorum, qui adhuc tenebantur à suis domibus, & à propria Civitate exclusi, ut supra legitur in X. Capitulo X. Libri §. Eccelinus &c. Parata igitur quadam parte Paduanæ militiæ, & quibusdam peditibus, iverunt Paduani Vicentiam. Sed tunc eam intrinseci, quos Eccelinus ibi posuerat, defenderunt, non tamen volentibus Vicentinis; & sic Burgis in magna parte crematis, Paduani Paduam redierunt. Statim verumtamen die tertia subsequente, tyrannici illi domini, & iniqui Rectores, qui Vicentinis dominabantur invitis, rebus, & denariis, prout potuerunt arreptis, subitò, & furtivè nocturnum subterfugium assumentes, festinantissimè perrexerunt Veronam. Et sic statim Vicentini quidam Milites nobiles, & prudentes lætanter Paduam cucurrerunt, rogantes Potestatem Dominum Guidonem de Montesojano, (e) totumque Commune (60), quatenus omni mora postposita, Vicentiam properent, eamque accipiant, & tanquam magnifici viri, & potentes, & amatores rectitudinis, amicabiliter tractent Vicentiam, & disponant. Utebantur autem Vicentini quodam proverbio tali: *Exivit Ursus horribilis ad ejus interitum de caverna, & desiccatæ sunt pennæ rapacis vulturis, & impasti*. Tunc vir idem sapiens, & astutus Paduæ Potestas assumtâ protinus suâ strenuâ militiâ Paduanâ, genteque de libero Populo Paduano in laudabili & honorabili quantitate, Vicentiam equitavit, & datam sibi Civitatem communiter, suæque protectioni commissam assumsit: & dispositis Vicentiæ negotiis providè, & prudenter ad ipsius Civitatis commodum, & honorem, Paduani omnes cum (61) Potestate alacres Paduam sunt reversi. Et facta sunt hæc etiam in prædicto Anno Domini, tempore autumnali.

C A P. XI.

De Baxano reddito Ecclesiæ.

ADhuc eodem Anno, elapsis diebus paucis post rectificatam Vicentiam (62), illi qui Baxanum usque nunc pro Eccelino tenebant, videntes Vicentiam mandatis Ecclesiæ, ac ejus (63) fidelium subditam, bonum habere statum, multisque ereptam angustiis (64), habito saniori consilio, dederunt se, & sua totaliter in manibus dicti Domini Widonis Paduæ Potestatis, ita quòd Potestas ibi pro Communi Paduæ Rectorem & Potestatem posuit Dominum Thomasium ab Arena Paduanum civem Judicem Militarem. Et sic Terram ipsam Baxani sub Communis Paduæ (65) protectione receptam diligenter tenuit, & tractavit tempore aliquanto. Et licèt post hæc labente tempore, multa fuerint inde verba, consilia, & tractatus: Utrum scilicet Baxanum Paduæ, vel Vicentiæ subesse deberet: tamen Commune Paduæ de plana voluntate concessit Baxanum esse nunc sui juris, ut cui velit subjaceat de prædictis duabus Civitatibus uni.

C A P. XII.

Hic redditur Civitas Tarvisii Ecclesiæ, & suis fidelibus.

ANimadvertunt interea Tarvisini, & diligenter considerant singulorum negotiorum processum, Marchiam pacificari videntes, notantes ex his omnibus declinatum esse factum, debilitatam esse plurimum arrogantiam de Romano, & Albrici scilicet, qui eos diu tenuerat sub iniqua tyrannide, & mortifera pravitate. Nam & ipse jam suos nuntios frequentiùs solito mittebat ad sua Castra de Pedemonte, suam quoque familiam, & thesaurum ad partes illas jam miserat nunc occultè, nunc utique manifestè, immo jam ipse etiam reliquerat Civitatem quasi subitò post (66) Eccelinum defunctum. Audent itaque Tarvisini mutare propositum, sibique, ac suæ Civitati salubriter consulere, & sumunt pro Potestate suoque Domino & Rectore Dominum Marchum (f) Badoarium de Venetiis, virum probum, & sapientem, fidelem Ecclesiæ, providum, & astutum. Quo recepto in Civitate magnificè, & decenter, cunctisque civibus Tarvisinis, qui communem statum Civitatis optabant, & exules absque causa permanserant, revocatis; incipit ipsum Commune Tarvisii reformari, congratulantibus ipsis civibus in immensum. Astitit autem eidem Domino Potestati (67) Dominus Albertus, Dei gratia, Episcopus Tarvisinus (g) vir Religiosus, & justus, moribus, & honestate perspicuus, qui multum, & instantissimè laboravit ad Civitatis negotia reformanda, & tam tempore guerræ, quàm pacis multa pertulerat Romæ, & alibi, ut Civitas Tarvisina eximeretur de servitute, & foret Sanctæ Matris Ecclesiæ subdita, & fidelis, & ad libertatem pristinam deveniret.

C A P. XIII.

De fuga Albrici in Castrum Sancti Zenonis, & de pugna quadam inter ipsum, & Baxanenses.

ECce jam Anno Domini revoluto, currente scilicet MCCLX. quo electus est iterum Dominus Marchus Quirinus (68) Paduæ Potestas, Albricus de Romano multis erat anxietatibus circumventus: tum quia mortuo Eccelino relictum se videt ab omnibus, tum quia sibi conscius, sciebat (69) se per nefas, & tyrannidem in Tarvisio mala innumerabilia perpetrasse. Quæsivit ergo locum securiorem in Castris suis (70), ut quasi pronosticatio quæ-

(60) *MSS. iidem* commune Paduæ, quatenus &c.
(e) *MS. Ambr. I. supra legit* de Monte Orphano.
(61) *Cod. Estens.* cum ipsa Potestate: *Ambr. I.* cum ipso.
(62) *Cod. Estens.* post rectitudinem Vicentiæ.
(63) *Idem* Ecclesiæ suorumque Fidelium.
(64) *Idem* multis ereptam miseriis.
(65) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* sub Paduæ benigna protectione.
(66) *Cod. Estens.* post fratrem suum Eccelinum &c.

(f) *MS. Ambr. II. non* Marcum *legit*, *sed* Matthæum.
(67) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* Potestati prudenter, & sapienter Dominus &c.
(g) *MS. Ambr. II. addit* de Ordine Minorum.
(68) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* Quirinus de Venetiis.
(69) *Iidem* cogitabat se &c.
(70) *Ipsi* quia fortè quasi quædam ejus prænosticatio animi futurum sibi judicium minab[illegible].

Digitized by Google

A quædam ejus animo futurum judicium minaretur. Et sic suis locis omnibus indagatis, in Castro Sancti Zenonis se cum tota sua familia posuit, & (71) cum quibus militibus Theotonicis, quos pro ejus securitate sibi commiserat Eccelinus in vita sua; & sic ibidem securum quodammodo se credebat; erat enim Castrum Sancti Zenonis in monte quodam illic in partibus Pedemontis, in districtu, & confinio Tarvisino, multum artificiosè constructum, fundatum muris fortibus, & munitum, domos subterraneas habens, tutum, & pulchrum Palatium, turrim quoque arduam, & fortissimam, & inexpugnabilem, quasi, ut eam posses credere turrim quodammodo Babilonis (72): B erant enim jam anni X. (h) & ultra, quòd Eccelinus, prævidens (i) quid sibi, vel fratri poterat in posterum evenire; non solùm Civitates de Marchia, quibus præerat, sed ferè Villas omnes, & Castra compulerat ad construendum, & roborandum prædictum Castrum, in extorquenda pecunia cunctis indifferenter, in fatigandis illic hominibus, bovibus, equis, asinis, & jumentis mortaliter, in faciendis ibi præderiis, collocandis balistis, victualibus deferendis, & armis, cunctisque rebus, & apparatibus bellicosis: quasi prorsus deberet hic locus à Lombardia, & Marchia generaliter expugnari; quippe dicebatur à multis Sanctis Zenonis Castrum totam posse Marchiam subjugare.

C Ecce quoque contingit die quadam circa vernale tempus (73), quòd Albrico permanente securo in dicto (74) Castro, post insultus multos, quos cum Theotonicis, & cetera sua gente jam fecerat per loca finitima Pedemontis, & ad Baxanum: milites, & pedites Baxani pugnantes pro Ecclesiæ parte, perveniunt in campos Sancti Zenonis, hujus loci campaneam devastando; & regebatur gens illa (75) per supradictum virum probum, & (76) strenuum Dominum Thomaxium de Arena, constitutum illic per Paduanos in Rectorem & Potestatem. Ex adverso autem (77), quasi per milliare, affuit Albricus cum militia D sua tota; Neutra istarum partium voluit (78) dare terga; & sic demum factus est insultus inimicorum in inimicos (*): sed non longa exstitit ibi pugna, nam Albrici pars tanto numerosior. & potentior fuit in militibus equis, & armis, quòd visum est Domino Thomaxio, & consiliariis ejus sanius consilium (**) de campo secedere, quàm pugnare cum potentioribus inimicis. Et sic pars Ecclesiæ glomerata (79) in unum rediit, non tamen absque quorumdam vulneribus, & sanguinis effusione quamplurium, & de eadem parte captis XL. vel circa, conduxit idem ipsius partis Rector gentem suam reliquam sanam, & incolumen in Baxanum.

CAP. XIV.

Hìc tangitur quòd Albricus est conclusus in turri Sancti Zenonis (80).

Post hæc (81), id, quod superiùs dicebatur, scilicet Sancti Zenonis Castrum totam posse Marchiam subjugare (82), verificatum est longè aliter, quàm credebatur à multis. Nam Tarvisini malorum (K) memores, quæ Albricus (***) semper in Tarvisio fecerat, volunt ipsum invadere ubicumque sit, & finem imponere malignitatibus, & superbiæ de Romano. Exeunt ergo Communiter, & hostiliter, & positi sunt circa Sancti Zenonis Castrum, habentes secum à Venetis, Paduanis, & Vicentinis, de Marchia, & aliunde quoscumque potuerunt habere amicos, & adjutores. Sic itaque circa locum magnificè permanentes, à Kalendis Junii prædicti anni, vel circa, usque circa finem Augusti sequentis (83) impugnaverunt locum, & inimicum nunc ædificiis, & trabucchis, nunc prædériis, & balistis, insultibus, & incendiis, omnibusque armorum generibus, atque modis, quibus utique possent confundere, quem præ cunctis desideriis confundere nitebantur. Ad hoc deventum est tamdem, quòd vir quidam nomine Mesa, de his (84) scilicet, qui erant cum Albrico, & erat inzignerius sive Magister Castri, infra se cogitans, & revolvens, gentem extrinsecam non desistere (85), sed jugiter augmentari (nam & Estensis Marchio diebus illis (86) advenerat) induxit ad tantum Theotonicos quosdam, quos Albricus habebat in sui defensionem intrinsecus, quòd videntes ipsi se nihil aliud expectare, nisi periculum, immo mortem, die IX. exeunte (87) Augusto, consenserunt, & dederunt extrinsecis impugnantibus Castri munitionem extremam, quæ cortina vulgariter dicitur, sive cinta. Quare incontinenti oportuit Albricum, & filios, & uxorem, cum aliquibus suis fidelibus de (88) masnada, ascendere super turrim, & illic siquidem sunt conclusi, nullam habentes amodo vitæ fiduciam, sed prorsus desperationi subjecti: utpote quia sciunt, quòd opera, quæ fecerunt, jam ipsos quodammodo judicant, & con-

(71) *Iidem* & cum quadam quantitate militum Theutonicorum.
(72) *Cod. Estens.* nec mirum: erant &c.
(h) *MS. Ambr. II.* XX.
(i) *MS. Ambr. ambo addunt* fortè.
(73) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* tempus prædicti anni.
(74) *Iidem* in tali & tanto castro.
(75) *Cod. Estens.* gens illa Bassanensis.
(76) *Idem* probum, & sapientem.
(77) *Cod. Estens. & Ambr. ambo addunt* fortè.
(78) *Cod. Estens.* primò voluit alteri dare &c.
(*) *Cod. Estens. addit* hinc inde.
(**) *Iidem* Consilium in hoc facto recedere *ita Ambr. ambo*.
(79) *Cod. Estens. & uterque Ambrosianus* glomerata sapienter in unum, converso itinere rediit &c.
(80) *Cod. Estens.* Sancti Zenonis Tarvisini districtus.
(81) *Cod. Estens. & Ambr. ambo*. Post hæc supradicta negotia amphibologica propositio illa in præcedenti Capitulo posita, scilicet &c.
(82) *Iidem* verificata est longè aliter, quam priùs à pluribus credebatur.
(K) *MS. Ambr. ambo loco verbi* malorum *legunt* tyranni.
(***) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* fecerat in Tarvisio toto tempore guerræ, proposuerunt ipsum &c.
(83) *Iidem* Augusti ejusdem anni.
(84) *Iidem* de solis Alberici in castro, immo castri, totiusque illius loci Enzigner & Magister, infra se recogitans, & animo diligenti revolvens &c.
(85) *Cod. Estens.* Sed crescere jugiter, & multiplициter augmentari.
(86) *Idem addit* cum multa gente.
(87) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* cùm ab extrinsecis ad castri Portam, & ad munitiones impugnaretur, fingentes se tamen toto posse defendere, dederunt, & consenserunt extrinsecis &c.
(88) *Iidem* suis Fidelibus, & de sua familia.

E

Digitized by Google

condemnant (89): norunt namque vulgare illud proverbium, quod dicitur; *Qui malè facit, si bene sperat, decipitur quidem meritò, cogitat, & confidit in vanum.*

CAP. XV.

Loquitur Albricus inter filios in ultimo suæ vitæ.

STat nunc Albricus in summo turris tristis, & dolorosus, videtque circa Sancti Zenonis munimina (l) suorum inimicorum multitudinem abhorrendam, & scit cunctos intendere, & optare ipsius desolationem, & mortem: cùmque per tres dies, vel circa, illic stetisset in turris summitate (m) conclusus, non tantùm fame, quantum arida siti (90) devictus, ita quòd ulteriùs durare non posset, habuit circa se filios, & filias, & uxorem, & non absque lachrymis locutus est inter eos. Inquit enim: *Ecce nunc video, quòd prophetia olim bonæ memoriæ matris meæ perficitur, & completur, dum scilicet loquebatur, dicens; Potentes fratres gentem Marchisiam abolere* (91), *Sanctique Zenonis Castri videre conclusionem. Heu quia vigor, & sapientia Eccelini crudeliter, & indignè prostrata jacet in Lombardia, meo quoque jugulo nunc insistit iniquitas circumstantium proditorum; & sic domus* (92) *de Romano jam concidet, & obruta permanebit ad tempus. Vos verò, carissimi filii, & dilecti, illius domus Nobilis de Romano vivite, & estote heredes, ut si quem vestrum inimicorum manus fortè continget evadere, exponere procurate vos, & vestra omnibus periculis, & de prædecessorum vestrorum morte facite meritam ultionem* (93). *Adbuc namque magnam habetis partem in Lombardia, habetis per Pedemontem* (94); *habetis & in Tusciæ partibus consanguineos vestros, viros strenuos, & potentes, Comites de Magono, qui prompti, & voluntarii, natura sanguinis exigente, favebunt vobis, & nostræ parti. Ego autem do vobis paternam benedictionem, & gratiam; & Deum precor omnipotentem, ut vobis sapientiam præbeat, bonorum copiam, amicorum constantiam* (95), *vitamque salutarem concedat, in dierum longitudine, cum honore, & super inimicis vestris gloriam, & triumphum.*

CAP. XVI.

De captione, & morte Albrici de Romano, & filiorum.

POstquam hæc locutus est Albricus cum filiis (96), vocavit ad se omnes, qui secum erant, & quosdam suos homines de masnada, & locutus est inter eos, & ait: *Scio quòd meliùs est ut ego solus peream, quàm vos omnes & mecum. Itaque me captum accipite, me quoque, meamque familiam reddite inimicis, & deprecor præcipuè Domino Marchioni, ut si Dominus ipse Marchio recordetur me condam cum ipso tantam amicitiam habuisse, quòd inter ipsius filium, meamque dilectam filiam matrimonium est contractum: me fortè, vel meos* (97) *filios in sua protectione recipiat, & ab inimicorum impetu prætueri dignetur.* Sic habeuerunt subditi dominium in patronum, & protinus descendentes (n) locuti sunt cum circumstantibus inimicis; & promittentes se daturos eis suum dominum, & familiam ejus totam, si velint eos dimittere absolutos, habuerunt famuli gratiam postulatam. Ductus est igitur Albricus, cum tota sua familia infra turrim, & ab occurrentibus inimicis (98) impositum est ei protinus ligneum quoddam frænum, ne fortè aliquibus loqueretur. Præter quòd prædictus vir nobilis, sapiens, & discretus Tarvisinorum Potestas Marchus Badoarius fecit ipsum tanto tempore sine fræno (o) manere, quanto cum Fratre Minore quodam potuit accipere pœnitentiam de commissis. Demum ductus est per exercitum cum magna victorum lætitia ipse Albricus, & filii, & filiæ, & uxor ejus Domina Malgarita (99), & sic omnes omnibus sunt monstrati, suntque ad ultimum per trium Civitatum Communia distributi, ipse pater, & filii, truncati quoque gladiis, & membratim lacerati per frustra, idem scilicet Albricus, & VI. ejus filii Johannes, & Albricus Romanus, & Ugolinus, Eccelinus, & Tornalsce (p): duæ autem ejus filiæ, atque ejusdem uxor incendio sunt consumtæ; & facta est ista cædes prædicto Anno MCCLX. die VI. exeunte Augusto.

(89) *Iidem* illud nempe vulgare proverbium non ignorant, quo dicitur: qui malè operatur, & bona sperat, decipitur equidem, & ejus cogitatio est cadens inutiliter, & in vanum.

(l) *MS. Ambr. II. prò* munimina *legit* mœnia. *Ambr. I.* viderque circa locum, & castrum illud suorum &c.

(m) *MS. Ambr. ambo* anxius & conclusus.

(90) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* devictus, & quodammodo nihilatus, cùm diutiùs tolerare non posset.

(91) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* gentes Marchisiam abolere, fratres potentes.

(92) *Iidem* & altitudo generis de Romano.

(93) *Iidem* injusta morte justam facite, dignam, & meritam ultionem.

(94) *MSS. iidem* habetis per castra, & per confinia Pedemontis.

(95) *MSS. ipsi* præbeat, & virtutem bonorum copiam abundanter, fidem & constantiam amicorum, vitam &c.

(96) *Ipsi* Albricus ad filios, & ejus arrogantia, summaque magnanimitate demissa, vocavit &c.

(97) *Ipsi* recordetur quanta benevolentia, & amore cum ipso matrimonium quondam contraxerim inter ipsius filium Principem Raynaldum, & dilectam meam filiam Adeleitam contra fratris mei Eccelini voluntatem, & amicorum ipsius, ne fortè idem Dominus Marchio, & meos filios &c.

(n) *Addit Ambr. I.* eadem hora.

(98) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* totum, locum, & turrim etiam cum omnibus divitiis, & thesauro, sed esse volunt absoluti & liberi, & quòcumque volunt abire cum rebus suis. Hanc gratiam habuerunt de facili, & est utrinque promissio pleniùs observata, ductusque est Albericus cum tota sua familia infra turrim: dati sunt omnes in manus inimicorum, inimicis tamen gaudentibus, & voluntariè oceurrentibus, impositum &c.

(o) *MS. Ambr. I.* sinè fræno tanto tempore secum manere, quanto &c.

(99) *Ambr. ambo cum Estensi* Uxor ejus tristis, sed pulchra satìs, Domina Margarita, resonantibus tubis, & diversimodis instrumentis, & sic &c.

(p) *MS. Ambr. I.* Torvalsce: *Ambr. II.* Tornalsce.

CAP. XVII.

Exemplum quòd alta (q) *corruunt, & humilia durant.*

NUnc omnes Italiæ nationes, & præcipuè quicumque viri sapiunt in (100) Marchia Tarvisina, considerent, quanta est æternæ dispensationis potentia, Divini judicii rectitudo, & Mundi hujus lapsus, instabilitas, & ruina. Nostris namque temporibus tanta fuit excellentia domus, & nominis de Romano, quòd Civitatibus Marchiæ (1) dedit jura, fecit illic statuta, Castra quæ voluit dissipavit, quæ voluit exaltavit in summum; Reges rexit, & habuit in Principibus (2) principatum; duxit Romanorum Imperatorem quò voluit; & quod plus est in Romanæ Curiæ præjudicium ardua facta quædam ausu temerario attentabat in extremo tempore sui casus. Nec est utique bene notum, si quemadmodum Eccelinus de Romano pœnam (*) dedit quibus præfuit, & flagellum, sic tartareis præest hodie, aut ipsos terret horridus in Inferno. Sed o quàm sanctè loquitur Divina pagina dicens: *Deposuit potentes de sede, & humiles exaltavit*. Ecce namque quòd una die, hora quoque modica, vel momento, domus de Romano jam concidit (3), deductum est ad nihilum, quod paulò antea fuerat monstruosum. Completum est hodie quod Eccelinus, qui dictus fuit Monachus in ultimo suæ vitæ, pater scilicet Eccelini, & Albrici in visione vidisse dicitur, nocte illa, qua primò condam nuptialiter sibi junxit Dominam Adeleitam matrem eorumdem Eccelini, & Albrici: suis enim sapientibus, diebus illis retulerat, se somnium mirabile somniasse, videre (4) scilicet quasi oculata fide, collem, & monticulum de Romano crescere, & in altum adeò elevari (5), quòd ipsius summitas, & cacumen transibat ad æthera ultra nubes, & cœlum ipsum quodammodo tangere videbatur. Post modicum verò tempus quasi (5) nix, & glacies liquescebat, & adeò vertebatur in nihilum, quòd nullum saxum, nulla rupes, & nullum illic prorsus ædificium appareret. Est itaque res notanda satis, & habenda singulis in exemplum, ut scilicet cùm homo fuerit in sublimi, sapienter, & providè respiciat in futurum (6). Scimus enim, quòd quantò quis extiterit in supremo, tantò potest lapsu ruere graviori, & strepitu majori prosternitur quercus ardua, quàm (6) arundo; fulmina quoque ferire solita celsas turres, reptantia gramina non offendunt.

(q) *MS. Ambr. I.* alta citò corruunt.
(100) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* sapiunt, & aliquid de se sentiunt in tota Marchia.
(1) *Iidem addunt* & aliquibus in Lombardia.
(2) *Iidem* super Principes.
(*) *Ambr. I. addit* pro suo arbitrio.
(3) *Cod. Estens. & Ambr. ambo* Domus de Romano, quæ mirabiliter alta fuit, mirabiliori casu corruit.
(4) *Iidem* Monticulum de Romano cum castro, & ædificio supposito in altum crescere, & adeò exaltari sublimiter, quòd &c.
(5) *Cod. Estens.* tempus, immo quasi eadem hora, tamquam &c.

CAP. XVIII.

Recommendatio hujus Operis ad legentes.

ILlius verbi recolens, quod ait Horatius:
Est quoddam prodire tenus, si non datur ultra;
MCCCLXIV.

D. Ugolinus de Presbyteris de Bononia Potestas Paduæ.

A B D

no Messer Pietro dal Verme, qual' era Capitano in Moncellese, uscitte fuora co' la maggior parte de Soldati, & si partì co' grand' arrogantia verso le parte de Rovigo, qual' era Cittadino Veronese.

Digitized by Google

Hæc in Codice Zabarellio post Rolandini historiam ejusdem Librarii manu scripta leguntur.

Nota, qualiter, & per quos recta fuit Civitas Paduæ tempore infrascripto, & novitates, & concurrentia temporibus inscriptis, ut patet infra.

MCLXXIV.
Consules rexerunt Paduam.

MCLXXV.
Dominus Albertus ab Osa de Mediolano Potestas Paduæ.

MCLXXVI.
Consules rexerunt Paduam.

MCLXXVII.
Dominus Obizo Estensis Marchio rexit Paduam.

MCLXXVIII.
Idem Dominus Obizo rexit.

MCLXXIX.
Dominus Guillielmus Tempesta Potestas Paduæ.

MCLXXX.
Dominus Aldrigetus de Orlando Potestas Paduæ Paduanus.

MCLXXXI.
Consules rexerunt Paduam.

MCLXXXII.
Dominus Comes Manfredinus de Padua rexit.

MCLXXXIII.
Dominus Dalesmaninus, & Tanselgardinus de Padua rexerunt Paduam.

MCLXXXIV.
Dominus Albertus de Baone rexit.

MCLXXXV.
Dominus Ugucio de Boxio Potestas Paduæ.

MCLXXXVI.
Dominus Apoxacius de Brixia Potestas Paduæ.

MCLXXXVII.
Consules rexerunt Paduam. Hîc ceperunt Montegardam hostilem Paduæ, & Tervixius Veronensis interfecit Comitem Saurum.

MCLXXXIX.
Dominus Guillielmus de Osa Potestas Paduæ.

MCXC.
Idem Dominus Guillielmus.

MCXCI.
Idem Dominus Guillielmus.

MCXCII.
Dominus Ubertus Vicecomes Potestas Paduæ, & fuit Placentinus.

MCXCIII.
Idem Dominus Ubertus.

MCXCIV.
Consules rexerunt Paduam. Hoc anno natus est Ezelinus tertius.

MCXCV.
Dominus Paganus de la Turre, Potestas Paduæ. Hîc fecit fieri pontem ab Omnibus Sanctis, & incœpit muros circa Paduam.

MCXCVI.
Dominus Ottobonus de Boxio Potestas Paduæ.

MCXCVII.
Idem Dominus Ottobonus rexit.

MCXCVIII.
Dominus Jacobus Strictus de Placentia Potestas Paduæ. Hîc incœpit factum Camexani inter Paduanos, & Vicentinos.

MCXCIX.
Dominus Azo Estensis Marchio Potestas Paduæ.

MCC.
Dominus Azo Confalonerius Potestas Paduæ.

MCCI.
Dominus Petrus Zianus de Venetiis Potestas Paduæ.

MCCII.
Dominus Ubertus Vicecomes de Placentia Potestas Paduæ.

MCCIII.
Dominus Albertus de Mandello de Mediolano, Potestas Paduæ.

MCCIV.
Dominus Albertus de Baone, & Dalesmaninus de Padua rexerunt. Hîc factum fuit Campretum.

MCCV.
Dominus Barocius de Cremona Potestas Paduæ.

MCCVI.
Dominus Manfredus de Gazo de Cremona Potestas Paduæ.

MCCVII.
Dominus Bernerius Mastallus de Cremona. Hîc factum Braydæ de Verona contra Marchionem, & Monteclos.

MCCVIII.
Dominus Vescontinus de Placentia Potestas Paduæ. Tunc fuit magnus ludus in Prato Vallis, & omnes Paduani per contratas vestiti sunt novis vestibus, & captus fuit Potestas Vicentiæ.

MCCIX.
Dominus Jacobus de Vercellis Potestas Paduæ. Paduanus exercitus ivit Onariam in servitium Ezelini secundi, quia Vicentini volebant invadere Baxanum.

MCCX.
Dominus Jacobus de Andito Placentinus Potestas Paduæ. Hoc anno facta est porta Turrisellarum, & murus Civitatis inde usque ad Sanctum Michaëlem.

MCCXI.
Dominus Azo de Pagano de Pergamo Potestas Paduæ.

MCCXII.
Dominus Berocius de Cremona Potestas Paduæ. Hic fecit fieri viam de Ponte Curvo, per quam itur Lignarium, & ad Plebem Sacci.

MCCXIII.
Dominus Marinus Zenus de Venetiis Potestas Pa-

Digitized by Google

Paduæ. Hîc exercitus Paduanus obsedit Roccham de Este, & eam cepit, Aldevrandino resistente, qui tunc erat Marchio.

MCCXIV.

Dominus Albizus Florensis Potestas Paduæ. Hîc factus fuit ludus magnus in Tarvisio, per quem fuit lis inter Paduanos, & Venetos.

MCCXV.

Dominus Bonifacius Guidonis de Guizardo de Bononia Potestas Paduæ. Hîc ivit Paduanus exercitus ad Baibam contra Venetos.

MCCXVI.

Dominus Fulco de Guarinis de Bononia Potestas Paduæ.

MCCXVII.

Dominus Jacobus de Andito de Placentia Potestas Paduæ. Hic fecit fieri molendina Turrisellarum, & ab Omnibus Sanctis.

MCCXVIII.

Dominus Johannes Rusca de Cumis Potestas Paduæ. Hoc anno fuit incœptum Palatium.

MCCXIX.

Dominus Malpileus de Tuscia Potestas Paduæ.

MCCXX.

Dominus Bernardus Baronus Potestas Paduæ. Tunc fuit exercitus Paduanus ad Castrum Francum contra Tarvixinos, & tunc incœpta est Cittadella.

MCCXXI.

Dominus Bonifacius Guidonis de Guizardo Potestas Paduæ.

MCCXXII.

Dominus Johannes Rusca Potestas Paduæ. Tunc translatum est studium de Bononia Paduam, & sequenti die Natalis fuit magnus terræmotus.

MCCXXIII.

Dominus Guido de Landriano Potestas Paduæ. Et hoc anno fuit factum de Frata Ferrariensis districtus.

MCCXXIV.

Dominus Robertus de Concoregio de Mediolano, Potestas Paduæ. Hoc anno facta est via à Prato Vallis ad Buvolentam.

MCCXXV.

Dominus Otto de Mandello de Mediolano Potestas Paduæ.

MCCXXVI.

Dominus Bonifacius Comes civis Mantuanus Potestas Paduæ. Hic non complevit Potestariam suam, quia quidam Paduani fecerunt insultum in eum.

MCCXXVII.

Dominus Bonifacius Guidonis de Guizardo Potestas Paduæ.

MCCXXVIII.

Dominus Stephanus Badoarius de Venetiis Potestas Paduæ. Tunc Paduanus exercitus ivit Baxanum, & per Pedemontem, quia Ezelinus tertius ceperat Guillielmum, & Castrum Fontis.

MCCXXIX.

Dominus Johannes Dandolus de Venetiis Potestas Paduæ.

MCCXXX.

Dominus Stephanus Badoarius Potestas Paduæ. Tunc ivit exercitus Paduanus ad Bonadigium, & Rivaltam, quia Veronenses expulerant suum Potestatem, & quosdam Nobiles de Verona.

MCCXXXI.

Dominus Guifredus de Lucino de Placentia Potestas Paduæ. Hoc anno fuit factum Sancti Antonii; & Potestas Paduæ extraxit de carceribus Comitem Sancti Bonifacii, & quosdam alios Nobiles.

MCCXXXII.

Dominus Berardus de Rivolis Potestas Paduæ. Tunc ivit exercitus Paduanus ad Anoalem, sed parum ibi stetit, quia redditum fuit Potestati.

MCCXXXIII.

Dominus Ardizonus de Vercellis. Hoc anno fuit factum Fratris Johannis de Ordine Prædicatorum.

MCCXXXIV.

Dominus Otto de Mandello Potestas Paduæ. Hic multum fatigavit Paduanum exercitum per Tervixanam.

MCCXXXV.

Idem Dominus Otto de Mandello Potestas Paduæ.

MCCXXXVI.

Dominus Robertus de Gisleriis de Bononia Potestas Paduæ. Hic duxit exercitum Paduanum ad Rivaltam, & Imperator combussit Vicentiam, & nunc incipit pessima guerra.

MCCXXXVII.

Comes Simon Apuliæ Potestas Paduæ. Hoc anno quarto die exeunte Februario data est Padua Nuntiis Imperatoris; & tunc hic Potestas factus est in Padua per Imperatorem, dominante Ezelino tertio.

MCCXXXVIII.

Aldevrandinus Cazaconte de Tuscia Potestas Paduæ. Hoc anno vênit Marchio armata manu usque ad Pratum Vallis, sed non bene reversus est.

MCCXXXIX.

Tebaldus Franciscus Apuleus. Hunc constituit Dominus Imperator Potestatem Paduæ, cùm intrasset ipse Imperator Paduam præterito mense Januarii die VII. exeunte.

MCCXL.

Idem D. Tebaldus.

MCCXLI.

Idem D. Tebaldus.

MCCXLII.

Dominus Galuanus Lancea de Apulia. Hoc anno fuit Eccelinus ad Pontem Plavis cum exercitu Paduano, in mense Junii.

MCCXLIII.

Idem Dominus Galvanus Lancea. Hoc anno, in festo Paschæ, facta fuit repræsentatio passionis, & resurrectionis Christi solemniter, & ordinatè, in Prato Vallis.

MCCXLIV.

Dominus Guizardus Comes de Roaldesco de Brixia.

MCCXLV.

Idem Dominus Guizardus.

MCCXLVI.

Idem Dominus Guizardus, sed non finivit Potestariam.

MCCXLVII.

Dominus Guecili de Prata Potestas Paduæ.

MCCXLVIII.

Idem Dominus Guecili.

MCCXLIX.

Idem Dominus Guecili. Sed non finivit Potestariam.

MCCL.

Dominus Ansedisius de Guidotis, filius sororis Eccelini tertii.

MCCLI.

Digitized by Google

A

MCCLI.

Idem Ansedisius.

MCCLII.

Idem Ansedisius.

MCCLIII.

Idem Ansedisius.

MCCLIV.

Idem Ansedisius.

MCCLV.

Idem Ansedisius.

MCCLVI.

Dominus Marcus Quirinus de Venetiis Potestas Paduæ. Hoc anno exemta est Padua de tyrannia Ezelini, & ipse ultra decem millia Paduanos carceravit Veronæ, & mortui sunt in carceribus.

B

MCCLVII.

Dominus Joannes Badoarius de Venetiis Potestas Paduæ.

MCCLVIII.

Dominus Matthæus de Coreza de Parma Potestas Paduæ. Hic incœptus fuit murus spaldi.

MCCLIX.

Dominus Guido de Fojano de Regio Potestas Paduæ. Hoc anno mortuus est Ezelinus Tertius.

MCCLX.

Dominus Marcus Quirinus Potestas Paduæ. Hoc anno mortuus est Albricus frater Ezelini, cum tota sua familia; & incœpit factum verberationis in Padua in Vigilia S. Martini.

C

MCCLXI.

Iterum Dominus Joannes Badoarius.

MCCLXII.

Dominus Gibertus de la Gente de Parma Potestas Paduæ. Hoc anno fuit ignis in Padua, qui combussit stationes circa mercatum, in Vigilia omnium Sanctorum. Ignis Fratris Gualmachi.

MCCLXIII.

Dominus Matthæus de Coreza Potestas Paduæ. Hoc anno facta est translatio Sancti Antonii in Octava Paschæ.

D

MCCLXIV.

Dominus Laurentius Tepolus Venetus Potestas Paduæ.

MCCLXV.

Dominus Gerardinus Longus de Venetiis Potestas Paduæ.

MCCLXVI.

Dominus Jacobinus Domini Rolandi Rubei de Parma Potestas Paduæ. Hoc anno Castellani Vicentini dederunt sua Castra Veronensibus. Unde Commune Vicentiæ reddidit se Paduano Communi, & Paduanus exercitus cepit Castrum Leonici, & factum fuit Carrocium Paduanum, & Beatus Antonius Peregrinus obiit ad Sanctam Mariam de Porcilia.

E

MCCLXVII.

Dominus Bonifacius de Canossa Potestas Paduæ.

MCCLXVIII.

Dominus Rolandinus de Canossa Potestas Paduæ.

MCCLXIX.

Dominus Matthæus de Coreza de Parma Potestas Paduæ.

MCCLXX.

Dominus Thomaxinus Justinianus de Venetiis Potestas Paduæ.

MCCLXXI.

Dominus Bartholomæus de Zopo de Pergamo Potestas Paduæ.

MCCLXXII.

Dominus Michaël de Auro de Venetiis Potestas Paduæ.

MCCLXXIII.

Dominus Jacobinus Rubeus de Parma Potestas Paduæ. Hoc anno fuit exercitus Paduanus ad Angaranum, & Paduani ceperunt dictum Castrum per vim, & fuerunt suspensi per gulam XXIV. de illis, qui erant intus cum Rodulpho de Vivaro, & dictus Rodulphus fugit.

MCCLXXIV.

Dominus Gotifredus de la Turre de Mediolano Potestas Paduæ. Hoc anno de mense Februarii fuit inventum in clausura Domus Dei per Fratrem Rolandum tantum aurum in meaglis, quod valuit circa XVII. millia librarum bagatinorum.

MCCLXXV.

Dominus Robertus de Robertis de Regio Potestas Paduæ.

MCCLXXVI.

Dominus Guido de Robertis nepos prædicti Potestas. Eadem die Dominus Marsilius condam Domini Partinipei, Judex, fuit honore Militiæ decoratus in Ecclesia Domi (& statim dictus Dominus Marsilius Dominum Antonium Polafrixanam suum socium eadem gloria decoravit) à quodam nepote Regis Karuli.

MCCLXXVII.

Dominus Matthæus Quirinus de Venetiis Potestas Paduæ.

MCCLXXVIII.

Dominus Marinus Valarese de Venetiis Potestas Paduæ. Hoc anno Dominus Episcopus Tridentinus, qui vocabatur Frater Henricus, effectus est Civis Paduanus. Item die Veneris IV. intrante Novembri idem Dominus Potestas, cum exercitu Paduano, & cum amicis Paduanorum ivit ad Castrum Coloniæ, & dictum Castrum obsederunt usque ad diem Veneris 16. Decemb. & in ipso die ceperunt. Custodes ipsius Castri cum ipso Castro reddiderunt se Communi Paduæ.

MCCLXXIX.

Dominus Jacobus Domini Guizelini de Osemo Potestas Paduæ. Tunc Potestas fuit in Regimine quinque menses tantùm, & de mense Novembris Dominus Matthæus de Coreza de Parma fuit electus Capitaneus Populi Paduani, & post ipsos V. menses ipse Dominus Matthæus fuit electus in Potestatem. Et ab inde usque ad Kalendas Januarii ad unum annum. Et ab inde citra mutatum est tempus Potestatum Paduæ, & est ad Kal. Januarii. Item in dicta Potestaria Domini Jacobi fuit factum tradimentum Vicentiæ, quando Bartholomæus, & Ansedisius fratres de Schinellis fuerunt de Padua forbanniti: Et multi Nobiles, & Magnates de Vicentia fuerunt capti, & valde tormentati.

MCCLXXX.

Dominus Matthæus de Coreza incœpit Potestariam Paduæ die I. Januarii. Hoc Anno die XII. intrante Madio, exivit exercitus Paduanus cum suo Carrocio, & posuerunt se in Villanova Veronensis districtus supra Alponem, ibique stetit XIV. diebus, iens quotidie cum vastatoribus, & populis, combu-

burendo Villas, vineas, & arbores incidendo, & segetes devastando usque ad Villam Sancti Martini Bonalbergi, & ultra usque ad Burgos Civitatis Veronæ * Veronensibus rebellibus ipsi exercitui Paduano. Postmodum verò ad petitionem & instantiam dominorum Coxexii de Carbonensibus de Bononia tunc Potestatis Veronæ, ac Domini Alberti de la Scala Capitanei Populi Veronensis, timentium, ne per Paduam procederetur ulterius contra eos; intercedentibus Domino Duce Venetiarum, ac Ambaxatoribus Civitatis ejusdem, Ambaxatoribus etiam Communis Tarvisii, & Fratris Laurentii Rectoris Domus Dei de Venetiis, qui in hoc negotio mediatores, & tractatores fuerunt, inter Paduam, & Veronam pax, ac perpetuum concordium perpetrarunt. Item in hoc anno assumtus fuit Dominus Gerardus de Camino in Civem Paduæ.

MCCLXXXI.

Dominus Henricus de Auro de Venetiis Potestas Paduæ.

MCCLXXXII.

Dominus Bertus de Friscobaldis de Florentia bonus Potestas.

MCCLXXXIII.

Dominus Veri de Circlis de Florentia Potestas Paduæ Hoc Anno Dominus Gerardus de Camino intravit Tarvisium per Dominium, & expulsit Dominos de Castellis. Et in hoc anno facti fuerunt pontes Sancti Leonardi, Domini Guidonis de Lucio, Gradiciorum, & Baxanelli de lapidibus.

MCCLXXXIV.

Dominus Fantonus de Rubeis de Florentia Potestas Paduæ, & duravit in sua Potestaria XVIII. menses, scilicet in MCCLXXXV. In hoc anno incœpit Regimen in Festo Sancti Petri de Junio. Facta fuit Camera Consilii Generalis Communis Paduæ, super domum Potestatis.

MCCLXXXV.

Dominus Guillielmus Malaspina de Luca Potestas Paduæ. Hoc anno facta fuit domus magna juxta Ecclesiam Sancti Martini, in qua manent Anziani, & Pons Sancti Joannis de lapidibus.

MCCLXXXVI.

Dominus Baronus de Manzatoribus de Sancto Miniato Potestas Paduæ. Hic fecit fieri Portam Cameræ Consilii Veteris, & fecit destrui picturas Notariorum; & quidam ex ipsis extracti sunt de libro forbannitorum. Item domus Domini Guecilli à Ponte Altinato fuerunt emtæ pro Communi Paduæ, & destructæ. Et factus fuit ibi murus, & Porta Civitatis.

MCCLXXXVII.

Dominus Cursius Donatus de Florentia Potestas Paduæ. Tunc inceptus fuit Pons Tadorum, & Dominus Guilielmus de Montesilice fuit bannitus pro morte.

MCCLXXXIX.

Dominus Ottolinus de Mandello Potestas Paduæ. Tunc fuerunt Paduani interdicti per Legatum, occasione Statuti facti contra plures, de mense Martii.

MCCXC.

Dominus Percevallis frater dicti Domini Ottolini Potestas Paduæ. Hoc anno fuit ignis die I. Julii, qui combussit specialis domus Domini Aylini, & domos olim Domini Rainaldi Scrovegni, usque ad Sanctam Agnetem, &c. Et fuit ejecta datia mensis Novembris occasione dicti ignis.

MCCXCI.

Dominus Thomas Quirinus de Venetiis Potestas Paduæ. Hoc anno fuit ignis ad Pontem Corbum, & fuerunt extimata bona, & soluta datia mensis Madii.

MCCXCII.

Dominus Lambertucius de Friscobaldis de Florentia Potestas Paduæ. Tunc fuit incœptum Castrum Baldum mensis Aprilis ad honorem Communis Paduæ. Et debet fieri usque ad Sanctum Petrum de Junio.

MCCXCIII.

Dominus Paulus Quirinus de Venetiis Potestas Paduæ.

MCCXCIV.

Dominus Gerardus de Josano de Cremona Potestas Paduæ. Hoc anno mensis Novembris fuerunt capta Castra Cerri, & Calaoni in festo Sancti Clementis, & ejecta fuerunt in terra cum tota Roccha de Este; & postmodum de mense Madii Populus Paduanus habuit Abbatiam, Lendenariam, & Veneze, cum tota Curia Abbatiæ.

MCCXCIV.

A Kalendis Julii Dominus Nicolaus Morexinus de Venetiis Potestas Paduæ. Et dictus Dominus Potestas debet durare solummodo sex menses, & etiam Potestas Vicentiæ sex menses debet durare, & ex nunc omnis Potestas.

MCCXCV.

Kal. Januarii. Dominus Corradus de Monte Magno de Pistorio Potestas Paduæ. Hoc anno mensis Aprilis incœpta fuit Turris ex opposito Castri Baldi ultra flumen Aticis.

Millesimo eodem Kalend. Jul. Dominus Fantonus de Rubeis in tertia sua Potestaria. Hoc anno incœptus fuit Pons Pizonis.

MCCXCVI.

Kalend. Januarii. Dominus Corradus Novellus de Monte Magno de Pistorio Potestas Paduæ.

Millesimo eodem Kal. Julii. Dominus Bertus de Brunareschis de Florentia Potestas Paduæ. Hic Castrum Abbatiæ projectum fuit in terra.

MCCXCVII.

Kal. Januarii. Dominus Blaxius de Tholomæis de Senis Potestas Paduæ.

Millesimo eodem Kal. Julii. Dominus Franciscus de Cremonensibus de Pistorio Potestas Paduæ. Hic accepta fuit tenuta de tota Insula Calcinariæ pro Commune Paduæ, & aliæ Villæ quamplures.

MCCXCVIII.

Kal. Jan. Dominus Ongarus de Oddis de Perusio Potestas Paduæ.

Millesimo eodem Kal. Julii. Dominus Bertoldus de Malpileo Potestas Paduæ de S. Miniato.

MCCXCIX.

Kal. Jan. Dominus Carolus Domini Canti de Pistorio Potestas Paduæ. Et obiit Dominus Patriarcha Raymundus de la Turre.

Millesimo eodem Kal. Jul. Dominus Neri de Bardis de Florentia Potestas Paduæ. Suo tempore fuit condemnatus Dominus Albertus de la Scala ultimo supplicio mortis, ad petitionem Domini Tysonis de Campo Sancti Petri.

MCCC.

Digitized by Google

MCCC.

Kal. Jan. Dominus Nicolaus de Bonsegnoribus de Senis Potestas Paduæ. Hic fecit fieri in Padua maximas choreas, & solatia Dominorum, & Dominarum, & magna hastiludia, quæ Dominæ in plateis circa Palatium super pudiolos de novo factos stabant, & multa faciebant jocosa.

Millesimo eodem Kal. Jul. Dominus Nicola de Circlis de Florentia Potestas Paduæ. Tunc factus fuit portus Omnium Sanctorum, & muratus à ponte Omnium Sanctorum usque ad rostam.

MCCCI.

Kal. Jan. Dominus Bertolinus de Mazis de Brixia Potestas Paduæ. Hic fecit fieri caibam ferri propter Clericos. Et factum fuit fundicum bladi.

Millesimo eodem Kal. Jul. Dominus Brodajus de Saxoferrato Potestas Paduæ. Isto anno obiit Dominus Albertus de la Scala pater Domini Canis.

MCCCII.

Kal. Jan. Dominus Besenzonus de Pignano Potestas Paduæ. Hic Dominus Ottobonus Episcopus Paduæ ivit Romam, cum Ambaxatoribus in contrarium Fratrum Minorum, pro officio Inquisitionis.

Millesimo eodem Kal. Jul. Dominus Florinus de Ponte Carale de Brixia Potestas Paduæ. Hic datæ fuerunt repræsaliæ Dominorum de Carraria contra Mediolanenses in opprobrium Dominorum de la Turre, propter quamdam dotem.

MCCCIII.

Kal. Jan. Dominus Marinus Badoarius Miles de Venetiis Potestas Paduæ.

Millesimo eodem Kal. Jul. Dominus Andreas Valarese de Venetiis Potestas Paduæ. Hic condemnatus fuit in plus de libris decem millibus, quamvis facta fuisset ei misericordia.

MCCCIV.

Kal. Jan. Dominus Rubeus de Castello Potestas Paduæ. Tunc fuit discordia, & exercitus inter Commune Paduæ, & Commune Venetiarum propter Salinas, & fuit exercitus ad Castrum Salinarum.

Millesimo eodem Kal. Julii. Dominus Montanus Marinus de Janua Potestas Paduæ. Tunc facta fuit concordia inter Paduanos, & Venetos.

MCCCV.

Kal. Jan. Dominus Pax de Pacibus de Bononia Potestas Paduæ.

Millesimo eodem Kal. Jul. Dominus Tarabotus de Ancona Potestas Paduæ, & stetit in Regimine VII. menses per totum mensem Januarii.

MCCCVI.

Kal. Februarii, Dominus Poncinus de Picinardis de Cremona Potestas Paduæ, electus pro quinque mensibus. Hic incœpit festum S. Mariæ de Arena.

Millesimo eodem Kal. Jul. Dominus Baxianus de Fuxiraga de Laude. Hic data fuit jurisdictio in Terra Lendenariæ Paduanis, cum sua Curia, S. Raxa, Cavazana, cum Sanguedo, per Dominos Marchiones.

MCCCVII.

Kal. Jan. Dominus Federicus Punzonus de Cremona. Hic ultimo die sui Regiminis mortuus fuit Dominus Petrus Pigna.

Millesimo eodem Kal. Jul. Dominus Ongarus de Oddis de Perusio Potestas Paduæ.

MCCCVIII.

Kal. Jan. Dominus Franciscus de Bitonio Potestas Paduæ de Asio. Hic Dominus Azo Marchio Estensis obiit in Terra de Este Paduani districtus.

Millesimo eodem Kal. Julii. Dominus Pinus Vernaza de Cremona, Potestas Paduæ. Suo tempore Dominus Franciscus Marchio cautè intravit in Terram Rodigii, in una navi de lino, cum pauca gente, & sic habuit ipsam Terram sinè castro, & postea dedit jurisdictionem Paduanis.

MCCCIX.

Kal. Jan. Dominus Marinus de la Brancha de Augubio Potestas Paduæ.

Millesimo eodem Kal. Jul. Dominus Franciscus ds Cremonensibus de Pistorio Potestas Paduæ.

MCCCX.

Kal. Jan. Dominus Gentilis de Philippensibus de Augubio Potestas Paduæ.

Millesimo eodem Kal. Jul. Dominus Tolomæus de Cortosis de Cremona Potestas Paduæ. Tunc de mense Julii Nuntii Henrici Imperatoris venerunt Paduam, ad exponendum intentionem Imperatoris volentis omnibus dominari. Et transacto mense Septembris ipse Imperator transivit Alpes, & venit Mediolanum. Et ipsam Civitatem habuit, & alias multas circumstantes.

MCCCXI.

Kal. Jan. Dominus Albertus de Castello Potestas Paduæ. Tunc de mense Aprilis die XV. Civitas Vicentiæ extracta est de custodia & protectione Paduanorum per Vicentinos, cum auxilio Domini Canis de la Scala, credentibus Vicentinis per se stare sub protectione Imperatoris; sed valde erraverunt, & similes fuerunt columbis, cùm acceperunt ancipitrem pulsurum earum bella.

Millesimo eodem Kal. Jul. Dominus Rodulfus de Malpileis de Sancto Miniato Potestas Paduæ. Iste fuit in Regimine solummodo per unum mensem cum dimidio, quia infra illud tempus Commune Paduæ obedivit Imperatori certis pactis. Et tunc Imperator misit Paduam pro Vicario Dominum Gerardum de Ymzola.

Dominus Gerardus de Ymzola de Parma Vicarius per medium annum. Iste electus fuit Vicarius per Imperatorem, & ante complementum medii anni Dominus Canis de la Scala factus fuit Vicarius per Imperatorem Civitatis Vicentiæ. Qui Dominus Canis Paduam commovit ad guerram. Et tunc pactis Communi Paduæ fractis, Commune Paduæ fuit inobediens Imperatori, & cassaverunt dictum Vicarium, & ipsum elegerunt Potestatem per futurum medium annum. Et tunc incœpit pessima guerra inter Commune Paduæ, & Commune Vicentiæ, & Dominum Canem, quæ diu duravit, unde combustæ fuerunt infinitæ Terræ, & Villæ, & firmitates in districtibus Paduano, Vicentino, & Veronensi. Item Dominus Guilielmus Novellus eodem Millesimo, & Potestaria fuit mortuus in Palatio majori Communis Paduæ.

MCCCXII.

Kal. Jan. Dominus Gerardus de Ymzola prædictus Potestas Paduæ in medio anno subse-

sequenti. Et Ambaxatores, qui erant in Curia Imperatoris redierunt sinè licentia. Aquilæ dicti Imperatoris fuerunt dispictæ de Palatio Communis de muris Civitatis, & de omni loco, ubi erant pictæ in Padua.

Millesimo eodem.

Kal. Julii Dominus Jacobus de Rubeis de Florentia Potestas Paduæ. Hìc ivit exercitus Paduanus ad Villam Colognæ, & eam combusserunt, & molendina cum pluribus aliis Villis. Et de mense Augusti, Paduani cum exercitu magno iverunt ad Longare, & Longara, & vastaverunt rostam, & aperuerunt aquam malo velle Domini Canis.

MCCCXIII.

Kal. Januarii Dominus Bornius de Samaritanis de Bononia Potestas Paduæ. Hìc de mense Januarii Dominus Nicolaus de Lucio accepit Castrum Lucii unà cum Domino Cane de la Scala de manibus Paduanorum, & revellavit Civitati, unde bannitus fuit cum suis heredibus, & domus sua magna ejecta & prostrata fuit in terra.

Millesimo eodem.

Kal. Jul. Dominus Nicolucius de Calbulo Potestas Paduæ de Forlivio, stetit per novem menses. Tunc die VIII. exeunte Augusto, Imperatoris Henrici mors diem clausit. Unde omnes Paduani novis vestibus induti illud gaudium celebrarunt.

MCCCXIV.

Dominus Dinus de Rubeis de Arimino Potestas Paduæ. Iste stetit tantùm duobus mensibus. Et tunc de mense Aprilis Dominus Petrus de Alticlino cum tribus suis natis mortuus fuit in platea Communis Paduæ. Et etiam Dominus Runcho Guercius ejus filius. Et ibi fuit gaudium Domini Canis de la Scala.

Millesimo eodem.

Dominus Poncinus de Punzonibus de Cremona Potestas Paduæ. Tunc exercitus Paduanus ivit ad burgos Vicentiæ, & pro mala custodia habuerunt ibi de cimbalis malè sonantibus; & capti fuerunt Dominus Vani Scorezatus Capitaneus guerræ, Dominus Jacobus de Carraria, Dominus Mussatus cum multis aliis: unde inter Commune Paduæ, & Dominum Canem de la Scala facta fuit pax, quæ vocata est pax canina.

Millesimo eodem.

Dominus Franciscus de Calbulo de Forlivio Potestas Paduæ. Et conduxit in uxorem Dominam Finam, matrem Domini Ubertinelli de Carraria.

MCCCXV.

Dominus Ugolinus de Liazaris de Bononia Potestas Paduæ. Et die Veneris tertio exeunte Augusto, fuit batalea facta, & ordinata inter Dominum . . . . . Principem fratrem Regis Roberti ex una parte, & Dominum Uguzonem de la Faxola ex alia parte cum suo exercitu in partibus Pisæ, & Luchæ. Et dictus Dominus Princeps cum suo exercitu succubuit, & fuit sconfittus, & ivit Florentiam.

Millesimo eodem.

Dominus Merulus de Asisio Potestas Paduæ à Kalen. Decembris usque ad Kal. Junii. Et suo tempore mortuus fuit Clerigacius de Montesilice per horribilia tormenta in eo facta sub prætextu tradimenti Civitatis Pa-

duæ. Et tormentati fuerunt quasi ad mortem Presbyter Dominicus Ecclesiæ Sancti Laurentii de Padua, & Guido de Moreto ad preces quorumdam Magnatum, qui dicebant ipsos recepisse spias Domini Canis, & non erat verum.

MCCCXVI.

Dominus Ubertus de Canzileriis de Pistorio Potestas Paduæ à Kal. Junii usque ad Kal. Decembris. Et suo tempore Dominus Ursus Judex, & Vicarius dicti Domini Meruli Potestatis suprascripti fuit traynatus, & decollatus propter tractatum proditionis Civitatis Paduæ, quod facere volebat cum dicto Domino Uberto Potestate Paduæ, & Domino Cane. Et in dicto Regimine, & Millesimo die Lunæ XI. exeunte Septembri, circa vesperas vênit Paduam Domina Regina Catharina filia quondam Regis Alberti Ducis Austurich, & soror Ducis Austurich electi Imperatoris in divisione cum Duce Baveriæ. Quæ ibat ad nubendum in Apulia cum filio primogenito Regis Roberti, qui maritus suus vocatur Carlus, & die Veneris ivit Ferrariam, postea in Apuliam.

Millesimo eodem.

Dominus Dardanus de Jacajolis de Florentia electus fuit Potestas Paduæ, & acceptavit Potestariam, & postea renunciavit propter justum impedimentum, & non vênit.

Millesimo eodem.

Dominus Berardus de Cornio de Perusio Potestas Paduæ, à Kal. Decembris usque ad Kal. Junii. Et in dicto Regimine in die Pentecoste XXII. Madii in aurora diei, Dominus Vinciguerra Comes de Sancto Bonifacio de Verona cum Vicentinis, qui erant forbanniti de sua Civitate, & cum omnibus soldatis Civitatis Paduæ, & aliis de Villis, cum certis civibus Paduanis occultè iverunt de nocte veniente ad diem Vicentiam, causâ capiendi ipsam Civitatem, & intraverunt burgum Civitatis versùs portam Bergæ, quæ porta sibi aperiri debebat per quosdam cives Vicentiæ. Sed Dominus Canis prævidit dictam causam per secreta sibi missa per quosdam, qui erant circa Brixiam, ut dicebatur, & ea nocte fuit in Civitate Vicentiæ, & summo mane apertâ portâ Civitatis obviavit eis cum maxima quantitate militum, & peditum. Et tunc disconfitti fuerunt ipse Comes, & qui cum eo erant, quia negotium erat optimè ordinatum per bonum magistrum. Et dictus Dominus Comes captus fuit, & incarceratus: & obiit postea in Festo Sancti Antonii. Et incarcerati fuerunt circa VIII. centum inter cives, & forenses.

MCCCXVII.

Dominus Obizo de Obicingis de Pisis Potestas Paduæ, à Kal. Junii usque ad Kal. Decembris. Hìc de mense Augusti accepta fuit Civitas Ferrariæ de manibus tyrannorum, qui eam tenebant pro Rege Roberto, per populum Civitatis Ferrariæ, cum auxilio Domini Raynaldi de Bochimpane civis Ferrariensis, & posita fuit in forciam & dominium Dominorum Marchionum Raynaldi, & Azii, & Obici.

Millesimo eodem.

Dominus Raynerius de Canoxa de Regio Potestas Paduæ à Kal. Decembris usque ad Kal. Junii. Et die Mercurii in Festo Sancti

Digitized by Google

Thomæ Apostoli circa matutinum XXI. A mense Decembris, capta fuit terra Montissilicis sinè Castro per Raynaldum, & Gaboardum fratres, & filios quondam Domini Petri Scrovegni, & Gregorium de Pojana cum auxilio multitudinis militum Domini Canis, & Domini Comitis de Agulicia; & die tertio ceperunt Terram de Est per forciam; & Castrum Montissilicis habuerunt infra dictum tempus, & Terram Montagnanæ. Et die Jovis XII. Januarii Dominus Odoricus de Cucagna, qui erat Paduæ cum centum militibus ad elmum, factus fuit Capitaneus Populi.

MCCCXVIII.

Dominus Petrus de la Parte de Tervisio Potestas Paduæ. B Et die XXVI. mensis Januarii circa nonam milites Domini Canis transierunt flumen versùs Villam, quæ vocatur Ronchalitere, pellendo custodientes per forciam, in quo loco custodiebant milites Pontis Altinati, cum pluribus aliis. Et de subtus pontem longum ad custodiendum vadum erat pro Capitaneo Dominus Pantaleo de Buzacharinis cum fratre suo Bro, & Domino Duxio, & Gerardo ejus nepote; & omnes iverunt versùs Cluziam. Et paucis diebus postea facta fuit pax cum Domino Cane, & suis amicis, tali pacto, quòd ipse usque in vita sua debeat habere Terram Montissilicis cum suo districtu, Montagnanæ, & C Castri Baldi. Et tunc cassati fuerunt soldati domini Oderici. Et ipse mansit pro Capitaneo usque ad Sanctum Petrum. Et post eum factus fuit Dominus Obizo de Obicingis de Pisa Capitaneus Populi Paduani. Et magnus rumor fuit in Civitate Paduæ, quando dictus Capitaneus debebat intrare in suo Regimine, eo quòd certi cives cucurrerunt Terram, & dictus Capitaneus incontinenti recessit.

Millesimo eodem.

Dominus Joannes de Cha Molino de Venetiis Potestas Paduæ à prima die Junii usque ad Kal. mensis Decembris. Et tunc cassatus fuit suprascriptus Capitaneus Dominus Obizo, D & factus fuit Capitaneus generalis Civitatis Paduæ Dominus Jacobus de Carraria in Consilio majori quasi per omnes tam Magnates, quàm Populares in Festo Sancti Jacobi, die Martis septimo exeunte Julio.

Millesimo prædicto, &

MCCCXIX.

Dominus Marcus Gradonicus de Venetiis Potestas Paduæ, à primo die Veneris mensis Decembris usque ad primum diem mensis Junii. Hìc dati fuerunt consalones, & banderiæ Populi fratalearum Paduæ super Palatium per dictum Potestatem in die Sancti Nicolai, præsente Domino Capitaneo. Et in Vigilia Sanctæ Luciæ dicti mensis natus E fuit filius Domini Jacobi Capitanei, & baptizatus in Ecclesia Sancti Martini, & pauco tempore vixit.

MCCCXIX.

Dominus Marcus prædictus confirmatus fuit Potestas Paduæ sequentibus sex mensibus à Kal. Junii usque ad Kal. Decembris. Et Dominus Canis de la Scala in eodem regimine die Dominica in Festo Sancti Dominici quinto Augusti vênit circa Civitatem Paduæ cum exercitu magno, & in paucis diebus post, seravit, & accepit nobis aquam à

ponte Baxanelli versùs Paduam, conducendo illam versùs Montemsilicem. Et cepit totum circuitum Paduæ, excepto Baxano, & Cittadella, quam habuit postea in Vigilia Omnium Sanctorum. Et secum habebat Dominum Nicolaum de Lucio, & Dominum Macharusum, & Dominum Coradum de Viguncia, & multos alios nostros cives, & Dominum Ugozonem de la Faxola. Et publicata fuit condemnatio rebellium per dictum Dominum Potestatem in publico Palatio die Veneris ante tertiam XVI. Novembris. Et paucis diebus post Epiphaniam recessit dictus Potestas de Regimine Potestatis ad Venetias. Quia vênit Dominus Vicarius Romanorum Paduæ, ut infra dicetur.

MCCCXX.

Dominus Oldoricus de Gualser Theotonicus nesciens Linguam Latinam, nec literas, Vicarius summi viri Domini Henrici Principis, seu Ducis Osterich Regis Romanorum, & Vicarius Civitatis Paduæ pro Sancta Ecclesia Romana vênit ad Civitatem Paduæ in prædicto millesimo die Jovis III. Januarii, post nonam, cum multa quantitate militum, & dismontavit in magno Palatio Domini Henrici Scrovegni, ubi habitabat Vivianus à Borsetis magnus hospitator. Et in sequenti die Sabbati ante tertiam in Vigilia Epiphaniæ cum Anzianis, & multa quantitate Nobilium, & civium Paduanorum, cum maximo honore conductus fuit in publico arengo, lato sibi sacramento per Dominum Johannem de Partinopejo Judicem Anzianorum, priùs lecto sibi per Sachetum Notarium de Campagnola, juravit, dictam Vicariam, nomine quo supra, gerere bona fide, conditione, & pactis in scripturis sacramentis contentis, registratis apud Anzianos, & in Canzelariam. Et ibidem in continenti post sacramentum, Nobilis vir Dominus Jacobus de Carraria, Capitaneus Populi Paduæ, dictæ Capitanariæ renunciavit. Et consalonem Populi Paduani, quem habebat, unà cum prædicto Judice Anzianorum eidem Vicariam dedit, & consignavit dicto Domino O. de Gualser, quod vexillum devotè recepit, & secum portari fecit. Et in Epiphania die sequenti Dominica ivit Tervixium, & die Mercurii sequenti rediit Paduam secum conducendo circa trescentos equites. Et infra paucos dies post vênit ejus filius cum certa quantitate militum, qui dismuntavit in Episcopatu Paduano. Et facto parlamento, & tractatu unà cum Domino Rolando Judice de Plazola, Vitaliano à Sancto Herigeto de Ambroxino ex una parte, & Domino Cane ex altera in Civitate Vicentiæ facta fuit treugua usque ad mediam Quadragesimam, & die Jovis mane VIII. exeunte Januario cridata fuit in Civitate Paduæ, & burgis.

Millesimo eodem.

Dominus Altinerius de Azonibus de Tarvixio Potestas Paduæ à Kal. Februarii usque ad Kal. Augusti. Qui vênit Paduam die ultimo Januarii. Et incontinenti in pleno arengo juravit suum Regimen. Et Dominus Raynaldus Scrovegnus mortuus fuit gladiis sub porticu habitationis suæ domus post cœnam, in die Ascensionis Domini octava Madii.

Et

Et die Martis tertia mensis Junii de nocte ante Matutinum in dicto millesimo, & regimine, Dominus Canis cum suo exercitu occultè invasit, & assalivit Civitatem Paduæ, post Monasterium Sanctæ Justinæ; & multi ex eis ascendentes super Butifredum, & Spaldum, & interficientes custodes circa tres, & frangentes, & incidentes Spaldum, & intraverunt ulteriùs plusquam CCC. & per gratiam Dei, & precibus Sanctorum sentiti fuerunt, & obviati per cives Paduanos, taliter quòd violenter, cum magno suo damno, & vituperio, expulsi extra fuerunt, & in maxima quantitate mortui de suis, & civibus, & rebellibus Communis Paduæ; & XV. ex eis in uno momento mortui ducti fuerunt nudi in plateam Communis. Inter quos fuerunt Ruzerius filius Dominæ Ziliæ de Sanguenacis, Michaël Maronus, & plures alii. Et post ipsos mortuos, plures mortui inventi fuerunt; & in maxima quantitate etiam de vivis capti fuerunt. Et die Mercurii sequenti ad honorem Dei, & suorum Sanctorum fuit facta processio, & laus per Fratres, & Clericos.

Potestate Domino Altinerio, & millesimo prædicto in Sabbato, die Sancti Ermacolæ, XII. Julii, prædictus Dominus Altinerius unà cum Domino Jacobo de Carraria, & aliis militibus Civitatis Paduæ, & filio probi viri Domini Oldorici de Gualser Vicarii Regis ultrascripti, & cum strenuo viro, & Comite Domino........ nepote dicti Domini O. Vicarii, qui noviter venerat in Civitatem Paduæ in auxilio Paduanorum amore dicti Vicarii, & cum maxima quantitate peditum, & balistariorum Civitatis Paduæ, iverunt die prædicta summo mane per viam Pontis Corvi versùs quamdam motam magnam, quam faciebat facere Dominus Canis cum multis fossis, & tajatis ad claudendum Paduanos, ne exirent per illam partem, & volendo ibidem super dictam motam ædificare Castrum. Tunc prædicti Potestas cum aliis nominatis splanare incœperunt, & disfecerunt dictam motam cum tajatis, & fossa magna. Et tunc supervenerunt contra ipsos milites Domini Canis circa DC. & totidem pedites ad defendendum, inter quos fuit quidam probus & strenuus vir Dominus Simon Philippus Potestas Castri pontis Baxanelli, & etiam Contestabilis & Rector CCC. militum Ultramontanorum, & Theotonicorum, quos habebat secum sub Domino Imperatore, tempore, quo obiit, & nunc cum Domino Cane, & cum eo fuerunt multi Paduani rebelles suæ Civitatis, & ibidem fuit prœlium inter dictas partes, & in fine disconfitti fuerunt omnes prædicti milites, & pedites Domini Canis, & capti, & mortui, & vulnerati quasi omnes fuerunt. Et dictus Dominus Simon Philippus Potestas dicti Castri captus fuit, & incarceratus, & in multa quantitate suorum. Et dictus Dominus Potestas Paduæ optimè se rexit, & fuit primus, qui transivit fossam magnam, & ferivit contra inimicos, & hac de causa factus fuit Paduanus, & de Consilio majori, &c.

Millesimo eodem.

Dominus Nigrixolus de Ansaldis Judex de Cremona, Vicarius prædicti Domini Oldorici de Gualser, Potestas Paduæ à die Sabbati secundo Augusti, usque ad diem ultimum Octobris. Et dicta die Sabbati captum fuit per forciam Castrum Muxolenti de districtu Tarvixii, in quo erat Dominus Perenzanus de Baxano rebellis Civitatis Paduæ, & Tarvixii; & captus fuit dictus Dominus Perenzanus per subjectos Domini Comitis de Agulicia Vicarii Tarvixii, & conductus Tarvixium in forciam dicti Comitis, & postea decapitatus fuit in Baxano dicto tempore. Et die Dominica circa mediam noctem XVII. mensis Augusti circa centum de Soldatis Civitatis Paduæ iverunt ad Castrum pontis Baxanelli, & ceperunt circa XX. homines, qui erant extra Castrum, & multos alios occiderunt, & multi se anegaverunt in aqua fugiendo.

Millesimo eodem.

Potestate Domino Nigrixolo ultrascripto. Hìc die Lunæ XXV. mensis Augusti Dominus Comes de Agulicia Vicarius Tarvixii, & Dominus Oldoricus de Gualser Vicarius Paduæ venerunt Paduam circa nonam cum maximo guarnimento militum, peditum, & balistariorum. Et die Martis proximè sequenti circa nonam cum dicto guarnimento, & Paduanis iverunt circa Castrum pontis Baxanelli, in quo erat Dominus Canis de la Scala cum maxima multitudine militum, peditum, & balestariorum, & sibi ad invicem obviaverunt prœliantes, & tamdem disconfittus fuit dictus Dominus Canis; & fûgit usque ad Montemsilicem cum maximo incalzo filii Domini O. de Gualser semper sequendo cum suis sociis usque ad dictum Castrum Montissilicis. Et mortui, & capti fuerunt de suis plus quàm D. ut publicè dicebatur. Et captus fuit Dominus Macarusus, & conductus Paduam, & ea die gladio mortuus fuit, & plures alii. Et captum fuit per forciam Castrum pontis Baxanelli ea die. Et die Veneris tertio exeunte Augusto, assidiaverunt Castrum Montissilicis. Et die Jovis VI. exeunte Septembri redierunt Paduam relicto Castro.

Et die Dominico VI. exeunte Octobri completa, & cridata publicè fuit pax inter prædictas partes adversas.

Millesimo eodem.

Dominus Nigrixolus prædictus factus, & confirmatus Potestas Paduæ à die, & in die Sabbati festi Omnium Sanctorum, usque ad ultimum diem Aprilis.

MCCCXXI.

Dominus Gerardus de Almeela de Tervixio Potestas Paduæ à die Veneris primo Madii usque ad ultimum diem mensis Octobris. Et circa finem dicti mensis Madii mortuus fuit Dominus Manfredus filius Domini Comitis Rambaldi, Episcopus Civitatum Feltris & Belluni in dicta Belluni Civitate per Dominum Guezolum de Camino, & capta fuit dicta Civitas per Dominum Canem, vel ejus nuntios.

Millesimo eodem.

Remotus fuit ultrascriptus Dominus Oldoricus de Gualser à Vicaria Civitatis Paduæ per Dominum Federicum Ducem de Osterich, & Regem Romanorum electum, ad parlamentum factum in suo districtu, & curia, quod fuit circa mensem Augusti, & Septembris. In quo fuerunt sex magni Ambaxatores Civitatis Paduæ cum prædicti Do-

Domino. O. de Gualser, videlicet, Dominus Nicolaus de Carraria; Dominus Schinella Judex, & ibidem factus Miles unà cum Domino Johanne infrascripto manu dicti Regis; Dominus Aleardus de Baxiliis; Dominus Rolandus de Plazola; Dominus Johannes de Campo Sancti Petri; Dominus Muxatus. Et Ambaxatores Domini Canis cum pluribus aliis Ambaxatoribus aliarum Civitatum in suo servitio ex altera parte. Et data fuit Vicaria Civitatis Paduæ per dictum Regem Domino Duci de Carentana; & dicit se Regem Bohemiæ, qui misit pro Capitaneo suo strenuum, & nobilem virum Dominum Coradum de Offenstagno, qui ivit Paduam die quinto Novembris cum C. militibus, vel circa, & dismontavit in Episcopatu, nec fuit eadem die in Palatio propter tardam horam.

MCCCXXII.

Dominus Tebaldus de Castro-novo de Perusio, Potestas Paduæ à Kal. Madii usque ad Kal. Novembris, & eodem Millesimo die Martis in Vigilia Sancti Michaëlis tertio exeunte Septembri disconfittus, & captus fuit Dux de Osterich, cum fratre suo Henrico, & incarcerati cum maxima quantitate suorum militum per Ducem de Bavieria, & Regem Romanorum electum in divisione cum supradicto Rege.

Millesimo eodem.

Tebaldus prædictus Potestas Paduæ à Kalendis Novembris usque ad Kal. Madii. Et in dicto regimine rebelles cum multis inimicis Paduæ ceperunt Terram de Este, & post Villam Arquadæ per forciam die Sabbati VI. Novemb. Et die Lunæ proximè sequenti, Civitas Mediolani accepta fuit de manibus Tyrannorum Domini Galeacii, & fratrum suorum per populum dictæ Terræ cum auxilio Domini Raymundi Vicarii Domini Papæ. Et non longo tempore post Dominus Galeacius cum fratribus intravit Mediolanum, & fuit Dominus sicut ante.

MCCCXXIII.

Die Jovis post nonam XXIII. Februarii Domina .... Regina de parentela illorum de Tirolle, seu de Carentana vênit Paduam, causâ eundi ad maritum, ad filium Domini Frederici de Ragona. Et die Sabbati sequenti recessit, & ivit Venetias post nonam per viam de Mestre.

Item in dicto Millesimo die Mercurii nono exeunte Martio fuit facta pax cum rebellibus Civitatis Paduæ, & in die S. Mariæ de Martio fuit Vener Sanctus.

Item in dicto Millesimo Dominus Comes de Agulicia Vicarius Civitatis Tarvixii obiit in Tarvixio morte naturali die Dominico post Vesperas XXIV. Aprilis.

Item in eodem Millesimo die Jovis decimo nono Madii, facta fuit pax in Villa Tencharolæ inter Commune Paduæ ex una parte, & suos rebelles ex altera cum maxima lætitia utriusque partis; & die Veneris proximè sequentis, in qua die fuerunt quatuor Tempora, fuit facta maxima processio per Cleros, & Religiosos, & Anzianos, & per maximam multitudinem civium.

Dominus Tebaldus ultrascriptus complevit supradicta Regimina ad festum Sancti Petri de Junio.

Millesimo eodem.

Dominus Armaninus de Cremona Judex, & Vicarius dicti Potestatis electus fuit Potestas Paduæ, & stetit per totum mensem Julii usque ad Kal. Augusti, eo quia Dominus Altinerius de Azonibus electus Potestas Paduæ non potuit venire ante.

Millesimo eodem.

Dominus Altinerius de Azonibus de Tarvisio Potestas Paduæ, & die Lunæ primo Augusti usque ad sex menses. Et die Jovis VII. exeunte mense Augusti in sero de nocte circa primum somnum fuit magnus ignis in domibus Episcopatus Paduæ.

MCCCXXIV.

In prædicto Regimine Domini Altinerii Potestatis Paduæ. Die decima octava intrante Januario, Sanctus Thomas de Aquino Ordinis Prædicatorum fuit canonizatus per Summum Pontificem Papam Joannem, & Cardinales suos, & alios Prælatos in Civitate de Avignone in anno proximè præterito, & postea in prædicto MCCCXXIV. die Dominico VIII. mensis Januarii celebratus fuit in Ecclesia Sancti Augustini Fratrum Prædicatorum de Padua cum maxima reverentia, & ibi fuerunt Episcopi, & Prælati cum Gastaldionibus, & Anzianis, & in dicta Ecclesia obtulerunt munera. Et dictus Dominus Altinerius Potestas stetit per unum mensem plus usque ad Kal. Martii.

MCCCXXIV.

Nobilis Vir Dominus Raynaldus de Zincis de Cæsena Potestas Paduæ à Kal. Martii usque ad diem Mercurii XXII. mensis Augusti anni prædicti. Et die Jovis ultimo mensis Madii reversus fuit Paduam Dominus Corradus de Ofenstagno, cum multis militibus. Et Dominus Henricus de Carentana, qui se dicit Regem Bohemiæ, vênit ad Civitatem Tarvixii paucis diebus post adventum prædictorum militum, & pluribus diebus mansit ibi. Et postea vênit ad Terram Citadellæ, & deinde ad Villam Curtiroduli, & deinde ad Villam Turris prope Brentam, & in dictis Villis mansit plures dies. Et postea vênit Paduam die Jovis ante tertiam XXI. Junii, cum magna multitudine militum, & peditum, & ragazorum quasi nudorum, qui extimabantur quasi viginti millia inter bonos, & malos. Inter quos fuit Dominus Dux Otto frater Ducis de Osterich, qui captus, & incarceratus erat per Ducem Bavarium cum multis aliis secum. Et dictus Dominus de Carentana, ac etiam Rex Bohemiæ, ut dicebatur, dismuntavit ad Episcopatum Paduæ, in quo erat Dominus Corradus prædictus. Et eadem die incontinenti post nonam recessit de dicta Civitate, & ivit circa Campaneam, & Terram Montisfilicis cum suo exercitu, pulsatâ campanâ magnâ Communis Paduæ. Et dicta die usque ad noctem fuerunt circa Montemsilicem unà cum Populo Paduano. Sed paucis diebus steterunt circa, & nullum damnum dederunt Domino Cani, nec aliquibus inimicis Communis Paduæ, sed solum in districtu Communis Paduæ, deprædando, & raubando Villas Pedevendæ, & fruges Campanearum, spoliando homines, & mulieres Episcopatus Paduæ usque ad nudam carnem, ac etiam interficiendo eos, qui se defendere volebant. Ac etiam raubando Paduanos, qui erant in dicto exercitu, & illos, qui portabant sibi victualia, quos ipsi debebant defendere, & recuperare

Digitized by Google

re Populo Paduano possessiones sibi invasas, & acceptas, quia maximam quantitatem auri & argenti habuerunt à dicto Commune pluribus vicibus, & annis. Ita quòd Populus Paduanus factus pauper est, adstrictus in multis daciis, & pessimis angariis.

Et cùm prædictus Dominus Dux, & Rex, & sui Consiliarii tamquam mendaces, & proditores Communis Paduæ, & Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, accepissent maximam quantitatem auri & argenti à Domino Cane de la Scala, & à defensoribus ipsius, inimicis, & rebellibus Sanctæ Ecclesiæ Romanæ, & Communis Paduæ, relicto dicto assedio, & facto pacto & concordio cum dicto Domino Cane, & propter aurum & argentum receptum ab eo, recesserunt de dictis partibus die Veneris XIII. mensis Julii, & venerunt Paduam. Et dicta die redierunt versùs suas partes, per contratas, & vias Baxiani. Et in dicta Terra dictus Dux pluribus diebus stetit ad expensas Domini Canis, expectando aurum & argentum, quod congregatum erat in Civitate Venetiarum, donec habuit. Et per Episcopatum Tarvixii postea recessit, semper raubando suas Villas, & Communis Paduæ.

Millesimo eodem.

Dominus Beraldinus de Caxerio de Tarvixio Potestas Paduæ à Kal. Septembris usque ad sex menses. Et vênit die Sabbati primo dicti mensis, & stetit usque ad diem Jovis IV. exeunte Martio. Et in dicto Regimine, & Millesimo obiit Dominus Jacobus de Carraria die Veneris XXIII. Novembris, & portatus fuit ad Ecclesiam Sancti Antonii. Et dicta die sero, sive nocte, portatus uit ad Villam Carrariæ, & ibi sepultus, ut dicebatur.

MCCCXXV.

Indictione VIII. fuit ignis magnus in contrata Sancti Urbani die Veneris exeunte Januario. Et post paucis diebus combustum fuit Monasterium Arcellæ cum toto dormitorio per ignem, qui exivit in dicto Monasterio de nocte circa primum somnum. Et de mense Februarii circa finem combustæ fuerunt infinitæ Villæ Paduani districtus per Dominum Canem, cum maxima quantitate militum & peditum, scilicet totum Plebatum Sacci, & Insula Causylvis, & Maxeradæ.

Millesimo eodem.

Dominus Polionus de Bichaëlis de Bononia Potestas Paduæ à Kal. Aprilis, usque ad finem Septembris. Et in suo Regimine mortuus fuit gladio Capitaneus suorum Beroëriorum, & parùm post mortuus fuit gladio Mareschalchus Theotonicorum, insimul cum quadam gentili Domina, cum qua jacebat; & frater dictæ Dominæ interfecit eos in domo habitationis dictæ Dominæ.

Item die Lunæ XXVII. mensis Junii post nonam mortuus fuit gladiis Dominus Guillielmus de Dente quondam Domini Vitaliani per manus Dominorum Ubertinelli, & Rizardi dicti Tartari de Lendenaria, & per suos familiares, qui Ubertinellus de Carraria, & Tartarus condemnati fuerunt secundùm formam juris, & statutorum Communis Paduæ ad decapitandum per supradictum Dominum Polionem Potestatem die Mercurii post nonam, decimonono dicti mensis Junii. Et postea die Dominico post prandium XXII. mensis Septembris Campana magna Communis sonavit ad martellum, & confalones Fratalearum cum suis Frataleis, & Populo iverunt ad Plateam propter rixam, & prœlium, quæ erat inter Paulum Dentem ex una parte, & Carrarenses cum multis sequacibus ex altera, & ibi fuerunt vulnerati Dominus Nicolaus de Carraria, & Obizo de Papafavis in faciebus, & Dominus Marsilius quondam Domini Perenzani discavalcatus; & Pàulus Dente aliquantulum vulneratus, & non potuit obtinere, ita quòd fùgit, & Carrarenses obtinuerunt. Et dictus Potestas unà cum Capitaneo Theotonicorum, malè se portabant inter partes.

Item die Lunæ XXIII. mensis Septembris Domini Tartarus, & Ubertinellus de Carraria, qui erant condemnati ad decapitandum, & pro homicidio Domini Guillielmi Dentis per dictum Dominum Polionem Potestatem Paduæ dicto die venerunt Paduam cum magna quantitate peditum, & steterunt circa Pratum Vallis, & in Monasterio Sanctæ Justinæ. Et die Martis sequenti post Tertiam, intraverunt Palatium magnum Communis Paduæ, cum maxima quantitate malefactorum, & interfecerunt dictum Dominum Polionem Potestatem Paduæ, & quasi omnes suos milites, Vicarium, & Judices, & quasi omnes Domicellos, & Beroërios, & pauci ex eis evaserunt. Et multùm circaverunt ut invenirent Dominum Abbatem Sanctæ Justinæ. Sed Theotonici occultè ceperunt eum, & conduxerunt eum extra Paduanum districtum, & ipsum relaxaverunt in loco securo, propter magnam quantitatem pecuniæ.

Millesimo eodem.

Dominus Coradinus de Buchis de Brixia Potestas Paduæ, à Kal. Octubris, usque ad Kal. Aprilis, & stetit per totum mensem Aprilis.

MCCCXXVI.

Dominus Coradinus prædictus confirmatus fuit usque ad adventum alterius Potestatis. Et in suprascripto suo Regimine, die Veneris ultimo Februarii captus fuit Coradus de Viguntia, cum multis suis sequacibus, in confinio Turris Puntæ de Curano, qui furtivè ceperant dictum locum, causâ guerriandi Civitati Paduæ. Et conductus Paduam, decapitatus fuit die Lunæ tertio intrante Martio, super pozolum Palatii majoris, & sepultus ad Ecclesiam Fratrum Minorum; & septem alii, qui cum eo fuerant, decapitati fuerunt ad Campum Sanctum. Et per tres dies postea, tres alii decapitati fuerunt, causâ prædictâ.

Millesimo eodem.

Dominus Bonacursius de Rogeriis de Parma Potestas Paduæ. Et vênit Paduam in Palatio die Jovis primo Madii in Ascensione Domini nostri Jesu Christi. Et die Veneris sequenti dictus Dominus Coradinus recessit sua familia, & curia, cum maximo honore, quia fecit bonum Regimen, & honorabile, continuè toto suo tempore.

Millesimo eodem in parte, & MCCCXXVII. in parte.

Dominus Tebaldus de Castro Novo de Perusio Potestas Paduæ. Et vênit die prima Madii, & de mense Decembris mandati fuerunt ad

ad confines in Civitatem Venetiarum Dominus Martius de Forzatè, Dominus Zordanus de Forzatè, Dominus Prosdocimus de Calizinis, Dominus Ruzerius de Fabiano, Dominus Franciscus Dominæ Ziliæ. Et de mense Januarii in Epiphania, vel circa, mortuus fuit in Civitate Tarvixii Dominus Altinerius de Azonibus. Anno prædicto die Dominico Olivarum, quinto Aprilis, nivigavit multum per totam diem, & pluit cum magno frigore.

MCCCXXVII.

Dominus Joannes de Grifis de Brixia Potestas Paduæ, à die Veneris primo Madii usque ad Kal. Novembris. Et vênit ad suum Regimen, & parum stetit, quia erat infirmus. Sed dimisit quemdam de domo sua, qui vocabatur Paxinus, & incontinenti electus fuit in Potestatem, & recessit in festo Omnium Sanctorum.

Millesimo eodem.

Dominus Gerardus Morexinus de Venetiis Potestas Paduæ. Et vênit in festo Omnium Sanctorum, die Dominico primo Novembris, & mansit in Palatio, & Regimine usque ad mensem Julii sequentis. Et circa medium mensem Julii fûgit de dicto Regimine insalutato hospite, cum majori parte suæ familiæ, quia malum Regimen fecit pro Populo.

In prædicto Millesimo, mense Decembris, infrascripti Ambaxatores Paduæ iverunt ad Ducem de Carentana, & redierunt Paduam per mare, die Jovis quarto Februarii, excepto Domino Marxilio, qui vênit Paduam XIV. die Februarii.

Dominus Marsilius de Carraria,
Dominus Philippus de Peraga,
Dominus Aycardinus Caput Vaccæ,
Dominus Pantaleo de Buzacarinis,
Dominus Schinella de Doto.

MCCCXXVIII.

Dominus Griffo Theotonicus, frater Domini Hengelmarii Vicevicarii, Civitatis Paduæ Potestas. Et incœpit Regimen die Sabbati VI. intrante Augusto. Et circa medium mensem Augusti Dominus Marsiliettus de Papafavis fûgit de Civitate Paduæ usque ad Villam Mirani, die Mercurii, quia dictus Potestas, unà cum fratre suo Domino Hengelmario Vicevicario Civitatis Paduæ, volebant eum capere, propter falsas locutiones, & testimonia imposita super eum. Et multi Theotonici invaserunt palatium suum, & intus steterunt, & omnia bona sua pronunciata fuerunt perdita. Ita quòd dicti Theotonici optimè derobaverunt dictum suum palatium.

Et in dicto millesimo, & tempore, mortuus fuit Dominus Passarinus Dominus Mantuæ, cum duobus suis filiis, per Dominum Lodoycum de Gunzaga civem Mantuæ, propter horribile dominium.

Millesimo eodem.

Die Sabbati post nonam, III. mensis Septembris, Dominus Marsilius quondam Domini Perenzani de Carraria, electus, & confirmatus fuit Capitaneus Populi Paduani, Civitatis Paduæ, per Consilium Majus, & per Anzianos, & Gastaldiones, & multos Sapientes. Et factus, & confirmatus fuit in pleno arengo majoris Palatii, Populo ignorante de tractatu, quod fecerat cum Domino Cane.

Dominus Perenzanus de Rubeis ejus consanguineus electus incontinenti Potestas Paduæ. Et acceptavit, & accepit Regimen, & remansit in Palatio Communis. Et Dominus Griffo Theotonicus, qui tunc erat Potestas, cassatus, & licentiatus, cum Domino Hengelmario fratre suo, qui tunc erat Vicevicarius Civitatis Paduæ pro Duce de Carentana; & omnes alii Theotonici soldati, cassati, & licentiati fuerunt incontinenti à custodia Civitatis, & à soldo Paduanorum, facta sibi solutione de tempore præterito incontinenti. Et die Martis VI. dicti mensis Septembris, Dominus Marsilius noviter Capitaneus factus, misit ad Dominum Canem in Civitate Vicentiæ, videlicet Dominum Pantaleonem, cum aliis ambaxatoribus, ad dandam Vicariam Civitatis Paduæ. Et ipsemet Dominus Marsilius Capitaneus, die Mercurii sequenti, ivit ad dictum Dominum Canem, portando secum claves Civitatis, quia noluit se movere, nisi dictus Dominus Marsilius personaliter veniret ad eum. Et tunc die Sabbati post vesperas, parum ante Completas, dictus Dominus Canis cum maxima quantitate Militum, & multorum Nobilium, unà cum Domino Marsilio vênit Paduam, & habuit Civitatem Paduæ, & dismuntavit in Episcopatu Paduæ, & ibi mansit. Et die Dominica, ante Tertiam, XI. mensis Septembris, ascendit in Palatium magnum. Et iterum electus fuit Vicarius Civitatis Paduæ per ipsum Dominum Marsilium, & Anzianos, Gastaldiones, & alios multos Sapientes in pleno arengo, & pleno Palatio multitudine civium, & in dicto arengo Dominus Canis elegit dictum Dominum Marsilium suum Vicarium.

Millesimo eodem.

Die Mercurii, in Festo Sancti Matthæi, in quo fuerunt quatuor Tempora, XXI. mensis Septembris, Dominus Bernardus de Arvaris de Verona Potestas Paduæ. Electus pro nobili & altissimo Domino Cane de la Scala Vicario Generali Civitatis Paduæ. Qui Potestas incontinenti juravit Regimen in pleno arengo, & remansit in Palatio Communis Paduæ.

Millesimo eodem.

Idem Dominus Bernardus de Arvaris de Verona Potestas Paduæ. Et suo tempore die XXV. mensis Novembris in festo Beatæ Katarinæ, magna Curia facta & celebrata fuit in Civitate Veronæ per Dominum Canem Grandem de la Scala, & ibi triginta & novem Milites per dictum Dominum Canem fuerunt honoris militiæ decorati: scilicet de Venetiis,

Dominus Nicolaus de Ca Fuschari, qui fuit primus. De Padua,
Dominus Marsilius Domini Perenzani de Carraria,
Dominus Philippus de Peraga,
Dominus Obizo de Papafavis,
Dominus Marsiliettus de Papafavis,
Dominus Jacobus de Papafavis,
Dominus Aycardinus Caput Vaccæ,
Dominus Ubertinus Domini Jacobini de Carraria,
Dominus Rizardus dictus Tartarus de Lendenaria,
Dominus Tyso Domini Tysonis de Campo Sancti Petri,

Do-

Digitized by Google

Dominus Franciscus Frasalasta de Capite Vaccæ,
Dominus Tan, dictus Guercius, de Montagnana,
Dominus Dux de Buzacharinis,
Et etiam supradictus Dominus Bernardus Potestas Paduæ. Et de pluribus partibus multi alii.

Et de sequenti mense Decembris, in festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Dominus Philippus de Peraga ad domum Fratrum Minorum de Padua fuit sepultus.

MCCCXXIX.

Idem Dominus Bernardus Potestas Paduæ. Et in dicta Potestaria, & millesimo, Dominus Canis vênit ad Civitatem Paduæ die II. mensis Julii. Et die IV. dicti mensis equitavit cum maximo guarnimento, & maximis victualibus de Padua, de Vicentia, & de Verona, & de pluribus aliis partibus, versùs Civitatem Tarvixii, & die illa fuit usque ad Villam Plombini, & illa nocte ibi mansit. Et sequenti die Mercurii in manè ordinati fuerunt per dictum Dominum cum suo consilio multi cursores, qui viriliter curreruut usque ad portam Civitatis Tarvixii, & ibi mortuus fuit quidam probus Miles, qui vocabatur Dominus Otto; Ultramontanus erat, & erat stipendiarius Domini Canis. Et eadem die Dominus Canis cum suo exercitu vênit inter burgos Civitatis Tarvixii, & dictus Dominus Canis dismontavit, & stetit in Monasterio, quod vocatur Sancti Quaranta, & ibi stetit XIV. dies. Et tunc data fuit ei Terra per cives Tarvixinos, & per Dominum Avogarium de Noale, qui erat caput dictæ Terræ. Et illa die Martis XIV. intravit Dominus Canis cum tota sua baronia, & honore magno in dicta Civitate. & dismontavit in Episcopatu; & electus fuit per Magnates, & Populares Civitatis Tarvixii Dominus Generalis. Et ibi stetit dicta die Martis, die Mercurii, die Jovis, & die Veneris. Die Sabbati in Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ dictus Dominus Canis migravit ad Dominum. Et incontinenti portatum fuit corpus suum Veronæ, & cum maximo honore, dolore, fletu, & tristitia sepultum fuit.

Incontinenti Dominus Marsilius de Carraria, qui erat in Civitate Tarvixii, equitavit Paduam, & narravit in Consilio, post sonum tertiæ campanæ in sero, mortem Domini Canis. Et ibi electi fuerunt in dominio, custodia, & protectione Civitatis Paduæ, Dominus Albertus, & Dominus Mastinus quondam Domini Albuini de la Scala. Et iverunt Ambaxatores de Padua Veronæ ad dictos Dominos requirendos. Et die Jovis XVII. dicti mensis, dictus Dominus Albertus vênit cum maximo honore ad Civitatem Paduæ, quasi in hora sexta, & ivit super Palatium majus, & fuit ibi maximum arengum, & electus, & confirmatus fuit cum fratre suo Domino Mastino, in loco avunculi sui Domini Canis.

MCCCXXIX.

Dominus Galeotus de Mazis de Brixia Potestas Paduæ. Et vênit ad dictam Potestariam die X. mensis Novembris in Vigilia Sancti Martini, & incontinenti illa die intravit in Regimine. Et suo tempore, die Mercurii, XXIX. dicti mensis, Dominus Obizo de Papafavis migravit ad Dominum.

MCCCXXX.

Dominus Balardinus de Nogarolo de Verona Potestas Paduæ. Et ivit in Palatio die XIX. mensis Aprilis sub dominatione Dominorum Alberti, & Mastini de la Scala.

MCCCXXXI.

Idem Dominus Balardinus.

MCCCXXXII.

Idem Dominus Balardinus.

Millesimo Eodem.

Dominus Tadæus de Ubertis de Florentia Potestas Paduæ. Et intravit in dicta Potestaria die primo mensis Madii sub dominatione Dominorum Alberti, & Mastini de la Scala.

Millesimo Eodem.

Dominus Petrus del Mesa de Verona Potestas Paduæ. Et intravit in dicta Potestaria die primo mensis Novembris, sub dicta dominatione.

MCCCXXXIII.

Idem Dominus Petrus. Et confirmatus fuit in Potestaria die primo mensis Madii, sub dicta dominatione.

MCCCXXXIV.

Idem Dominus Petrus.

Millesimo Eodem.

Dominus Fredericus de Ubertis de Florentia Potestas Paduæ. Et intravit in dicta Potestaria die primo mensis Novembris, sub dicta dominatione.

MCCCXXXV.

Dominus Balardinus de Nogarolo Potestas Paduæ. Et ivit in Palatium die primo mensis Madii, & die VI. mensis Junii Domina . . . . . . filia Federici de Aragona vênit Paduam, & dismontavit in domo Dominæ Agnetis uxoris Domini Alberti de la Scala.

MCCCXXXVI.

Dictus Dominus Balardinus. Et de mense Aprilis Dominus Rolandus, & Dominus Marsilius de Rubeis fratres de Parma recesserunt de Padua versùs Venetias. Et Dominus Petrus ejus frater, qui erat Veronæ, ivit Pontremulum, & revellavit Dominis de la Scala.

MCCCXXXVI.

Dominus Federicus ab Equis de Verona Potestas Paduæ. Et intravit in Potestaria die primo mensis Madii. Et suo tempore Dominus Gerardus de Camino intravit in Castro Overcii, & revellavit dictum Castrum Dominis Alberto, & Mastino de la Scala. Et Dominus Albertus equitavit cum magno exercitu, & dictum Castrum per vim ceperunt, & ibi fuit captus dictus Dominus Gerardus, & ductus Veronam, & ibi incarceratus. Et post paucos dies Domini de la Scala per pactum habuerunt Castrum Camini.

Item die XXVI. mensis Octobris, Nobilis Miles Dominus Petrus de Rubeis de Parma Generalis Capitaneus guerræ, & totius Ligæ Venetiarum, & Florentiæ, equitavit cum magno exercitu in districtum Paduanum & destruxit, & combussit multas Villas in insula Campi Nogariæ. Et reversus fuit in Terram Plebis Sacci cum toto exercitu, & ibi stetit circa octo dies. Postea ivit cum toto exercitu in Villam Buvolentæ, & ibi fecit unam magnam forteciam, & ibi stetit cum toto suo exercitu sem-

Digitized by Google

semper deprædando, & comburendo usque inter burgos Civitatis Paduæ. Et tunc factum fuerat unum Castrum fortissimum ad Salinas per Dominos Albertum, & Mastinum de la Scala, qui volebant facere talem contra voluntatem Venetorum. Quod Castrum captum fuit per vim pro dicto exercitu, & cum auxilio Venetorum, & totius Ligæ suæ, & totum Castrum destruxerunt, & portaverunt Venetias.

MCCCXXXVII.

Dominus Guido Riccius de Fojano de Regio Potestas Paduæ. Et intravit in Regimine die IV. mensis Januarii. Et suo tempore Dominus Petrus Rubeus de Parma, cum certa quantitate militum, & peditum, die XXIX. Januarii venerunt ad portam Omnium Sanctorum, & dictam portam, cum pluribus domibus combusserunt, malo velle Dominorum Alberti, & Mastini de la Scala, qui erant ibi præsentes, & ausi non fuerunt defendere.

Item die VI. mensis Februarii de nocte, aperta fuit porta spaldi Sancti Johannis à navibus, & dictus Dominus Petrus, qui erat extra portam, cum magna quantitate militum, & peditum, illa hora noluit intrare; & illi intrinseci, qui aperuerunt portam, recesserunt cum eo.

Item die VII. mensis Martii revellavit Castrum Tervillis Dominis de la Scala, & revellatus fuit per Dominum Guillielmum de Campo S. Petri.

Item die XI. mensis Martii revellavit Castrum Cittadellæ Dominis de la Scala, & homines dicti Castri interfecerunt Vicarium, qui ibi erat pro Domino Alberto, & Mastino.

Item die XIV. mensis Martii captum fuit Castrum Campi Sancti Petri per Dominum Guillielmum de Campo Sancti Petri, quod Castrum tenebatur per Dominum Marsilium de Carraria.

Item die Dominica, tertio mensis Augusti, incontinenti post prandium, Dominus Petrus Rubeus de Parma, & Dominus Marsilius ejus frater, & Dominus Andriaxius ejus consanguineus, cum multis militibus, intraverunt Paduam per portam Pontis Curvi, & venerunt ad plateam, cum maximo gaudio omnium civium, & de consensu Domini Marsilii, & Domini Ubertini de Carraria. Et ibi captus fuit Dominus Albertus de la Scala, & Dominus Guido Riccius, qui tunc erat Potestas, cum multis aliis Veronensibus, & omnes Veronenses, & cortexani, cum maximo furore fuerunt derobati. Et nullus homo fuit interfectus, nisi Dominus Dominicus de Agrapatis, & quidam Notarius, qui vocabatur Crispus, qui propter inimicitiam fuerunt occisi. Et incontinenti, die Lunæ sequenti, Dominus Petrus Rubeus, & Dominus Ubertinus de Carraria, cum magno exercitu equitaverunt ad Montemsilicem. Et die Jovis VII. mensis Augusti, quidam intrinsecus Terræ Montissilicis, cum una lancea vulneravit Dominum Petrum Rubeum in quadam rixa, tali modo, quòd sequenti die Veneris mortuus fuit, & sequenti die Sabbati, Paduæ, ad locum Fratrum Minorum; & Dominus Marsilius Rubeus frater dicti Domini Petri, die Veneris XV. mensis Augusti, nesciens de morte dicti fratris sui, morte naturali, ad dictum locum, fuit sepultus.

Die Mercurii XXVII. mensis Augusti, Dominus Albertus de la Scala ductus fuit Venetias per Dominum Rizardum dictum Tartarum de Lendenaria, & per Dominum Jacobinum de Peraga, de consensu, & voluntate Domini Marxilii de Carraria Vicarii Civitatis Paduæ, & districtus. Et dictus Dominus Albertus Venetiis in magno Ducatu fuit incarceratus.

Millesimo eodem.

Dominus Marcus Cornerius de Venetiis Potestas Paduæ. Et die primo Septembris intravit in Regimine. Et toto suo tempore stetit exercitus circa Castrum Montissilicis, cum maximo damno civium Paduæ. Et incœpti fuerunt muri Civitatis Paduæ, de præcepto Domini Marsilii de Carraria.

MCCCXXXVIII.

Indictione VI. Dominus Marinus Falerius de Venetiis Potestas Paduæ. Et montavit in Palatio die primo mensis Martii. Et die X. mensis Martii Dominus Ubertinus de Carraria electus fuit Capitaneus Generalis Civitatis Paduæ, & districtus, eo quòd Dominus Marsilius graviter infirmabatur. Et dictus Dominus Ubertinus electus & factus fuit Capitaneus in Palatio in magno arengo, tali pacto, & conditione, si Dominus Marsilius decederet.

Postea die XXI. dicti mensis, in Festo Sancti Benedicti, Dominus Marsilius de Carraria migravit ad Dominum, & eadem die sepultus fuit cum maximo honore ad locum Fratrum Minorum. Et die primo mensis Madii, obiit Dominus Antonius de Lucio Venetiis, & ductus fuit Paduam, & die sequenti cum maximo honore ad locum Fratrum Minorum sepultus.

Postea die XIX. mensis Augusti, Paduani intraverunt per pactum in Castrum Montissilicis, & habuerunt totam Terram, sed non Roccham, quia non fuit pactum habere Roccham. Et eadem die Dominus Petrus del Verme, qui tunc erat Capitaneus in dicto Castro, exivit extra cum majori parte stipendiariorum, & recessit cum magna arrogantia versùs partes Rodigii, & erat Miles, Veronensis civis.

Post

Digitized by Google

Post alium MS. Codicem Rolandini ex Musæo Senatoris Amplissimi DOMINICI MOLINI Veneti ab Anno MCLXXIV. usque ad Annum MCCXCV. totidem ferè verbis habentur quæ dedimus sub iisdem annis ex Codicibus Papafavio, & Corradino: ab Anno verò MCCXCV. usque ad MCCCXXXVI. alia multa leguntur, quæ in prædictis Codicibus desiderantur. Quamobrem in primis annis lectiones hujuscemodi Codicum varias afferemus: in aliis integra producemus, quæ exstant in solo Codice Molinæo.

Variæ lectiones Codicum Papafavii, Corradini, & Molinæi ab Anno MCLXXIV. usque ad MCCXCV. Prima verba sunt Codicum Papafavii, & Corradini: alia alterius characteris, Codicis Molinæi.

A Quod tempora Potestatibus antescripta. *Quod tempora Potestatum antescripta*.

MCLXXV.

Dominus Albertus de Offa de Mediolano. Deest *De Offa*.

MCLXXVIII.

Potestas Paduæ. *Potestas Paduæ fuit*.

MCLXXIX.

Dominus Wilielmus Tempesta. &c. *D. Guglielmus Tempesta. &c.*

MCLXXX.

De Orlando Paduanus Potestas. Desideratur *Paduanus*, ut infra in Consulibus trium annorum sequentium.

MCLXXXVIII.

B Et Terisius Veronensis interfecit Comitem Saurum &c. *Et Trensius Ver. interf. Saurum*.

MCXC.

Idem Dominus Guilielmus. *Idem D. Guliel-mus*.

MCXCIII.

Idem Dominus Ubertus Potestas Paduæ. *Idem D. Ubertus Vicecomes de Placentia Potestas Paduæ*.

MCXCVIII.

Factum Carmegnani. *Factum Carmignani*.

MCC.

Confalonerius Potestas Paduæ. *Confalonerius factus fuit Potestas Paduæ*.

MCCI.

C Dominus Zianus de Venetiis. Abest *de Venetiis*.

MCCIV.

Factum Castri Campreti. Deest *Castri*.

MCCV.

Dominus Baroccius. *D. Barotius*.

MCCVI.

Dominus Mafredinus. *D. Manfredinus*.

MCCVII.

Dominus Bernerius Mastallus, &c. *D. Bernerius Mastellus. &c.*

MCCIX.

Dominus Jacobus de Vialardo. *D. Jacobus de Vilardo*.

MCCXI.

D Dominus Ato. *D. Atto*.

MCCXII.

Dominus Barocius de Cremona. *D. Barotius Mastellus de Cremona &c.*

MCCXIV.

Dominus Albizus Florentinus. *D. Albricus Florent.*

MCCXV.

Widonis Wizardo. *Guidonis de Guizardo*, ut infra.

MCCXVI.

De Warinis. *De Barinis*.

MCCXVIII.

Palatium Paduanum. *Palatium Paduæ*.

MCCXX.

Dominus Bernardus Baronus. Deest *Baronus*.

Widonis de Wizardo. *Guidonis de Guizardo*, ut supra.

MCCXXII.

Incipiente scilicet XXIII. anno. *Incipiens 1223*.

MCCXXIII.

Castri de Fratta. *Castri de la Frata*.

MCCXXIV.

Robertus de Cocorezo. *Robertus de Concorezo*.

MCCXXV.

Otto de Mandello de Mediolano. Deest *de Mediolano*.

MCCXXVI.

Hic non finivit Potestariam. *Hic n. f. suam Potestariam*.

MCCXXVII.

Widonis de Wizardo. *Guidonis de Guizardo*.

Majoris Ecclesiæ de Padua. *Major. Eccel. Paduæ*.

MCCXXVIII.

Et Exercitus Paduanus. *Dicto anno exercitus Paduanus*.

Et Willielmum de Campo Sancti Petri. *Et D. Guilielmum de Campo S. Petri*.

MCCXXIX.

Dominus Johannes Dandalus de Venetiis. *D. Joannes Dandulo Potestas Paduæ*.

MCCXXX.

Badoarius de Venetiis. Desideratur, *De Venetiis*.

Et Leniacum. *Et Legnagum*.

Suam Potestatem. *Suum Potestatem*.

Et quosdam nobiles de Verona. *Et quosdam alios nobiles de Verona*.

MCCXXXI.

Wiffredus. *Guifredus*.

MCCXXXII.

Dominus Bernardus de Riviolis. *Dominus Bernardus de Rivolis*.

Ad Anoale. *Ad Noalem*.

MCCXXXIV.

Otto de Mandello de Mediolano. Abest, ut supra, *de Mediolano*.

MCCXXXV.

Idem Dominus Otto, &c. *Otto de Mandello Potestas Paduæ*.

Digitized by Google

MCCXXXVI. A

De Gisleriis. *De Gisteriis*.

MCCXXXVII.

Pro Imperatore. *Pro D. Imperatore*.

MCCXLII.

Mense Junii. *Mense Januarii*.

MCCXLIV.

Dominus Wizardus. *Dominus Guizardus*.

MCCXLVII.

Dominus Wecili. *Dominus Guecili*.

MCCXLIX.

Et hoc anno cepit Ecceliuus Villam, & Roccam de Este, &c. *Hoc anno c. E. Villam Rocham de Esti &c.*

MCCL.

De Widotis. *De Guidotis*. B

MCCLII.

Idem Dominus Ansedisius Potestas Paduæ. *Idem D. Ansedisius prædictus Pot. Pad.*

MCCLIV.

Idem Dominus Ansedisius Potestas Paduæ. *Idem D. Ansedisius prædictus Pot. Pad.*

MCCLV.

Nomina Potestatum, & Rectorum à captione Civitatis Paduæ. Habetur hic titulus infra post Annum MCCLVI. his verbis. *Nomina Potestatum, & Rectorum à captione Civitatis à Domino Eccelino de Romano*.

MCCLIX.

Dominus Wido. *D. Guido*.

Captus est & mortuus. Desideratur, *& mortuus*. Mense Septembris. *Die XIV. Septembr.* C

MCCLX.

Dominus Matthæus Quirinus. *D. Marcus Quirinus*. Et filiabus in Castro Sancti Zenonis. *Et filiabus suis in Castro &c.*

Incœpit Baptisterium. *Incipit Baptisterium*.

MCCLXII.

Dominus Wibertus. *D. Guibertus*.

MCCLXIV.

Laurentius Theopolus. *Laurentius Theupolus*.

MCCLXVI.

Dominus Jacobinus Rubeus. Deest. *Rubeus*. D

Carrocium &c. *Carrotium Paduæ, & multum factum pulchrum, quod Eccelinus olim fecerat putrescere, ita quòd de ipso nihil reperiebatur, præter antennam &c.*

In anno præsenti in Padua obiit Beatus Antonius Peregrinus. Deest. *In Padua*. Et in fine habetur *1266*.

MCCLXVIII.

Die Sabbati III. intrante Novembri. *Die Sabbati intrante Novembri*.

MCCLXIX.

De Correza. *De Coreza*.

Hoc anno &c. *Hoc anno loza facta fuit*.

MCCLXX.

Dominus Thomasinus Zustignanus. *D. Thomaxinus Justinianus*. E

Murus Spaldi Communis Paduæ. *Murus Spaldi Civitatis Paduæ*.

MCCLXXI.

Hic Potestas, & Rector. *Hic Potestas secum Chronicam &c.*

MCCLXXIV.

Dominus Gothfredus. *D. Gothofredus*.

Domus Dei. *Dominus Dei de Padua*.

Quæ valuit. *Quod valuit*.

MCCLXXVII.

Dominus Matthæus Quirinus de Venetiis. Abest *de Venetiis*.

MCCLXXVIII.

Dominus Marinus Valarese. *D. Marinus Valaresso*.

Die IV. intrante Novembri. *Die IV. Novemb.*

Cittadantiæ. *Citadinantiæ*.

MCCLXXIX.

De Auximo. *De Auxinio. Hic Potestas Paduæ &c.*

MCCLXXX.

Dominus Matthæus de Corrigia &c. Variat hìc Molinæus Codex, non modo in serie Potestatum, sed etiam in rerum ordine, usque ad annum MCCLXXXV. hoc pacto. *Dicto anno*. (ideſt MCCLXXIX.) *D. Matthæus de Corigia de Parma suprascriptus Potestas Paduæ. Hoc anno ivit exercitus Paduanus de mense Maji cum suo Carotio ad Villam Novam contra Veronenses, & ibat exercitus faciendo guastum usque ad Sanctum Martinum de Bonoalbergo, & inde usque ad Burgos Civitatis Veronæ. Et hoc anno D. Gerardus de Camino in Civem Paduæ fuit assumptus.*

MCCLXXX.

D. Henricus de Auro de Venetiis Potestas Paduæ. Hoc anno facti fuerunt quatuor Pontes lapidei, videlicet Pons Baxanelli, Pons Graditiorum, Pons S. Mariæ de Porcilia, & Pons, qui est à Porta D. Guidonis de Lucio.

MCCLXXXI.

D. Ubertus de Frescobaldis de Florentia Potestas Paduæ.

MCCLXXXII.

D. Veri de Circulis de Florentia Potestas Paduæ. Hoc anno factus fuit Pons lapideus S. Leonardi.

MCCLXXXIII.

D. Fantonus de Rubeis de Florentia Potestas Paduæ: à Festo Circumcisionis usque ad Festum S. Petri de Junio. Hoc anno medio in die S. Joannis Baptistæ obiit Ven. Pater D. Joannes de Forzatè Episcopus Paduanus.

MCCLXXXIV.

Idem Dominus Fantonus Potestas Paduæ à Festo S. Petri de Junio, usque ad unum annum. Hoc anno facta fuit domus, quæ est circa turrem Communis, ubi fiunt Consilia Generalia. Et hoc anno circa Festum Nativitatis Domini omnes Carcerati carcerum maleficii extracti fuerunt de carceribus amore Dei.

MCCLXXXV.

Pons lapideus Sancti Joannis, &c. Deest *Lapideus*.

MCCLXXXVI.

De Manzatoribus. *De Manzanonibus*. Fortè pro de *Manzonibus*.

MCCLXXXVIII.

Inter Clericos Paduæ, & Commune Paduæ. *Inter Clericos Paduæ, & Commune*.

MCCLXXXIX.

Dominus Percevallis, &c. *D. Precevallis de Mandello de Mediolano, qui fuit frater suprascripti D. Otholini Potestatis Paduæ*.

In sindicatu. *Ad sindicatum*.

Quòd nec ipse, nec aliquis. *Quòd ipse, nec aliquis de ejus domo numquam possit ad Civitatis Paduæ regimen pervenire*.

MCCXC.

Pax, & fraternitas. Abest, *Et Fraternitas*.

Dominus Berroardus. *D. Beroaldus*.

Domes Vicentinus. *Comes Vicentiæ*.

MCCXCI.

Digitized by Google

MCCXCI

De Seratico. *De Saratico*.

Quo sic negotio procedente. *Quo sic negotio permanente, & procedente*.

Publicè decollati. Deest *Publicè*.

MCCXCII.

Obizo. *Obitio*.

Et in Vicentiam ducti. *Et Vicentiam ducti*.

In ipsius Communis Campo Martio. *In ipsius Campo Martio*.

MCCXCIII.

Fratres Filii. *Fratres, & filii*.

Derelictum cum uxore, & suis filiis. *Derelictum se ipsum cum uxore, & suis filiis, &c.*

Qui eum minimè receperunt. *Qui Bononienses minime receperunt*. Pro. *Quem Bononienses minimè receperunt*.

Dirupta. Dejecta fuit in terram. *Dirupta, & dejecta sunt. Et dejecta fuit in terram &c.*

Fratalia. *Fratalea*.

Castaldioni. *Gastaldioni*.

Frataliæ. *Frataleæ*.

Communantiæ fuit traditum. *Communantiæ Paduæ fuit traditum*.

Castaldionibus. *Gastaldionibus*.

Etiam in præsenti regimine. *Et in præsenti regimine*.

Attacis. *Aticis*.

Tentoria. *Temporia*.

Circa Castrum de Veneze. *Citra castrum de Veneze*.

Terras Burbulii. *Terras Burbuli*.

Et omnes alii venturi. *Et omnes venturi*.

Præsentis Werræ. *Præsentis Guerræ*.

Per Antianos tali modo electis. *Per Antianos electis*.

Utrum essent ad dictum officium idonei. *Utrum ad dandum officium essent idonei*.

Pro suo salario. *Pro salario*.

Similiter tantùm per sex menses ibi regere debebant, & pro suo salario &c. *Similiter pro suo salario*. Cetera desiderantur.

In prædicto millesimo facta sunt &c. *In prædicto millesimo CCXCIII. facta sunt, ac etiam prædicto Rectore manente D. Nicolaus Maurocenus Potestas Paduæ à Festo S. Petri de Junio*.

MCCXCIV.

Dominus Nicolaus Maurocenus de Venetiis &c. In Molinæo: *fuit Dominus Nicolaus prædictus Potestas Paduæ*. Anno MCCXCIII. *ut apparet ex prædictis immediatè ante*: Anno verò MCCXCIV. *Dominus Conradus de Montemagno*.

Ad Festum Circumcisionis Potestas Paduæ. *Ad Festum Circumcisionis Domini nostri, &c.*

Hoc regimine. *Sub hoc regimine*.

Turris vetus Communis Paduæ, quæ est prope aliam turrim ad domum Antianorum. *Turris vetus Communis Paduæ; sed non completa, quæ turris prope aliam turrim, & domum Ancianorum est*. Et hæc ampliùs. *Hic per Paduanos mœnia Estensis Rochæ, ac Cerri, & Calaonis fuerunt destructa in funditus*.

MCCXCV.

Dominus Conradus de Monte Magno &c. In Molinæo: *hic Conradus fuit Potestas Paduæ*, Anno 1294. & 1295. ut constabit ex iis, quæ ex illo Codice subdentur infra.

De Junio Potestas Paduæ. Desunt postrema verba, *Potestas Paduæ*.

Fratalia. *Fratalea*.

Castaldiones. *Gastaldiones*.

Mensis cujuslibet. Abest. *Cujuslibet*.

Deberet. *Deberent*.

Celebrare. *Celebrari*.

Castaldiones. *Gastaldiones*.

Super statu. *Super statum*.

Hic etiam completa fuit Turris vetus, quæ est &c. *Hic completa fuit turris, quæ est &c.*

Hic facta fuit per Commune Paduæ Turris, quæ est ultra flumen Attacis in opposito Castri Baldi. In Molinæo eadem sic leguntur. *Hic facta fuit turris ultra flumen Aticis per Commune Paduæ ex opposito Castri Baldi. Amen*.

Quæ sequuntur habentur in solo Codice Molinæo.

MCCXCV.

DOminus Conradus de Montemagno de Pistorio Potestas Paduæ.

MCCXCV.

Item eodem millesimo CCXCV. D. Fantinus de Rubeis de Florentia.

Papa Cœlestinus renuntiavit Papatui, deinde Bonifacius Papa electus fuit, & carcerari fecit Cœlestinum Papam, qui obiit in carceribus.

MCCXCVI.

D. Conradus Novellus de Montemagno Potestas Paduæ.

MCCXCVI.

D. Brunetus de Brunaleschis de Florentia, Potestas Paduæ.

MCCXCVII.

D. Blasius de Tholomæis de Senis Potestas Paduæ.

Eodem.

D. Franciscus de Cremonensibus de Pistorio Potestas Paduæ.

Hic Comes Guido de Monte Feltro dux bellorum ingreditur Ordinem Fratrum Minorum.

MCCXCVIII.

Dominus Ungharus de Odis de Perusio Potestas Paduæ.

MCCXCVIII.

D. Bertoldus de Malpileis de Sancto Miniato Potestas Paduæ.

Hoc anno de mense Septembris in Vigilia Sanctæ Mariæ Veneti victi hostiliter fuerunt à Januensibus in mari Adriatico, in loco ubi dicitur Crucula, & fuerunt captivati VII. millia Venetorum, & pax facta fuit arbitrio Mafei Vicecomitis de Mediolano.

MCCXCIX.

D. Karolus de Cautis de Pistorio, Paduæ Potestas.

MCCXCIX.

Dominus Neri de Bardis de Florentia, Potestas Paduæ.

MCCC.

D. Nicolaus de Bonsegnoribus de Senis Potestas Paduæ. Hoc anno Milites, & Nobiles, & alii Judices Paduæ, & Frataleæ Paduæ fuerunt in hastiludis, & aliis solaciis cum pulchris vestibus, quas omnes donaverunt hominibus Curialibus, publicam lætitiam propter Paduæ maximam libertatem. Et dicto anno fuit in Roma magna Indulgentia omnium peccatorum, propter quod Bonifatius Papa infinitum aurum congregavit.

Digitized by Google

MCCC.

Dominus Nicolaus de Circlis de Florentia Potestas Paduæ.

MCCCI.

Bertolinus de Mazis de Brixia Potestas Paduæ.

MCCCI.

Brondigus de Saxoferrato Potestas Paduæ. Hoc anno illi de Circlis expulsi fuerunt de Florentia.

MCCCII.

Besentonus de Apignano Potestas Paduæ.

MCCCII.

Florenus de Pontecarali de Brixia Potestas Paduæ.

MCCCIII.

Dominus Marinus Badoarius de Venetiis Potestas Paduæ.

MCCCIII.

Dominus Valaresse Andreas de Venetiis Potestas Paduæ. Hoc anno captus fuit Bonifatius Papa per gentem Regis Franciæ tractatu, & opera illorum de Columpna. Deposuerat enim à Cardinalatu, & Petrum, & Jacobum de Columpna, qui restitutus Bonifatius propriæ libertati, & hostibus fugatis obiit Romæ. Et eodem anno electus fuit Papa Benedictus Frater Prædicatorum, natione Tarvixinus, qui obiit infra annum. Et postea electus est Papa Clemens de Guasconia, qui restituit in integrum Petrum, & Jacobum de Columpna.

MCCCIV.

Rubeus de Castello Potestas Paduæ. Dicto anno incœpta fuit discordia inter Paduanos, & Venetos propter Castrum Salinarum, & Paduani ceperunt Castra Venetorum. Et deinde Veneti supervenientes cum navibus suis, & recuperatis suis Castris ceperunt Paduanos; & postea facta est pax, quod in locis contentionum nullæ fierent novitates, donec per Arbitros eligendos per partes omnia fuerint solemniter determinata.

MCCCIV.

Montanus Marinus de Civitate Januæ Potestas Paduæ.

MCCCV.

Pax de pacibus de Bononia Potestas Paduæ.

MCCCV.

Tarabotus de Tarabotis de Anchona Potestas Paduæ.

MCCCVI.

Poncinus de Picinardis de Cremona Potestas Paduæ.

MCCCVI.

Bassanus de Fusiraga de Laude Potestas Paduæ.

MCCCVII.

Federicus Ponzonus de Cremona Potestas Paduæ.

MCCCVII.

Ungarus de Odis de Perusio Potestas Paduæ.

MCCCVIII.

Franciscus Bonesegus de Bitonio Potestas Paduæ.

MCCCVIII.

Pinus de Bernacis de Gubio Potestas Paduæ. Eodem anno obiit Dominus Azzo Estensis Marchio in Este, relicto Domino Francisco Fiosto, filio naturali, expulso de Ferraria D. Francisco ejus Fratre. D. Franciscus Marchio Ecclesiam Romanam contra Nepotem naturalem suum concitavit: & tunc Rodigium dedit Communi Paduæ, & Fres-

chus dedit Ferrariam Communi Venetiarum. Veneti autem expulsi fuerunt de Ferraria, & exercitum locaverunt in Castro Tealdo.

MCCCIX.

Manus de la Brancha de Gubio Potestas Paduæ.

MCCCIX.

Franciscus de Cremonensibus de Pistorio Potestas Paduæ. Eodem anno, & mense Augusti Veneti expelluntur de Castro Tealdo, & Ferrariensi districtu per Ecclesiam, ubi duo millia sepeliuntur in una fovea, exceptis submersis in Pado.

MCCCX.

Dominus Gentilis de Filipensibus de Urbe Veteri Potestas Paduæ. Mense Junii quidam Nobiles Veneti voluerunt nomine Romanæ Ecclesiæ succurrere statum Venetiarum. Unde Dominus Badoarius miles decapitatur, & Bajamonte Theopilus cum aliquibus de Cha Quirino, & aliis multis perpetuò fuerunt forbanniti. In Romana autem Ecclesia receptis à Communi Venetiarum centum mille Florenis, de Venetis expulsis parum curans, Commune Venetiarum ab excommunicationis vinculo liberavit.

MCCCX.

Tholomæus de Tortexis de Cremona Potestas Paduæ. Hoc tempore Padua erat in Communi statu excelso. Episcopus de Constantia intrans Paduam annuntiavit Henricum de Lucemburg electum fuisse Romanorum Regem, venturum Romam pro corona Imperii.

MCCCXI.

Dominus Albertus de Castello Potestas Paduæ. Dicto anno Henricus Romanorum Rex coronatur in Mediolano circa Epiphaniam. Vicentia extracta est de protectione, & dominio Paduæ per Veronenses mandato Imperatoris, die XV. mensis Aprilis.

MCCCXI.

Rodulphus de Sancto Miniato Potestas Paduæ, mense Julii. Fuit duobus mensibus, cui successit Vicarius Imperii Gerardus de Yzola. Imperator obsedit Brixiam, & eam cepit.

MCCCXII.

Gerardo de Yzola existente Vicario Imperatoris, Padua tunc revellavit Imperatori, & tunc mortuus est Dominus Rizardus de Camino. Vicentini fuerunt fugati in Quartexolo, & Vicentia tunc quoque capta fuit per Paduanos, & ceperunt Burgum Marosticæ. Dominus Canis de la Scala cepit Motam.

MCCCXII.

Jacobus de Rubeis de Florentia Potestas Paduæ. Exercitus Paduanus transivit in Berengam, & cepit Pojanam. Et facti fuerunt multi exercitus contra Vicentinos, & data fuit potestas D. Guicillo de Camino tunc eligendi Potestatem Paduæ, qui elegit Bertuum de Samaritanis de Bononia.

MCCCXIII.

Bertuus de Samaritanis de Bononia Potestas Paduæ. Dicto tempore Lutium, ubi Dominus Nicolaus dominabatur, revellavit Communi Paduæ. Unde Paduani equitaverunt ultra flumen Atticis contra Veronenses die primo Februarii.

Item eodem millesimo Dominus Guicellus de Camino expulsus fuit de Tarvixio, & exercitus

citus Paduæ fuit ad portas Veronæ. Sulumanus revellavit in Castro Brazoli, & postea mortuus fuit. Et Castrum postea destructum fuit. Et Comes Goritiæ, Montagnonos, Paduanos, & Tarvisinos tunc fugavit.

MCCCXIII.

Nicolutius de Carbole Potestas Paduæ. Tunc exercitus Paduanus existens in Monte-bello. Illo tunc obiit Imperator Henricus, & ipso mortuo tunc electus fuit Ludovicus Ricus Dux Austriæ.

MCCCXIV.

Tinus de Rubeis de Arimino Potestas Paduæ. Iste fuit expulsus de Regimine, quia multi fuerunt confinati cives de Padua contra voluntatem illorum de Carraria, & hujus operis Auctores fuerunt Petrus de Altichinis, & alii complices sui. Et illo tunc Ronchus, cum filiis suis fuerunt lacerati in plateis Communis.

MCCCXIV.

Ponzetus de Ponzonibus de Cremona Potestas Paduæ. Illo tunc Vicentini fugati fuerunt juxta Fontanivam, & tunc captus fuit Guilelmus de Beltrame, qui vulneribus obiit in carceribus de mense Septembri. Et illo tunc Dominus Canis de la Scala Paduanos, qui ceperant Burgum Sancti Petri, fugavit. Et illo tunc cepit D. Jacobum de Carraria, & secum duo millia, & facta pace propter hoc cum Domino Cane, dicti carcerati relaxati fuerunt.

MCCCXV.

Franciscus de Carbullo Potestas Paduæ.

MCCCXV.

Ugolinus de Lazaris de Bononia Potestas Paduæ. Illo anno Ugutio à Faxola Dux Pisarum, & Lucæ in bello Montis Catini fugavit Principem, Fratrem Regis Roberti, qui subjugavit Florentiam. Et illo tunc D. Karolus ejus filius mortuus fuit, & unus filius Ugutionis. Corpus namque Domini Petri fratris dicti Regis in cadaverum multitudine non potuit reperiri. Ipse Ugutio postea expulsus de suo dominio, & tunc Dux militiæ Domini Canis obiit Vicentiæ.

MCCCXVI.

Merulus de Afixio Potestas Paduæ mense Januarii.

MCCCXVI.

Ubertus de Canzeleriis de Pistorio Potestas Paduæ mense Junii, decapitari fecit suum Judicem propter proditionem.

MCCCXVII.

Bernardus de Corrivo de Perusio Potestas Paduæ. Hoc anno Leones nati sunt Venetiis.

MCCCXVII.

Opizo de Opizinis de Pisis Potestas Paduæ Mense Julii Paduani voluerunt furtivè accipere Vicentiam Domino Cani contra pacem. Paduanis verò fugatis capitur Comes Sancti Bonifatii, qui obiit propter vulnera in carceribus, quem tamen Dominus Canis in vita, & in morte summo honore tractavit. Eodem Millesimo, nocte præcedente Sanctum Thomam, intravit furtivè, quibusdam proditoribus mediantibus, Montemsilicem cum auxilio Comitis Goritiæ, & deinde per vim accepit Estem, & data sibi fuit Montagnana. Potestate tunc Raynerio de Canosa, qui post duos menses renunciavit, & tunc electus est Petrus de la Parte Potestas Paduæ.

MCCCXVIII.

Petrus de la Parte Potestas. Commune Tarvisii magnificè fuit in auxilium Paduanis contra Dominum Canem. Qui Dominus Canis cum suo exercitu transivit, & posuit exercitum suum in Plebatum Sacci, & deinde castramentatus est juxta pontem Sancti Nicolai.

Tunc Paduani cum maximo furore armorum elegerunt Capitaneum Populi Odericum de Chuchagna stipendiarium Paduæ. Mense Februarii fit pax cum Domino Cane. Interventu Domini Jacobi de Carraria redierunt extrinseci; & quidam intrinseci de parte Ecclesiæ fugantur.

MCCCXVIII.

Dominus Joannes de Cha Molino de Venetiis Potestas Paduæ.

In mense Julii die Sancti Jacobi dominium Paduæ datur D. Jacobo de Carraria.

Item de mense Octobri Ugutio de Faxola mandato Domini Canis quasi furtivè habuit Tarvixium, & deinde Dominus Canis obsedit Tarvixium, cum quo isti fuerunt, videlicet Domini Guicili de Camino, Artichus Advocatus Tarvixii, Guilielmus de Venico.

Eodem anno Dominus Jacobus de Carraria Thadæam ejus filiam dedit in uxorem Mastino, Nepoti dicti D. Canis.

MCCCXIX.

Dominus Marcus Gradenicus de Venetiis Potestas Paduæ.

Eodem anno, & mense Junii, propter oppressionem Domini Canis, datur Tarvixium D. Comiti Goritiæ.

Item eodem Millesimo, die V. Augusti, D. Canis obsedit Paduam, & fecit Castrum Baxanelli, & datur Cittadella Domino Cani.

Item eodem Millesimo D. Jacobus de Carraria cum consensu Populi dedit Paduam Comiti Goritiæ, nomine Federici Ducis Austriæ, qui se appellabat Romanorum Regem, propter infestationem D. Canis.

MCCCXX.

Dominus Marcus Gradenicus Potestas Paduæ. Die III. mensis Januarii Guiliricus de Valse, ut Vicarius Domini Ducis Austriæ intravit Paduam; & tunc tregua facta fuit cum D. Cane. Et dicto tempore treguæ D. Canis cepit Axolum, & Montebellunam.

MCCCXX.

Dominus Altinerius de Azonibus de Trivixio Potestas Paduæ ultimo Junii. Dicto verò mense die XIII. Baxanum datum fuit Comiti Goritiæ. Die nono Maji mortuus fuit Renaldus Scrovegnus. Item eodem Millesimo, die III. Junii juxta Ecclesiam Sanctæ Justinæ Paduani extrinseci per foveas intraverunt furtivè de nocte intra fortalicias, qui fuerunt mortui, & submersi. Item eodem Millesimo, die XII. Julii in festo Sancti Hermacolæ gens Domini Canis fugata fuit per Paduanos, & capitur Simon Philippus de Pistorio Potestas in claustro Baxanelli, & ductus est Paduam.

MCCCXX.

Nigisolus de Ansoldis de Cremona Potestas Paduæ. Die XX. Augusti, & die V. exeunte Augusto, Paduani cum auxilio Comitis Goritiæ, & Ducis Austriæ fugarunt Dominum Canem, & ceperunt Castrum Baxanel-

Digitized by Google

nelli, & obsederunt Montemsilicem. Item combusta fuit tota terra Estensium per Dominum Canem. Item fit pax cum Domino Cane, & Baxanum datur Domino Cani, & ipse restituit Citadellam Communi Paduæ, & Comiti Goritiæ Axolum, & Montebellunam, anno sequenti primo die Februarii.

MCCCXXI.

Mense Maji Gerardus de la Mandella de Trivixio Potestas.

Mense Septembri Padua datur Duci Carentanæ per Ducem Austriæ, qui suum Vicarium cum CC. Galeatis misit Paduæ, strenuum militem, & annorum LXXX. Dominum Conradum de Ovenstagno mense Novembri, qui autem volebat contra Dominum Canem recipere dominium Paduæ, & non potuit reperiri.

MCCCXXII.

Thebaldus de Castro Novo de Perusio Potestas Paduæ. Mense Maji Conradus de Vigontia cum Paduanis extrinsecis cum auxilio Domini Canis, & Marchionum revellavit Paduæ, & in Estensi Villa facta fuit magna præda, & postea posuit castra sua in Vigizolo de mense Februarii.

Item de mense Septembri Ludovicus Rex in Campestri bello cepit Federicum Ducem Austriæ.

MCCCXXIII.

Altinerius de Azonibus de Trivixio Potestas Paduæ mense Augusti: Mense autem Aprilis obiit Comes Agoritiæ, & post ejusmodi mortem pax facta fuit inter Paduanos extrinsecus, & intrinsecus; & tunc Conradus de Vigontia vênit ad mandata Communis Paduæ retento in se dominio Vigizoli.

MCCCXXIV.

Renaldus de Zezena Potestas Paduæ mense Martii. Et eodem Millesimo, & mense Junii Dux Carentanæ fecit transitum per Trivixium, & cum Equis XV. millibus intravit Paduam, & obsedit Montemsilicem, & cum maximo damno Paduanorum facta tregua cum Domino Cane tunc remeavit.

MCCCXXIV.

Beraldinus de Casemo de Trivixio Potestas mense Septembri.

MCCCXXV.

Dominus Canis combussit Brusaporchum mense Januarii, & ipsum Brusaporchum habuit, & cepit, & posuit suum exercitum in Consilve, & ipso Millesimo habuit Vigizolum.

MCCCXXV.

Pullionus de Becadeilis de Bononia Potestas Paduæ mense Martii.

Eodem anno mense Junii, Guilielmus Dente occiditur ab Ubertino de Cararia. Paulinus Dente frater dicti Gulielmi naturalis commovit civile bellum contra illos de Cararia. Cararienses, qui optimè pugnaverunt, tamen mortiferè vulnerati, Paulum Dente cum sequacibus suis fugaverunt die XXII. Septembris. Pullionus cum sua familia occisus est, & tunc jura Communis Paduæ lacerantur, & latitantur ex toto.

MCCCXXV.

Coradinus de Buchis de Brixia Potestas mense Octobris. Statim in sequenti anno, & mense Februarii Conradus de Vigontia expulsus per civile bellum invasit turrim Churani, & statim captus fuit per Nicolaum de Cararia, qui mense Martii in palatio, seu platea decapitatus fuit.

MCCCXXVI.

Bonacursus de Rugeriis de Parma, Potestas Paduæ. Guicili Tempesta Advocatus Tervixii fugit ad Anoalem, qui ante V. Junii armata manu remeavit, & de intrinsecis mortui fuerunt scilicet Altinerius de Azonibus, & Tolbertus Calza ab Antonero de Vigontia.

MCCCXXVI.

Thebaldus de Castro Novo de Perusio Potestas Paduæ mense Maji.

MCCCXXVII.

Paxius de Guffis de Brixia, Potestas Paduæ de mense Maji.

MCCCXXVII.

Nicolaus Morocenus de Venetiis, Potestas de mense Novembris anno sequenti, & mense Januarii.

Ludovicus, qui se appellabat Romanorum Regem, tunc rebellis Ecclesiæ Romanæ, ductu Domini Canis, & aliorum Dominorum Lombardiæ, vênit Tridentum, qui mense Maji coronatur in Mediolano per Episcopos Scismaticos, & per suum Antipapam coronatus fuit in Roma. Item mense Julii Dominus Nicolaus de Cararia exivit Paduam simul cum Rizardo de Camino; & auxilio Domini Canis, & Marchionum, Este, & Bovolenta revellaverunt Communi Paduæ.

MCCCXXVIII.

Nicolaus Morocenus de Venetiis Potestas mense Junii fûgit Veronam. Tunc electus est Potestas Paduæ Griffus de Villanaros Theotonicus. Item propter infestationem extrinsecorum, & Theotonicorum Padua datur Domino Cani die X. Septembris. Item eodem mense Septembri Mastinus Nepos Domini Canis desponsavit Dominam Thadæam filiam Domini Jacobi de Cararia.

MCCCXXVIII.

XXI. mensis Septembris Bernardus Ranutii de Verona.

De mense Novembri facta fuit Curia generalis Veronæ. Dominus Mastinus duxit D. Thadæam uxorem suam, & nuptiæ factæ fuerunt, & propter lætitiam nuptiarum D. Canis creavit XII. milites Paduanos, inter quos principalem fecit D. Marsilium Grandem de Cararia.

MCCCXXIX.

Bernardus de Honaris de Verona Potestas Paduæ. Mense Julii D. Canis obsedit Trivixium, & ipsum habuit, & post triduum obiit in Trivixio; & eodem mense datum est dominium Alberto, & Mastino de la Scala Veronæ.

MCCCXXIX.

Galeotus de Magis de Brixia Potestas Paduæ. Mense Novembris iste non finito regimine suo, mandato Domini Alberti de la Scala, turpiter discessit.

MCCCXXX.

Baylardinus de Nogarolis Potestas de mense Aprilis. Et mense Julii D. Mastinus pugnavit contra Brixiam, & extra Civitatem ferè omnia Castra cepit.

MCCCXXXI.

Idem Dominus Baylardinus Potestas. Die penultimo Decembris Brixia datur Joanni Regi Boëmiæ, Filio Imperatoris Henrici, & postea Bergomum, & multæ aliæ Civitates se dederunt eidem, qui relicto Parmæ filio suo

Digitized by Google

suo Domino Karulo in Alemanniam equitavit.

MCCCXXXII.

Mense Maji Thadæus de Ubertis de Florentia. Mense Junii Dominus Marsilius de Carraria mandato Domini Mastini de la Scala abstulit Brixiam Regi Joanni & Bergomum datum fuit Domino Azoni Vicecomiti.

MCCCXXXII.

Mense Novembris Petrus Delmesa de Verona Potestas. Eodem mense Novembris Dominus Karolus filius Regis Joannis equitavit contra exercitum Marchionum juxta Sanctum Felicem, & sexcentos milites cepit, ceteros fugavit, & occidit. Eodem mense Papia revellavit eidem Regi Joanni.

MCCCXXXIII.

Petrus Delmesa. Mense Februarii circuitur Ferraria ab exercitu Ecclesiæ, & quasi capta fuit: sed defensa fuit per Advocatum Trivixii. Mense verò Aprilis rebelles Ecclesiæ in Ferraria congregati posuerunt in conflictum totum exercitum Ecclesiæ, & milites Nobiles ceperunt, & maximè Comitem de Arminiato Guasconem, qui se redemit LX. millibus Florenis. Item eodem anno, & mense Februarii Rex Joannes cum suo exercitu equitavit Parmam, volens se jungere cum Legato Ecclesiæ contra rebelles Ecclesiæ, quod Legatus recusavit. Unde Rex transiens per Veronam mense Octobri equitavit Tridentum, qui tamen sapienter jam promiserat Dominum Karolum ejus filium facere Dominum.

MCCCXXXIV.

Idem Petrus Potestas mense Martii; Legatus Ecclesiæ, qui jam fuerat Bononiæ septem annis, fugatur, & includitur in Castro, quod ædificaverat, qui cum Episcopo Florentiæ, & militia sociatus exiens Castrum, adivit Florentiam, & inde equitavit ad Vignonem. Item eodem anno exercitus Dominorum de la Scala, & aliorum Dominorum Lombardiæ vastavit confinia Parmæ, Regii, & Mutinæ. Item mense Julii Cremona datur Domino Azoni Vicecomiti. Item facta fuit Curia generalis D. Marsilii de Cararia, qui uxorem duxit Dominam Beatricem de Corigia.

Item Dominus Mastinus cum validissimo exercitu Marchiam transiens obsedit, & cepit Colornium de districtu Parmæ.

MCCCXXXIV.

De mense Novembris Federicus de Ubertis de Florentia Potestas Paduæ. Mortuo Joanne Summo Pontifice de mense Decembri, qui Ludovicum deposuit de suo Imperio excommunicatum, tunc electus est Benedictus XII. in Papatu.

MCCCXXXV.

Mense Martii illi de Fieschо expelluntur de Janua, & obiit Dux Carintiæ, cui successit filius Regis Joannis ejus Gener.

MCCCXXXV.

Mense Maji Baylardinus de Nogarolis de Verona Potestas. Iterato tum maximo exercitu Domini Lombardiæ infestabant inimicos. Unde mense Junii Nobiles de Rubei dederunt se, & Parmam Dominis de la Scala. Item mense Julii per illos de Fojano datur Regium prædictis Dominis de la Scala, qui dederunt postea dictum Regium Ludovico de Gonzaga de Mantua. Item eodem mense datur Cumum Domino Azoni Vicecomiti de Mediolano. Item mense Augusti datur Laudum eidem Domino Azoni. Item mense Novembris Petrus de Rubeis dedit Lucam Domino Mastino de la Scala; & propter hanc causam orta fuit discordia inter Florentinos, & Dominos de la Scala.

MCCCXXXVI.

Mense Martii Domini de la Scala de Verona dederunt Burgum Sancti Donini dicto Domino Azoni, secundùm quod ei promiserant. Item eodem anno 1336. mense Maji Manfredus de Pii dedit Mutinam obsessam per annum Marchionibus Estensibus.

MCCCXXXVI.

Dominus Baylardinus Potestas. Domini de la Scala eodem anno dominabantur in Marchia tota, ac Brixia, Parma, & Luca; & illo tunc facta, & status eorum cœperunt declinare primo. Et fugierunt de eorum Curia Rolandinus, Marsilius, & Petrus de Rubeis, & Pontremolum revellavit. Item mense Maji exercitus Dominorum de la Scala ivit contra Venetos, & sic incœpit incendium maximum guerræ contra illos de la Scala. Tunc facta fuit societas per Venetos, & Florentinos, & incœpit reædificatio Salinarum.

MCCCXXXVI.

Mense Junii Dominus Baylardinus Potestas descendit de Palatio, & tunc quatuor cives rexerunt Curiam Potestatis. Item eodem millesimo, & mense Junii Federicus ab Equis de Verona Potestas. Item mense Julii Gerardus de Camino revellavit, furato Opitergio, qui Gerardus captus est cum eodem Opitergio per Dominum Albertum de la Scala. Item mense Augusti Caminum obsessum datum est Dominis de la Scala. Item mense Octobri Comes Collalti revellavit Dominis de la Scala. Petrus de Rubeis ivit Venetias pugnaturus contra Dominos de la Scala.

MCCCXXXVI.

Mense Octobri Veneti voluerunt furari Mestrum, sed dolo proditi perierunt, tamen jussu Dominorum de la Scala comburitur tota Villa, quando inde exercitus motus est. Eodem mense Octobri Petrus Rubeus cum exercitu Florentiæ, & Venetiarum transiens Plavem, & Brentam, castra sua posuit Bovolentæ. Item mense Novembris Paduani in angustiis mortis constituti pugnaverunt contra Theotonicos illorum Dominorum de la Scala, qui occiderunt 200. homines in Burgo Caudæ longæ.

Item eodem mense Ubertinus de Cararia pugnavit contra Theotonicos illorum Dominorum in Prato Vallis Paduæ. Item eodem mense Veneti ceperunt Castrum Salinarum. Item mense Decembri Placentia diu obsessa datur Domino Azoni Vicecomiti de Mediolano. Item de mense Januarii, die Jovis VIII. dicti mensis vênit D. Imperator Paduæ causâ accipiendi Coronam in Civitate Romæ. Item die Martis VI. mensis Decembris hora XXII. & malo tempore vênit D. Imperator Paduæ causâ eundi Romam.

Post

Digitized by Google

Post ea, quæ in quatuor suprascriptis Codicibus Rolandini Historiæ addita reperimus, neque hæc in MS. satis antiquæ notæ, quamvis à Rolandino separatim inventa, duximus prætermittenda.

XLVIII.

SAnctus Prosdocimus hoc anno salutis à Domini nostri Nativitate missus à Petro Apostolo vênit Paduam, & convertit populum Patavinum ad Fidem Christi.

MCLXXXIX.

Factum fuit hoc anno navigium, quod vadit, seu per quod navigatur à Bassanello Montemsilicem.

MCXCIV.

Incœptus fuit hoc anno Pons Omnium Sanctorum, & incœpti fuerunt muri circa Civitatem Paduæ, & natus est Eccelinus Tertius.

MCCI.

Posita fuit aqua hoc anno in navigio Montisfilicis, & cœptum est navigari in illo.

MCCV.

Acceptæ fuerunt jurisdictiones Magnatibus Paduæ hoc anno, & incœpta fuit via, qua itur ad Plebem Sacci.

MCCIX.

Incœptum fuit hoc anno navigium ab Omnibus Sanctis tendens usque ad Castrum Stratæ.

MCCX.

Facta fuit hoc anno porta Turricellarum Paduæ, & factus murus usque ad Sanctum Michaëlem.

MCCXII.

Completa fuit via hoc anno, per quam itur à Ponte Curvo Plebem Sacci, & facta fuit pax inter Paduanos, & Venetos.

MCCXVII.

Facta fuerunt molendina Turricellarum, & Omnium Sanctorum, & factus hoc anno pons Curteroduli.

MCCXVIII.

Incœptum fuit hoc anno Palatium Communis Paduæ, opus nobile, & magnificum, & completum Anno MCCXIX.

MCCXX.

Incœpta fuit Cittadella, & acceptus pro Cive Paduæ Rev. D. Patriarcha Aquilegiæ.

MCCXXII.

Translatum fuit hoc anno Paduam Studium ex Civitate Bononiæ, quo anno fuit universalis terræmotus.

MCCXXIII.

Facta fuit hoc anno Fratta districtus Ferrariensis, per quam itur ad Sanctum Bellinum.

MCCXXIV.

Facta fuit hoc anno Via, qua itur à Prato Vallis Buvolentam, & fuit in Prato Vallis ludus Gigantum.

MCCXXVI.

Capta fuit hoc anno à Paduanis Civitas Vincentiæ, quo anno Paduani impetum fecerunt contra D. Bonifacium Comitem Civem Mantuanum Potestatem Paduæ.

MCCXXX.

Exercitus Paduanus hoc anno ivit in Veronensem agrum, & captus est Portus Leniaci.

MCCXXXI.

Beatus Antonius de Padua hoc anno obiit, & extraxit de carcere Comitem Sancti Bonifacii, & alios Nobiles Veronenses.

MCCXXXIII.

Vendita fuerunt hoc anno Communia Communis Paduæ, & captum fuit Rubeganum, & Mestre.

MCCXXXVI.

Imperator combuxit hoc anno Vicentiam, quo tempore incœpit pessima guerra, & prædictus Imperator cum Teuthonicis vênit in Civitatem Paduæ.

MCCXXXVII.

Data fuit Padua Nunciis Imperatoris hoc anno, quo tempore exercitus Imperatoris ivit ad Turrem novam, & homines de Mediolano fuerunt confinati.

MCCXXXVIII.

D. Marchio hoc anno armata manu vênit usque in Pratum Vallis: sed inordinatè reversus est.

MCCXLVI.

Federicus Imperator hoc anno, dum esset ad obsidionem Mediolani, & interfectus D. Eccelinus Potestas Veronæ. (*)

MCCXLVIII.

Eccelinus de Romano hoc anno cepit Feltre, & Civitatem Belluni cum magno numero Paduanorum, & Vicentinorum.

MCCLVI.

Eccelinus de Romano hoc anno cum magno exercitu fuit in Mantuano, & à Paduanis extrinsecis cum auxilio Venetorum capta fuit Civitas Paduæ per Legatum D. Papæ. Deinde Eccelinus cum exercitu vênit Paduam, & illic frustra fatigatus decessit, & ivit Veronam, & fecit detineri in carcere circa XI. millia Paduanorum, qui cum eo erant, & mori, exceptis fortè C. qui aufugerunt.

MCCLIX.

Incœptus fuit hoc anno murus Spaldi in Civitate Paduæ versùs S. Trinitatem; & hoc anno mortuus est Eccelinus Tertius.

MCCLX.

Mortuus est Albricus frater Eccelini cum tota familia, & incœpit hoc anno factum verberationis in Paduano in Villa S. Martini.

MCCLXII.

Fuit ignis in Padua, qui combuxit stationes circa mercatum in Vigilia Omnium Sanctorum, & fuit vocatus ignis de Fratre Galviano.

MCCLXIII.

Facta fuit translatio Sancti Antonii in Octava Paschæ, & hoc anno completus fuit murus Civitatis ex opposito Sanctæ Agathæ.

MCCLXVI.

Castellani Vicentini dederunt sua Castra Veronensibus. Quamobrem Vicentini, & Commune Vincentiæ reddiderunt se Communi

(*) *Corrige*: D. Henricus de Ygna nepos Eccelini Potestas Veronæ.

Digitized by Google

muni Paduæ, & statim exercitus Paduanorum cepit Castellum Leonici, & hoc anno fuit factum Carrotium Communis Paduæ.

MCCLXVII.

Beatus Antonius Peregrinus obiit hoc anno. Et fuerunt hoc anno in Padua duo magni terræmotus. Et eo anno facta fuit lodia cum Podiolis Communis Paduæ.

MCCLXXI.

Hoc anno depictum fuit Palatium Communis Paduæ, & factæ fuerunt Beccariæ magnæ Communis Paduæ.

MCCLXXII.

Facta fuit hoc anno domus Communis Paduæ, quæ est juxta stationes, ubi venduntur ferramenta.

MCCLXXIV.

Hoc anno fuit inventum Instrumentum domus Dei, & repertum thesaurum tantum auri in medaleis in certis orziis ad summam librarum XVI. mill. denariorum Venetorum.

MCCLXXV.

Hoc anno, Potestate Paduæ D. Ruberto de Rubertis de Regio, inglareata fuit via, qua itur Vincentiam.

MCCLXXXII.

Factæ fuerunt stationes Communis Paduæ subtus podiolum Potestatis, & factus fuit pons lapideus Bassanelli, & pons de Gradiciis, & scalæ S. Joannis à navibus lapideæ.

MCCLXXXIII.

Factus fuit pons lapideus S. Leonardi hoc anno, & inventa arca nobilis Antenoris, conditosis Urbis Paduæ cum capitello, penes Sanctum Laurentium à porta Sancti Stephani.

MCCLXXXIV.

Facta fuit hoc anno camera, ubi fit majus Consilium Communis Paduæ.

MCCLXXXVI.

Factum fuit Palatium, unde debet descendere Potestas, & hoc anno factus fuit pons S. Johannis, & domus Ancianorum.

MCCLXXXVII.

Facta fuit porta Cameræ Consilii Veteris, & destructæ fuerunt picturæ Notariorum, & quidam ex ipsis fuerunt extracti de libro forbannitorum. Et hoc anno emtæ fuerunt domus Domini Guictili à ponte Altinato per Commune Paduæ, & destructæ, & ibi factus fuit murus portæ Civitatis. Et eo tempore positi fuerunt omnes termini in campaneis Paduæ.

MCCLXXXVIII.

Facti fuerunt pontes Thadorum, & S. Michaëlis Communis Paduæ.

MCCXCII.

Hoc anno incœptum fuit, & completum Castrum Baldum, ad honorem Communis Paduæ.

MCCXCIV.

Capta fuerunt Castra de Este, & de Calaone, & prostrata in terram. Et eo anno populus Paduanus habuit Abbatiam, Lendenariam, Venece cum tota Curia, Anguilariam, & Baptaleam.

MCCXCVI.

Incœpta fuit una turris ex opposito Castribaldi ultra flumen Athesis per Commune Paduæ.

MCCXCVII.

Hoc anno incœptus fuit pons Pizonis, Potestate Paduæ D. Fantono de Rubeis de Florentia.

MCCXCVII.

Potestate D. Francisco de Cremonensibus, facta fuit Cancellaria Paduæ.

MCCC.

Factus fuit pons Omnium Sanctorum, & murus à ponte Omnium Sanctorum usque ad rostam, Potestate Domino Nicola de Circlis de Florentia, qui fuit condemnatus per Syndicos in libris quatuor mill. & solvit bene.

Eodem. Anciani eo anno reducti fuerunt ad numerum XII. . . . . eo anno reducti fuerunt ad numerum XVIII.

Eodem. Hoc anno fuit discordia inter Commune Paduæ, & Venetos propter Salinas; & exercitus Paduæ ivit ad Castrum Salinarum, & tamdem sequutum est eodem anno concordium inter Commune Paduæ, & Venetos.

MCCCXI.

Civitas Vincentiæ auxilio Canis de la Scala extracta est de protectione Communis Paduæ, credentibus Vincentinis per se stare, sed remanserunt decepti.

MCCCXII.

Hoc anno Canis de la Scala bellum movit Communi Paduæ, & fuit pessima guerra inter Commune Paduæ, Commune Vincentiæ, & Canem, quæ diu duravit, cum destructione infinitatum Villarum, & Castrorum, & strage hominum Paduanorum, Vicentinorum, & Veronensium.

MCCCXII.

D. Nicolaus de Lucio rebellavit Communi Paduæ, & dedit Castrum Lucii Cani de la Scala. Ex quo combusta fuit tota Pedevenda, & etiam magna pars districtus Veronæ per Commune Paduæ.

MCCCXIII.

D. Sulimanus de Bragolo, qui tenebat Castrum Bragoli rebellavit Communi Paduæ, & fuit interfectus; & Paduani voluntariè habuerunt Castrum, quod statim solo æquarunt. Deinde cum navibus copertis iverunt causâ accipiendi Castrum Lucii, & tamdem dato hostibus conflictu, Canis comburi fecit Castrum Lucii, & inde omnes recesserunt.

Eodem hoc anno Imperator Henricus obiit, & Paduani novis vestimentis se induerunt, cum solemni gaudio.

MCCCXIV.

Exercitus Paduanorum ivit contra Vincentiam, & per tractatum Paduani habuerunt burgos; & ibi posuerunt campum. Sed Canis de la Scala, facto repentino impetu Paduanos in fugam convertit, & captus fuit D. Jacobus de Carraria cum multis aliis, & coacti fuerunt Paduani facere pacem cum Cane, datis sibi in vita Montesilice, Este, Montagnana, Castro Baldo, & Bassiano.

MCCCXVIII.

D. Comes Vinciguerra de S. Bonifacio, cum Vincentinis patria pulsis, & cum gentibus Paduanorum occultè nocturno tempore iverunt ad portam Berengæ, quæ per tractatum quorumdam civium Vicentinorum debebat eis tradi, ut occuparent Vincentiam. Sed Canis de la Scala prævisus prævênit eos, & apertâ portâ irruit in Paduanos, & eos profligavit, & captus fuit dictus Comes Vin-

Digitized by Google

Vinciguerra, & carceratus cum aliis VIII. cent. hominibus, qui Comes decessit in die S. Antonii apud hostes.

MCCCXIX.

Accepta fuit Civitas Ferrariæ de manibus Tyrannorum per populum Ferrariæ, cum auxilio D. Raynaldi de Vo, D. Macharuphi de Macharuphis, D. Marsilii de Polaphrisana, & multorum Paduanorum, & posita fuit in potestate, & fortia Dominorum Raynaldi, Azonis, Obizonis, & Bertoldi Marchionum.

MCCCXX.

Gentes Canis de la Scala transacto flumine versùs Villam de Ronchagietis, multa damna intulerunt in districtum Plebis Sacci, & majora intulissent discurrendo versùs Clodiam, nisi dispositis præsidiis obstitissent D. Pantaleo, & Dusius de Buzacarinis, deputati pro Capitaneis ad custodiam locorum versùs Clodiam: Paulus Dente ad vadum Corozole, Zambonus Polifrixa ad vadum Monacarum S. Laurentii de Venetiis, D. Joannes dę Campo S. Petri ad vadum de Isola de . . . . . & Franciscus Macharussus ad Bovolentam. Tamdem pax facta cum Cane his conditionibus, ut haberet Terram Montisfilicis, Montagnanæ, & Castri Baldi in vita sua.

Eodem, eo anno in Consilio Majori Communis Paduæ electus fuit Capitaneus Generalis Populi Paduani D. Jacobus de Carraria per omnes Magnates, & Populares in Festo S. Jacobi, die Martis VII. exeunte Julio.

MCCCXXI.

Dati fuerunt Confalones, & Banderiæ Populi, & Fratalearum Paduæ super Palatio in die S. Nicolai ultra D. Jacobo Capitaneo, & in Vigilia S. Luciæ natus est ei filius vocatus Milion, & baptizatus in Ecclesia Sancti Martini. Et Gastaldiones Fratelearum tenuerunt illum ad baptisma, qui puer pauco tempore vixit.

Eodem. Canis de la Scala, cum magno exercitu, eodem anno vênit circa Paduam, & accepit aquam à ponte Bassanelli, & occupavit totum circuitum Paduæ, exceptis Bassiano, & Cittadella, & Castro Pendicis, quam habuit postea in Vigilia Omnium Sanctorum; & cum illo erant D. Nicolaus de Lucio, Macharonus de Macharussis, Coradus de Viguntia, Marcus de Forzatè, Prosdocimus de Caliginis, Beccardinus cum Transelgardo Liazaro, Philippo, & Brunaxo, & Reulpho, & cum aliis de Maliciis, Franciscus Polafrixana, Laurentius de Terrarsa, Ugutio de la Faxola, cum multis aliis, & fuit publicata condemnatio rebellium in Palatio die Veneris XVI. Novembris ante tertiam.

MCCCXXII.

D. Odoricus de Gualse Theutonicus ignarus literarum, & linguæ Latinæ vênit Paduam, Vicarius D. Henrici Principis Austriæ, Regis Romanorum, cum magna quantitate militum, & cum maximo honore conductus ad palatium, & sibi delato juramento per Ancianos in forma, lecto per Sachetum Campagnolæ Notarium de bono Regimine faciendo, cum pactis registratis in Cancellaria, subitò D. Jacobus de Carraria Capitaneus Populi Paduani renunciavit dictæ Capitanariæ, & ei tradidit Confalones.

A Demum habito colloquio cum Cane de la Scala facta fuit tregua usque ad dimidium Quadragesimæ.

MCCCXXII.

Eodem anno Canis de la Scala cum exercitu clam invasit Civitatem Paduæ, & ascendit Spaldos post Monasterium Sanctæ Justinæ interfectis custodibus. Sed tamdem per Paduanos turpiter ejectus, fugatusque fuit cum multa suorum cæde & sanguine. Inter quos XVI. ex eis reperti mortui, & ducti fuerunt in Civitatem, & trainati ad catenam Communis.

MCCCXXII.

B Eodemque anno construente Cane unam motam, ut ibi ædificaret turrem extra Pontem curvum, ut obsideret Civitatem Paduæ, Paduani unà cum D. Jacobo de Carraria exeuntes extra portam, facto impetu in hostes explanaverunt dictam motam versis militibus Canis in fugam, pluribus interemtis, & quasi omnes ejus milites capti sunt in eo prœlio. Et quia D. Almericus de Azonibus de Tarvisio, Potestas tunc Paduæ, in eo prœlio optimè se gessit, & fuit primus, qui transivit fossam magnam, & vulneravit D. Thisonem de S. Angelo hostem, ex illa causa factus fuit civis Communis Paduæ, & de majori Consilio, & fuit sculptus in uno magno lapide posito in muro domus

C Potestatis Communis supra stationes, ubi venduntur ferramenta supra plateam, & donata sibi una domus per Commune Paduæ, & una possessio, quæ fuerat Francisci D. Ziliæ de Sangonatiis.

Eodem anno captum fuit Castrum Mussolenti, in quo erat D. Derzanus de Bassiano rebellis Communis Paduæ, & conductus, & decapitatus in Bassiano. Et captum fuit Castrum Bassanelli per Paduanos, & multi hostium occisi sunt, multi etiam in aqua suffocati. Et eo die factum est cruentum certamen cum D. Cane de la Scala, qui cum multitudine armatorum venerat in auxilium

D suorum, & demum conversus in fugam, multis suorum interemtis aufugit versùs Montemsilicem; & captus fuisset, nisi obviasset Francisco de Rocca ad molendina Baptaleæ, qui sibi dedit unam bonam equam, quæ fuit causa suæ salutis. Capti fuerunt ex hostibus plusquam DC. homines, inter quos fuit D. Macharussus, & conductus, & interemtus in domo D. Ubertinelli de Carraria; & die Dominico sexto exeunte Octobri, facta fuit pax inter dictas partes.

MCCCXXII.

Captus fuit in Vigilia S. Michaëlis Dux Austriæ cum Henrico fratre per Ducem Baiveriæ, & Regem Romanorum, & carcerati cum magno numero suorum militum.

E

MCCCXXII.

Rebelles cum multis inimicis Communis Paduæ, ceperunt Terram Este, & Villam Arquadæ per vim, & eo anno Civitas Mediolani accepta fuit de manu D. Galeatii, & Fratrum per Populum dictæ Civitatis cum auxilio Domini Raymundi Vicarii D. Papæ, & parvo tempore post dicti Fratres, ut antea, tenuerunt dictam Civitatem.

MCCCXXIII.

Die XIX. Maji in Villa Tencharolæ facta fuit pax inter Commune Paduæ, & suos re-

Digitized by Google

rebelles cum maxima lætitia.

MCCCXXIV.

Die Dominico octavo Januarii Sanctus Thomas de Aquino Ordinis Prædicatorum fuit Canonizatus per Summum Pontificem in Civitate de Avinione.

Eo anno D. Corradus de Ostrastagno, & M. Henricus de Carentana, cum multis militibus venerunt ex Tarvisio ad locum Cittadellæ, deinde ad Villam Mortaroduli, & ibi manserunt plures dies, postea venerunt Paduam, deinde ad Terram Montisfilicis cum populo Paduano, quæ tunc detinebatur per D. Canem. Qui D. Corradus, & Henricus corrupti à Cane, nullum ei intulerunt damnum; sed solum damna intulerunt Communi Paduæ populando Villas, & fruges devastando, spoliando homines, & mulieres usque ad nudam carnem, immemores honoris, & fidei, & quantitatis auri, & argenti habiti pluribus annis à Communi Paduæ facto paupere. Et tamquam mendaces, & proditores Communis Paduæ, & S. R. E. recesserunt ab obsidio de Montisfilicis, & venerunt Paduam. Deinne recepto auro & argento, quod congregatum erat Venetiis, discesserunt, damna

A semper Communi Paduæ, & Villis inferendo.

Eo anno die 23. Novembris obiit D. Jacobus de Carraria, cujus cadaver portatum, & sepultum est in Villa Carrariæ.

MCCCXXV.

Die Veneris, exeunte Januario fuit magnus ignis in contrata Sancti Urbani, & paucis diebus post combustum est Monasterium Arcellæ cum toto dormitorio de nocte, & combustæ fuerunt infinitæ Villæ Paduani districtus per Canem de la Scala, & maximè in Plebatu Sacci, Insulæ, Consilvarum, & Caseradæ.

Eo anno mortuus fuit gladio D. Polionus de Bicaëlis de Bononia Potestas Paduæ, & Capitaneus suorum baroderiorum super domo B Communis, eo quia posuerat in banno D. Ubertinum de Carraria, & Tartarum de Lendinaria occasione mortis D. Guilielmi Dente; mortuus insuper fuit gladio Mareschalchus Teutonicorum insimul cum quadam gentili Domina sorore D. Obizi de Carraria, quos ambos D. Obizo interfecit in domo dictæ Dominæ, & etiam cum una sua Domicella inventa cum uno socio dicti Mareschalchi.

F I N I S.



Digitized by Google

Digitized by Google

CHRONICA
PARVA
FERRARIENSIS,
SEU
CHRONICON PARVUM
AB ORIGINE FERRARIÆ
Ad Annum circiter 1264.
AUCTORE ANONYMO
Nunc primùm edita
EX MANUSCRIPTO CODICE
BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN CHRONICAM PARVAM FERRARIENSEM
PRAEFATIO
LUDOVICI ANTONII MURATORII.

CHronicon parvum* inscribenda erat haec Historia ; sed nolui recedere ab usu Ferrariensium Scriptorum , ac praecipue Peregrini Prisciani , qui circiter Annum 1490. in suis Annalibus Ferrariensibus MStis saepe laudans hocce Opusculum, semper *Chronicam parvam* appellare consuevit. Auctor Anonymus est ; Ricobaldum Ferrariensem nonnulli sunt suspicati; verum heic habemus stylum expeditiorem, atque florentiorem, quam Ricobaldus in suo *Pomario* infra edendo habeat . Aetas quidem Scriptoris in incerto minime est; nam, ut olim disserui *in Pleniori Expositione Jurium Caesareorum & Estensium in Comaclum* Cap. 36. pag. 275 fines Ferrariensis Districtus hi ponuntur: *A Borea vero Clugienses*, *Adrienses*, *& Paduani pro ditionibus Rhodigii*, *& Lendenariae noviter acquisitis*. Considerandum est illud *Noviter acquisitis*. Scilicet , testibus Cortusiis Historicis Lib 1. Cap. 9. *de Discordiis Marchionum Estensium*, quum Anno Christi 1293. post mortem Obizonis Marchionis , Ferrariae , Mutinae , Regii, Rhodigii &c. Domini invaluisset discordia inter ejus filios , Aldrevandinus Marchio Ferraria digressus , contra Azonem & Franciscum Marchiones fratres suos Patavini Populi auxilium imploravit . Hinc bellum exortum , & ex domesticis Atestinorum Principum dissidiis publica Res Patavina aucta. Nam pace per Raymundum Aquilejensem Patriarcham composita , Patavinis cessit *Abbatia cum suis juribus*, *& tertia pars Lendenariae*, *Luxia*, *Castrum de Veneze* cum aliis Terris : quae omnia una cum tertia parte Rhodigii Aldrevandinus ipse Communi Patavino publicis tabulis ante donarat, solo usufructu sibi servato.

Hic autem Scriptor in Estenses Principes nimis infensum animum gerebat , utpote qui ab ipsis fortasse in exilium actus fuerat. Id ante me Priscianus monuit, & ex ipsis Chronici verbis constat, quibus fere omnia a populo Ferrariensi in Estensium decus & commodum facta Scriptor improbat , ac praecipue concessionem Curtis Milliarii, quam tamen Innocentius IV. Romanus Pontifex Anno 1252. ratam habuit , ac laudavit solemni diplomate suo , uti ostendam in altera parte *Antiquitatum Estensium*, si vitam, & vires dabit Deus. Quamquam superfluum est alia addere, quando, hoc ipso Scriptore teste, Principes Atestini immensam hereditatem Guillielmi de Marchesella in ipsos Ferrarienses jure Feudi diviserunt: in cujus comparatione quid quaeso fuit una Curtis Milliarii? Sed nil mirum , si parum aequum Estensibus se praebet hic Scriptor , nam is haec ipsa literis mandavit circiter Annum Christi 1310. quo nempe tempore invocata in subsidium Curia Romana a legitimis Estensibus Marchionibus contra Friscum illegitimum occupatorem Ferrariae, bello ingenti suscepto , & acriter continuato , & hunc, & illos ipsa tamdem exuit Ferrariensi ditione. Tunc autem personabat ubique, & nusquam non efferebatur jus Ecclesiae Romanae in Ducatum Ferrariae. Haec eadem Anonymus hic Scriptor Lectoribus suis obtrudit ; simulque Salinguerram non Estensium modo , sed & Pontificum Maximorum inimicum , pro sua virili commendat, atque tuetur, Ghibellinum se totis praecordiis ubique prodens.

Attamen visum est inimicum quoque hominem loquentem inducere; nam ea ipsa, quae ille adfert , tantum abest ut Estensium Principum gloriam minuant, ut potius augeant . Certe is negare non potuit, quin Romano Pontifice annuente , imo juvante , Azo Marchio Salinguerram e Ferrariensi Urbe deturbarit. Quum vero ejusdem Principis funus describitur, ipso Scriptore teste , *luctus & lacrymae non fictae Civium tabescentium genas rigarunt*. *Cives quoque , qui fuerant adversae partis fautores , lacrymis & ejulatibus lugebant Azzonem*, *voces tales edentes : Hic Vir saevus non fuit , sed benignus*, *& pius*. Verba haec sunt, quae ab homine inimico vis veritatis expressit, ut proinde intelligas, quanti sint facienda, quae alibi ille congessit, ut invidiam Principi optimo creet, optimo inquam, & *Tyrannidis inscio*, uti Rico-

Digitized by Google

Ricobaldus etiam illorum temporum Scriptor testatur. Quod est ad Obizonem Marchionem Azzonis hujus Nepotem, is adolescentulus, affirmante ipso Auctore Chronici parvi, non armis, non vi, sed ipsorum Civium Ferrariensium publicis votis ac plausu, in Dominum Ferrariae cooptatus est. Eorumdem vero Estensium studio jam tum adeo aucta est & exaltata Ferrariensis Populi potentia & fama, ut ex animo penitus exulcerato & Ghibellino procedat Scriptoris hujus murmur in Atestinos Ferrariae Dominos. Itaque circumspecte nimis audiendae sunt Scriptoris hujus naeniae, & componendae cum aliis illorum temporum Historiis, ut veritati ac recto judicio sit locus.

Digitized by Google

CHRONICA PARVA FERRARIENSIS INCIPIT.

Constantinus Magnus inclytus Imperator, data primò libertate Fidei Christianæ, Ecclesiæ Romanæ plurima donaria & jurisdictiones concessit. Superauxerunt quidam ex Augustis successoribus ipsi Ecclesiæ Romanæ jurisdictiones & dona. Inter quæ dona XII. Massas & plures fundos, ex quibus Civitas Ferrariæ fluvio Pado contermina constituta mox est per Vitalianum almæ Urbis Archipræsulem, ipsi Ecclesiæ Romanæ Principes Augusti dono concesserunt. In territorio quidem Ferrariæ multis paludibus olim obsito Massæ XII. sunt inventæ, quarum Prima dicta est Vicus Aventinus secus fluvium Saudalum sita, qui Vicus nunc vulgò Vicoventia dicitur. Secunda dicta est Massa Polariola; tertia Quartisanæ; quarta Donorii; quinta Firminianæ; sexta Vicus Variani; septima Curili; octava Ocuparii; nona Rompiolla; decima Petrurii; undecima Seramaje, & Trente; duodecima Seneticæ. Ex his Massis & aliis fundis plurimis circumstantibus idem Vitalianus Pontifex ibi unam Rempublicam constituit, & in formam Civitatis ordinavit. Marinum quoque natione Romanum, virum utique religiosum, & integritatis maximæ habitum primum Episcopum Populo ipsi præfecit. Idem Pontifex Romanus Ecclesiæ Ferrariensi ac ipsi Populo Privilegia sua benignitate paterna multa concessit, quæ scriptis Apostolicis notata videntur. Prima Sedes Ferrariæ fuit apud Vicum Aventinum, ubi nunc est Plebs Vicoventiæ. Secunda verò in capite Insulæ sive Pollicini Sancti Georgii; tertia in loco proximo, ubi nunc Civitas visitur.

Si quæratur, quo tempore Ferraria ordinata est per ipsum Vitalianum Papam habere Episcopum: dico, quòd tempore Constantini Tertii Imperatoris Augusti, qui & Iraclonam germanum suum habuit in Principatu consortem, qui fratris Augusti Eraclii Imperatoris proles fuerunt. Si apertiùs de tempore Papæ Vitaliani perquiris: dico, quòd apparet in Chronicis, eum cœpisse sedere in Apostolica Sede à Nativitate Christi Anno sexcentesimo & quinquagesimo octavo, qui Papa sedisse reperitur quatuordecim annis, & ultra.

Si quæratur iterum, cur Episcopus Ferrariensis seriùs quàm ceteri Episcopi Italicarum Urbium sit institutus: ibi causam contemplari opinor prolixiore sermone esse opus. Constantinus Magnus Augustus, qui Rempublicam gubernavit Anno à Nativitate Domini trecentesimo & vigesimo, post Fidem Christi susceptam à Beato Silvestro Summo Pontifice, libertatem Ecclesiæ dedit. Tunc palàm in quibuslibet Urbibus licuit Christianis sibi Episcopos ordinare, & sic ordinati sunt in Ecclesiis liberè. Eo tempore unicuique licebat pro arbitrio vel Christum colere, vel Deos Gentilium, usque ad tempus Theodosii Primi reverendi Augusti & sancti, qui regebat Imperium sub Anno Nativitatis Christi quadringentesimo. Hic Augustus cultor Fidei Christianæ non solùm libertatem Ecclesiæ conservavit, quin Deorum Templa dirui fecit in omnibus locis, in quibus suum timebatur imperium. Supradictis temporibus in regionibus, quibus nunc est Ferrariensis Diœcesis, non erant Oppida, quia ut plurimùm ea loca paludibus premebantur, flumine Pado stagnante in locis. In locis editioribus erant aliqui Vici, & Villæ, quibus non fuit Episcopus tunc ordinatus. Et ut argumento monstrari potest, loca illa, in quibus nunc est Civitas sita cum agris vicinis, non erant apta perambulari terrestri itinere, vel meatu navigii. Ante Christi Nativitatem per annos XXX. & ampliùs decreto Senatus Romani in Europa, Asia, & Aphrica, studio M. Antonii Consulis Romani facta est divisio itinerum de distantiis, quæ erant inter præcipuas Civitates Imperio Romano subjectas, ut de ipsis distantiis omnibus per scripturas constaret; & ex iis scriptis confectus est Codex, qui Itinerarium appellatur, quem perlegi non semel. In ultima parte ejus Operis invêni Rubricam de spatio, & dimensione facta ab Aquilegia usque Bononiam, quæ Rubrica sic stabat, ut vidi. *Ab Aquilegia usque Bononiam sunt CCXV. millia passuum hoc modo. Ab Aquilegia Concordiam millia passuum XXXI. à Concordia Altinum XXXI. ab Altino Patavium XXXII. à Patavio ad Estum XV. ab Este Mejanum XX. à Mejano ad Vicum Varianum XVIII., à Vico Variano Sermidum XX., à Sermido Mutinam XXIV., à Mutina Bononiam XVIII.* Propter quod probabiliter opinandum est, quòd regiones, ubi nunc est Civitas Ferrariæ & agri vicini, non commodè poterant permeari navibus, aut à viatoribus pedum officio ambulantibus, quando tunc, si eundum erat ab Este sito in agro Paduano usque Bononiam, tantum viarum dispendium fiebat, deflectendo à Vico Variano, qui distat à Ferraria quinque millibus passuum, & accedendo Sermidum, inde Mutinam, demum Bononiam.

Incertum est pluribus, in qua Provincia ex Italicis Civitas Ferrariensis sit sita. Nec dubium est, quin sit in Venetia Provincia, quæ, testantibus Auctoribus, his finibus clauditur. Ab Ortu quidem est Histria, ab Occasu Abdua fluvius, à Borea Alpes confines Germaniæ, à Meridie sunt fluenta Padi per portum Volanæ in Mare Adriaticum defluentis. Pars autem superior territorii ejus, quæ est ad dexteram ejus Padi antiqui versùs Meridiem est de Provincia Æmilia, in qua est Urbs Placentia, & Imola cum Civitatibus mediis. Pars verò inferior mari propior ad Flaminiam spectat, nunc Romandiolam nuncupatam, ita quòd Insula Sancti Georgii usque in mare extra Venetiam ponitur.

Fluviorum in Italia Rex Eridanus, sive Padus, ab Occasu versùs Orientem in Adriaticum sinum tendit per tria præcipua ostia. Primum & antiquius facit Portum Volanæ. Ad dexteram est Portus Primarii in ditione Ravennæ distans à Portu Volanæ per XVIII. millia passuum, in cujus distantiæ medio est Portus Majavaca ex aquis Marinis. Ad sinistram verò Portus Volanæ est Portus Gauri distans à Portu Volanæ per XVIII. millia passuum. Longo cursu Padus integer pervenit per districtum Mantuanum usque ad Castellum Hostiliæ Veronensium, quod sinistrorsum est situm secus id flumen. Hoc territorii non multum ex fœdere Veronensibus Populus Ferrariensis cessit, quia cùm bello impares essent Mantuanis, & Ravennatibus, suis hostibus, Veronenses usque ad finem belli juvamen efficax Populo Ferrariensi tulere. Inde Padus descendens dextrâ tangit agrum Mantuanum usque ad locum oppositum Vico Ficaroli, nuncupatum vulgò Goltarasam. A sinistra tangit Mellariam, Bragantinum Pollicinum, Masiam, & Ficarolum ditionis Ferrariæ. Hoc loco Padus integer cernitur. Modico inde inferiùs Padus scinditur sinistrorsum, & faciens flumen, quod Rupta Ficaroli dicitur, opimus aquis non longè à mari Gauro jungitur, profluenti ex Pado antiquo in pelagus. Hæc pars Padi, quæ dicitur Rupta Ficaroli, hominum opus fuit; nam homines ejus loci odio hominum colentium agros Vici, qui dicitur Ruvina, aggerem Padi sciderunt, ut aquarum exundantium mole suis æmulis damna agrorum inferrent. Padus antiquus infra Ficarolum descendit usque ad Civitatem Ferrariæ sinistrà ripam positam per millia passuum XV. Cùm ad mediam Urbis partem pervenit Padus, dexterà scinditur, & faciens flumen nominatum Fossam non minoribus aquis Rupta Ficaroli, versùs Orientem tendit per agrum & districtum Ferrariæ usque ad Villam Bocaleonum per millia passuum XX. Inde eminus per duo millia passuum sinistrà Castellum Argentæ ditionis Ecclesiæ Ravennatis relinquens, per territorium Ravennæ Adriaticum sinum petens longè ab Argenta per XXII. millia passuum. Dextra ripa exit in Padum canale, quod dicitur Caput Urcei, in quod de Ravenna navibus pervenitur in Padum. (*Vulgò dicitur Cavodorzo.*) Hujus loci in angulo superiori constructum fuit Castellum Marchomay, quod Veneti struxerunt (*anno Christi MCCLVIII.*) & tenebant, ne quid mercationum de partibus maris, vel Ravennæ, perductum, ad superiores partes per flumen posset perduci, sed ad Civitatem Venetias perduceretur. (*Hoc in loco nunc Valles sunt profundissimæ.*) A loco ejus Castelli jam dirupti, ut infra dicetur, usque ad Portum Primarii est distantia ferme VII. millium passuum.

Plurima flumina supra Mantuam influunt Paduam à sinistra & dextra. Mincius de Lacu Gardæ prodiens, apud mœnia Mantuæ Lacum diffundit; inde profluens per X. millia passuum, apud Vicum Gubernulum Padum ingreditur. Cùm Ficarolum pervenerit, Padus tendens per Ruptam partem Padi facit alios fluvios ex se, scilicet Bonellum, Tassarolum, Barzagam, & alia fluenta, quæ mox in Ruptam Ficaroli redeunt juxta Villam, quæ dicitur Litiga. Hìc exitur de Pado navibus, & per paludes & canale pervenitur ad fluvium Athicem. Ab hoc loco si deorsum navigaveris versùs Ortum, Rhodigium pervenies, inde in Mare Adriaticum, vel Venetias. Si per Athicem sursum navem deflexeris, pervenies Lendenariam, mox Veronam, deinde Tridentum poteris pervenire. Et si ubi scinditur Athex juxta Vicum, qui dicitur Abbatia, navem deflexeris per undas secundas, pervenies Paduam, inde etiam usque Vincentiam. Iterum per Ruptam Ficaroli in Litigam navigando ferè per . . . millia passuum sinistrà fluvii, de Pado exit fluentum, quod Corvula dicitur. Per hoc est celer commeatus usque Venetias. Et in Adriam juxta Corvulæ ostium navigando per Padum, sive Ruptam Ficaroli, pervenitur ad Vicum Adrianum, ubi aquarum Padi quadrivium reperitur. Nam dexterà conjungitur Gauro per fluentum, quod dicitur Cavadicium: Sinistrà facit fluentum, quod dicitur Silvus longus, quod paludibus Clugiæ jungitur. Antrorsum tendens à quadrivio jam dicto, cum Gauro intrat in Pelagus.

Padus antiquus juxta Ficarolum defluens per tria millia passuum dextrà recipit Canale Mutinæ conjunctum Canali, quod Burana dicitur, in medio Vici Bondeni, qui distat à Pado per passus quingentos. Per Buranam navigatur in agrum Regii; per alterum Canale usque in mœnia Mutinæ. Relicto hoc ostio Canalium apud Bondenum, ima Padi petendo, dextrà apud Turrim Porruti Padum ingreditur Canale palustre, per quod itur Galeriam Villam ditionis Bononiæ. Deorsum navigando à Turri Porruti per tria millia passuum invenies lævâ ripâ Ferrariam. Si solvendo navem à ripa Ferrariæ versùs Ortum navigabis per XXV. millia passuum, invenies Vicum, qui dicitur Caput-Gauri situm in angulo Insulæ Pomposiæ, ubi Gaurus ex Pado exit, tendens versùs Boream, relinquens sinistrâ Insulam, qua sita est Ferraria, dextrâ verò Insulam Pomposiæ, quæ ditionis est Monasterii Pomposiani. Cingitur autem ea Insula nemorosa ab Occasu, & à Borea, Fluvio Gauro, à Meridie Pado antiquo usque in Portum Volanæ, ab Ortu verò sinu Adriatico terminatur. Cùm relicto Vico Capitis-Gauri per Padum antiquum navem dimittes per millia passuum circiter VIII. per portum Volanæ pelagus Adriaticum remis pulsabis. Si à ripa Civitatis Ferrariæ solveris navem, & petendo ripam adversam, navem diriges per partem fluminis Padi, quæ dicitur Fossa, post tria millia passuum navigata, dextrâ ripâ Turrim Fossæ adibis. Ibi de Pado exitur per Canale Fossæ & itur versùs meridiem per duo millia passuum usque ad Turrim Pontonariæ, quæ ditionis Ferrariæ est, à quo loco navibus poteris vehi Bononiam. Si pontem Pontonariæ eques, vel pedes transieris, itinere terrestri accedere valebis Bononiam. A Turri Fossæ denavigando per Padum per millia passuum circiter XVIII. lævâ ripâ ad Oppidum Argentam devenies. Ibi oppositâ ripâ dextrorsum exitur Pado per canale usque ad trivium canalium. Si dextrorsum navigaveris, devenies ad Vicum Canali, qui portus est, quo itur Bononiam. Si sinistrorsum navem ages, pervenies ad Vicum Capitis-Silicis, qui portus est Imolæ, atque Faventiæ. Ad Argenta per tria millia navigatur deorsum usque ad Ruptam Sancti Blasii sitam dextrâ Padi, per quam per paludes itur ad portus Romaniolæ, & usque Ravennam,

A Rupta Sancti Blasii descendendo per Padum VIII. millia passuum, pervenitur ad Fossam Pudollam, qua dextrâ ripâ est à canalibus palustribus commeatus in Padum. Infra Fossam Pudollam navigando per Padum XI. millia passuum, lævâ ripâ pervenitur ad Vicum & Monasterium Sancti Alberti in adversa ripa, quæ est modico deorsum dextrâ, itinere XII. millium passuum pervenitur Ravennam navigio. Hoc loco, quo de Pado exitur, situm erat Castellum Venetorum, de quo supra diximus, sed de eo inferiùs plura dicentur. Si de Ravenna exieris eques, vel pedes, itinere VIII. millium passuum ad Padum devenies infra Vicum Sancti Alberti, & pontem Padi transieris, XXXVIII. millium passuum itinere pedestri adibis Ferrariam. Ab hoc ponte navigando per Padum VII. millia passuum exitur in pelagus per Portum Primarium. Ex hoc Portu, & ex Portu Volanæ, & ex Portu Gauri est commodus commeatus vehendi merces Ferrariam ex omni Portu maritimo; sed impeditur superbiâ & avaritiâ Venetorum, quos inordinatus amor sui excœcans in cladem induxit, Dei judicio, & opera Romani Pontificis Clementis Papæ Quinti eorum excessibus lacessiti. Est & quartus Portus aquæ marinæ inter Portum Primarii, & Portum Volanæ, qui dicitur Portus Cajavacæ ditionis Comaclensis, per quem Portum transitur de mari per paludes salsas, & penetratur magnis spatiis profundorum canalium usque in Villas districtus Ferrariæ.

Ferrariense Territorium in quatuor principales partes secernitur Pado secante. Prima est versùs Boream, quæ dicitur Pollicinum Ficaroli, quæ habet longitudinis ab Hostiliæ finibus usque in Mare Adriaticum ferme millia passuum LX., latitudinis verò circiter X. Hujus ad meridiem sunt Padi, & Ruptæ Ficaroli fluenta; à Borea sunt Paludes Clugiæ, & Adriæ quondam Civitatis, territorium Rhodigii, paludes Lendenariæ, & Veronæ. Hæc pars in se continet Insulas plures non magnas, quarum major est illa, quæ nominatur à Villa Gurzonum. Secunda secluditur à prima alveo Ruptæ Ficaroli, quæ incipit, ubi Padus scinditur, & finitur versùs Orientem ad Gauri fluenta. Hæc pars triangula undique cingitur aquis Padi, habens longitudinis millia passuum ferè XL. Hujus Insulæ pars superior usque ad aggerem Traversagnum porrecta ab una parte Padi usque ad alteram nominatur Pollicinum Casaleæ. Cetera pars Pollicinum Ferrariæ nominatur, in qua sunt sita Ferrariæ mœnia. Secus Padum tertia pars incipit, ubi scinditur Padus ante Ferrariam, quæ habet Padum antiquum à Borea, à Meridie Padum, quo itur versùs Ravennam, ab ortu verò agros Argentæ, paludes Ravennæ, nemora & paludes Comacli. Hujus partis caput superius dicebatur Pollicinum Sancti Georgii ab Ecclesia ejus vocabuli. Nominatur usque ad fluvium Sandalum, qui de Pado antiquo olim exiens, ubi est Villa, quæ dicitur Caput Retæ & Vicoventiam tangens alteram partem Padi, ingrediebatur ubi est Vicus, qui dicitur Caput Sandali, distans supernè tribus millibus passuum ab Argenta. Ceterùm cùm hic Sandali fluvius vadosus nimis agros humectaret vicinos, & steriles esse faceret, clauso meatu privatus est aquis. Reliqua pars inferior dicta est Pollicinum Rete. Adhuc hæ partes olim contiguæ, nunc continuæ primis nominibus nuncupantur, quæ habent longitudinis à Borea XXV. millia passuum, à Meridie verò circiter XVIII. usque in alienos districtus. Hæ tres partes Ferrariam fertilitate bonorum ferè locupletant. Quarta major est ceteris, longa tamen ab agro Mantuæ usque in agrum Argentæ ferme per XXXIII. millia passuum; lata verò non multùm. Hæc habet à Borea Padum; à Meridie sunt paludes Regii, Mutinæ, ac Bononiæ.

Totius quidem Districtus Ferrariæ confines hi nominantur. Ad dexteram Padi versùs Occasum possidet Mantuanus; ad Meridiem Reginorum, Mutinensium, deinde Bononiensium sunt Paludes. Inde ad Ortum versùs sunt confines Argentenses, Ravennates, Comaclenses, Monasterium Pomposianum Gauro fluvio medio, & Adriaticum Mare. A Borea verò Clugienses, Adrienses, & Paduani pro ditionibus Rhodigii, & Lendenariæ noviter acquisitis. Ab Occasu verò sunt Veronensium Paludes & agri usque in Padum. Hi sunt fines, quibus Districtus Ferrariæ clauditur.

Vicorum, & Villarum numerus totius Districtus esse solebat CXXXIII. quarum plurimæ, clade illata à Tyrannis Ferrariæ, & ab hostibus, sunt desertæ. Ecclesiarum Plebes in districtu Ferrariæ XVIII. numerantur, quæ Ferrariensi Episcopo subjectæ sunt. Præter has decem, quæ aliis subsunt Episcopis. Episcopus Adriæ Plebes habet in Districtu Ferrariæ, Episcopus etiam Cerviensis, Episcopus Comaclensis, Archiepiscopus Ravennæ, & Monasterium Nonantulanum Plebem Bondeni. Mira res habetur in districtu Ferrariæ; nam si spatium quinque vel sex millium passuum peragrabis, in quinque Diœcesibus transire poteris hoc modo. Cape iter de Villa Finalis Diœcesis Ferrariæ, & perge per duo millia passuum, eris in Adriensi Diœcesi. Ibi transiens Padum eris in Villa Medelana Diœcesis Cerviensis. Pergens inde versùs Meridiem ad passus quingentos, pervenies in Villam Sanctorum Viti & Modesti, quæ Diœcesis Ravennatis habetur. Inde progrediens per Villam Libollæ per millia passuum duo vel paulo plus, eris in Diœcesi Comaclensi. Si ergo à Villa Finalis Diœcesis Ferrariæ usque in Villam Libollam feceris iter per quinque, vel sex millia passuum, calcaveris solum quinque Diœcesium, scilicet Ferrariensis, Adriensis, Cerviensis, Ravennatis, & Comaclensis.

De Agri Ferrariensis qualitate, & quantitate descriptione facta, restat exponi de situ & qualitate ejus Urbis, & de numero Ecclesiarum, in quibus ibi colitur nomen Christianum. Episcopalis Sedes primò fuit in Vico Aventino, qui nunc dicitur Vicoventia, secus quam olim fluvius Sandalus defluebat de Pado antiquo in Padum, qui labitur præter Argentam. Secundò fuit apud Ecclesiam Sancti Georgii in capite Insulæ, ubi & Cives habitabant, & is locus Ferriola dicebatur à nomine partis Padi, quæ nunc dicitur Fossa. Cùm Cives Ferrariæ tunc molesti, & invisi essent Ravennatibus, & viribus impares, consilio publico deliberatum est inde migrare cum omni re familiari, & ædificiorum materia, & sedem ultra flumen ponere eo loco, quo nunc Civitas visitur. Nomen quoque Civitati novæ dederunt, quod est Ferraria, derivando nomen hoc Ferraria à prisco nomine Ferrariola. Hujus

jus autem transmigrationis tempus mihi penitus est ignotum; ideo id temerè scribere non sum ausus. De Æmilia igitur Provincia in Provinciam Venetiam est translata, spectans à Meridie Flumen in ea parte spatiosum & altum. Est quidem inter Civitatem, & Caput Insulæ Sancti Georgii, Insula Sancti Antonii, quæ habet longitudinis circiter stadia quatuor, inter quam, & Civitatem, est pars fluminis. Alia parte & vadosa ejus loci, Civitatis primi incolæ in duobus locis editioribus sedes larium posuere, Castella quoque duo fecerunt in eis locis, aggeribus, ac fossis munita. Primum in superiori parte Fluminis, quod appellaverunt Castellum Thealdi à nomine forsitan alicujus præpotentis ex eis, in qua regione nunc est Ecclesia Beati Johannis, & Arx juxta pontem sita, quæ nunc dicitur Castellum Thealdum. Secundum in inferiori parte Fluminis in regione Beati Petri, quod appellaverunt Castellum Curtisiorum. Straverunt autem sabulo viam, qua ab alterutro ibatur, quæ Via Sablonum nunc dicitur. Incipit autem à ponte Sancti Petri, & tendit per plateam Communis secus Ecclesiam Majorem, habens dexterâ, & sinistrâ Palatia per Estenses constructa, quousque in Parochiam Beati Johannis jam dicti pervenitur. Postquam prædicta loca media præfatis Castellis habitationibus impleri cœperunt, & fossas Civitatis cum munimine suo fecerunt, ea Castella fuerunt termini longitudinis Urbis, sicut apparent vestigia. Mox frequentiâ incolarum dilatata est Civitas secus flumen deorsum, & complexa est regionem, in qua Ecclesia Beati Thomæ habetur. Est autem Urbs porrecta per longum per passus circiter mille. Munita quidem est à Meridie tanto Fluvio aquis profundo; à ceteris partibus latâ fossâ, aggere, & vallo. Turres autem in aggere constructæ sunt circiter XVIII. inter quas est parva distantia. Habet etiam Civitas Burgos duos in ripa Fluminis fossis, & aggeribus septos, qui habent longitudinis passus quingentos. Superior contiguus est Arci Castri Thealdi; inferior infra Ecclesiam Sancti Thomæ porrigitur, habens tres magnas Parochias. Civitas ipsa cum Burgis jam dictis in quatuor partes, quæ nominantur Quarteria, segregatur. Pars superior cum Burgo dicitur Quarterium Castri Thealdi; sequens dicitur Quarterium Sancti Nicolai; tertia Quarterium Sancti Romani; quarta cum Burgo inferiori Quarterium Sanctæ Mariæ de Vado. Si Ecclesiarum in his partibus Civitatis sitarum numerus quæratur, XXXVII. computantur, quarum præter Episcopalem Ecclesiam XVIII. à Capellanis habentur Episcopo subditis; reliquæ totidem suos Prælatos habentes, quæ sunt ab Episcopo abdicatæ.

Cùm Civitas Ferrariæ immensitate & fertilitate agrorum, paludum, silvarum, & tanti fluminis opportunitate, tot commeatibus, & bonis plurimis abundaret, ex diversis regionibus Italiæ illuc hominum multitudo habitatura confluxit. Inter quos viri præstantes opibus & genere cum fortunis suis, & familiis, ac clientelis, Ferrariam migravere. Denique cùm possessiones juris Ecclesiarum essent, & cultores perpauci, & territorium paludibus, & nemoribus esset opertum, gratia, vel non magna pecunia sibi quisque primorum Civium possessiones paravit. Et cùm potentiæ quisque optimatum studeret, ex parte possessionum partarum pretio vili, Vassallos certatim sibi obligando fecere. Numerari audivi ab antiquis nostris Familias Nobilium XXXIV. ex quibus Familiis plures defecerunt, & ex decem quarum nullus superstes habetur. Quædam verò adeò opibus, potentia, & probitate exinanitæ sunt, ut jam non polleant more majorum, sed plebejis hominibus affinitate misceantur. Nomina quidem Familiarum Nobilium scribere mihi in animo est, ut posteris innotescant. Porrò in regione superiori Urbis usque ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Novæ quinque Familiæ Nobilium fuerunt, scilicet Ansedei, Guatarelli, Niger Petri, Sainæ, Egidius de Furno, Cassiani. Hi omnes totaliter defecerunt. In Parochia Sanctæ Mariæ Novæ erant Grotti, & Beliboni: exinaniti sunt, non extincti: alibi lares habent. In Parochia Sancti Nicolai fuere Maynardi olim præpotentes: exinaniti sunt. Gondoaldi quoque ejus Parochiæ, clarere desierunt. In Parochia Sanctæ Crucis Aldigerii de Fontana, qui nunc Fontanenses dicuntur. In Parochia Ecclesiæ Omnium Sanctorum fuere Rasurii: hi defecerunt. Marchoaldi verò non extincti, sed sunt in plebis numero computati. In Parochia Sancti Stephani fuere Contrarii, & Misotti, satis potentes clientibus multis: in omnibus attenuati celebritate, qua pollebant, jam perdita. In Parochia Sancti Pauli fuere Leuci: præter unum Peritum-Juris ceteri viluerunt. In Parochia Sancti Romani fuit Parthenopæus vir dives & potens: defecit in totum. Fuere quoque Menaboi: supersunt duo juvenes divites, & potentes, prole autem deficiunt. In Parochia Sancti Jacobi fuere Pagani: habentur ex eis superstites. In Parochia Sanctæ Agnetis fuere Guidoberti, ac Vicedomini: habentur ex his superstites, opibus tenues. In Parochia Sancti Clementis Gontardi, in Parochia S. Gregorii Toculi, in Parochia Sancti Petri, sive Castello Curtesorum, Casotus, ex quo nulla proles superfuit. Adelardi, ex quibus fuit Guilielmus de Marchesella suæ partis Princeps & caput; & Taurelli, ex quibus fuit Salinguerra adversæ partis Princeps. Ex Adelardis nullus, vel nulla superfuit, nisi puella nata ex Adelardo fratre Guilielmi, quæ furtim abducta de domo Taurellorum, quorum uni erat destinata uxor futura, tradita fuit uni Marchionum Estensium Obizoni nomine, quæ in puellari ætate decessit à viro non cognita. Ex Taurellis unicus vir superest sinè prole virili. In Parochia Sancti Apollinaris fuere Falza Galloni, qui & defecerunt. In Parochia Sanctæ Mariæ de Vado Advocati, & Cattanei de Lusia erant, qui non sunt modò, & Signorelli, ex quibus habentur superstites. In Parochia Sancti Vitalis Buchinpanes habentur. In Parochia Sancti Thomæ fuere Taurelli, atque Ramberti. In Parochia Sancti Laurentii fuere Fontanenses, qui ex Aldigeriis sunt exorti, & de quibus proles defuit. In Parochia Beati Silvestri fuerunt Costabili, quorum proles multa est, & Leodovini, qui durant.

Florente Republica Ferrariæ, Comitissa Mathilda multorum Populorum ductrix ad nutum Anno Nativitatis Christi MCI. obsedit Urbem Ferrariæ, nec si obtinuit mihi constat; quæ ab ipsa obsidione Annis XIV. supervixit, Ecclesia Romana sibi instituta herede. Mantuanus quoque Populus, & Ravennates, fœdere consociati contra Populum Ferrariæ

riæ jam viribus validum, ipsi Populo bellum intulerunt. Sed cùm Populus Ferrariæ impar bello, duobus Populis hostibus circumstantibus, terrâ & aquâ nimiùm premeretur, & jam clades tulisset ab hostibus, pretio, & precibus Populum Veronensem sibi consociavit in hostes. Fuit autem pretium belli suscepti territorium Hostiliæ in ripa Fluminis Padi situm inter Serravallem Vicum Mantuanorum, & Mellariam ditionis Ferrariæ, & territorium Gaibi, quod situm est juxta Fluvium Athicem, & Canale, quo de Athice venitur in Fractam Vicum paluftrem. Postquam vires Populi Ferrariæ viribus socii Populi Veronensis juvatæ, bello superaverunt hostes jam impares, pace bellum terminatum est conditionibus æquis, & justis.

Temporibus Conradi II. Imperatoris, & Eugenii III. Summi Pontificis, qui regebant sub Anno Nativitatis Christi MCXL. Guilielmus Marchesellæ de Familia Adelardorum unius partis Princeps erat Ferrariæ; alterius verò Taurellus Salinguerræ. Marchiones quoque Estenses ipsi Guilielmo erant infesti, propter quod idem Guilielmus in finibus districtus Ferrariæ munitiones validas fecit terra & aquis, quacumque iter erat nocere rebus Ferrariæ. Utique in Ponticulo, in Arquada, in Fracta, in Manegiis secus paludes positis Castella parva construxit. Postquam idem Guilielmus rediit Ferrariam de passagio Terræ Sanctæ facto tempore dicti Papæ Eugenii sub Anno Nativitatis Christi MCXLVII. Adelardus frater ejus, & filii Adelardi omnes, præter filiam infantem nomine Marchesellam, migraverunt è seculo. Guilielmus cùm prole careret, sibi heredem instituit Marchesellam in parte patrimonii ea conditione, ut si decederet sine liberis, sibi substitueret filios sororis suæ, Joculum, & Linguetam, in dimidia, & in altera parte Hospitale Sancti Johannis Hierosolymitani. Hoc testamentum vidi & legi, & hodie apud me est depositum. Volens etiam ille vir saluti Reipublicæ Ferrariæ providere amanter, ne Civitas Ferrariæ discordiis laceraretur, & bellis, eam suam heredem nondum septennem Taurello adversæ partis Principi tradidit, ejus filii sponsam futuram. Defuncto Guilielmo, Nobiles Ferrariæ, qui in civilibus dissensionibus ipsi Guilielmo fuerant obsequentes, Taurelli felicitatem ægrè ferentes, affligebantur invidia. Itaque in odium Taurelli consilio inito statuerunt aliquem ex Marchionibus Estensibus habere Principem, eis infestaturi Taurellum, & homines suæ partis Ferrariæ. Marchesellam quoque ex domo Taurelli furto, vel fraude abduxerunt, & uni ex Marchionibus nomine Obizoni tradiderunt sponsam futuram. Eo tempore in Domo Estensi erant quinque germani, scilicet Azzo, Bonifacius, Obizo, Fulcho, & Albertus. Sanè Obizo vir futurus puellæ, ea vivente, bonis hereditatis ejus fruebatur, quo tempore erat Annus Nativitatis Christi MCLXXX. vel id tempus circiter. Porrò ante tempus nuptiarum puella hactenus vivere desiit. Qui substituti fuerant puellæ, jus suum vindicare neglexerunt. Joculi substituti, amore partis suæ, & odio adversæ, maluerunt portionem, quæ contingebat eos, pervenire in Marchiones suæ partis Principes, quàm eam habere sine Marchionum Principatu in civili discordia. Collisi sunt itaque Cives Ferrariæ alterutrùm, nunc rebus malè secundis, nunc adversis, per tempora multa. Audivi à majoribus natu, quòd in XL. annorum curriculo altera pars alteram decies è Civitate extruserat, supellectilem diripuerat, & cetera bona mobilia & ædes diruerat more hostium. Accepi puer à Genitore meo hiberno tempore noctis confabulante in lare, quòd ejus tempore viderat in Civitate Ferrariæ Turres altas XXXII. quas mox vidit prosterni, & dirui. Hæ autem mutationes cladium & bellorum factæ sunt potissimùm tempore Salinguerræ filii Taurelli, & Azonis Marchionis, cujus corpus est conditum apud Monasterium de Vangaditia ante Annum Nativitatis Christi MCCXXIV. Ante hunc annum Salinguerra, qui in rebus seculi habitus fuit prudens, & cautus, cùm non solùm haberet in Parochia Sancti Salvatoris, ubi habitabat, ædes, & Palatia magna, verumetiam pomaria, hortos, vinetum, & pratum, & pro sui, & fautorum ejus tutamine ibi Castellum construxit quod fossis, aggere, & vallo munivit, a turribus, in necessitatibus opportunum.

Cùm Populus Ferrariæ integer, sinè hoste exteriùs infestante, pace frueretur, simultate civili egebat studio partium. Igitur Salinguerra Potestas, & Rector Mantuæ aberat: Cives adversæ partis rati tempus eis commodum expellere Cives adversos, arma capiunt, & adversam partem per Civitatem expugnatam compulerunt in Castellum Salinguerræ confugere. Quo audito, Salinguerra cum armata amicorum manu Ferrariam properat, & transitis pontibus Bonetici, atque Lacuscurii Civitatem petit. Occurritur ei ab adversariis Civibus in suburbio loco triviali, qui dicitur Roversella. Ibi adversariis expugnatis, per Portam Sancti Pauli ingressus, Castellum habitationem suam obtinuit. Idem collectis viribus suis adversarios suos expulit Civitate. Triennio mox, ut audivi, bellum civile utramque partem vexavit. Tamdem bello Civibus fatigatis, utrinque conditionibus æquis pace terminatum est bellum. Fuerunt autem conditiones inter ceteras, ut quivis Civis exul domum suam rediret, in omnibus suis fortunis restitutus, & dignitate civili. Officia quoque Communis, semestria, vel annua, æqua portione dividerentur, ut dimidiam partem Officialium omnium haberet pars Salinguerræ, altera portio in Cives partis Marchionum veniret. Hoc fuit initium mali exempli; nam finita hac pace, quæ tribus duravit lustris, & capto Salinguerra per fraudem, & ducto Venetias, & concluso, deinde Marchiones Principantes in Ferraria ipsa, Officia Communis arbitrio suo inter homines sibi fautores distribuerunt gratis. Fuit in conditionibus Pacis jam dictæ, ut non liceret Marchionibus venire Ferrariam, nisi cum comitatu non magno bis in anno, & de præscientia Salinguerræ. Cùm Marchio Azo appropinquabat Civitati Ferrariæ, exibat ei obviam Salinguerra cum Nobilitate partis utriusque, atque comiter colloquium, & convivium celebrabant utrinque cum primoribus Civitatis. Salinguerra siquidem erat prædives, & locuples; Marchionibus erant ibi non magni reditus, quoniam plurimam partem possessionum, quæ fuerant de patrimonio Marchesellæ, cui successerant, jure Feudi in clientes suos distraxerant.

Hujus

Digitized by Google

Hujus pacis tempore floruit Respublica Ferrariensis, & Cives bonorum copia fruebantur & pace. Nemo nisi facinorosus & sceleстus exulabat à patria. Commeatus omnes à circumstantibus Urbibus & à mari patebant. Ex omni Civitate maritima ingressæ per ostia Padi naves onerariæ maximæ, caveatæ, in cacumine mali, variis mercibus onustæ, in ripa fluminis Padi stationes habebant. Non erat opus Civibus Ferrariæ pro rebus necessariis adire Venetias, vel Ravennam. Quotannis fiebant nundinæ in prato Communis sito juxta Padum in ripa ulteriori, ad quas ex plurima parte Italiæ, & ex Gallia, conveniebant negotiatores, varias merces convehentes. Omne genus Civium, & alienigenarum in eis nundinis necessariis locupletabatur, facientes lucrum, vel quæstum. Fiebant autem bis in anno nundinæ, durantes quindenis diebus singulæ; primæ in Festo Palmarum, alteræ in Festo Beati Martini. Porrò eo tempore adeò erat locuples Fiscus, ut satisfacto pro impensis communibus, quod supererat proventuum, singulis mensibus divideretur inter Cives pro censûs cujuslibet quantitate. Contentio inter Cives erat de censu; nam injuriam sibi fieri contendebant, si eorum census modicus scribebatur. Si aliquando annona Populo necessaria deficiebat, mercato publico, vel nimio pretio vendebatur, erant ex Civibus, qui ex horreis propriis confestim in mercati locum propriam annonam conferrent pretio quàm minori venalem. Hoc aliquando fecisse Salinguerram, à Populo divulgatum audivi. Erat eo tempore Salinguerra Populi Bononiensis amicus, & socius etiam earum partium in Lombardia, quæ favebant Federico Imperatori. Cum his auxilia mutua facilè recipiebat, & dabat. Quamquam Nobilium Ferrariæ majorem numero partem habebat adversam, præpotentior tamen erat suis adversariis. Plebejorum hominum pars maxima, & Ramberti, & quidam alii ex Nobilitate potentes Salinguerræ favebant. Placuit profectò Deo, cujus judicia injusta esse non possunt, ejus Urbis, Principisque illius variare fortunam; & licèt omnia nutu possit, nullis causis mediis adhibitis, quæque tamen per instrumenta media justa prædestinatas res peragit. Causæ autem casus, & ruinæ ipsius viri hæ sunt cognitæ, quæ sequenti Capitulo continentur.

Cùm negotiatores navigantes mare Adriaticum cum suis mercibus, per portus ostiorum Padi liberè possent applicare ad Civitatem Ferrariæ, & hoc facerent, Venetorum animos avaritia stimulavit, volentium cunctos navigantes id mare ad Venetiarum portus applicare. Igitur naves armatas tenentes portus, quibus navigatur in Padum, prohibebant naves onerarias onustas mercibus adduci Ferrariam. Eam rem injustam & novam ægrè Salinguerra, & Populus Ferrariæ tulerunt. Denuntiaverunt itaque per Legatos Venetis, ut ab eo desisterent. Cùm nihil impetrassent, vim vi repellere statuerunt. Missa igitur Classe armata in mare, naves Venetorum expugnant, aliquas captas traxerunt Ferrariam, quæ in ripa fluminis tractæ diu spectaculo cunctis fuere, donec laceratæ sunt ibi. Hæc causa hostilitatis inter Salinguerram, & Venetos; una eademque res fecit Ecclesiæ Romanæ & Populo Bononiensi odibilem Salinguerram ab eis adversum ad Imperatorem Federicum jam Ecclesiæ inimicum. Sanè Eccelinus de Romano tunc Tyrannus in Marchia Trivisiana factus amicus Federico seduxit Salinguerram sibi affinitate devinctum, & fautorem fieri Federici. In cujus rei perniciosæ sibi præmium Salinguerra accepit à Federico Curiam Carpineti cum Castello, quæ sunt in Territorio Regiensium. Electo quoque Episcopo Ferrariensis Ecclesiæ Philippo, mox Archiepiscopo Ravennati, Salinguerra vênit in odium. Causam hujus æmulationis ignoro. Porrò Salinguerra cùm jam senio premeretur, fraternam prolem Albertinum, & Thomam luxit extinctos. Jacobus Taurellus quoque ejus unicus filius jam in ætate factus amicis erat mœrori, gaudio inimicis, utpote fatuus, & delirus. Hæ conditiones rerum eum virum reddiderunt inglorium, & plures potentum fortunæ amicos spes vel metus avertit ab illo.

Cùm innotesceret cunctis prudentibus, Salinguerram, & complices ejus odio esse usque ad perniciem, Ecclesiæ Romanæ, Populo Bononiensi, cum eorum sequacibus, ac Venetis exasperatis in illum, Electus Ferrariensis Ecclesiæ Episcopus, & partis Marchionis principes, valentes ingenio, consilia ineunt ad subvertendum potentiam Salinguerræ. Et primò quidem idem dictus occupat Bregantinum Castellum; deinde post paucos Castellum Bondenum, quod distat à Ferraria decem millibus passuum. Hæc ut nunciata sunt Ferrariæ, quosdam dolore ac metus affecerunt, quosdam gaudio, ac spe lætificaverunt permagna. Salinguerram tamen dolor, vel metus, non traxit virum ad perniciem cujusquam potentis sibi suspecti; quin eos illæsos abire permisit, vel comiter jussit exilium quærere. Postquam per Ecclesiam Romanam, & ceteros hostes Salinguerræ, de obsidendo Ferrariam, & deinde evellendo ipsum virum, consilia stabilita sunt, accinguntur ad bellum. Igitur Salinguerra ad sui tutamen Equites DCCC. habuit, quorum quingenti fuerant à Federico transmissi. Plebeji Cives Ferrariæ omnes consentientes erant in eum. Pecuniam quoque permultam, quatuor scilicet dolia plena moneta, quæ providè retinuisse dicitur, dum casu per Ferrariam transferebantur in usum Federici, sibi ad usus opportunos servavit, ex qua sumptus belli supplevit.

Postquam tempus statutum per Principes obsessuros Ferrariam vênit, quod erat in introitu Februarii, eò conveniunt. Gregorius de Monte-lungo Apostolicæ Sedis Legatus cum exercitu suo vênit, Dux Venetiarum cum maxima classe armata, Potestas Bononiæ cum ingenti eorum exercitu, Azo Marchio cum Ferrariensibus suæ partis, qui sponte exulabant, & cum aliis ejus amicis, Paulus Traversaria de Ravenna, Mantuani quoque, ac Mediolanenses, & alii multi, quos vel amor partis, vel devotio Ecclesiæ Romanæ pertraxit. Exercituum sedes erat pratum nundinarum secus Flumensitum Capud autem Insulæ Sancti Georgii, & agger Padi qui incipit à Porta Burgi inferioris; nam regiones, quæ sunt ad partem Septentrionalem prope Civitatem de industria erant Padi fluctibus inundatæ. Ad impugnationem, & defensionem viriliter agebatur utrinque. Cùm plures ex potentibus olim fautores Salinguerræ adversi essent ab eo, & conversi

versi ad hostes, nihilominus palàm moliri contra eum non sunt ausi, DCCC. equitum, & multitudinis plebejæ metu tutantium eam Urbem. Nec visum est expedire Salinguerræ suspectos tollere, ne illorum sequaces faceret sibi hostes.

Ut Ferrariam habere per vim difficile nimis visum est, dolo & fraudibus ad pacem insidiarum plenam perventum est. Pace peracta, ipsa die Salinguerra à Venetis Venetias ducitur, ubi honesto loco conclusus servatus est annis quinque & dimidio usque ad diem vitæ suæ supremum. Ugo Rambertus, qui post Salinguerram ceteris potentior suæ partis fuerat, qui eam pacem suasit, ac esse coëgit, magnis impulsus pollicitis, paucis diebus in consilio Principum est receptus, mox exclusus; inde persuasum est ei, ut secederet cum hominibus sui generis in Villam eorum. Quod ut factum est, sequentibus noctibus maximè eorum amici & Salinguerræ in eorum domibus impetiti sunt, læsi, fauciati, occisi, supellectile spoliati. Deinde missus est Rambertis, ut saluti propriæ consulerent, à finibus patriæ exulando: quod sic factum est. Multiplicatis facinoribus ex hominibus partis subactæ multitudo maxima laribus relictis demigravit. Sicut audivi, familiæ circiter mille quingentæ fecerunt exilium. Facta sunt hæc anno Christi MCCXL. ante Idus Junii, cùm jam messes canuissent, & poscerent cum falce messorem. Pauci nobilium cum jam dictis in exilium abierunt, qui à Salinguerra tempore obsidionis ad partem Marchionis se converterant; opibus pollentes in Civitate manserunt. Horum Principes fuerunt Marchesinus Pizolus de Mainardis, Parthenopæus vir potens, Menabos, Galvanus de Mirottis, & alii plures potentes. Ex his, qui cum Marchione remigrarunt, victores astutia fuerunt Fontanenses, Turchi, Joculi.

Rebus compositis, Veneti regimen ejus Urbis biennio tenuerunt, & impetraverunt in longum tempus conditiones, & pacta, quæ nunc Pacta vetera nominantur, fœda, dura, & superba, liberorum Civium animos prementia diro jugo. Nam qui victores redierant, cùm Reipublicæ commodis, & civium exulum possessionibus fruerentur, plus carnem defecturam, quàm animam inordinatè amantes, omnia libidini, & superbiæ Venetorum permiserunt injustè. Fortunæ exulum, utique agri diffusissimi in cives victores divisæ. Exacto biennio regimen Potestariæ est Azzoni Marchioni permissum, cum salario trium millium librarum Bononiensium. Quod annis tenuit pluribus. Verùm Primates Urbis consultò statuerunt id regimen aliquibus Nobilibus potentibus in eorum patriis, qui opem tulerant, & laturi videbantur in posterum suis rebus, deferre. Hoc Azzoni denunciato, orant, ut regimini Civitatis cedat, quatenus per id regimen alii amici potentes valeant permulceri. Tum Azzo inquit: *Si regiminis hujus utilitate privabor, cùm proventuum summa non respondeat oneri impensarum, quas declinare non possum, manendo Ferrariæ, hinc demigrabo Rodigium, ubi agam vitam quietam his flagitiorum curis depositis.* Tum illi inquiunt: *cedatis regimini, merces autem nihilominus vobis obveniat.* *Assentior*, inquit Azo. Tum data est opera, ut decreto eorum, qui Rempublicam administrabant de Fisco Ferrariæ quotannis exhiberentur eidem Azoni tria millia librarum Ferrarinorum, quæ moneta tunc nummo Bononino par erat.

Proinde cùm ejus viri in omnes liberalissimi, & profusi non sufficerent proprii reditus, fiebant pro eo quæstus informes; nam pro impensis fiendis festis Natalis Domini, & Resurrectionis requirebantur Abbates, Priores, Archipresbyteri, & Villarum Consules districtus Ferrariæ, ut summam pecuniæ, boves, aut porcos majales Marchioni donarent. Obtemperabatur, licèt invitè. Ex his orta est infamia à populo vulgata, non tales exactiones factas esse temporibus Salinguerræ. Tum ad abolendam eam infamiam decretum est in Republica, ut singulis Festivitatibus Natalis Domini pro impensis exhiberentur de Fisco libræ Ferrarienses sexcentæ; Resurrectionis autem Festo libræ Ferrarienses quingentæ. Data est opera per potentes in parte Marchionis, utilitatem publicam lacerantes pro sua propria, ut sibi quisque ab ipso Azone per Feudum acquireret quæcumque prædia possidebat Azo de patrimonio Guilielmi Marchesellæ. In quorum præmium dederunt operam ipsi Nobiles, ut possessiones publicæ Villæ, quæ dicitur Milliarium, sitæ in Dioecesi Cerviensi, ipsi concederentur Azoni. In hujus rei rogatione ad Populum nullus est refragari ausus. Quibus ea res displicuit, gementes mussitaverunt. Vocatus est autem per eos, qui Rempublicam malè administrarunt, homo plebejus ex fautoribus Salinguerræ, cui datum est mandatum, ut Ravennam pergeret, ubi exules ferè habitando agrum Ferrariæ bello jugiter infestabant. Et Rambertus excitus, ut exulibus diceret, ut adsentirent concessioni factæ Azoni per Commune Ferrariæ de territorio Villæ Milliarii, quoniam per Cives Ferrariæ ita providetur exulum utilitati. Exules ipsi id agere abnuerunt. Additur res alia in Reipublicæ detrimentum. Factum est decretum, ut idem Azo de Fisco haberet libras sexcentas singulis annis pro instauratione munitionis Castelli. Hæ exactiones deinde manserunt usque in tempus, quo Populus Ferrariensis, Dei & Ecclesiæ Romanæ auxilio jugum Estensium à cervicibus suis excussit. Sed ad superiora redeatur.

Capto Salinguerra per Venetos, & incluso, ferè mille quingenti viri partis illius in exilium diffugerunt, qui mox habitantes in burgo Ravennæ infestissimi fuerunt Civitati Ferrariæ ac Villis, omnes partes Padi, paludes, ac pelagus navigantes; itaque commeatus aut clauserunt, aut formidulosos fecerunt. Iterum Ferrariæ odiis exortis inter potentes, Marchesinus Pizolus de Maynardis, & Parthenopæus jam dicti Civitate pulsi Ravennam se conferunt, & cum exulibus belli societate junguntur. Diu civili bello ducto, tamdem exules à Civibus atteruntur, & Ravenna discedunt. Data post Bellum civile quiete Civibus, Civitas ipsa floruit in tantum, ut septingentos equites mitteret ex suis Civibus contra Ezelinum de Romano Tyrannum in Marchia Trivisiana, quando venit cum exercitu Paduam perditam vendicatùm. Dein Azo Marchio excesserat tempus juventæ in annis, quibus terminum vitæ dedit. Ei tunc Uxor sterilis erat; verùm ex primis conjugiis liberos habuit tres fœminini sexus, quarum major natu Monasterio se dicavit, aliæ nuptiis addicatæ. Filium autem marem adultum obsidem dare Federico Imperatori coactus est, qui post obitum Federici

clerici veneno extinctus est. Ex hoc filio obside, Rainaldo nomine, adductus est ad Azonem infans fortè quadriennis, quem paterno educavit affectu. Erat inter potentes Ferrariæ consilio, opibus, & potentia prævalens vir Aldigerius de Fontana. Hujus consilio, & nutu, Azonis Aula & Civitas regebatur. Cùm Azo deficiens in sua ultima voluntate ipsum puerum jam adultum nomine Obizonem sibi subrogasset heredem, Aldigerius de Fontana amicos potentes vicinarum Civitatum accersit Ferrariam; eò etiam præsidia suæ partis armata convocat; ex Civibus suspectis suo consilio quosdam relegat ex Urbe. Convocatis proceribus in concilium, rogat, & proponit, quid pro utilitate partis videant expedire. Dicit, sibi videri utile pro conservatione partis eorum, extincto Azone, in ejus locum instituere Obizonem. Verùm Ravennas Archiepiscopus Philippus, & quidam Nobiles Civitatis præpotentes Aldigerii refragabantur sententiæ, dicentes: *Hic adolescens est, quem tu vis tibi & nobis præficere Dominum. Nescimus, qualis sit futurus moribus. Tu potiùs hanc Civitatem potentia & prudentia tua gubernes & regas; de te namque confidimus.* At Nobiles alii, atque ex aliis acciti Urbibus, cum Aldigerio sentiebant. Decernitur tamdem, ut Obizoni deferatur dominium Civitatis. Peritorum Juris contractus conscripti.

Extincto Azone paratur funus ad locum Beati Francisci; loculo corpus tum decenti pompa defertur. Luctus, & lacrymæ non fictæ Civium tabescentium genas rigarunt. Cives quoque, qui fuerant adversæ partis fautores, lacrymis & ejulationibus lugebant Azonem, voces tales edentes: Hic vir sævus non fuit, sed benignus, & pius. Deposito Azonis corpore in Ecclesia, nec in sepulchro recondito, confestim inde ad plateam reditur. Ibi erat manus aliquorum Civium armata; per jussum ceteris prohibitum est esse armatos. Factum est hoc Nativitatis Christi Anno MCCLXIV. die Februarii XVII. Nam Principatus sui in Ferraria vigesimo quarto Anno fato concessit. Postquam à funere in plateam reditum est, campanis & voce præconis concio Civium de more concitur. Eò conveniunt universi, nec solùm Cives, verùm & vulgus peregrinorum, & hi, qui causâ præsidii fuerant accersiti. Tum Primates vocati ex diversis Urbibus vicinis Ferrariæ orant ad multitudinem circumfusam. Oravit novissimus Aldigerius de Fontana Civis Ferrariæ, hujus tam sancti ædificii architectus, qui inter cetera (quibus testis adolescens aderam) inquit: *Non paveant amici partis nostræ, neque lætentur, vel spem bonam rebus suis concipiant adversarii nostri ex interitu Marchionis Azonis. Nam ex eo superest nobis Adolescens hic præsens bonæ indolis, de quo bene sperandum est. Verùm si deficeret ex Domo Estensium soboles ad Principandum idonea, unum dominatorem constitueremus ex paleis.* Conclamabatur à multitudine astanti: *Fiat, fiat*; & præcipuè ab iis, qui bona exulum possidebant, & in Republica prærogativis locupletes erant, vel fieri sperabant. Facto deinde silentio constituitur Syndicus ad conferendum dominium Civitatis & Districtus Ferrariæ Obizoni jam decimum septimum ætatis annum agenti. Stipulatione facta, Syndicus constitutus ei Obizoni dominium defert plenissimum, ut omnia possit, justa, vel injusta, pro suæ arbitrio voluntatis. Plus potestatis tunc est illatum novo Dominatori, quàm habeat Deus æternus, qui injusta non potest. A concione disceditur; re peracta, domos suas redeunt, qui præsidio venerant. Aldigerius autem Obizonis Magister ministraturos res novi Domini in Aula & alibi, ubi expediebat, constituit, omni cura & studio satagit, justè & injustè res & potentiam Obizonis augere. Quibuscumque erat negotium aut in Republica Ferrariæ, aut cum Obizone, Aldigerium primò adibant. Ipse omnia moderabatur; ejus consilio negotia partis à primoribus Civitatum circumstantium ferebantur. In navigatione nauta Typhis erat; ceteri Principes ut nanti minores obtemperabant. Denique per annos ferè sex vela navis ipsius Aldigerii flatibus secundis implevit fortuna. Sed ventorum Rex Æolus, incluso miti Zephyro, Aquilonem & nimbiferum Eurum induxit, qui Aldigerii navem diu fluctibus agitatem tamdem immersit.

Hactenus Chronicon Parvum, quod an Scriptor continuarit, ignotum est mihi. Subsequuntur in MSto Codice pauca hæc additamenta.

Aldigerius mortuus est Anno Dom. MCCLXX. mense Julio, quo mense die Beato Alexio dicato, frater, & filius ejus Aldigerii, Tureli, & plurimi potentes illius factionis res novas moliri conati, nec valentes perficere, Ferraria aufugerunt.

In hac seditione, quæ facta est inter Obizonem, & Fontanenses, periit Ubaldinus de Fontana. Albertinus autem, & Guilielmus de Fontana ad Bonifacium Ravennensem Archiepiscopum confugêre, qui eos in Oppidum Argentæ inductos adversùs Obizonem bellum egit Anno Domini MCCLXXIX. Sed post paucos menses pax peracta est.

Anno Domini MCCLXXXVIII. mense Decembri Obizo Mutinæ dominium obtinet.

Anno Domini MCCXCIII. mense Februario moritur Obizo Anno ætatis suæ XLVI. Vixit in dominio XXIX. & successit Azo filius ejus.

FINIS.

Digitized by Google

NICOLAI
DE JAMSILLA
HISTORIA
DE REBUS GESTIS
FRIDERICI II. IMPER.
EJUSQUE FILIORUM
CONRADI, ET MANFREDI
APULIÆ ET SICILIÆ REGUM

Ab Anno MCCX. usque ad MCCLVIII.

ADNECTITUR

ANONYMI SUPPLEMENTUM
DE REBUS GESTIS
EJUSDEM MANFREDI, CAROLI ANDEGAVENSIS, ET CONRADINI REGUM

Ab Anno MCCLVIII. usque ad MCCLXV.

Omnia primùm edita

A FERDINANDO UGHELLIO

SUB INSCRIPTIONE

ANONYMI DE REBUS GESTIS FRIDERICI II.

Nunc autem à quamplurimis mendis expurgata, & non modicùm aucta, ope MSti Codicis

ILLUSTRISSIMI VIRI

D. VINCENTII DE MIRO.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN CHRONICON NICOLAI DE JAMSILLA,

SIVE

IN ANONYMUM

DE REBUS GESTIS

FRIDERICI SECUNDI

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Debemus Historiam hanc diligentiae Ferdinandi Ughellii, qui primus evulgavit Anno 1662. in Tomo IX. Italiae Sacrae pag. 752. veter. edition. Atque hactenus nomen Auctoris incompertum nobis fuit, & diutius fortasse fuisset, nisi *Palatini Socii*, curante Clarissimo Viro Horatio Blanco nostro, MStum Codicem, non antiquum sane, sed utilem, mihi opportune procurassent. Eum pro sua humanitate obtulit in commune beneficium Illustrissimus *D. Vincentius de Miro*, Patritius Surrentinus, Regiam Neapoli Cancellariam Regens, nunc vero apud Insubres Excellentissimi illius Consessus Praeses, quem novo conficiendo censui Augustissimus Caesar praefecit, Vir, inquam, ab ineunte aetate bonarum literarum non tantum sectator, sed & inter gravissima negotia patronus perpetuus, cujus etiam germanus frater Reverendissimus Abbas D. Johannes Baptista, Graecarum Latinarumque Literarum, & sacrae aeque ac profanae eruditionis peritissimus, inter primos Casinenses Monachos emicat, meque numquam interrupta benevolentia prosequitur. In hujus ergo Codicis fronte scriptum legi hunc titulum: *Anonymus de Rebus Federici Imperatoris, sive Chronicon Nicolai de Jamsilla.* In fine Libri additur: *Extracta est praesens copia, ut jacet, a suo originali manu scripto literis antiquis chartarum 143. mihi infrascripto Notario exhibito* &c. *Ego Notarius Joannes Baptista Mattias de Neapoli* &c. Non hujusmodi certe nomen somniarit amanuensis, neque Notarius Mattias; ac proinde qui hucusque *Anonymus* Ughellio & reliquis fuit, mihi *Nicolaus de Jamsilla* in posterum erit, cujus etiam Scriptoris nomen detexisse, eruditis viris non injocundum fore spero. Chronicon autem istud ab Ughellio evulgatum duplici rursus editione in lucem deductum est, & quidem uno eodemque Anno 1723. in Italia atque Germania. Quippe Clariss. Vir Joannes Georgius Eccardus illud intulit in Tomum I. Historicorum medii aevi Lipsiae editum, pag. 1025. Ughellianum textum unice sequutus. Joannes vero Baptista Carusius ipsomet Anno Chronicon idem recudit Tom. II. Bibliothecae Siculae Historicae, pag. 675. qui se etiam MSto Codice Messanae invento usum testatur, ut Ughellianae editionis lacunas quasdam suppleret, & praeterea variantes quasdam Lectiones adjiceret: Hoc illi: quid autem ego praestiterim in praesenti hac editione instruenda, paucis significabo.

Ughelliana profecto editio non solum plurimis mendis pro more scatebat, sed etiam nonnullis hiatibus, sive lacunis foedabatur, quae melioris textus opem implorare videbantur. Et sane hujusmodi medicinam adferre pro sua virili conatus est Clariss. Carusius. Verum partim quod exactiorem Codicem minime ei fortuna obtulit, partim etiam quod a Typographorum incuria sibi satis non cavit: factum est, ut Chronicon hoc parum praesidii ex egregia illius voluntate acceperit. Nam praeter unam aut duas Ughelliani textus lacunas resarcitas, vix aliud praestitit, quam pauculas variantes lectiones, easque levis momenti, huc illuc adjun-

Digitized by Google

adjungere. Immo ne quid dissimulem, quod apud Ughellium recte procedebat Typographus non raro vitiavit, sinens etiam excidere interdum verba ac sensa, quæ Ughellius antea accurate posuerat. In me igitur suscepi quae manca erant apud Ughellium & Carusium, quantum potui restituere atque elimare: qua in re mihi praesto fuit supra laudati de Miro MStus Codex, non is quidem, uti optabam, castigatus, sed ita tamen compositus, ut plures aut necessarias aut utiles lectiones suppeditarit, quas infra ad instar Notarum Lector accipiet. Ad haec fragmentum non exiguum in ambabus Ughellii & Carusii editionibus hactenus desideratum, mihi datum est illic invenire, ubi de Consentia per Pontificias copias recepta agitur, ita ut plane sperem, editionem hanc reliquas praecedentes post se esse relicturam.

Nunc aliquid de Chronici hujus Auctore dicendum. Quamquam quid Auctorem ajo? Non unum heic habemus, sed duos: quod nullo negotio quisque deprehendat; enormem enim stili mutationem legendo nemo non sentiat. Scilicet *Nicolaus de Jamsilla* narrationem suam perducit usque ad Annum 1258. sive ad Manfredi Regis coronationem. Ultra ille minime progressus est, fortasse quod Manfredum Romana Curia ferventius ejurare jam coeperat, eaque is agere videbatur, quae Christiano ac honesto homini probari non poterant. Altera vero Chronici pars usque ad finem, Auctorem habet *Sallam*, sive potius, ut Carusius censet, & quidem non immerito, *Sabam Malaspinam*, a quo etiam descripta fuere illorum temporum gesta in Apulia atque Sicilia. Quae Historiarum compilatio inde facta videtur, quod olim nescio quis dolens interruptam Jamsillae narrationem, aliunde supplementum adscivit. Atque haec Historica monumenta, quamquam diversi Scriptoris, sub unius tamen *Anonymi* inscriptione Ughellio praeeunte hucusque in Eruditorum manibus stetere; sed nunc ope Clarissimi Baluzii, qui *Malaspinam* evulgavit, ut suo loco innuam, sunt distinguenda. Attamen quum pars hujus Chronici, quae ad Malaspinam pertinet, interpolata fuerit, & multa cum diversitate ab illius textu progrediatur, nempe immutatis, aut breviatis compluribus locis, & frustulis nonnullis interdum additis: mihi statutum est hanc etiam partem conjunctam sinere cum *Jamsillae* Historia, quamquam mihi rursus edenda sit uberior ejusdem *Sallae Malaspinae* Historia; Eadem enim cum supplemento usque ad praedictum annum 1265. legitur in laudato MSto. Ceterum conjunctos quidem habes geminos hosce Scriptores: sed mirum, quanta eos dissimilitudo disjungat. Nam Gibellinae factioni addictum se ubique prodit Jamsilla, & Fridericum Augustum, ac Manfredum Regem nobis ita sua narratione depingit, ut omnia illorum gesta ad virtutem composita, ipsos vero homines, fortassis luscos, ab ea tantum parte inspiciendos exhibeat, qua oculus ipsis vigebat. Contra Sallas, sive Saba, Guelphorum factionem sequutus, oppositis omnino coloribus eumdem Manfredum nobis delineat. Rursus Jamsilla simplici perspicuoque stilo usus, eo prudentiae modulo, eaque ingenii dexteritate Historiam suam conscribit, ut Lectorem simul doceat, & singulari voluptate detineat. Malaspina vero, sagacitatis certe ac libertatis in dicendo ubique signa relinquens, salebrosa tamen, atque interdum etiam ingeniose inepta oratione Lectorem parum mulcet, immo nonnumquam fatigat. Nos utriusque labore interim fruamur, quo Siciliae atque Apuliae Historia maxime illustratur, Malaspinae post haec Historiam pleniorem accepturi.

NICO-

Digitized by Google

NICOLAI DE JAMSILLA HISTORIA

ANTEA EDITA SUB INSCRIPTIONE ANONYMI

DE REBUS GESTIS FRIDERICI II. IMPERATORIS.

INter eos, quos memoria hominum habet, (a) ab antiquo ſcripta, commemorant Romano præfuiſſe Imperio, Fredericus Imperator ex patre aliquando Imperatore clariſſimam ducens originem, ipſius Imperii dignitatem ſapientia, & generoſitate ſua ceteris ampliùs decoravit, ut majorem decorem ipſe Imperio, quàm ſibi Imperium contuliſſe probetur. In pupillari quidem ætate ſua poſt utriuſque parentis mortem, inter Tyrannos ſe, ſuamque ſubſtantiam lacerantes, quaſi agnus inter lupos, divina tantùm eum dextera protegente, remanſit, donec ad puberes annos perveniens Innocentio Papa Tertio Romanæ Eccleſiæ Præſidente, Oddonem Imperatorem, qui poſt acceptum Imperium ad Regnum Siciliæ pretioſam pupilli hereditatem manus extenderat, cœleſti magìs quàm terrena virtute ſuperavit, & vindictam, ſubſequendo tyrannos, accepit: adeptuſque eſt coronam Imperii tam electione Principum, quàm avita, & materna (1) ſucceſſione.

A Honorio Papa Tertio Sedem Apoſtolicam gubernante, compoſitaque Alamannia (2) ſub præſidiatu Henrici filii ſui primogeniti, quem ex Conſorte ſua Imperatrice Conſtantia Hiſpana ſuſceperat, (3) ipſe Siciliam aggreſſus, Saracenos, qui tempore pupillaris ætatis ejus rebellantes, (4) ſe in excelſis
B montibus collocaverant, potentiæ, ac ſapientiæ ſuæ armis de montibus in plano dejecit, & magnam tunc eorum partem, proceſſu verò temporis omnes penitus (5) Saracenos ipſos in Apuliam ad habitandum ſub debita ſervitute in locum, qui dicitur Luceria, miſit.

Dejectis autem (6) Saracenis, totoque Regno in pace ſtabilito, transfretavit ad Regnum ſuum Hieroſolymitanum, in quo Saraceni

(a) In editione Ughellii ex errore *ac antiqua* legebatur.
(1) ſucceſſione decretum.
(2) ſub Præſidatu.
(3) ipſe in Siciliam regreſſus.
(4) ſe in excelſis Siciliæ.
(5) Saracenos in Apuliam.
(6) Saracenis de Siciliæ montibus.

Digitized by Google

ceni Ultramarini nominis in sui præjudicium, (7) quoniam in Sepulchro Domini in Christianæ. Fidei contumeliam superstitionis suæ turpedines operabantur: cùmque statum ipsius Regni reformare intenderet, intellecto quòd Gregorius Papa, qui Honorio successerat, immisso in Siciliæ Regnum exercitu, jam usque Apuliæ confinia, ipsum in absentia (8) Imperatoris recepisset, prout temporis brevitas patiebatur, Regni Hierosolymitani (9) statu composito, in Regnum Siciliæ ingressus est, propulsatoque externo exercitu extra Regni fines, & Regnicolarum suorum turbatione sedata, ad partes Italiæ, & Alamanniæ, quas eadem causa turbaverat, potenter accessit. Indeque removens Henricum primogenitum suum, (10) quem priùs æmulorum suggestionibus contra se mutatum invênit, quasi viscera sua extra se videns, ipsum in Calabriam misit, ordinatoque Conrado Secundo filio suo in Alamannia loco sui, quem Imperatrix Isabella Hierosolymitana sibi genuerat, in Lombardiam vênit, ubi primò Civitatem (11) Vincentiæ, (b) & Imperio rebellantem potenter expugnavit: deinde Mediolanenses, & complices rebelles Imperii campestri conflictu, capto ipsorum exercitu, debellavit, pluresque Lombardiæ Magnates in ipsa expugnatione captos, carceri suo in Regnum misit adactos. Brixiam quoque circumquaque vastavit: Faventiam mirabili obsidione circumdatam ad deditionem coëgit: pluresque alias Civitates in Lombardia, & Tuscia, quæ contra Imperium rebellaverant, potentiæ suæ viribus ad subjectionem debitam acclinavit.

Quasdam quoque Civitates in Regno fundavit, & construxit, videlicet Augustam, & Heracleam in Sicilia, Montis Leonis, & Aliteam in Calabria, (12) Dordonam, & Luceriam in Apulia, Flagellam in Terra Laboris contra Ceperanum.

Destruxit autem quasdam Civitates alias tempore minoritatis suæ; alias (c) postquam sibi rebellaverant; videlicet in Sicilia (13) Centorbium, Capizium, & Trajanam; in Provincia Beneventana Beneventum; in Apulia (14) Sanctum Severum.

Vir quidem fuit magni cordis, sed magnanimitatem suam multa, quæ in eo fuit, sapientia temperavit, ut nequaquam impetus eum ad aliquid faciendum impelleret, sed ad omnia cum rationis maturitate procederet; multoque (15) sanè fecisse majora, quoniam fecit se cordis sui motibus posse absque freno Philosophico moderamini obtemperasse, utpote qui Philosophiæ studiosus erat, (16) & quam, & ipse in se coluit, & in Regno suo propagari ordinavit. Tunc quidem ipsius felici tempore in Regno Siciliæ erant Literati

A pauci, vel nulli; ipse verò Imperator Liberalium Artium & omnis approbatæ Scientiæ Scholas in Regno ipso constituit, Doctoribus ex diversis Mundi partibus per præmiorum liberalitatem accitis, constitutoque ram eis salario, quàm pauperibus auditoribus, sumtum de sui ærarii largitate, ut omnis conditionis & fortunæ homines nullius occasione indigentiæ à Philosophiæ studio retraherentur.

Ipse quoque Imperator de ingenti sui perspicacitate, quæ præcipuè circa Scientiam Naturalem vigebat, Librum composuit de Natura, & Cura Avium: in quo manifestè patet, in quantum ipse Imperator studiosus fuerit Philosophiæ. Justitiam quoque sic dilexit B & coluit, ut nemini vetitum esset etiam cum ipso Imperatore de suo jure contendere, nec suffragaretur sibi favoris Imperialis eminentia, (17) quominus ei eam concederet, & justitia esset æqualis. Nullus advocatus contra se alicujus quantumcumque pauperis assumere patrocinium dubitaret, cùm & ipse etiam Imperator hoc licitum fore statuerit, gratius reputans servari etiam contra se justitiam, quàm habere de lite victoriam. Justitiam autem sic coluit, ut tamen rigorem ipsius nonnumquam clementia temperaret: nam cùm prædictus Papa (18) Gregorio Concilium contra eum in Urbe congregare vellet, ad quod omnes ferè Prælati Ultramontani vocati per mare cum C stolio Januensium præmunitissimè veniebant; (19) Admirans Imperatoris, qui deputatus erat, ad custodiendos transitus maris, (20) navali bello Januensium expugnavit, omnesque Prælatos cum duobus Cardinalibus Legatis Apostolicæ Sedis, qui Prælatos ipsos ad Concilium evocaverant, cepit, & vinculatos in Regnum duxit. Sed Imperator licèt contra eos, tamquam sui honoris æmulos, procedere (21) de Justitia potuisset, de clementia tamen ipsos absolvit; & magis Deo, quàm sibi satisfaciens, liberatos abire permisit. Proinde ipsum variis (22), hinc inde adversitatibus ex æmulorum suorum studio concussum, sed nullo modo dejectum, D (23) sola virtus sagacitatis protaxit: & licèt eum quandoque aliquorum domesticorum suorum studio concussum perfidia (24) surrexisset, eorum conspiratione jam publicata, etiam in ipsius necem familiaris se gladius emisisset: licèt etiam in ipsius necem exfortium Lombardorum coadunatum, magnitudini cordis ejus incomparabili improvisum objecisset victoriæ suæ casum: ipse tamen usque ad ultimum fati sui diem gloriosus, & per totum Orbem Terrarum admirabiliter vixit, & qui omnibus fuerat insuperabilis, solius mortis legi succubuit.

Mortuus est autem ipse Imperator apud Floren- E

(7) quoniam in Sepulcri Domini, & Christianæ Fidei contumeliam, superstitionis suæ turpitudines.
(8) Imperatoris occupasset.
(9) statu placato.
(10) priùs malorum suggestionibus.
(11) Vicentiæ sibi & Imperio rebellantem potenter expugnavit & cepit.
(b) sibi.
(12) Dordinam.
(c) In Ughellii editione *quæ post*.
(13) Centurbium, Capicium, Traynam; in Provincia verò.
(14) Sanctum Severinum.
(15) *Heic omnes Codices aliquid vitii habent. Fortasse scribendum*: Multoque sanè fecisset majora, quàm fecit, si cordis sui motibus potuisset absque freno Philosophiæ obtemperare:
(16) quam, & ipse.
(17) quominus si secum contenderet, in justitia esset æqualis; nec nullus.
(18) Gregorius Concilium.
(19) Admiratus Imperatoris.
(20) navali bello stolium Januensium.
(21) de rigore justitiæ.
(22) hinc inde adversantibus.
(23) sola virtus Dei viva protexit; & licèt in eum.
(24) insurrexisset, & Ecclesiastica conspiratione jam publicata etiam in ipsius necem se gladius exemisset.

Digitized by Google

rentinum (25) in Capitanata Apuliæ.. die mensis Decembris nonæ Indictionis, superstitibus sibi Conrado, quem ex Hierosolymitana, Manfredo, quem ex Italica, & Henrico minore, quem ex Anglien: consorte susceperat: constituitque sibi heredem memoratum Conradum, Romanorum in Regem electum, qui præmortuo Henrico majore in Calabria, primogenitus remanserat inter fratres. Ipsi autem Conrado heredi instituto tam in Imperio (26), quàm in Regno, minores fratres, videlicet Manfredum, & Henricum substituit.

Cùm autem idem Conradus esset in Alamannia, dicto Manfredo, quem Imperator præ ceteris filiis dilectissimum, & in aula sua nutritum, suisque documentis instructum, Principem Tarenti constituerat, concessit sibi Comitatus Gravinæ (27) Tricarici, & Montis Caveosi, necnon, & Honorem montis Sancti Angeli (28), quem Imperator ipsius Principis matri, quam summè dilexerat (d), donatione fuerat elargitus, Generalis Balius ipsius Regni Siciliæ ageret, & illi, qui ab Imperatore remunerationem aliquam obtinuerat, de suo arbitrio provideret: Postquam autem Rex veniret in Regnum, ipse Princeps Principatum Tarenti, & totam Terram sibi prælegatam teneret in capite, & merum Imperium, in ea tamquam Dominus (e) esset, utpote in cujus indole præcognoverat Pater, quis qualisque (29) Princeps futurus esset. Formavit enim ipsum natura gratiarum omnium receptabilem, & sic omnes corporis sui partes conformi speciositate composuit, ut nihil in eo esset, quo melius esse posset: à pueritia enim Paternæ Philosophiæ inhærens, obstendebat per certa (30) (f) ingenitæ discretionis indicia, quantum in majori ætate prudentiæ esset habiturus, & qualiter ipse erat, per quem domus Augusta gubernari (g) poterit, & in statu gloriæ conservari, & (31) non sinè causa Manfredus vocatus fuerit, quasi manens Frederico, in quo quidem vivit pater jam mortuus, dum paterna virtus in ipso manere conspicitur. Vel Manfredus, idest manus Frederici, utpote sceptrum tenere dignus est, quod manus paterna tenuerat. Vel Menfredus, idest Mens Frederici, sive memoria Frederici, quasi in eo mens, vel per eum memoria Frederici perduret (32). Vel Minfredus, idest minor Frederico, majori oblato subcrescens. Vel Monfredus, idest Mons Frederici (h), sive munitio Frederici, in quo videlicet Frederici nomen, & gloria ultrò usque in monte, sive munitione excelsa quasi ad sepulchrum posterorum servata consistunt, ut per quamcumque (33) vocalem etymologiam ipsius nominis varietur, paterna ibi res, & nomen inveniatur. Nec immeritò ad tam præclari nominis etymologiam cunctæ vocales literæ pro sua quælibet diversitate conveniunt, ut liquidò demonstretur, talem esse personam hoc nomine denotatam, quæ ad regimen universale conveniat, ut sicut ceteræ literæ, nullum quidem per se sonum efficiunt, nisi vocalibus adjungantur; vocales autem per se ad soni perfectionem secundùm aliarum literarum adjectionem sufficiunt: sic persona Principis rem nomenque paternum in se per omnium vocalium varietatem concludens, ea esse videatur, secundùm quam universale regimen per se subsistere nequeat, & quæ ad idem regimen adminiculo alieno non indigens, sola perfectè sufficiat: & sicut nihil est, quod sinè vocabulo aliquo exprimi possit, aut scribi, ita nihil eorum sit, quæ in Patre Augusto ad universale regimen convenerunt, quod filio tam ex paterni nominis specie, quàm ex suæ sapientiæ mutatione (i) non congruat. Cùm igitur ipse Imperator plures genuerit filios, prudentes quidem, atque magnificos, paternasque virtutes particulariter imitantes: iste tamen Princeps Manfredus paternarum gratiarum, atque virtutum heres fuit, universalisque successor, ut Jus primogenituræ, quod secundùm carnem apud aliquos ex fratribus suis erat, ex præfiguratione aliqua in filiis Isac, atque David, in eum esset divinæ provisionis consilio transferendum.

Erat autem idem Princeps annorum decem & octo cùm defuncto (34) Imperatore Balium fratris sui Conradi Regis in Italia, & Regno Siciliæ paterna sibi commissum dispositione gerere cœpit; misitque Henricum fratrem suum minorem ad gubernandam Siciliam, & Calabriam vice sui, ut homines Regionum illarum in ipsius pueri facie Imperialem aspicientes memoriam, speciemque Regiam considerantes, quietem sperarent, & consolationem acciperent de turbatione, quam eis mors Imperatoris ingesserat: Ipse verò Princeps in Terram Laboris processit.

Cùm autem, Imperatore mox mortuo, crederetur maximam turbationem in toto Regno esse futuram, sicut sæpe solet contingere in obitu Dominorum: tale tamen regiminis ipsius Principis fuit ex Dei nutu principium, quòd ex morte Imperatoris nulla quadammodo visa fuit interruptio facta paternæ tranquillitatis, & pacis, sed continuato dominio patris ad filium idem videbatur esse regimen Principis, quod fuerat Imperatoris. Curiam enim paternam omnibus officiis integram, stipendiis quoque, præstationibus, & libertatibus consuetis in nullo diminutam reservavit, ut de priori statu, vel jurisditione Justitiæ, vel in aliis nihil penitus videri possit immutatum. Habebat quoque secum Consiliarios patris sui, (35) circumspectus adolescens, & ætatis suæ facilem, sed

(25) in Capitanatu Apuliæ, XIX. die mensis Decembris, Nonæ Indictionis, superstitibus sibi relictis Conrado, quem à Jola Johannis Regis Hierosolymitani filia, ac Manfredo, quem in Italia, & honore minorem constitutum, veluti ex Anglicana consorte susceperat. *Tum in Codice nostro, tum in Editione Ughelliana & Carusiana corruptus est textus.*

(26) quam in Regno minorem mentionarum substituit.

(27) Tricarici, & Montis Ameriæ, nec non.

(28) quem Imperator ipsius Principis Matri sponsalium tempore donatione fuerat elargitus, ut generalis Bajulus ipsius Regni pro fratre suo in Italica, & Regno Siciliæ ageret; & ille, qui ab Imperatore renuntiationem aliquam.

(d) nuptiali.

(e) haberet.

(29) Princeps ita futurus esset.

(30) ingenuæ discretionis.

(f) ingenuæ conditionis.

(g) poterat.

(31) ut non sinè causa.

(32) vel *Manfredus* idest *minor Frederico*, majori ablato subcrescens.

(h) & Manfredus.

(33) vocalem & etymologiam.

(i) *fortassis* mutuatione.

(34) Imperatore Bajulatum.

(35) circumspectos adolescens.

sed non irrationabilem sensum illorum maturitate componebat (36), ut in hoc etiam Sapientissimus perpenderetur quòd lubricum licentia juvenilis ætatis ad cujus moderamen innata sibi prudentia sufficere posset, alienæ etiam sapientiæ necessitate tractaret: non quidem imitans superbum & ignarum filium Salomonis, qui dum seniorum consilia sprevit, & juvenilium, vel coætaneorum suorum suasionibus adhæsit, paterni Regni divisionem in diebus suis vidit, & servum patris sui passus est in Regno consortem. Ille quidem imprudens imprudentium utens consiliis, factus est imprudentior: Iste verò Princeps Philosophiæ filius & alumnus, ex ingenita sibi habuit sapientia, ut Sapientum consilia, quamquam necessaria sibi non essent, veneraretur, ne vel in hoc argueretur minus habere sapientiæ, si fortè aliorum consilio uti dedignans suæ tantùm prudentiæ inniti videretur; & ideo dum sibi,& gloriæ suæ quodammodo in hoc ipse diminuit, quòd plenitudinem gratiæ, quæ in se erat, adjectione quoque alienæ sapientiæ indigere ex virtute reputavit, divina sibi gratia, quæ humilibus præsto est, semper affuit, ut super humanum modum, & omnem credulitatem, in cunctis suis processibus prosperaretur.

Post modicum enim tempus à morte Imperatoris, ex qua, etsi non in aperto, in occulto tamen multorum sunt corda concussa, cœpit in Terra Laboris, & Apulia quædam occulta fieri conjuratio, non absque aliquorum instigatione, qui olim honoris, & nominis Imperialis æmuli fuerant, quæ quidem (37) conjuratio in Apulia, in Andrensibus, Fogitanis, & Barolitanis; apud Terram Laboris in Capuanis, & Neapolitanis primò visa est manifestari. Rebellantibus autem Neapolitanis, & Capuanis, factaque ab eis confœderatione cum quibusdam ipsarum partium Magnatibus, qui propter odium, & inimicitias Bertholdi Marchionis de Honebruch à Principis latere discesserunt: Princeps à prædictis Magnatibus precum spe dimissus, immo eos sibi esse adversarios cognoscens, cùm non haberet tum tantas armatorum hominum vires, ut prædictas Civitates, & Magnates oppugnare posset, vênit in Apuliam (38), & exercitu ibi congregato ad expugnationem prædictarum Civitatum, & Magnatum (39), potentior interea reverteretur.

Cùm autem in Apuliam venisset, nec adhuc conjuratio esset in Apulia publicata, constituit stipendiarios suos Theutonicos manere in Troja sub quodam Capitaneo eorum nomine Hegano, qui tempore Imperatoris Capitaneus fuerat Theutonicorum in Marchia Anconitana, ubi multùm prudenter & strenuè se gesserat. Dimissis igitur Theutonicis ipsis in Trojam, ipse Princeps cum familia sua Fogiam processit: cùmque post paucos dies Theutonici prædicti, armatis omnibus armis quasi ad pugnam venissent de Troja ad Fogiam, & se exclarassent in aciem ante Civitatem: miserunt ad Principem, quem sciebant tunc pecuniam non habere, ut Princeps eis stipendia daret. Huc enim dare videbatur eorum intentio, ut Principe non valente eis dare stipendia propter defectum pecuniæ, quem tunc patiebatur, ipsi contra eum in Civitatem Fogiæ venirent, ut eos disrobarent. Princeps autem magnanimus nullo modo fecit armari suam familiam, & Fogitanos; sed prædictis Theutonicis sic animosè per suos Nuntios respondere fecit: *Vos numquid contra me armati venistis? sed si me ampliùs cogitis, sic contra vos munitus exibo, & me esse Imperatoris filium cognoscetis: si ergo stipendia petitis, mittite quatuor ex vobis inermes, ut decet, & vobis respondebitur, ut decebit.* Audientes itaque Theutonici hujusmodi alta Principis verba, & videntes (40) quòd non erat Princeps homo vel corde, vel genere, cui vis, aut metus potuisset inferri, pœnitentes de eo, quod sic improvidè fecerant, miserunt quatuor ex eis inermes ad Principem, qui de stipendiis respondit, ut decuit, & de ipsorum præstatione, prout potuit in illa temporis necessitate, providit.

Post paucos verò dies Princeps quemdam apud Andrensem Civitatem enormia contra statum pacis, & fidei Regiæ, de novo audiens commisisse, illuc cum exercitu suo processit, scire volens, an vera essent ea, quorum clamor ad ipsum de illa Civitate pervenerat. Ante autem quàm ad Civitatem appropinquasset exercitus, cuncti penè Andrenses Cives tamquam sibi conscii, dimissa Civitate mulieribus tantùm parvulisque relictis, à Civitate fugerunt. Terruerat enim eos Principis famosa potentia, conscientiaque læsa pupugerat. Cùm autem ante Principis faciem stare non posent: Princeps autem advertens in multorum strage non peccantium securitati esse detrahendum, Cives ad Civitatem ipsam reverti jussit, & prout magnificentiam suam decuit, eis remisit pœnam, quàm justè meruerant, & alia pœna, quæ correctionem potius quàm perniciem ipsis induceret eos mulctavit. Et deinde apud Luceriam profectus est, ubi audivit, quòd jam Fogitani aggeribus circumcirca vallare se cœperant, & præter solitum ad pulsationem Campanæ populo convocato, consilia quædam non sinè certa suspicione tractabant.

Princeps autem orientis morbi materiam, antequam invalesceret (41), præcedere satagens, cum exercitu suo de nocte procedens, ante Fogiam summo diluculo repentè dispositis hinc inde aciebus apparuit, cùmque Fogitani mane summo (42) Principis exercitu, de quo quidem nihil in nocte præcogitaverant, ante Civitatem vidissent, subito tremore concussi, quasi in erroris sui primordiis deprehensi, & Principis sagacitate præoccupati, antequam munire se possent, missis ad Principem eorum Nuntiis, veniam suppliciter postulantes, egressæ mulieres Civitatis ipsius, crinibus resolutis, ad pedes Principis implorantes cum lacrymis ejus misericordiam. Princeps verò lacrymosa Civium supplicatione permotus, licèt rigorem in eos justitiæ rationabiliter exercere potuisset, (43) & eorum pœna, terror, & correctio foret aliorum in exem-

(36) & in hoc etiam sapientissimus perpendebatur, quòd lubricum & licentia juvenilis ætatis, ad cujus moderamen innata sibi prudentia sufficere poterat.

(37) conjuratio apud Apuliam.

(38) ut exercitu ibi.

(39) potentior intueretur & reverteretur.

(40) quòd non erat homo.

(41) recidere satagens.

(42) Principis exercitum.

(43) ut eorum pœna, terror, & correptio foret aliorum exemplum.

Digitized by Google

exemplum, tamen sic erga eos pietate uti voluit, ut nec veniam eis negaret (44), nec delictum eorum penitus impunè dimitteret; faciensque unum ex justitia & misericordia temperatum, ne videretur in justitia rigidus, nec in mansuetudine dissolutus. Pœnam etenim corporalem, quam ex delicto incurrerant, in pecuniariam pœnam benignè convertens, aggeres, quibus se circumquaque vallaverant, explanari mandavit. Delictum quidem Fogitanorum adeò fuerat perniciosum exemplo, quòd quæcumque eorum citra sanguinem pœna fuit, magnæ lenitatis ipsis apparuit. Princeps enim, qui non ad desolationem (45) sed ad correctionem & regimen populi natus erat, hoc agebat in pœnis delinquentium, ne essent, quos peccare pœniteret, nisi peccantibus vitam adimeret, quid emendaret correctio non haberet: in plectendo quidem, & cognoscendo hæc erat ejus intentio, ut vita hominum corrigeretur, non ut per pœnam penitus tolleretur: quæ suspicione carere non solent. Constituerant enim sibi Consiliarios in Civitate præsidentes, & formam Judiciorum solitam transmutantes, non jam apud Præsidem à Principe constitutum, vel apud loci Bajulum ex more ordinatum, Criminales, aut Civiles querimonias, causasque tractabant, sed apud prædictos Consiliarios noviter creatos petendam sibi exequendamque justitiam decernebant, prætendentes aliàs fidem, & obedientiam Regiam, & se ad novitatem illam processisse salva fidelitate Regis (46) asserebant. Quod ubi Princeps audivit, volens an ea, quæ dicebant, vera essent experimento cognoscere, Civitatis ipsius Universitati mandavit, ut eorum aliquos pro parte omnium Civium ad suam præsentiam mitterent. Cùmque Nuntii Civitatis ad ipsius præsentiam juxta suum mandatum accessissent, alloquutus est eos Princeps, ut decuit, reducens inter alia ipsis ad mentem juramentum fidelitatis, quod sibi tam ipsi, quàm alii Regnicolæ tempore assumtionis (47) prædicti Balii pro Regis parte præstiterant, ex cujus forma juramenti tenebantur sibi ad Terram Regis tuendam præstare subsidium. Licèt enim potentia, & industria ejusdem Principis magna esset, tamen ipsa, & virtus in actum prodire non poterant sinè operatione subsidioque fidelium. Quantum enim ad vires corporis attinet, nullus quidem est, qui per se, quantumcumque fortissimus sit, ad regimen universale sufficiat; sed ea est potentia, ea virtus in Mundi Rectoribus, ut habeant cum quibus, & per quos animi sui virtutes exerceant; & in hoc maximè Rectorum industria, virtusque probatur, quòd rudes animos aliorum, & vires, quæ sinè exercitio in aliquibus habentur inutiles, consilio, & moderamine suo ad laudabilia utilium operum experimenta rectificant, atque disponunt: sicque in Rectore potentia crescit, & gloria, dum subjectorum sibi subsidia, & vires assistunt: decrescit autem, & deperit, si ea suo præsidio subtrahuntur. Quemadmodum inutiliter bonus est Artifex, si necessaria sibi ad Artificium instrumenta deficiant: sit autem ejus peritia ex opere luculentior, si instrumenta habeat, quibus operetur.

Hac itaque ratione Princeps cùm per id tempus necessarium sibi esset subsidium, tam illorum, quàm aliorum Regni fidelium contra Neapolitanos, & Capuanos, qui rebellionem suam jam probaverant, requisivit eos ex debito fidelitatis, & præstiti Sacramenti, ut subsidium sibi hominum armatorum præstarent; quam requisitionem taliter fieri, alia quoque causa suggesserat, ut videlicèt ex responsionis eorum qualitate comprehenderetur, qualis eorum animus esset. Nuntii verò recepta Principis requisitione, reversi Barolum, insinuaverunt hoc Populo Civitatis. Quo audito Populus quidem concitatus est, sed interiores motus explicare (48) non volentes in publicum, remiserunt ad Principem Nuntios vacua sibi verba referentes: metiebantur enim ejus ex ætate prudentiam, frustra cogitantes exspectationem ejus (49) inanibus promissis obedire, & se meliùs interim præmunire. Princeps autem, cujus industria pravos eorum motus dissimulare noverat, sed nescire non poterat, interea processerat ad oppidum Cannarum, quod à Barolo sex ferè millibus distat, ibique Nuntios Barolitanorum remissos secunda vice recepit; auditisque ipsorum verbis, sensuque verborum medulliter intellecto, remisit eos, ut certum sibi responsum, non suspensivum ac dubium à Civitate referrent. Quibus redeuntibus Barolum, nec aliquo deinde responso à Barolitanis Principi facto, solertissimus Princeps manifestam agnoscens eorum fraudolentiam, quam jam dissimulare ampliùs dedecebat: considerans etiam, quòd dissimulatio manifesta eorum sceleris amplioris posset esse causa victoriæ, cùm ferè omnes majores Civitates Apuliæ conjurationis illius consciæ, vel participes essent, propter quod, si exorienti scandalo à principio non occurreret, majorem sibi laborem in antea generaret: cum exercitu suo ante Civitatem Baroli profectus est. Vidensque viros in propugnaculis stantes armatos, portasque Civitatis obseratas, primò quidem verbis pacificis ingressum sibi ad Civitatem Regiam dari poposcit; cùmque illa non verbis, sed sagittis responsum sibi dedisset: imperavit magnificus adolescens circumstantibus viris portas Civitatis violenter aperire. Cùm autem illi propter sagittas ab intus venientes propiùs dubitarent accedere: Princeps moræ impatiens, talemque pati resistentiam alto corde dedignans, pusillanimitatem ipsorum suorum increpans, qui instantis victoriæ gloriam degeneri timore calcabant, ipsemet mœnibus Civitatis appropinquare non dubitans, descendit de equo suo, & ad aperiendas portas animosum fecit initium: ex quo quidem omnes animati sunt & accensi, quòd vitæ jacturam honori & gloriæ postponentes non jam tela pavescerent, sed vincendi cupidine cujuscumque casus discrimina terroresve superarent. Uno itaque omnium impetu facto, remotis lignaminum (50) diversimodè oppositionibus, portisque violenter effractis, ipse Princeps de primis introeuntibus unus fuit; multique de exercitu suo, qui de ingressu desperaverant, vexillo Principis intus in Civitatem profecto, eamdem ingressi, Principem jam intus esse ad-

(44) nec delictum eorum transiret, nec penitus.
(45) Sed ad correptionem & regimen Populi status erat.
(46) asserentes.

(47) prædicti Bajulatus.
(48) tunc nolentes.
(49) inanibus fert promissis circumvenire.
(50) diversimodis oppositionibus.

Digitized by Google

admirabantur. Quis enim tantam sibi inesse crederet in illis adolescentiæ annis audaciam? cujus ætas ne dum ad armorum exercitia, sed etiam ad experienda ipsorum prœludia, vix reputabatur idonea. Quis unquam corde conciperet, puerum in deliciis Imperialis aulæ nutritum, cujus artus teneros adolescentis paternus amor sine armorum compressione gaudebat in tantam subitò post patris mortem mutasse duritiem, ut armorum usui ejus ætas immatura sufficeret, & ea jam nunc experientia exerceret. Stupebant quidem omnes, qui audiebant adolescentulum Principem, cujus tunc adhuc lanugo tenera replere genas inceperat, taliter expugnasse Civitatem, verèque dicebant: Manum Domini esse cum illo, processus alto inscrutabilique consilio dirigentem.

In eisdem quoque diebus miserat idem Princeps Bertholdum Marchionem de Honebruch, (51) cum quadam gente sui exercitus in Terra Beneventana propter quasdam Terras, quæ in partibus illis ad rebellionem tendere videbantur: cùmque Civitas Avellini prædicto Marchioni misso à Principe parère nollet, per fortunatam Principis ab eodem Marchione potentiam expugnata & capta est eo ipso die, quo in Apulia Civitas Baroli capta fuit, ut non sine Divino nutu talis visa sit processisse victoria, quòd duæ Civitates in diversis Regni partibus sitæ, Magnifici Principis potentiam ubicumque præpollentem simul in suæ rebellionis conculcatione sentirent.

Capta autem Civitate Baroli, murisque ejus in signum rebellionis depositis & dirutis, omnes aliæ Civitates Apuliæ, quæ conjurationis consciæ fuerant, & Barolum respiciebant, in suo proposito frustratæ sunt, totumque ferè Regnum ex tam gloriosa Principis victoria in magna pace, & tranquillitate firmatum est. Remanserant tamen in Terra Laboris Neapolitanorum, Capuanorumque Civitates rebellatæ: Civitas quoque Aversana, quæ inter Capuam, & Neapolim media in fidelitate manebat, & prædictis duabus Civitatibus rebellibus vehementer obstabat, tractatu quorumdam Infidelium ad partem contrariam trahebatur. Jamque ad id deventum erat, quòd pars contraria in Civitate ipsa se publicare præsumserat, & manifestis jam armis cum fidelium parte propugnabat. Quod audiens Princeps, prudenterque considerans, quòd si Civitas Aversana in partem aliam declinaret, pars contraria plurimum vigoris assumeret, & ipsius Civitatis adversatio totius ferè Regni esse posset amissio: confestim de Apulia in Terram Laboris accessit, collectoq; in unum toto exercitu, tam ea parte, quæ cum Marchione prædicto fuerat, quàm ea, quæ secum venerat de Apulia, Civitatem Aversanam potenter ingressus est; parteque contraria viriliter expugnata, atque dejecta, Civitatem ipsam in statu fidelitatis & pacis, ut decuit, reformavit. Deinde processit versùs Capuam, & eam obsidens, usque ad muros circumquaque vastavit. Civitatem quoque Nolam, quæ in partem rebellium lapsa erat, cùm ad mandatum Principis venire nollet, potenter expugnavit, & cepit.

Procedens deinde versùs Civitatem Neapolitanam, Civitatem ipsam ex ea parte, qua Vesuvium Montem habet, obsedit; & faciens depopulationem circumcirca usque ad mœnia, Neapolitanos ad bellum exercitus provocabat; qui cùm portis Civitatis obseratis depopulationem potiùs fieri malo eorum velle paterentur, quàm ad pugnandum exire tentarent: Princeps qui castrenses labores priùs tolerare cœpit quàm experiri, bellorumque vias & astutias ex quadam sibi innata virtute sciebat, eos ad bellum per aliam viam provocare decrevit, eoque loco obsidionem mutare constituit, in quo Neapolitani, quasi ad certam habendam de ipso victoriam, exire ad bellandum allicerentur. Erat enim quidam locus ex Septentrionali Civitati propinquans versùs Neapolim, videlicet Putheolum, mari, montibusque inaccessibilibus circumquaque conclusum, ubi quædam de prope rupes sulphurea (52) continuò quædam evaporatione fumigare conspicitur: ex aliaque parte est antrum vetusta murorum compage fabricatum, in quod ingredientes nihil quidem aquæ inveniunt, sed sudare præ calore inviti, quasi in fornace compelluntur, unde & Sudatorium vulgò appellatur. In medio verò maris, & (53) montium planitie est locus continens, qui vocatur Anglanum, cujus nemorum lacus aquæ non pisces, immo serpentes, aliaque nociva animantia nutrit. In locum ergo istum per asperas & angustas vias cum toto exercitu Princeps intravit (54), obsidioneque in illa planitie constituta, depopulationem ex illa Civitatis parte fieri mandavit. In hunc autem discriminosum locum, aquæ aliorumque bonorum penuria, ipsoque situ formaque horribilem, ideo Princeps cum exercitu ingressus est, ut vel Neapolitani ad pugnandum ibi cum eo sic undique circumcluso, sub spe certæ victoriæ, ut dictum est, confidenter exirent, vel si exeundi audaciam non haberent, tam ipsi, quàm alii cognoscerent, quòd non ita sicut ex ætate videbatur, delicatus erat, ut castrenses labores, quicquidve durum aut asperum in bello contingeret, tolerare non posset; aliique robustæ ætatis viri, qui ejus vexilla sequebantur, ea quæ idem Princeps sufferre poterat in tenera adhuc ætate constitutus, ad capessendam dulcis victoriæ gloriam, magnanimi adolescentes exemplo sufferrent. Dicebat enim, non fugiendum, sed appetendum esse laborem, per quem pervenitur ad gloriam (55), nec gratum esse solatium, quod non præcederent experimenta laborum; si autem ad locum illum Neapolitani cum Principe bellaturi exissent; oportuisset Principem, & suos, bellum de necessitate recipere, cùm nullus pateret fugæ locus absque discrimine: quin immo ipsa loci periculosi necessitas, bellandi desiderium Principi, & suis eo magis accenderet, quo magis dispendiosum fugæ dedecus, casumque declararet. Licèt autem magis dispendiosa hæc omnia Principis industria præcogitasset, ob id præcipuè, quòd per illam viam existimavit Neapolitanos posse ad bellum allicere: quia tamen gratius Neapolitanis fuit timere ne vincerentur, quàm (56) haud quòd vincerent, exire noluerunt ad pugnam,

(51) cum quadam parte sui.
(52) continua quadam.
(53) & montium planities est, locus continens, qui vocatur Anglanum, cujus lacus nimium aquæ, non pisces.
(54) obsidioque in illa planitie constituta.
(55) nec gratum esse quietis solatium.
(56) quàm audere quod.

gnam, cùm Princeps ibi eos per triduum expectasset.

Facta autem depopulatione ibidem, in quantum placuit sibi, & æstivi temporis intemperies passa est, recessit de loco illo Princeps, ad alias partes Terræ Laboris in statu pacifico & fide Regia reformandas incedens: processuque temporis intelligens, Regem Conradum fratrem suum de Alamannia in Regnum per mare esse venturum, reversus est in Apuliam, ibique moram trahens, & pro adventu Regis opportuna quæque disponens, dictum Regem cum magna Theutonicorum comitiva per mare venientem apud Sypontum debita reverentia & devotione recepit sub Anno Domini 1252. Regnumque, cujus pro ipso Bajulum gesserat, in pace totaliter ferè constitutum sibi assignavit.

Rex autem valdè Principi gratificatus est, recognoscens Regnum ipsum in absentia sua, post Imperatoris patris sui mortem, per ejusdem Principis industriam sapienter atque viriliter fuisse gubernatum, cùm vix credidisse potuerit, se sic quietum & pacatum Regnum inventurum esse, sicut invênit: propter quod ipsum Principem in magna benevolentia est amplexatus. Itaque præordinato solemni palleo, sub cujus umbraculo Rex à maris litore, ubi descenderat in terram, usque ad Civitatem processurus erat ex consuetudine Regiæ dignitatis, Rex sub eodem palleo Principem secum simul procedere turbis circumquaque spectantibus voluit, ostendens eum (57), quodammodo in illa pallei communicatione participem, quem invenerat negotii fidelissimum exequutorem; fecitque eum sibi in Regno secundum, ut vicem suam in omnibus gereret propter magnam sapientiam, quam in ipso esse considerabat.

Parum autem duravit hæc affectio Regis ad Principem; nam processu dierum videns Rex ipsius Principis solertiam, suspicionem de ipso incertò recipiens, quòd ratione magnæ sapientiæ, quæ in ipso erat, homo esset magìs dominandi, quàm obsequendi conditione dignus, mutari cœpit adversus eum, ipsumque deprimere, quomodocumque posset, intendebat. Ut autem animi sui motum sub quadam generalitatis specie occultaret, ut eum quidem læderet, lædere tamen nolle videretur, fecit eidem Principi notum, se omnes donationes post Imperatoris obitum factas revocare velle; Principique suggessit, ut quo magìs aliis Regni majoribus daret exemplum, revocationem factarum sibi (58) donationum æquanimiter patiendi. Ipse Princeps primus, atque sponte taneus honorem Montis Sancti Angeli, & Civitatem Brundusii, quam ratione Principatus Tarenti possidebat, Regi resignaret; sicque factum est, quòd Princeps Regis voto satisfaciens, animique motum (59) plenè cognoscens, honorem Montis Sancti Angeli, & Civitatem prædictam Regi obtulit, atque dimisit.

Rex autem generalem prædictarum concessionum revocationem faciens, cœpit prædicto Principi paulatim favorem subtrahere, Terramque illam, quam Princeps tenebat ex concessione paterna, non quidem simul, sed successivè, quibus poterat occasionibus, ab ejus dominio & possessione revocavit; solumque Principatum Tarenti mutilatum Comitatibus Gravinæ, Tricarici (60), Montis Caveosi, & prædicta Brundusina Civitate, sibi dimisit; & ne Princeps de ipsa quoque Terra, quæ sibi remanserat, subsidium habere posset, hominibus ipsius Principatus collectam generalem gravissimam imponi & exigi mandavit, Regio Ærario applicandam. Justitiarium quoque in Principatu ipso à Principe ordinatum removit, & Justitiarium suum, sicut in aliis Regni partibus, in ipso constituit, subtracta sibi in eodem Principatu meri Imperii potestate, quam ex concessione Patris Imperatoris habuerat, ut Princeps nonnisi in civilibus tantùm Jurisdictionem in Principatu ipso retineret. Princeps verò prudentissimus in tali quidem adversitate fortunæ minimè frangebatur, virtutum suarum auxilio, cùm magìs necessarium sibi erat, utens propter ea, quæ Rex sibi faciebat.

Nec quidem tantis malis in fratrem Rex exsaturatus est; sed ad majorem extremamque ipsius Principis depressionem Gualvanum Lanceam, qui Imperatori diu servíverat, quem propter magnam ejus fidem atque prudentiam Imperator Vicarium suum in Tuscia per multum temporis spatium habuit, Fredericum quoque Lanceam fratrem ejus, & Bonifacium de Anglone ipsius Principis avunculum, omnesque ipsius consanguineos, & affines ex parte materna, conficta in eos occasione, cum uxoribus, matribus, sororibus, ac filiis, & filiabus, magnis, & parvis, Regnum exire mandavit. Qui omnes exeuntes Regnum, cùm se ad Imperatricem Romaniæ sororem ipsius Principis contulissent, misit Rex postmodum Bertholdum Marchionem (61) de Konebruch in Romaniam, qui prædictos Gualvanum, & fratres ab Imperatore Romaniæ fecit de Imperio suo licentiari, multum displicuisse Regi asserens (62), si Imperator eos circa se retineret.

Licèt autem Rex ita graviter contra Principem moveretur, Princeps tamen libenter omnia patiens, Regi cum omni devotione obsequebatur; & cum ipso Rege procedente in Terram Laboris contra rebelles illarum partium (63), cum toto suo exercitu profectus est. In processu autem illius in Terra Laboris Rex Civitates Aquini, Suesæ, Sancti Germani, pluraque vicina Castra, quæ per Regis adventum rebellaverant, vicit. Civitatem quoque Capuanam, & quodammodo Neapolitanorum, obsidionibus terra marique ordinatis, machinis quoque circumcirca dispositis, cavis etiam subterraneis ad murorum obversionem, & fossis, ad deditionem coëgit, magnaque victoria ex illarum Civitatum deditione Rex illustratus est.

Reversus autem in Apuliam in hyeme sequenti, mortuoque Henrico minore fratre suo, disponebat Rex versùs partes Imperiales procedere; & cùm circa veris initium ordinato exercitu processurus castramentari cœpisset, in campis prope Lavellum infirmitate correptus, cùm esset circa annos ætatis viginti sex, in triumphorum suorum primordiis acerbo mortis fato succubuit.

Mor-

(57) quodammodo sui honoris in illa.
(58) concessionum æquanimiter pateretur.
(59) plenè compescens.
(60) Montis Caveosi, & Civitatem Brundusinam sibi.
(61) de Honebruch.
(62) si Imperatrix eos.
(63) cum toto suo exsfortio.

Mortuus est autem idem Rex die 21. mensis A Madii Anno Domini 1254. duodecimæ Indictionis, superstite sibi filio nomine (K Conradino, duorum jam annorum, Elisabeth Regina suscepto, cujus pueri Bajulatum prænominatus Bertholdus de Honebruch per magnam sui astutiam procuravit sibi à Rege committi propter favorem Theutonicorum, quos omnes ratione communis Nationis, & munerum allectione, adeò sibi devinxerat, quòd de eis omne suum beneplacitum facere poterat. In ipsa enim Regis infirmitate, cùm ipse Rex de filio, & Regno suo dispositurus esset, requisiverat Marchio Principem, an ipse Princeps, Bajulatum vellet assumere, cùm esset Bajulatum ipsum cuicumque vellet committendum. Prin- B ceps autem ejusdem Marchionis astutias prudenter advertens, sciensque, quòd prædicta requisitio Marchionis non fiebat ad aliud, nisi ut de assumtione prædicti Bajulatus animum Principis investigaret: respondit ei, se non velle Bajulatum ipsum assumere, sed ipsum Marchionem propter magnam sapientiam, & rerum experientiam, quæ in eo esset, ejusdem Bajulatus officio fore dignum: ne si aliter idem Princeps responderet, Marchio contra eum Theutonicos (quod facilè sibi erat) ad ejus Provinciæ partes conduceret. Licèt enim idem Bajulatus officium ad eumdem Principem, tam jure agnationis legitimæ (cùm patruus pueri esset) quàm paterna voluntate deferretur (scie- C bat enim Rex quòd negotium filii sui in Regno per nullum alium, quàm per Principem fratrem suum post Imperatoris mortem fuerat utiliter gestum) permisit tamen Princeps cautissimus, satisque sibi placere monstravit, quòd ipsum officium Marchioni committeretur, ut & suæ ambitioni super hoc satisfaceret, & ipse periculum ex furore Theutonicorum, quem contra se concitare poterat, declinaret.

Assumto itaque Bajulatus officio à Marchione Bertholdo, tota Camera, cunctaque Regis gaza in auro, argento, lapidibus pretiosis, & aliis, quæ in ipsa Camera continebantur (64) ad ipsius Marchionis manus & dominium pervenerunt; cùmque inter alia, quæ dictus Rex D Conradus de filio, & Regno suo in ultima voluntate disposuit, filium suum manibus, & gratiæ Sedis Apostolicæ submittendum esse mandasset: Papa Innocentius Quartus, qui Sedi tunc Apostolicæ præerat, ex Regis dispositione quamdam sumens occasionem, asserens Regnum Siciliæ ad Ecclesiam Romanam spectare, Regnum ipsum vendicare intendebat, cùmque prædictus Marchio Regni Bajulatum gerens misisset Legatos ad Papam super petenda Regi pupillo Sedis Apostolicæ gratia, prout pater suus in ultima voluntate statuisse videbatur; Summus Pontifex illam Legatorum missionem, & Apostolicæ gratiæ postulationem, E magis debilitati partis Regiæ, quàm devotioni ascribens, respondit præcisè, se habere velle Regni possessionem, atque dominium, promittens Regi pupillo, cùm ad pubertatem veniret, de jure, si quod haberet in Regno, gratiam esse faciendam: cœpitque ex parte Summi Pontificis cautè tractari cum aliquibus Regni Magnatibus, qualiter Regni possessionem adipisci Ecclesia posset.

Cùm autem jam aliqui de Regni Majoribus ad partem Ecclesiæ inclinare cœpissent, & prædicti Marchionis non esset tanta potentia, quòd tam gravi dissidio urgenti posset obstare, videns Marchio se in tanta difficultate perplexum, cùm Summus Pontifex exercitum jam congregare cœpisset ad occupandum Regnum, pluresque Magnates (65), quos ipse Marchio habere sperabat, auxilium alii Ecclesiæ, alii manifestè ad partem Ecclesiæ declinarent, Bajulatus officium se assumsisse pœnituit, & ex tunc onus quidem incautè susceptum, non sinè pudore deponendum existimavit. Multos quidem hoc modo fallit ambitio, qui onera, quæ insunt honoribus, à principio non attendunt, quoniam ambitione cœcati videre singula, quæ sunt videnda, non possunt. Vident quidem, & appetunt quod delectat, nec inspiciunt illa alia delectationis qualitate quæ gravant; & dum improvidè honorem sinè contemplatione oneris amplectuntur, de honore sub onere turpiter cadunt. Sic nimirum Marchio Bertholdus prædicti honoris Bajulatus delectatione allectus, sed mox ab oneris gravitate compressus, honorem improbè affectatum, onusque incautè susceptum sapientiùs deposuit, quàm assumsit.

Marchione itaque dimittente Bajulatus officium, Comites, Barones, & alii Magnates Regni, in Regis fidelitate manentes, ipse etiam Marchio unanimiter cōvenerunt rogantes Principem Manfredum, ut Balium nepotis Regis pupilli à Marchione dimissum, quod eidem Principi jure agnationis legitimè offerebatur, assumeret, publicè protestantes, quòd si ipse Princeps Balium ipsum non reciperet, negotium pupilli Regis in Regno Siciliæ penitùs periclitabatur: quod eidem Principi præcipuè posset imputari ad culpam, quòd ipse, qui singulariter Regnum ipsum defendere poterat, ipsum in præjudicium Regis pupilli nepotis sui, & suum, relinqueret indefensum. Princeps autem Balium ipsum recipere hac ratione recusabat, quia ipsum Balium testamento Regis commissum fuerat Marchioni, ad quem de cetero pertinebat omne periculum, quod posset pupillo Regi de ipsius Marchionis administratione accidere, quod non debebat Princeps ad se Balium ipsum subeundo transferre: cùm ex quo Marchio semel Baliatus officium gerere cœperat, se ab eo exonerare non posset, quia etiam Regni negotium ad id erat sub Marchionis administratione deductum, quòd nulla poterat humana ope relevari: propter quod si ipse Princeps illud assumeret, & in manibus suis pupilli jura deperirent, materiam sibi pudoris potiùs quàm honoris generaret. Contra verò ea, quæ Princeps ad excusationem tanti oneris allegabat, ex parte alia Comitum, Baronum, Regnique Magnatum fidelium proponebatur, quòd licèt in Testamento Regis (66) Balium ipsum commissum videatur fuisse Marchioni, tamen voluntas Regis fuerat ipsum sibi fratri suo Principi committere, si Princeps ipsum assumere vellet: quod non ob aliud prætermisit, nisi quòd de ipsius Principis voluntate dubitavit, propter quasdam offensionis causas, quæ ab eo contra Principem processisse videbantur: ipseque Marchio testabatur se ante mortem Regis requisivisse Principem, si Balius esse vellet, quod quia tunc Prin-

(K) Conrado.
(64) ad ipsius Marchionis dominium & posse pervenerunt.

(65) A quibus ipse Marchio habere sperabat auxilium, alii.
(66) Baija ipsa commissa.

Princeps renuit, ut supra memoratum est, Rex Marchioni ipsum officium Bajulatus concessit; & ea quidem contemplatione commisit, ut Princeps sibi in eo exercendo, (67) auxilio, & cura præsideret; intendens autem esse videbatur, Principem sibi cooperatorem esse in exercitio Balii, qui solus omnia, quæ huic officio competebant, sufficiens erat operari. Propter quod si Princeps Balium ipsum principaliter gerendum acciperet, eo magis testantis Regis voto satisfaciebat, qui ipsum contemplatione auxilii & curæ Principis, Marchioni commiserat: quo magis utilitas filii sui procurabatur, si curam & auxilium Principis sibi in Baliatus officio exercendo accessoria pater esse decreverit, per quos res, de qua agitur, magis valeat (68), quàm per eum, & præcipuè ubi pupillorum versatur utilitas, circa quos rigorem (69) suum non servant, sed ad id, quod magis eis expediat, se inclinant. Ea quoque occasione, quòd ex quo testamentarius Balius semel officium Bajulatus gerere cœperat (70), se ab eo excusare non posset, Princeps Bajulatus officium, quod sibi in defectu testamentarii jura decernebant, recusare non poterat, quia ex quo Marchio Bertholdus, qui testamentarius fuerat, ipsum officium dimiserat, jam tempore Balius erat, se Balium legitimè fecerat: & licèt ipse Marchio, Balium semel receptum dimittendo, deliquisse, & contra jura fecisse videretur, Princeps tamen ipsum assumendo non contra jus venire, sed juri potiùs favere probaretur. Deliquisse quippe Marchio videbatur Balium contra jura deserendo, majus tamen delictum erat ipsum in pupilli damnum retinere. Justum quoque videbatur, testamentarium Bajulum cœptam semel administrationem non deserere, sed cogi perficere; magis tamen justum piumque erat pupilli jura perire non sinere, & damna ejus quocumque modo relevare. Delictum sanè Marchionis in desertione Bajulatus superior corrigere vel punire non poterat, & sic sinè ultione pupilli miserabilis læsura transibat: Justitia tamen Principis in ipsius officii recusatione videbatur delicto illo deterior, quæ & damnum generat pupillo indefenso perpetuum, & Principi recusanti culpam & infamiam servaret in posterum. Sed qualis esset illa justitia, tutelam pupilli legitimam, testamentario Balio, ac tutore cessante, recusare? cùm ne dum tutelam deseruit, verumetiam quia inutilis tutor erat, non videbatur esse tutor; cùm etiam verba intentioni deserviant, & effectus attendatur potiùs in his, quæ verbis sunt declaranda, quàm sonus. Quis enim qualisve tutor est, qui vel non tuetur, vel inutiliter, aut damnosè tuetur? Cessat ergo testamentarius tutor, aut Balius, ut legitimo fiat locus, cùm testamentarius, vel tutelam animo non suscipit, vel susceptam inutiliter gerit, aut deserit; cùm nec in hoc casu tutori quidem inutili adjiciendus videatur esse contutor, aut tutelam deserens (71), ea præsumere sit cogendus. Cùm ille, qui vel contutorem adjicere, vel desertorem ad resumendum cogere posset, aut desit, aut ille quidem sit, qui pupillo Regi adversus adeò sit, atque contrarius, ut ipsius substantiam vendicare sibi potiùs, quàm gubernare censeatur. Videri namque poterant ad Summum pertinere Pontificem, vel compellere Balium testamentarium tutelam pupilli resumere, vel ei tamquam inutili alium adhibere; sed ipsius ad hoc erat specialis intentio, ut pupilli Regnum Ecclesiæ vendicaretur (72), potiùs indefensum, quòd defensum pupillum esse desiderabat, ut votum suum de prædicto Regno contra eum liberiùs, & efficaciùs prosequeretur. Ea quoque ratione, quòd pupilli negotium sub Marchionis administratione periclitatum erat, ejus Balium, & curam non quidem recusare, sed magis debebat Princeps assumere; quia si negotium ipsum relevare fortè non posset, non sibi pudor, sed ei, qui causa periclitationis fuerat, remanebat; si autem posset, honor sibi inde crescebat & gloria, cùm virtus circa difficiliora probetur, nec ex eo laus alicui debeatur, quando facit quæ alii faciunt, sed quòd id etiam tentare audet, quod alii perhorrescunt. Alia quoque potissima ratione Princeps Regni gubernaculum recusare non poterat, nec debebat; quidam enim eo tempore à malevolis rumor exiverat, quòd Rex Conradus Secundus parvulus nepos Principis in fata concesserat: ex quo Summus Pontifex majorem sibi habendi Regni rationem adaptabat, pluresque Regnicolæ justiorem quodammodo sibi causam declinandi ad partem Ecclesiæ (73) extimabant; non quidem attendentes, quòd si prædictus parvulus defecisset, qui ratione primogenituræ patris sui Regis Conradi Primi Principem Manfredum in Regni successione præcedebat, mors ipsius pueri locum Principi in eadem Regni successione fecisset: quamobrem Princeps (74) ad hujusmodi quidem æmulorum intentionem repellendam, Regni gubernaculum, tam ad utilitatem pupilli nepotis sui, si viveret, quàm ad suam, si fortè de facto aliud contigisset, assumere de jure debebat; Ad magnam quoque prædictorum Comitum, Baronum, & aliorum Regni fidelium, ipsiusque etiam Marchionis instantiam, quàm ipsius pupilli, ac suam in defectu ejus utilitatem attendens, Regni Balium, & gubernaculum, in Marchionis defectum tamquam causam penitus desperatam, assumsit, promittente sibi firmiter Marchione prædicto in Apuliam ire, & eidem Principi mittere aurum, argentum, totasque Gazas Regiæ Cameræ, quæ ad ipsum Marchionem tempore mortis Regis pervenerant, & cum magno quoque exfortio armatorum ad ipsum Principem sinè mora redire; statimque tam ipse Marchio, quàm Comites, Barones, aliique Regni fideles eidem Principi juraverunt fidelitatem Regis, & suam; ita videlicet, ut si Rex parvulus viveret, eidem Principi tamquam Generali Balio ejus intendere, & parere; sin autem ipse puer, vel jam defecisset, (75) vel post, liberis non susceptis, deficeret, ipsum Principem Manfredum ex tunc in Regem, & Regni dominum haberent.

Princeps itaque assumto Regni gubernaculo cœpit ordinare exercitum, negotiaque Regni disponere, prout rei temporisque qualitas patie-

(67) auxilium & curam præstaret.
(68) quam per eos.
(69) suum non jura servant.
(70) se ab eo exonerare.
(71) eam resumere.
(72) potiùsque indefensum, quàm defensum.
(73) adducebant.
(74) ad hujusmodi pravam æmulorum.
(75) vel ante pubertatem, vel post, liberis non susceptis, fortè deficeret.

tiebatur. Marchione autem profecto in Apuliam, & de promiſſione facta Principi parùm curante, quia milites Theutonici, quos Princeps habebat, ſinè ſtipendiorum præſtatione ſub expectatione melioris (76) eventus ultra retineri non poterant, cùm prædictus Marchio haberet totam Cameram Regis Conradi, cunctaſque ipſius Gazas, nec Principi aliquid de eis mitteret: Princeps ad ipſorum militum ſtipendia Ærarii ſui Gazas expoſuit, uſquequò argentea, quæ ad familiare miniſterium erant, ad uſus & ſtipendia militum erogari mandavit, ſciens cum Salomone tempus eſſe ſpargendi, & tempus eſſe retinendi, nihilque pretioſius reputans, quàm honorem. Conſtituit ergo quamdam Theutonicorum, & aliorum equitum, ac peditum comitivam ad Sanctum Germanum. Itemque in Capuana Civitate ſe cum quadam alia comitiva firmavit, ut tam ipſam, quàm alias vicinas Terras, quæ jam in fide Regia, & ſua vacillare cœperant, ſuâ præſentiâ coërceret. Interea Summus Pontifex in Siciliam Nuntios miſerat ad Petrum Ruffum de Calabria, qui Siciliæ, & Calabriæ Bajulus fuerat ordinatus ſub Marchione Bertholdo, quorum Nuntiorum tractatu ad id jam deventum erat, quòd dictus Petrus Ruffus Fulconem Nepotem ſuum, & alios ſolemnes Nuntios pro parte ſua in Civitate Meſſana miſit ad Papam cum duabus Galêis per mare uſque Terracinam venientes; famaque erat, quòd tam Sicilia, quàm Calabria ad convertendum ſe in partem Eccleſiæ diſponebantur. Richardus enim de Monte-Nigro, qui propter odium, & inimicitias, quas habuerat cum Marchione Bertholdo, in partem contrariam declinaverat, qui in Regni finibus Terras & Caſtra tenebat, confœderationem jam fecerat cum Campanis, & exercitui Papali tranſitum in Regnum dare promiſit. Alii etiam per occultos Nuntios ſuos donationes ſibi à Sede Apoſtolica impetraverant, ſicque totum Regnum per diverſas partes perfidiæ & ambitionis erat vitio violatum, quòd impoſſibile videbatur ruinæ illius humana ſubventione ſuccurri, ni Deus aliter de ſuæ infinitæ potentiæ auxilio provideret.

Conjuratio quoque facta erat à quibuſdam in Capua, ut ſtatim quòd Papalis exercitus Regno appropinquaſſet, ipſi uno impetu in Principem latenter inſurgerent, & ipſum aut caperent, aut interficerent. Prædictus quoque Marchio Bertholdus in promiſſioni, quam Principi fecerat de mittenda ſibi pecunia, & de veniendo ad eum cum exfortio de Apulea, ſibi defecerat; immo per Apuleam diſcurrendo, negotia ſua, commodaque tractabat, & requiſitus etiam per Gualvanum Lanceam ex parte Principis ad eum miſſum, de periculis, in quibus Principem dimiſerat, non curabat. Princeps autem, qui poſt aſſumtum Regni gubernaculum fuerat pluries per Nuntios à Summo Pontifice requiſitus, ut ipſum Regni gubernaculum in manu Eccleſiæ dimitteret, tam grave periculum prudenter advertens, ex circumſtantibus undique malis minus malum decrevit eligere, ut exteriores hoſtes, quos habebat in januis, ex cautela declinaret, & interiores inimicos, quibus jam erat circumdatus, ex diſſimulatione circumſpectus evaderet. Cogitavit enim minus eſſe periculum, ſi Papam intrare Regnum ſponte ipſe permitteret, quàm ſi Papa violenter intraret, quod ipſe Princeps deficientibus, immo officientibus ſibi ſuis, prohibere non poſſet: cùm efficaciùs, & cautiùs ipſe Princeps poſſet ſibi ſic ingreſſo, poſt jurium, & proceſſuum ſuorum experientiam, reſiſtere, quàm improviſis, & inexpertis ejus ſe viribus objectare: majoris eſſe honoris, & gloriæ reputans ex prudentia vincere, quàm ex audacia vinci. Certus enim erat, quòd ſi Regnum Papa violenter intraret, hi, qui contra Principem conſpiraverant, efficaciùs ſibi nocituri erant, & quamvis eos ipſe forſan evadere, nullo tamen modo vires ad reſiſtendum reſumere poſſet. Si autem voluntariè Papam in Regno reciperet, conſpirationis periculum declinaret, & quicquid in antea facturus eſſet, ex ipſius Papæ, ac ſuorum proceſſibus, quos quales futuri erant ex magna ſapientia prænoſcebat, viam & materiam inveniret. His ergo aliiſque rationibus circumſcriptis, Nuntiis, qui ad ſe à Summo Pontifice miſſi erant, Princeps reſpondit, & talem per eum, & ſuos Nuntios miſſos ad Papam, deprecationem, cum ea devotione, qua decuit, fecit, ut videlicet Sanctus Pater Apoſtolicus, ad quem cauſa, & præcipuè pupillorum defenſio Dei vice defertur, ipſum Principem, qui cauſam pupilli Regis Nepotis ſui gerendam ex ſola ætatis imbellicis miſeratione ſuſcepit, in ipſius adminiſtratione contra debitum pietatis Apoſtolicæ non turbaret; immo ſibi ſuper hoc auxilium tribuens, prædictum Pupillum Regem in Matris Eccleſiæ ſinu reciperet, ut pater ſuus Conradus in ultima decreverat voluntate. Et ſi eidem Summo Pontifici prorſus placebat Terram pupilli regere, paratum ſe obtulit idem Princeps eumdem Sanctiſſimum Patrem in Regnum recipere ſinè præjudicio Regis, & ſuo; & tam ipſius Regis, quàm ſuo in omnibus jure ſalvo. Sub cujus auctoritate petitionis expoſitæ finibus tractatum eſt, quòd Papa ſinè præjudicio pupilli Regis, & Principis, cum juris utriuſque proteſtatione, ex permiſſione Principis ingrederetur Regnum. Ad majorem autem ſui devotionem ad Sacroſanctam Eccleſiam oſtendendam Princeps Summo Pontifici obviam proceſſit uſque ad Ceperanum: & Papa Regnum intrante Princeps ſtratoris ei officium exhibens frænum tenuit, quouſque ad Pontem Gariliani tranſiret.

In ipſo autem ingreſſu Papæ in Regnum res mira contigit, nam Crux, quæ ante Summum Pontificem de conſuetudine dignitatis Apoſtolicæ ferebatur (77), capitulo funis Crucem circumplectente conſciſſo, de manu illius, qui ipſam portabat ſtatim poſt tranſitum pontis in Terram cecidit. Sic ergo Summus Pontifex ingreſſus eſt Regnum, præmiſſo Legato Sedis Apoſtolicæ G. Sancti Euſtachii Diacono Cardinali, viro quidem juvene, & ipſius Papæ conſanguineo.

Cœpit autem ſtatim idem Legatus non tamquam Rector, aut Gubernator in Regno agere, ſed tamquam Regni Dominus, pupilli Regis, & Principis jura ſubvertere, & à Comitibus, Baronibus, & aliis tamquam Rex juramenta fidelitatis exigere, nullo jure Regis, & Principis ſalvo, ſibique tamquam Regi Siciliæ intendi ab omnibus faciebat, ipſumque etiam Principem requirebat, ut ſibi ſimile juramentum

(76) eventus univerſaliter retineri.

(77) capitulo fuſtis Crucem.

tum præstaret. Princeps autem sibi respondit, quòd cùm ex pactionibus habitis inter Summum Pontificem, & ipsum de Regni negotio cautum esset, nepotis, & sua jura salvari, nec usque ad tempora pubertatis ipsius pupilli aliquid de Regni statu immutari debere, cùm existimandum esset de jure pueri, & quod Ecclesia in Regno habere contendit, juramentum ipsum ab eo adhuc exigi non debebat. Licèt autem ad juramentum tale præstandum nullatenus Princeps induci potuerit, cœpit tamen apud eumdem Principem reverentia hominum consueta diminui, cùm dictus Legatus ipsum Principem, sicut & alios Regni Magnates, nulla contemplatione habita Cæsareæ Nobilitatis, qua ipse aliis excellebat, suo intenderet suppeditare dominio.

Cùm autem hoc modo ipse Legatus potentiam suam magnificaret in Regno, cuncti pæne Regni majores sibi tamquam Domino reverentiam exhibebant, ita quòd Princeps jam non superior, sed aliorum videretur esse æqualis: accidit, quòd quidam de Dominis Anglonis, Burrellus nomine, cui Princeps ipse, dudum Imperatore defuncto Baliam Regni gerens, quamdam Terram, qua justè fuerat per Imperatorem privatus, gratiosè restituit, & quem etiam quondam Rex Conradus honore militiæ decoraverat, Comitatum Alesinæ, ac honorem Montis Sancti Angeli, qui erat ejusdem Principis pertinentiæ, à Summo Pontifice ante ingressum ejus in Regnum, ut in partem Ecclesiæ declinaret, obtinuerat sibi concedi. Cùmque Princeps Comitatum ipsum juris sui esse justè contendens, ipsum Burrellum pacifico modo requireret, ut se de Comitatu ipso nullatenus intromitteret; immo de quadam alia Terra, quam tenebat de prædicto honore Montis Sancti Angeli, si eam teneret sibi, Principem in Dominum recognosceret, & assecurationis sibi juramentum ex Regni more præstaret, alioquin terram ipsam dimitteret: idem Burrellus in superbiam elatus, nedum dimittere Comitatum ipsum, vel Terram ipsam à Principe recognoscere, ac juramentum assecurationis ei præstare negavit, verumetiam de pari incœpit cum ipso contendere, indignumque reputare ipsum Principem tenere in Dominum, quem ei, cui ipse idem subjectus erat, asserebat non debere esse subjectum. Princeps autem acuto cordi suo frænum rationis apponens, procacitate verborum illius non dedignabatur, & cum inferiore contendere sordidum reputabat.

Intellexit interea Princeps, quòd quædam gens à prædicto Burello transmissa Comitatum Alesinæ invaserat, & duas Terras Comitatus ipsius jam occupaverat. Princeps autem ipse, nè juris sui videretur esse neglector, nihil de contingentibus volens obmittere, Summum Pontificem adiit, sibique exposuit qualiter Comitatus Alesinæ, quem dictus Burrellus sibi asserebat ab ipso Papa fore concessum, & jam ipsum occupare incœperat ratione honoris Montis Sancti Angeli, sui juris erat: propter quod ipse Summus Pontifex sic super hoc provideret, quòd inconveniens inde aliquod evenire non posset. Summus autem Pontifex respondit, se præfato Burello nihil de juribus Principis concessisse: quæ quidem Pontificis responsio duplicitatem in se continere videbatur, magisque ad implicationem, quàm ad explicationem negotii faciebat, adeò ut post multas hujusmodi responsiones implicitas visum fuerat Papam dixisse, quòd prædictus Comitatus ad honorem Montis Sancti Angeli non spectaret, sicut fuerat à Prædicto Burrello suggestum; voluntatis tamen suæ esse, postquam esset in Capua, de ipso negotio secundùm justitiam providere. Mirabantur autem omnes Principis prudentiam, quòd contra dicti (78) Burrelli instantiam non viribus, sed juribus uti contentus erat; dixitque quidam de Romana Curia Magnus, quòd sic deceret facere Principem, ut non ipse de alio, sed de eo alius quereretur.

Inter hæc Summus Pontifex, cùm esset apud Theanum quadam corporis infirmitate deductus, & diceretur, quòd Bertholdus Marchio de Honebruch de Apulia veniebat ad Curiam Summi Pontificis, Princeps volens in occursum eidem Marchioni procedere, petitâ eundi à Papa ex curialitate licentiâ, processit: cùmque per modicum viæ à Civitate processisset, visa est quædam acies equitum in quodam loco eminenti exclarata consistere super quemdam angustum viæ transitum, quo Princeps cum sua comitiva tunc transiturus erat; de quibus cùm nesciretur in primo aspectu, qui essent, fuit qui diceret, Burrellum esse cum comitiva sua, qui pluries inter alia, quæ de Principe fuerat obloquutus ipsam etiam Principis personam offendere conatus erat. Certâ ergo habitâ (79) comitivâ, ex his, qui processerant, quòd ex loci inæqualitate, in quo erat idem Burrellus, ad offensionem Principis in loco illo angusto ejus transitum expectaret, dictum fuit ab aliquo de comitiva Principis quomodo videbatur locus idoneus requirendi Burrellum, si se Vassallum Principis (80) recognosceret de Terra, quam de honore Montis Sancti Angeli (81) teneret, cùm præsertim ipse videretur ad offensionem Principis, quam sæpe minatus fuerat, præparatus. Princeps autem ne per dictum locum angustum incautè transiret, & posset sibi forsan ex incautela evenire periculum, cùm esset inermis, galeam sibi ad munimen capitis tantùm dari fecit, & capiti suo superimposuit. Aliqui quoque de comitiva sua, quos insolentia prædicti Burrelli multoties in Principalis nominis & honoris obtrectationem turbaverat, & ad tantæ ultionem injuriæ (82) latum sibi videbant, & tempus oblatum, descenderunt de roncenis, quos equitabant, & destrerios ascenderunt. Quod cùm aspexisset Burrellus, & sui, in fugam protinus (83) se proruperunt: quidam de comitiva Principis, qui non ex ejus mandato, sed ex zelo ultionis injuriæ tantùm, nimis animosè processerant, prædictum Burrellum, & suos evaginatis ensibus insequuti sunt. Princeps verò, qui honori suo se satisfactum fore de fuga tantùm ipsius Burrelli contentus erat, & propter reverentiam tantùm Summi Pontificis, tunc ab ipsius interfectione temperatum esse voluisset, milites & domicellos suos prædictum Burrellum insequentes voluit quidem revocare, nec potuit, immo cùm Burrellus versùs

(78) Burelli insolentiam.
(79) *fortassis* habita conjectura ex his, quæ præcesserant, *Murat.*
(80) recognosceret de Terra.
(81) tenet, cùm præsertim.
(82) locum sibi.
(83) protinus perterriti prorumperent: quidam.

A sùs Theanum fugeret, & jam ictum lanceæ fugiendo recepisset in dorso, propter insolentiam suam, quam omnes noverant, credebantque, quòd ipse Burrellus personam Principis offendisset, & ideo fugeret: subitò surrexit clamor in populo, rumorque increbuit, quòd Principem percussisset; sicque factum est in fuga illa, quòd Burrellus (84) in Civitate Theanensi ab insequentibus eum, qui de Principis injuria dolebant, vulneratus fuit, atque peremtus.

Erat autem in comitiva Principis tunc quidam miles Summi Pontificis Nepos, (85) nomine Thitius, qui animositatem sociorum, & Principis videns in sequutione Burrelli, & de B illius interfectione propter Summi Pontificis reverentiam timens, Principem (86) rogabat, ne ille Nobilis interficeretur; cùmque super hujusmodi materia confabulatio inter eum & Principem familiariter esset, cùm de interfectione Burrelli Princeps nihil sciret, aut crederet, venerunt aliqui de societate illius, qui in fuga illa equos amiserant, Principi supplicantes, ut equos ipsos eis restitui faceret ab illis de comitiva sua, qui eos ipsis abstulerant. Princeps autem equos ipsis restitui mandans. *Redite* (inquit) *ad Dominum vestrum, & dicite sibi, ne sit ita stultus, sicut hactenus fuit: nos enim de stultitia, & insolentia ejus propter reverentiam Domini Papæ, & nostrum honorem, non curamus*. C Inter hæc autem quidam, qui ad aurem Principis erat, dixit Burrellum esse interfectum. Princeps autem interea, qui cum prædicto (87) Thitio de insequutione suorum, & ne idem Burrellus interficeretur confabulabatur, de ipsius interfectione certificatus eidem Thitio, *tu quidem*, inquit, *ne Burrellus interficiatur conatus es: scias autem ipsum interfectum esse, sicut nunc secreta nobis relatione patefactum est: de cujus quidem morte propter Summi Pontificis reverentiam dolemus, propter ipsius verò insolentiam non dolemus, cui etiam præter nostrum propositum secundùm stultitiam suam responsum est*. Taliter C autem contingente hujusmodi casu, cùm Princeps ad Summum Pontificem quosdam familiares suos, videlicet (88) Gervasium de Martina, & Goffredum de Cusentia remittere vellet ad excusandum dictum Principem, & exponendum, (89) qualiter propter Principis voluntatem atque propositum, casus ille contigerat, ne Summus Pontifex aliquid in casu illo contra suam reverentiam crederet processisse: memoratus Thitius, *Si aliquis*, inquit, *de vestra, Princeps, familia pro hujusmodi facienda excusatione perrexerit, contingere poterit, quòd illi de societate Burrelli in familiares vestros mortem sui Domini vindicabunt: propter quod consultius esse videtur, vos bono omine ad occurrendum Marchioni, sicut propo-* E *suistis, cum vestra comitiva procedere; ego autem, qui præsens vestram innocentiam in casu isto vidi, excusationem vestram ante præsentiam Summi Pontificis, ut decuerit, propositurus accedam*.

Redeunte autem Thitio ad Summum Pontificem in Theanum pro excusatione Principis, ut propositum fuerat, Princeps cum suis collegis inivit consilium, in quantum illa temporis brevitas patiebatur; & inventum est de consilio, quòd Princeps nullo modo se in Capua figeret, sed occasione eundi cum celeritate in Marchionis occursum, continuato equitatu, usque ad Acerras procederet ad Comitem Acerrarum Cognatum suum. Licèt autem Princeps statim casu illo contingente præordinari custodiam transitus fecerat, ne quis præcedere posset, & casum illum Cardinalibus, qui cum Papali exercitu erant Capuæ, manifestaret: tamen jam in Capuam casus illius fama pervenerat; non tamen de morte ipsius Burrelli fama certa erat, sed de quadam rixa habita inter Burrellum, & aliquos de familia Principis; & de vulneratione ipsius Burrelli inter homines diversus quidem rumor, incertusque vagabatur, aliis asserentibus Burrellum fuisse tantummodo vulneratum, aliis verò ipsum fuisse peremtum. Itaque Princeps cum comitiva sua procedens, Civitati cùm appropinquasset, & Cardinales, qui in occursum Papæ, qui tunc Capuam credebatur venturus, (90) Civitate exeuntes, Principis vexillum videntes parumper à via secesserunt, Principis quodammodo vitantes occursum, quem ei exhibere consueverant. Audito enim eo, quod dicebatur de casu prædicto, decreverunt Cardinales venientem Principem esse capiendum; sed, sicut postea compertum est, cogitantes, quod hoc fieri sinè multa hominum strage non posset, præsertim cùm animositas ipsius Principis, & suorum nota esset, magisque propter eventum prædicti casus ex desperationis periculo timenda esset, captionem ipsius Principis differendam tunc esse melius existimarunt, ne strages aliqua hominum sanguinis (91) eis præsentibus fieret: quod eorum ordinem, & suæ dignitatis eminentiam lædere videretur. Cardinalibus autem, ut dictum est, divertentibus, quia equites, & alii Populares in occursum Principis recta via procedebant, Princeps autem diversionem Cardinalium, qui semper sibi occurrere læta facie consueverant, cœpit habere certa ratione suspectam; vidensque Cardinalibus à via secedentibus, equites alios, & populum versùs se recta via procedere, firmiter credidit contra se tunc aliquid esse tentandum, cogitavitque tunc suam, quomodocumque meliùs posset, experiri fortunam. Factum est autem, quòd equites illi & populus eum læta facie receperunt, & procedens cum eis simul versùs Civitatem cum tubis, & alio genere musicorum, cùm pervenissent ad rectitudinem loci, ad quem Cardinales prædicti à via diverterant, versùs Cardinales ipse procedens, eos in ea, qua decuit, devotione salutavit; expositoque eis, se omnino Marchioni Bertholdo obviam procedere, & ideo cum festinantia equitare, ab eis licentiâ petitâ non juxta solitum affectionem recepit.

Cùm autem Princeps pervenisset ad Pontem Vulturni, quo intratur ad Civitatem, volebat quidem cum festinatione transire; sed tibicines, quos in illa frequentia populi declinare, & præire satagebat, contra eum semper in suæ festinantiæ impedimentum inveniebantur; &

(84) in Civitate Theanina, non ab insequentibus eum, sed ab aliis, qui de Principis.
(85) nomine Ursius, qui animositatem suorum.
(86) rogabat ut provideret, ne.
(87) prædicto Ursio *ita & infra*.

(88) Gervasium de Matino.
(89) qualiter præter.
(90) Civitatem exirent.
(91) eis præsidentibus.

Digitized by Google

& sic usque ad hospitium, quo consueverat hospitari, inter honorem, timoremque deductus, regratiatus, ut decuit, eis, quòd sic honorificè sibi occurrerant, dicensque cum magna festinantia ire obviam Marchioni Bertholdo, processit, & versùs Acerras iter direxit.

Cùm autem quatuor ferè (1) millibus à Capuana Civitate esset elongatus, vênit post eum qui diceret, magnam partem arnesiorum Principis, & suorum apud Capuam esse captam, magnamque comitivam equitum post Principem cum magna præparatione venire. Princeps verò his auditis, nec faciem quidem, nec animum mutans, viginti Theutonicos equites post se remanere, & sub uno vexillo venire constituit, & ipse cum reliqua sua comitiva, passu quidem parumper concitato, non tamen dissoluto processit; & cùm per aliquantulum viæ passu ita incitato pergerent, cùm via ejus loci arcta esset, & sepibus fossisque hinc inde limitata, Princepsque suos omnes attenderet, suorum dissolutionem, ne in turpem se fugam prorumperent, modesto retinens gressu; cùm perventum fuisset ad locum quemdam spatiosum, ubi diverti à via poterat, Princeps à via parumper in campum declinans retrorsum aspiciens, *Videre*, inquit, *volo, si aliqui nos insequuntur, ne videamur fugere nullo prosequente*. Tunc autem vênit unus de suis, qui retrò se remanserat, dicens Theutonicos omnes, qui retrorsum, ut dictum est, pro guardia remanserant, fuisse captos ab illis, qui contra Principem à Capua missi fuerant. Princeps autem: *Quomodo*, inquit, *hoc esse potest, ut illi omnes capti essent & tu evaderes?* In (92) hæc verba G. de Ocra Cancellarius & I..... Principi se adjunxerunt, dicentes properandum esse (93), quia major tunc non erat. Princeps autem cum suis in illa planitie se recolligens, cœpit cum eis adeò composito passu procedere, ut unus de familia sua, qui cum festinantia de loco illo processerat Acerras ad denuntiandum Comiti Acerrarum Principis adventum, non priùs ad Principem reversus fuerat, quàm Princeps pervenisset ad aquam difficilis & periculosi transitus, quæ ab Acerris duobus ferè millibus distat. Cùmque perventum esset ad locum ipsius aquæ, in quo gurges profundus & periculosus erat, cujus transitum pons eminens angustus & fragilis dabat, ita quòd unum post unum transire non sine periculi timore oportebat; dubitans Princeps, ne propter festinantiam transeundi aliquis suorum in illo gurgite periclitaretur, remansit ipse in ipso pontis ingressu, ut concursum aliorum ad transitum festinantium cohiberet, & singulos unum post unum, sicut angustia fragilitasque pontis patiebatur, transire faceret; postremusque omnium ipse transivit; sicque ipse, & sui ad Oppidum Acerrarum salubriter pervenerunt. Isti autem sunt, qui in adversitate hac Principem non deseruerunt, & juncti sunt cum eo apud Acerras.

Interea Bertholdus Marchio de Honebruch de Apulia veniens ad Castrum Argentii, quod ab Acerris sex millibus ferè distat, (94) qui casum quidem accidisse, casumque intelligens; *modò*, inquit, *fecit Princeps, ut filium Imperatoris fecisse decuit, quòd stulti illius insolentiam, se Imperatoris filio pacificare nolentis, contra se diu invalescens ultus inde est*. Erant autem cum Marchione ipso quidam Nobiles, qui cum eo venerant de Apulia, qui casu prædicto audito, considerantes Principi Manfredo tunc necessarium esse auxilium, atque consilium, suaserunt Marchioni Bertholdo, ut antequam ad Summum Pontificem accederet, ad Principem apud Acerras declinaret, cum tunc magis suum necessarium esse sibi consilium & auxilium, quàm aliquo tempore fuisse probaretur. Cùmque Marchio ad id per eosdem Nobiles nullo modo induci potuisset, dicens, quòd si tunc Principi loqueretur, Principem apud Papam juvare non posset, dicti tamen Nobiles ad Principem apud Acerras accesserunt, expositoque Principi inter alia, qualiter Marchio Bertholdus recta via ire disponebat ad Papam, nec per eos induci potuit, ut priùs ad Principem declinaret: quidam ipsius Principis familiaris nomine Goffridus de Cusentia, & quidam Miles Comitis Acerrarum nomine Giroldus, ad Marchionem ipsum, cùm jam sero esset, transmissi sunt. Qui ad Marchionem de nocte pervenientes, totumque prædictum negotium seriatim exponentes, deprecati sunt ipsum cum omni affectu inducere, quòd ad Principem in illa sua necessitate diverteret. Cùmque Marchio se de hoc alicujus licèt frivolæ pallio rationis excusaret, & ad exaggerationem excusationis suæ diceret, se indebitè in Papæ, & Principis compositione fuisse contemtum, aliorumque collateralium Principis utilitatem fore tractatam, suam verò penitùs fuisse prætermissam, ab iis, qui compositionem hujusmodi tractaverant, & in hac objurgatione Galvanum Lanceam compositionis ipsius tractatorem specialiter tangeret, & se inde ab eo reputaret offensum: prædictus Goffridus apud ipsum Marchionem fiducialiter instans, *semper*, inquit, *ò Marchio, auxilium consiliumque tuum necessarium Principi fuit, sed numquam ita utile, sicut modò. Imperator enim decedens ipsum Principem in brachiis tuis, ut nosti, dimisit, ut tu qui consanguinitatis ex parte patris, & affinitatis ex parte matris, ei es proximitate conjunctus, erga Principem in tenera tibi ætate commissum, patris matrisque vicem expleres. Ad tuam ergo gloriam, honor ejus, ad tuum pudorem ejus confusio pertinet; tuumque honorem ipsius Principis honorem defendendo procuras; tuæque satis gloriæ detrahis, si nunc præsertim, cùm eum tuum implorare auxilium fortuna compellit, confusioni ejus, dum potes, non resistis: & si tu quidem in præsenti articulo derelinquis, non profectò ipse solus, sed tota domus Augusta, ex qua tota gloria tua pendet, periclitatur. Breve est, & modicum, quod abs te petitur, unius videlicet horæ colloquium; magnum autem surget inde periculum, si negatur: ex hoc enim colloquio inter te, & Principem ad horam habendo, magnum invenietur instantis ruinæ remedium, magnusque habebitur communis honoris gloriæque tractatus, quod quidem nulla occasione deberes renuere, etiam si oporteret te ad hoc per multas dietas, nedum (95) per sex ferè milliaria,* qui-

(1) milliariis.
(92) Inter hæc verba G. de Cerra.
(93) quia majorituum non erat *corruptus utrobiq; locus.*

(94) qui eum casum quomodo accidisset intelligens.
(95) *per sex ferè milliaria via.*

Digitized by Google

quibus nunc elongaris à Principe, laborare. Nec certè alicujus offensam, quam tibi factam reputas, in Principis debes retorquere periculum, nec tu in tantum offensæ illius ultimò debes attendere, ut nedum Principi, sed tibi quoque sint manifestæ causæ jacturæ expertissimæ: sed prudentia tua ex hoc imprudentiam generare conspicitur, si dum ulcisci credis, in alium ultionem moliris, nedum in alium, sed in te ipsum. His ergo aliisque rationibus convictus quodammodo, cùm facultas sibi excusationis præmissæ deficeret, memoratis Nuntiis respondens, *Cras*, inquit, *Marescallus Summi Pontificis, sicut ex ejus notificatione accepi, mihi è Capua usque ad nemus, quod est* (96) *contra Magdalenam in loco, ubi dicitur Sanctus Petrus de Cancellis, debet occurrere, ibique cum eo loqui debeo, antequam Summo Pontifici me præsentem; redeatis ergo ad Principem, sibique ex parte mea dicatis, ut cras ante horam tertiam ad prædictum nemus inermis cum paucis veniat, ut quasi ex alia causa equitans ad locum ipsum casualiter venire videatur, & secundùm adventum suum* (97) *prædictus Papæ Marescallus anticipet: & sic cum eodem Principe potero ibi sinè aliqua suspicione habere colloquium*.

Accepta ergo hac responsione à Marchione, eadem nocte ante diluculum ad Principem apud Acerras reversi sunt, ipsaque responsione Principi patefacta, summo diluculo, juxta Marchionis dictum ad designatum locum iturus Princeps, cum paucis de suis equitavit. Cùm autem ad locum destinatum pervenisset, per quem quidem locum recta via erat eundi Capuam, ibique Marchionem transiturum expectaret, vênit ad eum in loco ipso Nuntius à Marchione destinatus, significans, Marchionem recepto Summi Pontificis expresso mandato, ut ad suam acceleraret præsentiam, in magna festinantia equitasse, & per aliam viam ad Summum Pontificem ivisse, ideoque Principem expectare in loco ipso hac de causa non potuisse. Suggessit autem idem Nuntius Principi ex parte Marchionis, ut Nuntios suos Capuam mitteret, processuros de consilio & instructione Marchionis ipsius, ad causam Principis coram Summo Pontifice proponendam. Princeps autem hoc audiens ex illo eodem loco, ubi per dictum Nuntium Marchionis verba recepit, Nuntios suos, videlicet Gualvanum Lanceam, & Richardum Filingerium Capuam misit juxta consilium Marchionis, ipseque Acerras reversus est.

Euntes autem Principis Nuntii Capuam, primò quidem præsentaverunt se Marchioni, quem nimis elatum, alteratumque ab eo, quod ipsi crediderant, invenerunt; cœpitque idem Marchio Gualvanum Lanceam ex prædictis Nuntiis vehementer objurgare, quòd ipse, qui tractator compositionis inter Papam & Principem fuerat, ad compositionem ipsam sinè præsentia sua procedere præsumsisset, suamque tantùm utilitatem tractasset; & de ipso Marchione, qui plura castra tenebat, propter quæ sua utilitas in ipsa compositione potiùs procurari potuisset, aliquatenus non curasset. Dictus autem Gualvanus Lancea, vir quidem corde purus & ore moderatus, ipsius Marchionis objurgationi suæ causam non subesse legitimam, nihilque in prædictæ compositionis tractatu ad contemptum, vel incommodum ipsius Marchionis intervenisse; quinimmo ipsius Marchionis factum, quod propter sui absentiam dignè, ut decebat, tractare non poterat, (98) Princeps secundùm ipsius Marchionis, ut credebatur, votum esse reservatum; nec debere propter hanc, quam ipse sibi factam reputabat offensam, vel quamcumque aliam, auxilium suum Principi in articulo maximè præfato subtrahere, sed se cum viribus suis ad ipsius relevationem aptare, cùm quæcumque ad id ab eodem Marchione proponeretur excusatio, quominus Principem in tanta necessitate juvaret, potiùs quidem sui accusatio, quàm excusatio videretur. Finita autem allocutione hujusmodi, & Marchione promittente causam Principis juvare pro posse, perrexerunt ipse Marchio, & Nuntii Principis ad Summum Pontificem; qui antequam sibi se præsentassent, ingresus est ad eum Marchio, & quid sibi clanculo suggesserit, ex qualitate responsionis factæ postmodum Nuntiis à Summo Pontifice, compertum est. Cùm enim Nuntii post id attendentes excusationes Principis coram Papa proponerent, ostendentes qualiter mors Burrelli sinè aliqua Principis culpa contigerat, & legitimam super hoc purgationem pro parte Principis faciendam offerrent, asserentesque Principem libenter ad suam velle remeare præsentiam pro complenda justitia, dummodo sibi personæ securitas aut literis promitteretur, aut verbo, judiciumque procederet secundùm Romanas leges, vel constitutiones, ubi lex, aut constitutio scripta deficeret, Summus Pontifex à Marchione, sicut præsumitur, informatus, justitiam quidem servandam Principi esse respondit, personæ tamen securitatem nec sibi in literis nec simplici etiam verbo promisit. Et licèt ex parte Nuntiorum Principis super securitate tantùm habenda diutiùs fuisset allegatum, nullo modo alia super hoc potuit haberi responsio; nec mirum, si tantæ tunc inerant animis cœlestibus iræ, & in tantum rigorem mentis Apostolicæ mansuetudo diruerat. Ante quidem Marchionis adventum Summus Pontifex casum prædictæ mortis Burrelli non ita gravem acceperat, sed cordi sibi fuerat, si etiam Princeps ex eo facto culpabilis probaretur, per dispensationem, quam personæ ac temporis qualitas inducebat, ipsum quantumcumque grave esset, levigare delictum. (99) Sed prædictum Marchionem suggessisse dictum est sibi: quòd si rigorem in delicto illo puniendo non servaret, multum sibi ad acquisitionem Regni proficeret, vel quia capta persona Principis non esset, qui sibi in Regni acquisitione resisteret, vel quia si Princeps in ipsius rigoris formidine ad suam præsentiam non veniret, maximam contra eum procedendi materiam haberet. Illa ergo de causa Summus Pontifex contra Principem taliter obriguerat, ut quantumcumque Princeps in omni humilitate, & devotione se justitiæ pariturum offerret, dummodo personæ sibi securitas promitteretur, numquam tamen ad id Papa inclinari potuit, ut aliud sibi, quàm primò responderat, responderet.

(96) contra Magdalonum.
(97) suum ad locum ipsum prædictus.
(98) Principis potestati, secundum.
(99) Sed prædictus Marchio suggessisse dictus est sibi, quòd si rigorem in delicto illo puniendo servaret.

Digitized by Google

deret. Suadebatur ergo Principi ab aliis ut abstineret, ab aliis verò, ut Summo Pontifici se præsentaret. Sciebatur enim ab aliquibus, quòd si Princeps non veniret ad Papam, mitti debebat contra ipsum exercitus ad insequendum eum, quòcumque iret, donec caperetur, vel de toto Regno fugaretur; si autem veniret ad Papam, propositum erat, quòd vel traderetur statim in carcerem, vel extra Regnum omnibus bonis destitutus ejiceretur, vel ultimo supplicio puniretur.

A

Nuntii ergo Principis unà cum Marchione super his diutiùs cogitantes, & differentes ad invicem quod esset minùs periculosum, vel venire ad Papam, vel recedere, tamdem remiserunt ad Principem unum ex ipsis, videlicet Goffridum de Cusentia, hæc omnia sibi significantes per eum, & asserentes, quòd si ipsi essent in ea conditione, qua Princeps erat, de his duobus periculis hoc eligerent, scilicet venire ad Papam, dicentes non esse justitiæ, nec Apostolicæ mansuetudinis juris prosequutionem incipere à captione vel punitione personæ, præsertim ubi ea persona convenitur, quæ sine magno scandalo in suo jure non læditur; nec esse verisimile, Papam circa personam Principis ab æquitate divertere, cujus est proprium æquitatis viam omnibus esse.

B

Perrexit ergo dictus Goffridus ad Principem, quem omnibus sibi seriatim expositis remisit Princeps ad Papam, qui tunc iturus Aversam sequenti die dicebatur, ut sibi ex parte Principis significaret, quòd cùm Civitas Capuana esset Principi manifestè suspecta propter conspirationem, quæ jam ibi facta fuerat contra eum; & quòd arnesia sua ibi capta fuerant, quæ etiam ad mandatum Papæ sibi restitui non poterant; & quòd etiam quamplures de Imperio ibi erant, quos Imperator Pater suus offenderat, qui in ultionem offensionis ipsius injuriam sibi de levi inferre præsumerent: propter hujusmodi suspicionem dubitavit Princeps, & dubitat ire Capuam ad præsentiam suam. Ex quo autem ipse Summus Pontifex iturus erat Aversam, illuc Princeps ad eum ire volebat. Prædicto ergo Goffrido eunte Capuam, & hoc totum Papæ ex parte Principis exponente, & supplicante, ut id admittere dignaretur, Papa respondit, se nolle quòd Princeps ad suam præsentiam veniret, sed ad præsentiam Legati. Goffridus ergo responsionem hujusmodi sibi factam à Papa, Gualvano Lanceæ significavit. Ipse autem Gualvanus, qui Papæ voluntatem erga Principem cautè præsenserat, miratus quòd Princeps adhuc erat Acerris, monuit, quòd recedat, & in Apuliam vadat, laboretque habere secum Joannem Morum, ut per ipsum habeat Luceriam, quam si sibi habuerit, bene faciet facta sua. *Ego autem*, inquit, *hìc morabor; quia si modò recederem, ex recessu meo recessus Principis argueretur, & sic de levi impediretur; donec verò hìc ego sum, nihil de recessu Principis præsumetur, & priùs erit Princeps in loco securo, quàm de recessu ejus aliquid hìc sciatur*. Remansit ergo Gualvanus, Papali Camera, seu Curia ex causa prædicta remanente, magis adventum Principis reputante, quàm recessum.

C

D

E

Prædictus autem Goffridus ad Pricipem reversus est; & cùm exposuisset ei responsionem Papæ, & sanum prædicti Gualvani consilium, Princeps ei dixit: *Priusquam tu venires ad nos, id idem cogitavimus, & in hoc nos firmavimus, ut recedamus*. Ut autem Princeps omnia cum cautela faceret, ne fortè posset sibi sinistrum ex incautela venire, fecit publicè dici, quòd ipse Aversam iturus esset ad Papam, missique sunt alii ex more de familia sua pro recipiendis sibi hospitiis, ut ex hoc Princeps illuc crederetur iturus, sicque factum est, quòd sapienter simulatione interposita Princeps fortunam sequens, & Divinæ se se tantùm provisioni relinquens, de oppido Acerrarum versùs Apuliæ partes cum sua securus modica comitiva recederet.

Fuerat autem prædictus Joannes Morus quidam servus niger de domo Imperatoris, qui pro eo quòd à pueritia sua visus fuit homo industriosus, & in omni obsequio sedulus, in Aula Imperatoris crevit, & in oculis suis satìs acceptus fuit, adeò quòd ipse Imperator, qui non tam conditionem originis in omnibus, quàm virtutes moresque considerabat, cùm illa sibi clarior videretur esse Nobilitas, quæ ex moribus, quàm illa, quæ ex sanguine procedebat: prædictum Joannem, licet aspectu deformem & ex Ancilla natum, Cameræ suæ Custodem & Secretorum Aulæ participem & .... suorum Præpositum fecerat. Mortuoque Imperatore, Princeps Manfredus dum Baliatum fratris sui gesserat, ipse Joannes Morus in eodem officio invitus Magister & Præpositus Regiæ Cameræ factus fuit, adeòque magnificatus à Rege, quòd etiam Civitati Luceriæ ipsum præposuit, & Præpositum ipsius Civitatis vocari fecit. In Civitate verò ipsa, vivente Rege, ipse Joannes magis quàm ipse Rex dominabatur, nec plus ipse de Saracenis ipsius Civitatis faceret, quàm ipse Joannes Morus, qui Rector & tamquam Dominus ipsius Civitatis remansit. Contingente ergo prædicto casu mortis Burrelli, Princeps, dum apud Acerras esset, ad prædictum Joannem, de quo tamquam de nutritura Cameræ patris sui confidebat, suos Nuntios misit, per quos ei casum prædictum exposuit, auxiliumque ejus in ea qua erat necessitate confidenter postulavit (100); prudentiamque Principis in casu prædicto commendans, auxilium sibi cum omni affectione promisit: aliud tamen in corde, quàm in ore habebat, sicut ex post facto apparuit. Quanta enim Princeps ipse de Acerris recedendo mala pertulit, & qualiter dictus Joannes Morus sibi defecerit dicendum est.

Recessit enim Princeps de Acerris ante mediam noctem (1) concitante eum Comite Acerrarum Cognato suo usque ad quoddam Castrum, quod Mallianum vocatur; erantque in comitiva ipsius Principis duo juvenes fratres nobiles Neapolitani, quorum alter Marinus Capece; alter verò Conradus vocatur. Ii quia Castrum quoddam, & vicos Patrimoniali jure habebant, sciebant ex assuetudine locorum illorum qualitates & transitus, per quos Princeps salubriter esset transiturus. Ducatu ergo illorum duorum juvenum Princeps cum comitiva sua proficiscebatur; cùmque perventum esset ad Castrum Montisfortis, quod tenebat Ludovicus frater Bertholdi Marchionis de Honebruch ex dono Regis Conradi, per quod quidem Castrum viæ publicæ transitus erat, cùm locus ipse non immeritò Principi suspectus

(100) postulavit. Ille prudentiam Principis.

(1) comitante eum.

ctus esset propter prædictum Marchionem, qui Principem, sicut dictum est, manifestè deseruerat, & publicè in partem contrariam conversus erat, ex instructione prædictorum Marini & Conradi declinatum est à transitu illius Castri Montis-fortis, & arreptum est iter per Montes excelsos & invios, nedum equitum sed peditum transitui difficillimos. Cùm enim nox esset, Luna tamen lucente apparebant declivia montium, per quæ transitus erat, longè terribiliora, & profundiora quàm erant; & ad id loci quandoque perveniebatur, in quo vel propter imminentis ruinæ formidinem, vel propter aëris opacitatem, splendore Lunæ per oppositionem aliquando deficiente, nulla spes eis inde exeundi remaneret, & certum quisque ibi suum periculum expectaret. Levigabatur sanè eis in illa tenebrosa periclitatione quodammodo timor, si ab equis descenderent, & eundo pedites timorem pro labore commutarent; magìs enim propriis, quàm equorum suorum pedibus credebant viæ illius, immò ac dubitabilis peregrinationis leviorem quidem extimantes esse ruinam, si ex propriorum pedum lapsu forsitan caderent, quàm si sedentes in equis cum equorum ipsorum præcipitatione corruerent.

In hac ergo difficultate, & multo (2) discrimine Princeps cum sua comitiva transivit; & circa diluculum perventum est ad quoddam Castrum, quod Manlianum vocatur, per cujus Castri medium Princeps, & sui transituri erant. Quærentibus autem illius Castri incolis de comitiva illa, quæ esset, dictum est ab aliquibus, comitivam esse Marchionis Bertholdi: verumtamen cùm fama casus mortis Burrelli, & discessus Principis ibi jam sparsa esset, cœpit apud aliquos de Castro illo esse credulitas, quòd illa comitiva Principis esset, dicebantque aliqui, conveniens esse scire, qui essent isti, qui sic transeunt, & non permitti eos sinè requisitione & discussione transire. Erat autem transitus illius loci difficilis, ita quòd oportebat eos unum ire post alium; municipes quoque illi portas clauserant, de municipii captione dubitantes, viamque transeuntibus dederant satis angustam & difficilem pro exteriore municipii parte juxta ipsos municipii muros, ita quòd, cùm onerata animalia, quæ cum arnesiis præcedebant, propter transitus illius angustiam se fixisent, aliqui de comitiva Principis, qui sequebantur, crediderunt animalia illa cum arnesiis per municipes esse retenta, & transitum eis impediri, cœperuntque de fortuna quisque sua experienda cogitare. Factum est autem, quòd locum illum difficilem non sinè magna dubitatione transierunt Princeps & sui, & divertentes à Civitate Avellini, in qua prædictus Marchio de Honebruch potestatem & vires habebat, ad Castrum Atripaldæ, quod est prædictorum Marini, & Conradi, quasi ante horam tertiam salubriter pervenerunt.

Fuit autem Princeps in Castro ipso cum magna reverentia, & honore receptus, pransusque est ibi Princeps aliquantulum, uxoribus prædictorum fratrum, nobilibus quidem & speciosis mulieribus (3), ad utriusque Principis latus in mensa sedentibus, viris suis honestam earum cum Principe refectionem gratam satis habentibus, & ad honorem sibi maximum reputantibus, quòd cum eis Imperatoris filius prandium participare dignatus esset. In quo quidem Princeps nihil de suæ sibi magnitudinis honore diminuit, cùm in hoc quædam videatur esse prærogativa dominarum, ut plura circa eas ad honorificentiam veniant, quæ circa viros quantumcumque magnos forsassis dedecere viderentur. Prandio autem illo à Principe & suis breviter & summariè celebrato, discessum est, illoque die ad quoddam Castrum Comitis Acerrarum, quod dicitur Nuscum, Princeps cum sua comitiva pervênit; fuitque ibi ei magnus honor exhibitus ex parte prædicti Comitis cognati sui per ipsius loci municipes, taliter quòd tunc eum dubitare non oportebat, nisi quatenus dubitari posset, ne de Papali exercitu aliqui post eum mitterentur. Pernoctavit ergo Princeps in ea securitate, quam loci tantùm illius conditio & qualitas dabat. Summo sequenti mane inde recedens versùs Guardiam Lombardorum iter direxit.

Erat autem Terra ipsa Guardiæ de pertinentiis Comitatus Andrensis, quem possidebat Marchio Bertholdus, unde Princeps ad ipsam Guardiam, quamquam ad Terram ipsam pervenisset, non accessit, quia quidam rumor factus est, quem etiam suspicio ipsa formabat, quòd quædam gens armata dicta fuisset in Principis occursum venire. Princeps autem conspiciens in mente quicquid pro incautela sibi posset evenire contrarium, ex improviso misso quodam de familia sua, nomine Abbatino, ad explorandum, si de eo, quod dicebatur aliquid esset, ipse Princeps se cum suis in aciem ordinatam exclaravit; & licèt prædictus Abbatinus, qui ad explorandum prædicta missus fuerat, rediens diceret nullam gentem se alicubi videre potuisse, Princeps tamen cum sua comitiva stipatus, quasi ad bellum recipiendum composità & accinctà processit, & cùm appropinquasset ad Guardiam Lombardorum, præmisit ad Terram ipsam nuntios, suum significans adventum, ut qualis esset ipsius Terræ status agnosceret, antequam ad ipsam veniret.

Nuntiis autem reversis, & statum ipsius terræ non mutatum in aliquo significantibus, Princeps ad Terram ipsam processit, non tamen Terram intravit (4), sed ad burgum ipsius populo convocato confortare cœpit, & monere eos, ut decuit, quòd in solita fidei constantia manerent. Populus autem ipsi Principi exposuit, qualiter quidam Legatus Apostolicæ Sedis, qui apud Arianum cum magno exercitu Ecclesiæ erat, requisivit eos, ut se, & Terram Ecclesiæ dederent, & de voluntate sua quid super hoc facturi essent ad certum terminum responderent (quem quidem terminum in diem crastinum prorogari dicebat) quòd si in eodem termino se reddere nolle responderent, exercitum ipsum consequenter ad sui oppugnationem & destructionem expectarent. Princeps autem, *Non decet*, inquit, *de hujusmodi comminationibus timere, dummodo fides vestra non (5) vacillet; ecce enim nos in Apuliam descendimus ad disponenda sic negotia Domini Regis nepotis nostri, & nostra, quòd vos, & fideles alios contra omnium adversariorum ma-*

(2) discrimine montes illos Princeps.
(3) ad utrumque Principis.
(4) sed extra ad Burgum ipsum.

(5) *vacillet, & deponentes timorem hujusmodi, nobis affectemini. Ecce.*

Digitized by Google

machinamenta tuebimur, gratia nobis assistente divina. Propter quod vobis districtè præcipimus, ut nihil de statu vestro timeatis, nec aliquid vel ad Legati, vel ad alicujus personæ requisitionem sinè nostro speciali mandato facere præsumatis. Nos enim pro vobis, & aliis fidelibus stabimus, & prædicto Legato, ac quibuscumque aliis adversariis volentibus, sicut respondendum fuerit, respondebimus. Vestrum ergo & aliorum subjectorum est stare, ut statis; nostrum verò de statu vestro, & aliorum curam gerere, ne status vester aliquorum turbetur infestatione.

A

Facta igitur tali ad incolas Guardiæ proloquutione, Princeps processit inde, & ipso eodem die pervênit ad oppidum, quod Bisaccia vocatur, ibique per incertos præmisit de eodem loco ad Castrum Bimium Nuntium suum, pro adventu suo incolis ipsius Castri notificando: quod quidem Castrum ad ipsum Principem ratione prædicti Comitatus Andriæ pertinebat. Audito autem salubri adventu Principis, incolæ ipsi valde lætati sunt, & lætitiam suam luminaribus, aliisque, quibus potuerunt, modis demonstraverunt: sicque Princeps, quemdam militem de familia sua nomine Arduinum misit illuc ad Castrum ipsum pro parte sua fideliter custodiendum. Miserat quoque prædictus Princeps Melphiam Nuntios suos, scilicet (6) Gualterium de Ocra Regni Siciliæ Cancellarium, & Gervasium de Martina, qui euntes, & significantes ipsius Terræ Civibus adventum Principis, facto eis colloquio, sicut decuit, voluntatem eorum exquisierunt, si ipsum Principem, & suos in Civitate recipere vellent. Melphienses autem responderunt, se Nuntio Papæ fidelitatem & homagium juravisse, & ideo non debere, nec velle contra ipsum juramentum venire; velle autem se recipere Principem in Civitate, dummodo cum modica comitiva Civitatem intraret, & sinè Theutonicis, ac Saracenis. Redeuntibus ergo prædictis Nuntiis ad Principem, & responsionem Melphiensium sibi significantibus, asserentibus etiam, quòd Melphienses Civitatem munire jam cœperant, ipse Princeps ad Civitatem (7) Esculanam procedere disposuit. Priùs autem, quàm ad Civitatem ipsam procederet, præmisit ad eam Nuntium suum cum literis ad notificandum ibi adventum suum, & prævidendum statum & voluntatem ipsius Civitatis Incolarum. Pergens autem ipse Nuntius in Civitatem ingressus, invênit seditionem ibi tunc nuper exortam, & Comestabulum Civitatis ipsius fuisse in illa seditione peremtum, tantamque in ipsa Civitate turbationem, quòd ipse Nuntius literas Principis, quas habebat ad Civitatem, nec dare, nec ostendere ausus est; immo de aliquorum consilio, qui Principi benevoli videbantur, ipsum latêre oportuit, & de nocte postmodum Civitatem exire.

B

C

D

Interea Princeps sequenti die de oppido (8) Bisfacciarum moverat versùs Exculum processurus. Cùm autem procederet, occurrit sibi in via prædictus Nuntius de Exculo rediens, & quidam Juvenis nepos Comestabuli, qui pridem apud Exculum fuerat in seditione interfectus; & exposita Principi Civitatis illius conditione suggerebatur ei, tam ab illo Juvene, qui ultionem mortis patrui sui desiderabat, quàm ab aliis de comitiva sua, qui magnum habebant bellandi desiderium, ut versùs Civitatem ipsam recta via procederet, utileque esse suis gentibus, ut Civitatem ipsam, antequam meliùs munire se posset, subitò intraret. Positum ergo, & firmatum est à Principe, & suis recta via procedere in Civitatem; & jam singuli de comitiva sua certam victoriæ spem amplectentes, magisque desiderantes invenire resistentiam, ut vires suas & animos experiri possent, quàm tranquillum & pacificum habere ad Civitatem ingressum, jam de ipsa rebellium strage futura, & de spoliorum direptione quamdam exultationis sibi materiam anticipabant. Dum autem sic animosè procederent, prædictus Juvenis nepos Comestabuli interfecti comitivam Principis cœpit præcedere, ut quod requisitionis illius erat, viæ qualitatem investigaret, quatenus securior Principis comitiva procederet. Cùmque per aliquantulum viæ processisset, dixit se pro certo accepisse per viam (9), quòd Marchio Oddo frater Marchionis Bertholdi cum quingentis militibus Cornetum venerat, quod quidem ab Exculo sex millibus distat.

Tali autem rumore in comitiva Principis exorto, & prædicto Juvene id ipsum verum tenaciter affirmante, licèt mendacium esset, (10) quod vel ipsa conditio temporis suspecta verisimile suggerebat, vel ipse Juvenis destructionis Terræ suæ (11) timore confixus, atque damno mortis patrui sui, quod incurrerat, damnum Patriæ nollet inferre; Princeps tamen consideravit sapienter, quòd id, quod de adventu prædicti Marchionis dicebatur, vel verum jam esset, vel adhuc contingere posset; sciebat enim post recessum suum de Acerris, quòd (12) gens proculdubio ventura erat: magis etiam de prædicto Oddone credebat propter Marchionem Bertholdum fratrem suum, qui jam cor suum contra Principem, ut supra memoratum est, manifestaverat. Arbitratus est ergo Princeps circumspectus, quòd si Civitatem tunc Exculanam invaderet, & capere fortè non posset, pro eo quòd non tantas vires armatorum tunc habebat, quantas haberi ad unius Civitatis oppugnationem oporteret, multum de suo sibi honore decresceret, & dum vires magis suorum ex illa prima sinistra fortuna (13) trepescerent adversarii sui, multum inde vigoris assumerent, si autem Civitatem illam violenter forsitan caperet, contingere posset, quòd dum sui se in spoliorum direptionem occuparent, prout manifestè jam innuebant, posset aliquod sibi, & suis intervenire periculum; vel etiam si hoc non contingeret (14), licèt ipse Princeps ibi sinè aliquo periculo se receptaret, prædicto Marchione Oddone apud Cornetum existente, & exercitu illo Ecclesiæ, qui erat apud Arianum, ex parte alia veniente, ipse Princeps, & sui in ipsa Civitate Exculi viderentur inclusi, & priùs contra eum adversarii sui circumquaque insurgerent, quàm ipse Princeps potentiam, &

E

(6) Gualterium de Oyra Regni Siciliæ Camerarium.
(7) Asculanam.
(8) Bisacciarum moverat versùs Asculum.
(9) quod Oddo frater Marchisii Bertoldi.
(10) quod nil ipsa.

(11) timore confinxit.
(12) gens contra se procul.
(13) torpescerent, adversariorum suorum contra multum inde vigoris assumeret.
(14) & licèt ipse Princeps ibi.

& vires suas collectas hinc inde præsidiis augere & firmare posset, illiusque modicæ gloriæ favor, qui tunc obvenire poterat, si Civitatem Exculi caperet, gloriæ majoris emolumentum, quod in antea erat habiturus impediret. Ratus est ergo Princeps in illis dubiis (15) revelationis suæ primordiis, suam quodammodo per ingenitam sapientiam (16) viare fortunam, & more sapientis opificis, qui primò apparatum (17) facit, & tunc demùm destinatum opus aggreditur, cùm necessariorum, quæ jam parata sunt, defectus aliquis non timetur, sapienter decrevit se priùs pro illius temporis qualitate componere, ut debile principium melior fortuna sequatur.

Mutato ergò ex prædictis rationibus proposito, Princeps ab incœpto itinere Exculi divertens ad quoddam Castrum, quod dicitur Lavellum, perrexit, quod à Civitate Venusii octo ferè millibus distat, ibique fuit satis reverenter & honorificè receptus, cùm ibi per unam noctem mansisset. Sequenti manè Nuntii Venusinorum venerunt illuc ad Principem, supplicantes ei ex parte suorum Concivium, ut Princeps ad Regiam & suam Civitatem Venusii venire dignaretur, asserentes qualiter de salubri adventu Principis valde Civitas illius universitatis lætata est, magìsque ac magìs lætarentur, si personam ejus in ipsa Civitate videre mererentur.

Ad supplicationem ergo, & devotionem Venusinorum Princeps cum sua comitiva ad Civitatem ipsam profectus est, cunctique ipsius Terræ Cives (18) contra Civitatem sibi devotè occurrentes, ipsum & suos in magno gaudio & tripudio receperunt, & omnes sibi expensas pro se & tota ejus comitiva de communi omnium Civium largitione hilariter tribuerunt.

Interea Joannes Morus, qui, sicut superiùs dictum est, significaverat se præstiturum omne auxilium & consilium Principi, statuto loco sui in custodia Civitatis Luceriæ quodam de familia sua nomine Marchisio; adhibitis sibi mille Saracenis armigeris, inter equites & pedites, & trecentis Theutonicis equitibus locatis (19) contra Luceriam in domibus Regiis, quæ sunt ibi, qui Theutonici post mortem Imperatoris locati fuerant in Civitate Trojana, post mortem verò Regis de Civitate ipsa per ipsius Terræ Cives ejecti fuerant; receptoque ab ipso Marchisio juramento, & facto sibi districto mandato, ut neminem, siue Principem, sive quamcumque aliam personam Civitatem Luceriæ intrare permitteret; ad Summum Pontificem profectus est, significans Principi, quòd ipse ad hoc ibat, ut apud Summum Pontificem negotium & utilitatem Principis tractaret; licèt illius esset intentio, ut se, & Civitatem Luceriæ in manibus Ecclesiæ poneret, & quantum posset confusionem Principis procuraret. Princeps verò audito Joannis Mori discessu à Luceria, miserat diversos jam Nuntios ad Civitatem ipsam humilis quidem conditionis ad contractandum, & qui familiaritatem & usum cum Saracenis ipsius Civitatis habebant, qui sinè suspicione introire poterant (20), & exire è Civitate ad explorandum ibidem, quæ & qualis voluntas Civitatis ipsius recipiendi Principem esset: per quos Nuntios ad se redeuntes intellexit Princeps, qualiter voluntas ipsorum hominum satis bona esset, & quòd mirabantur, quare Princeps rectâ viâ Luceriam non venisset, cùm ipsi omnes se ad defensionem & honorem Principis, & bona eorum omnia disponerent, & parata essent.

Cùm autem Princeps apud Venusium morans talia nova de Luceria recepisset, tractare cœpit cum Secretariis suis, qualiter ad Terram ipsam Luceriæ conferre se posset, aliis asserentibus melius esse, Principem solum cum uno, aut duobus tantùm in specie privatæ personæ ire, & Civitatem intrare, aliis verò dicentibus, ipsum debere cum tota sua comitiva procedere, cùm oporteret ipsum transire inter Civitatem Exculanam, quæ rebellaverat, & Civitatem Fogiæ, ad quam Oddo Marchio de Honebruch cum Papali magna militia certissimè venerat. Resedit tamen in hoc consilium, ut Princeps iret in specie privatæ personæ, quia nullo modo per medium prædictarum duarum Civitatum rebellium cautiùs transire posset, quàm si totam suam comitivam non duceret secum, quæ propter multitudinem, cùm tamen illa multitudo pauca esset, non posset forsitan ita transire, quin ad aliquam prædictarum Civitatum fortè inde notitia perveniret.

Interim autem dum hoc tractatur, venerunt Cives Venusini ad Principem dicentes: se à Melphiensibus esse requisitos ad confœderationem ad invicem faciendam, asserentes se confœderationem ipsam eis negare non posse propter Melphiensium potentiam, quæ eis ex vicinitate, quæ inter eos est, plurimum nocere posset, si cum eis confœderationem non haberent. Verumtamen (21) voluntati eorum confœderationem ipsam esse cum Melphiensibus facere, salvo in omnibus Principis honore & salute. Princeps autem audiens Venusinorum verba, voluntatemque eorum de facienda ipsa cum Melphiensibus confœderatione, monstravit quasi parum curare.

Dispositio ergo Principe cum prædictis tantùm Secretariis suis de itinere suo, ne ad alios fortè hujus rei notitia perveniret, fecit publicè dici, quòd ipse iturus erat versùs Ecclesiam Sancti Nicolai de Aufido, loquuturus cum Friderico de Antiochia fratre suo, quem illuc ipse Princeps venisse confixit, & deinde processurus erat Spinazzolam: mandavit ergo illis de familia sua, qui remansuri erant, ut sequenti mane Spinazzolam cum Camera sua proficiscerentur; Secretariis autem dixit, qui cum reliqua familia, & Camera remanere debebant, ut de Spinazzola cum Camera ipsa non recederent, donec rei futuræ qualitas, quicquid faciendum esset, indicaret.

Erat autem primus dies Novembris hora quasi vespertina, cùm hoc tractaretur, vixque ad hoc completo super materia ista colloquio, cuidam de hominibus longè astantibus super mutationem gratiam fecit. Quod Princeps signum bonum ingens id esse auspicatus, subitò

(15) *Fortasse* relevationis.
(16) *Fortasse* deviare.
(17) facit eorum, quæ ad structuram necessaria sunt, & tunc.
(18) extra Civitatem.

(19) extra Luceriam.
(20) & exire Civitatem: *ita ferè semper pro more illius temporis*.
(21) voluntatis eorum esse confœderationem ipsam cum.

bitò ensem sibi dari postulavit; & cùm ensis tunc nullo modo inveniri potuisset (quod aliqui non bono evenire auspicio suspicati sunt) ipse nihilominus Princeps quodam alio ense cujusdam socii sui militis, qui sibi oblatus est, se accinxit, & armis aliis competenter munitus equitavit, tres tantùm Scuterios secum ducens. Cùmque in illa modica societate Civitatem exivisset, quosdam de familia sua iter ignorantes, equitantes post Principem invênit, cum se seque sibi in via junxerunt, quos Princeps revocare noluit (22), ne ipsis aliquid de suo forsan proposito perpendi posset. Inventæ sunt autem omnes illius comitivæ cum Principis persona, quibus procedentibus supervênit nox, & cum nocte pluvia, quæ adeò grandis erat, & tenebras noctis augebat, quòd euntes non poterant se ad invicem videre, sed se solo verbo vel mutuo contactu sentiebant; nec scire poterant, versùs quam partem incederent, cùm nec ipsos certa via duceret, quam ipsi studiosè diverterant, & per invios ire campos, dum adhuc lux esset, elegerant, ne ad aliquam prædictarum Civitatum casualiter declinarent. Ibant ergo non ex arbitrio, sed sola eos ducente fortuna, cùm stellæ, quas ad itineris nocturni demonstrationem nox ipsa parare curaverat, aër tunc pluviosus abscondisset, & omne illis in ipsa tempestate remedium subtraxisset. Erat autem inter eos quidam miles nomine Adenulphus Pardus, qui fuerat Magister venationum Imperatoris Frederici, qui ex nimia venationum assuetudine magnam illarum partium notitiam habebat, & inter illas tenebras, quantum de industria sua poterat, Principi ducatum præstabat, ita ut inter illas fortunæ adversitates in ducatu ipsius Adenulphi magnam partem fiduciæ suæ Princeps posuisse videretur, magnumque spei remedium sibi in illo errore faciebat notitia regionis, quam ipsum Adenulphum ex nimia venationum Imperialium assuetudine habere sciebat. Licèt autem sicut eis tunc fortuna sæviens minari videretur (23), ut in incertum se tunc eorum quisque crederet, non periculum, sed quàm, ut forsitan, non errarent, ipsi tamen potiùs se errare præsumerent, tamen circa noctis medium ad quemdam locum eos error ille perduxit, qui vocatur Sanctus Agapitus, qui medius est inter Fogiam, & Luceriam. Erat enim ibi quædam domus, quam Imperator Fredericus pro venationis solatio construi fecerat, quæ quidem domus in illa noctis tenebrositate albescens aliquantulum apparuit, nec tamen Princeps ad domum illam priùs divertere voluit, quàm loci illius qualitate circumquæsita, quantum poterat in illa noctis opacitate comprehendi de loco ipso, quod esset Sanctus Agapitus (24) certificatus esset, alicui prædictarum rebellium proximus, ad quem divertere sibi periculosum esse potuisset, præsertim cùm similes domus per similes Apuliæ partes, & maximè in Capitanata, per prædictum Imperatorem constructæ fuerant (25) in venantium solatiis, quarum aliqua Civitati Fogiæ, in qua prædictus Oddo Marchio cum Papali exercitu erat, nimis vicinabatur.

Rigente ergo illa tempestate pluviali, Princeps cum suis illis paucissimis sociis ad domum

A illam declinavit, ut homines & equi, qui pluviam indesinentem illa in tenebrositate vagantes pertulerant, per modicam in illo loco pausationem, aliquam tanti laboris refocillationem acciperent; adeòque gratulanter loci illius quietem amplexi sunt, quòd quodammodo præteriti paulò ante discriminis obliviscentes, in tantum se solatii luxum in illa requie, locique angustia laxaverunt, ut ignem maximum lignorum sibi oblatâ copiâ facerent, qualiter sibi magni Reges & Principes in illis solatiis suis facere fieri consueverunt: quod licèt reprehensibile quodammodo visum fuerit, cùm ex ignis illius fulgore, qui usque Fogiam, vel Trojam præ sui magnitudine pervenire poterat, aliquid
B de ipsius Principis transitu per locum illum ab adversariis suis perpendi potuisset, tamen sic factum est, & pro infecto haberi non potest. Per totum noctis residuum moratus est in illo loco Princeps, & sui; & tam ipsi quàm equi magnam ibi de labore, quem habuerant, refocillationem acceperunt. Paulò autem ante diluculum equitaverunt, & cùm ad tria fortè milliaria Civitati Luceriæ appropinquassent, cogitavit Princeps, quòd si omnes simul ad Civitatem accederent, contingere posset, quòd homines Civitatis multitudinem illam, licèt paucam, suspectam haberent, & forsitan ingressum sibi negarent; si autem cum duo-
C bus, aut tribus tantummodo iret, ingressum sibi dare non dubitarent; & posito quòd ingressum non darent, faciliùs & salubriùs cum paucis, quàm cum multis, deinde salvare se posset: cogitabat enim Princeps, quòd si in Luceria fortè non reciperetur, ad Castrum Bibiani, quod pro eo tenebat, pergeret, & ibi se receptaret.

Missis ergo in loco illo omnibus illis, qui secum ibant, Princeps ipse cum tribus tantùm, quorum unus idioma Saracenorum benè noverat, ad portam appropinquabat, quò ex interiori parte plures homines, qui ad noctis custodiam deputati ad portam custodiendam, asserentes, equites Civitatem versùs venire,
D convenerant propter magnam sollicitudinem custodiendi Civitatem, quam eis illius temporis qualitas ingerebat. Cùm ergo Princeps esset extra ante portam, & homines Civitatis ex interiori parte in ipsius portæ propugnaculis starent, unus ex famulis Principis linguam Saracenicam sciens priùs accessit; & hominibus, qui portam custodiebant dixit: *En Dominus vester Princeps filius Imperatoris juxta desiderium vestrum ad vos venit: aperite ergo sibi portas, & ipsum recipite in Civitate, sicut jam pridem cum magna bona vestra liberalitate promisistis.* Cùm autem illi dubitarent, an ibi Princeps esset, prout ille dicebat, & suspicarentur ab ipso illudi, Princeps ut se illis
E cognitum faceret, appropinquavit magis ad portam, & cognitus est ab eis: statim autem quòd cognoverunt, quòd Princeps esset, anxiabantur ad portam sibi aperiendam, volebantque priùs mittere ad Marchisium statutum per Joannem Morum, ut supra dictum est, in Civitate Luceriæ, qui claves prædictæ Civitatis habebat. Tunc verò unus ex illis, qui intus erant, fidem suam ulteriùs erga Principem ostendens sic inquit: *Pro clave ad Mar-*

(22) ne ipsis revocatis.
(23) ut in certum se tunc eorum quisque crederet ire periculum, & quamvis forsitan non errarent.

(24) certificatus; posset enim contingere, quòd locus alius esset alicui prædictarum Civitatum rebellium.
(25) in venationis solatium.

Marchisium mittimus: Ipse Marchisius, qui mandatum habuit à Joanne Moro, quòd nec Principem, nec aliquem alium ingredi Civitatem permitteret, clavem ipsam non dabit, sed Principis ingressum, quantumcumque poterit, impediet. Bonum ergo est, ut quomodocumque meliùs fieri potest, Princeps intret: ipso enim ingresso omnia postmodum plana erunt. Erat autem clivus quidam à Civitate productus, per ipsam portam ad labem aquæ pluvialis extra Civitatem educendam, qui clivus limen portæ per medium secabat, ita quòd clausâ portâ tantum foraminis ex illo clivo remanebat, quòd homo prostratus ingredi (26) inde poterat Civitatem. Ille ergo, qui sic fuerat proloquutus: *Ingrediatur*, inquit, *Princeps per foramen, quod sub porta est, & sic in Civitate quomodocumque ipsum habere possumus, habeamus*. Tunc Princeps nec advertens ingressus illius turpidinem, sed magnæ fructum gloriæ, quæ ex illa turpitudine resultabat, cogitans per labores & angustias transeundum esse ad gloriam, & ex illa contumeliosa quidem, sed utili prostratione, surrecturum se ad magnæ solium exultationis aspirans, cùm jam ad id eum fortuna duxisset, ut non tamquam homo directus, sed tamquam reptile incurvatus, terræque prostratus gradi deberet, animadvertit sapientissimè, quòd processus fortè, qui jam ad illius depressionis ultimum venerat, ad suæ relevationis tendebat initium, descenditque de equo suo, & se in terram prosternere ad ingrediendum per foramen parabat. Quod Saraceni videntes, magnâque ex illa Principis mirandâ quidem, sed necessariâ humilitate permoti: *Numquid*, inquiunt, *ferendum est, ut Dominus noster, ita viliter Civitatem intret? Effringamus igitur portas, ut ingrediatur, sicut Principem decet*. Uno ergo impetu facto irruerunt ad portas, (27) ipsasque fregerunt, & intus Principem cum magno gaudio recipientes, ipsum usque ad medium Civitatis in brachiis suis relevatum à terra portaverunt. Itaque circumcinctus Princeps innumera multitudine populi confluentis ad aspectum ipsius, in illa honorifica delatione sui magnam personæ defatigationem sustinebat, dum homines magis suo communi (28) gaudio, quàm ipsius Principis habilitati satisfacientes, in tantùm exhibitionem illam honoris extenderent erga Principis personam, ut de labore & compressione, quam tunc Princeps patiebatur, parum cogitarent: quòd cùm oblato sibi in illa frequentia populi cum maxima difficultate equo equitasset, sensit de persona graviori tunc periculo, quàm id quidem habuerit, respirasse.

Cùm autem hoc fieret, & de adventu Principis Civitas tota ferveret, pervênit hoc ad notitiam Marchisii statuti per Joannem Morum in Civitate, qui Marchisius in Regio palatio erat. Qui cùm audisset Principem fore in Civitate, admirans qualiter id esse potuisset, cùm ipse portarum omnium claves haberet, fecit confestim armari Saracenos deputatos per Joannem Morum sub se ad custodiam Civitatis, ipseque armis munitus egressus est de Palatio, & simul cum prædictis armatis contra Principem venire cœpit. Principe autem procedente ad palatium cum maxima Populi multitudine, ipso quoque Marchisio cum armatis suis contra Principem ab ipso palatio veniente, cùm ventum esset ad id loci, quo dictus Marchisius Principem euntem aspiceret, factus est illico clamor & concursus populi ad ipsum Marchisium, ut incontinenti descenderet, & ad pedes Principis iret. Ille obstupefactus, & de necessitate virtutem faciens, statim descendit, armisque depositis, ante Principem se prostravit, & pedes Principis osculatus est; sicque Princeps cum magno honore & gaudio ad palatium Regium populo comitante perductus est.

Inter hæc illi de familia Principis, qui ipso, ut dictum est, cum tribus tantùm ad Civitatem accedente, retrò remanserant, cùm è vestigio venientes ad Civitatem appropinquassent, audientes Principem esse intus, accesserunt ad portas Civitatis. Cùm autem Principe mox ingresso, portæ, quæ apertæ fuerant, clausæ interim & obfirmatæ fuissent, illi autem ante portas ipsas stabant, & intrare non poterant, custodes enim portarum nesciebant, nec credebant eos de familia Principis esse: dum autem illi sic starent ante portas Civitatis collecti, ecce Marchio Oddo cum quadam comitiva sua veniebat de Fogia ad Luceriam, cùmque Civitati appropinquans equites illos ante portam Civitatis stantes videret, quæsivit à quodam rustico, quem secus viam fodientem invênit, qui essent illi, qui ante portam Civitatis equites stabant; illo autem rustico respondente sibi, illos esse de familia Principis, & eumdem Principem Civitatem asserente ingressum, statim ipse Oddo miratus nimis atque turbatus, de roncino, quem equitabat, descendit, & dextrerium suum, qui sibi à dextris ducebatur, ascendit, & versùs Fogiam retrocedebat.

Cùm autem illi de familia Principis stantes ante portam vidissent, & agnoscentes ex vexillo, quòd ille erat Marchio Oddo, post (29) eum se proripuerunt, ipsum viriliter insequentes; cùmque verò equi eorum essent valde fatigati ex labore noctis præteritæ, videntes, quòd eum attingere non poterant, ab ipsius insequutione temperaverunt; & reversi ad portas Civitatis, postquam scitum est eos de Principis comitiva esse, apertis janius Civitatem intrarunt, & ad Principem, qui in Palatio Regio erat, accesserunt, Principi significantes, qualiter Marchio Oddo venerat atque recesserat.

Congregato ergo universo populo Civitatis ante Palatium Regium, Princeps in ipso Palatio residens ad fenestram, quæ prospicit inter Meridiem & Occasum, de qua ipse populum respiciebat, totusque populus ipsum videbat, proloquutus est ad populum, sicut negotii qualitas requirebat, exponens causam, propter quam à Summo Pontifice recesserat, & qualiter voluntatis suæ erat jura Regis nepotis sui, & sua, & libertatem bonumque statum Regni, & Civitates ipsius viriliter manutenere atque defendere: statimque omnes se in personis & rebus ad servitium & beneplacitum Regis, & Principis obtulerunt, & juramenta fidelitatis, & homagii sibi pro parte Regis, & sua, secundùm eorum ritum corporaliter præstiterunt.

Interea Secretarii Principis, & alii de comi-

(26) & inde obrepere poterat, & Terræ Civitatem inire.
(27) ipsasque feras.
(28) gaudio & desiderio.
(29) post se procurrerunt.

mitiva sua, qui cùm camera sua remanserant apud Venusium, & juxta ipsius Principis mandatum Spinazzolam processerant, ibique manebant nihil penitus sciebant de his, quæ Principi fœliciter obtigerant. Princeps autem id eis significans, mandavit eis, ut non per viam, quæ est inter Exculum, & Fogiam, sed per Castrum Bovini, vel per Sypontum Luceriam venirent. Illi autem tutiùs elegerunt per Sypontum venire; si enim per Bovinum venisset, sinistrum eis procul dubio contigisset; nam eo ipso die, videlicet secundo Novembris, quo Princeps Luceriam ingressus est, Bertholdus Marchio de Honebruch (30) G. Cardinali Apostolicæ Sedis Legato in Apulia cum magno exercitu venienti, per unam dietam obviam procedens Fogiam venerat. Qui Marchio veniens, cùm sibi significatum fuisset in via Principem esse Luceriæ, conturbatus est nimis, nuntiumque ad Legatum ad id sibi significandum celeriter misit; tantusque terror ad comitivam Marchionis ex illo rumore factus est, sicut aliqui postmodum de comitiva illa dixerunt, ut quamplures de Apulia, qui cum Marchione veniebant, cùm ipse Marchio venerit Fogiam, se ibi non fixerunt, sed ipso eodem die usque Barolum Nuntius Marchionis adeò festinavit, quòd ipso eodem die, videlicet secundo Novembris, fuit apud Trojam; propter quorum Legati, & Marchionis adventum tam prædictum Castrum Bovini, quàm aliæ Civitates & Castra per Apuliam in partem ipsius Legati & Marchionis declinarunt.

Inventæ sunt autem in prædicto Palatio Regio Luceriæ Camera Imperatoris Frederici, & Camera Regis Conradi, Camera quoque Marchionis Oddonis, & Camera Joannis Mori, in quibus Cameris inventum est aurum, argentum, vestes, lapides pretiosi, & arma quamplurima. Cœpit ergo Princeps de gazis & bonis, quæ in cameris ipsis inventa sunt, inter milites distribuere, & tam eis, quàm illis, qui secum de partibus Terræ-Laboris venerant, quàm aliis, quos undecumque habere poterat, stipendia præstare: prædicti enim Theutonici equites, quos Joannes Morus, ut dictum est, in prædictis domibus extra Luceriam constituerat, statim Principe veniente Luceriam, se sibi ad suum servitium præsentaverunt. Princeps eos libenter recepit, & stipendia eis concessit. Plures etiam alii Theutonici, qui post mortem Regis per diversas Regni partes, & præcipuè per Apuliam dispersi erant, audito Principis adventu in Luceriam, ad ipsum venerunt, & ad stipendia recepti sunt; & licèt aliqui eorum equos vel arma non haberent, Princeps eis equos & arma, prout unumquemque indigere videbat, præstabat. Multi etiam de exercitu Legati, & Marchionis, audita liberalitate Principis, de exercitu ipso recedentes, venere ad Principem; & Princeps eis stipendia tribuebat, ita quòd per modicum temporis spatium exercitus Principis adeò est augmentatus, quòd terror ejus totam jam Apuliam concutiebat. Statim enim quòd Princeps Luceriam intravit, & exercitum suum sic augmentare cœpit, per singulas vicinas Terras misit literas suas, ut Luceriam foderum rerum victualium necessariarum pro suo exercitu mitterent: misit & literas Fogiam, ubi erat Marchio Bertholdus, quæ literæ receptæ ab universitate Civitatis præsentatæ fuerunt Marchioni prædicto; quas literas cùm legisset Marchio, valde miratus est, quòd Princeps, qui paulo ante in tanta depressione & humiliatione fuerat, quòd eum supplicare aliis oportebat, sic subitò ex depressione illa in excellentem statum erectus esset, ut de fodero sibi mittendo ita imperiosè mandaret, ac si totius jam Regni Dominus esset. Turbatus ergo valde ex hoc Marchio convertit se ad consuetas versutias, & quasi amicabiliter motus, & de honore ac salute Principis zelum habens, magìsque se intimum & familiarem Principi ostendere volens, misit ei quasdam vestes lineas & laneas, ut Princeps, qui pro diuturnis armis fatigatus erat, & qui in solis armis suis Luceriam venerat, cùm nondum Camera sua cum vestibus, & aliis personæ suæ necessariis pervenisset ad eum, vestibus illis à Marchione missis indueretur. Misitque sibi consilium, ut Princeps de gratia Ecclesiæ non desperaret, nec tamquam desperans ea faceret, quæ ad majorem aggregationem odii & discordiæ redundarent: confidere enim se dicebat, quòd adhuc poterat factum suum sic cum Summo Pontifice componere, quòd honor sibi & commodum increscere potuisset. Princeps autem Marchionis ipsius vestes tamquam necessarias recepit, verba verò tamquam superflua & dolosa contempsit, viresque & potentiam suam, quod magis sibi necessarium & utile erat, augmentare quotidie satagebat (31). Principe autem sic suas quotidie vires augente cœpit de concordia inter ipsum, & Legatum tractatus haberi, tractatumque, quòd Princeps usque ad ripam fluminis, quod est inter Luceriam & Trojam veniret, Nuntiique Legati usque ad ripam ejusdem fluminis ex parte alia venirent à Troja, ut ibi ad invicem de negotio concordiæ loquerentur. Præfixo ergo ad hoc die Princeps cum equitum & peditum comitiva Luceriam exivit, & usque ad ripam prædicti fluminis, comitivâ suâ parum retro dimissâ, cum paucis accessit. Illi verò de parte Legati cum magna similiter comitiva Trojam exeuntes, Principis videntes exercitum longè citra ripam fluminis consistere, nec ad ripam fluminis aliquatenus appropinquare volebant. Princeps verò hoc videns, cum illis suis paucis sociis, qui secum erant, ad ripam fluminis transivit, & comitivam, quæ retro remanserat, ad ripam, ubi priùs ipse steterat, venire fecit. Cùmque Principe flumen transeunte, illi de parte Legati adhuc ad ipsum appropinquare nollent, Princeps versùs eos magis appropinquavit, & per tantum loci spatium, eundo versùs illos, se jam à sua comitiva elongaverat, quòd aliquibus temerarium quodammodo visum fuit, sic hostili parti se credere, ubi pars hostilis de eo sic dubitaret. Cùm autem illi nullo modo se vellent de prima statione movere, (32) & jungere se ad colloquium, Princeps vel pusillanimitatem illorum spernens, vel fraudem conjiciens, retrocessit, & Luceriam cum sua comitiva reversus est.

Post paucos autem dies cùm videret Marchio Bertholdus, quòd Principis potentia nimis augumentabatur, misit ad Principem quemdam

(30) Guillelmum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum &c. præcedens, Fogiam.

(31) Princeps autem sic vires suas quotidie augens cœpit de concordia inter ipsum & Legatum tractatum habere; tractatumque est, quòd &c.

(32) & jungere se Principi ad colloquium.

A dam suum secretum Nuntium religiosum, de domo videlicet Sanctæ Mariæ Theutonicorum, sibi significans, quòd ipse Marchio ad gratiam Principis redire volebat, si Princeps vellet ipsum recipere, & certa sibi pacta & conditiones, quas Marchio petebat, adimplere. Inter ipsa autem pacta continebatur, ut Princeps filiam suam Ganarro nepoti Marchionis nuptui traderet; petiitque Marchio, quòd Princeps (33) Gualterium de Ocra Regni Siciliæ Cancellarium Secretarium suum ad eumdem Marchionem pro hujusmodi tractatu habendo destinaret apud Trojam, sub eo quidem prætextu, quòd idem Cancellarius ad Legatum pro tractatu concordiæ mitti videretur. Princeps
B autem sapienter considerans, quòd si Marchionem ex parte sua, quocumque modo habere posset, partis adversæ vires multùm decrescerent, sua verò potentia nimis augmentaretur, tali petitioni Marchionis acquievit, & prædictum Cancellarium ad Marchionem prædicto modo mittere disposuit. Cùmque prædictus Cancellarius solus nollet ipsius negotii onus assumere, tum quia Marchionis astutias habebat suspectas, tum quia ad palliandum causam profectionis ipsius ad tractandum cum Legato concordiam, unam tantùm personam transmitti inconveniens quodammodo esse videbatur, adhibitus est ad ipsum negotium exequendum Goffridus de Cusentia ipsius Principis Secreta-
C rius; factaque est unicuique eorum à Principe commissio eundi ad prædictum Legatum Trojam, & de concordia cum ipso tractanda, data eis à Principe plena potestate, & auctoritate tractandi cum Marchione, qualiter ad partem Principis reverteretur, & offerendi ac firmandi sibi pro parte Principis omnia pacta & conditiones, quas ipse Marchio postulaverat.

Profecti sunt ergo prædicti Nuntii Principis Trojam ad Legatum Sedis Apostolicæ ibi existentem, ut de concordia cum ipso tractaretur. Legatus autem potentiam suam quodammodo ex dedignatione magnificare volens, Nuntios ipsos admittere nolebat, sed quosdam eis au-
D ditores dedit, videlicet Archiepiscopum Ravennatensem, Episcopum Faventinum, & Albertum de Flisco consanguineum suum, coram quibus auditoribus Nuntii Principis causam tractandæ concordiæ, pro qua venerant, exposuerunt (34), Principem minùs ipsius concordiæ esse nocivum; sed nihil cum ipsis facere potuerunt; sicque Nuntii ipsi ad Marchionem se contulerunt, & licèt non possent cum ipso tractare aliquid ita sicut volebant, quia in verbis ejus, quæ dolo & astutia plena erant, se aliquatenùs firmare non poterant, quamvis enim pactis & conditionibus sibi oblatis acquiescere videbatur, tamen dicebat se expectare Marchionis Oddonis fratris sui voluntatem &
E (35) consilium, quod magis dilationem conclusionis afferre videbatur; tamen ne ipsorum Nuntiorum accessus illuc penitùs inutilis esset, per illud modicum temporis, quo in Troja fuerunt, ab eis sapienter & cautè tractatum est, quòd una Comestabulia Theutonicorum, quæ in exercitu Legati erat, ab exercitu ipso discederet (36), & ad partem Principis veniret, cùm se ad id commodè faciendum loci & temporis opportunitas daret. Sicque prædicti Nuntii negotio, pro quo venerant, infecto, ad Principem redierunt.

Princeps ad hoc cùm magnum jam exercitum congregatum haberet, animusque ejus ad potentiæ suæ vires experiendas esset accensus, præsertim cùm exercitus Papalis, qui erat in Fogia, multum se quotidie roboraret vallando se circumcirca in fossatis, intendendo etiam succidere nemus Palmulæ Civitati Fogiæ propinquum ad construendum Palatia (37) circumcirca in fossatis ad majus sui munimen: cogitavit, quòd melius erat hostes suos impugnare, antequam ipsi se sic præmunire possent, & laborem sibi postea majorem darent. Præfixit ergo in corde suo certum diem, videlicet in qua exiturus esset in campum, jussitque omnibus de exercitu suo se interim præparare, ut ad aliud mandatum singuli se ad belli expeditionem præparatos decenter invenirent.

Interea verò Comes Gualterius de Manupello de partibus Comitatus sui veniebat ad Legatum, ab ipso vocatus, qui ad quoddam Castrum, quod dicitur Serra Capriola, dicebatur jam pervenisse. Princeps autem scripsit ei, ut antequam ad Legatum iret, ad ipsius Principis veniret præsentiam: cùmque prædictus Comes respondisset, se dubitare hoc facere sinè voluntate Legati, misit interim Princeps ad eumdem Comitem Nuntios speciales, videlicet Riccardum Filingerium militem, & præfatum Goffridum de Cusentia, ut ipsum Comitem inducerent, ut iturus ad Legatum per Luceriam transiret, & Principi loqueretur (38), quòd quidem sibi convenire volebat per eum, super facto concordiæ Legato ex parte Principis exponendo.

Cùm autem hæc fierent vênit dies, quem ad exeundum in campum Princeps sibi præfixerat, ipsoque die tanta pluviæ inundatio à præcedenti nocte incipiens facta est, quòd difficile erat hominibus, nedum in campum procedere, sed etiam extra domos exire; sicque in diem, tertium videlicet, processus in campum necessariò dilatus est: Quo die veniente Princeps summo diluculo Comitem Henricum de Spernaria, virum strenuum & bellici discriminis expertum, ad se venire jubens: *En hodie*, inquit, *dies est, in quo sub spe certa victoriæ contra nostros hostes, nostra possumus explicare vexilla. Accipe ergo tecum aciem unam equitum armatorum, & felici animo exeas, procedens usque ad locum inter Trojam, & Fogiam, & Luceriam medium*; *ut quacumque ex parte sive de Troja, sive de Fogia aliqui de hostili parte prodierint, provideri possint; constituasque duos viros cum duobus vexillis in colliculo illo, quod aliquantulum exeuntibus huic Civitati apparet oppositum, & de quo usque ad vicinitatem Fogiæ, & Trojæ potest utriusque haberi prospectus; quos viros informes, & instruas, ut de loco illo versùs utramque partem intentè respicientes, si gentem aliquam ex aliqua prædictarum partium prodire viderint, primò unus illorum, & deinde alius vexilla in circuitu ventilent; nos enim inspectores alios hic in palatii summitate constitue-*

(33) Gualterium de Cerra.
(34) ipsum Principem minimè ipsi concordiæ esse nocivum.
(35) & consilium sumto hoc quod.
(36) & ad exercitum Principis.

(37) palitia, *seu* palicia, *seu* palicciata.
(38) quæ quidem sibi convenire volebat, per eum &c. exponenda. *Fortas.* qui quædam sibi communicare &c.

Digitized by Google

stituemus, qui ad vexilla prædicta prospectum certissimum habeant, ut si prædicta signa vexillorum viderint, per quæ significetur, ut positum est, aliquam gentem de aliqua prædictarum partium exire, nobis statim hæc dicant, nosque ad signum ipsum cum exfortio confestim exibimus ad ejus subsidium: si autem antequam hoc fiat, vel etiam post, ante nostrum occursum aliqua gens de hostili parte tibi occurrerit, viriliter ipsam aggrediaris, quia proculdubio victoriam obtinebimus.

Egressus est ergo juxta mandatum Principis Comes Henricus cum quadam equitum comitiva, pervênitque ad locum, quem sibi designaverat Princeps. Ordinavit quoque Princeps duos viros cum vexillis in loco eminenti, juxta Principis designationem, ad prospiciendum & notificandum, si qua gens partis adversæ exivisset à Fogia, vel à Troja; ipse verò Comes cum comitiva sua reposuit se in quadam valle depressa, ut à longe videri non posset. Princeps autem constituerat prospectores in summitate palatii Luceriæ, ut signa vexillorum, quæ facienda erant ad ostendendum exitum gentis de Fogia vel Troja, sicut fuerat præordinatum, viderent, & Principi significarent. Cùmque aliquantulum transisset spatii, ecce prospectores in summitate palatii constituti dixerunt Principi, se signa vexillorum vidisse, quæ inter Principem, & Comitem posita fuerant, ut dictum est; Princeps autem tamquam leo diu passus (39) exuviem, ad aliquod præcedentis indicium subitò concitatus exsurgens, prospectu signorum sibi significato animosiùs (40) exhibuit, & cum comitiva equitum & peditum, quam decenter ordinaverat, statim Civitatem exivit, & Comiti Henrico jam in Luceriam redire incipienti se junxit. Cùmque Comes miraretur, quia Princeps exiverat, cùm nulla signa vexillorum facta fuissent, affirmatum est ab inspectoribus in summitate palatii constitutis, quòd ipsi signa vexillorum certissimè viderant, & ea Principi significaverant, cui quidem illudere fas non erat, ut sibi aliud pro alio diceretur.

Licèt autem in veritate signa aliqua facta non fuerant, tamen proculdubio facta fuisse apparuerunt propter victoriam (41), quæ disposita erat à Deo per Principem ipsa die habenda de adversariis suis. Cùm enim Princeps & Comes super hujusmodi materia colloquerentur, & se ad revertendum in Luceriam direxissent, ecce quædam equitum caterva longè retro apparuit; & cùm dubitaretur, qui essent, prima facie creditum est, quòd esset illa Comestabulia Theutonicorum, de qua per Nuntios Principis pridem ad Marchionem transmissis, ut dictum est, tractatum cautè fuerat, ut de exercitu Legati recederent, & ad partem Principis venirent. Dixit ergo Princeps: *Tu cum comitiva illis in occursum eas; qui si pacifici veniunt, ipsos pacificè recipias, & eos ad nos honorificè ducas; si autem adversarii sunt, non dubites eos viriliter aggredi; nos enim viso congressu ad te confestim cum toto isto exfortio veniemus*. Principe ergo ibi remanente cum illis, qui secum de Civitate venerant, Comes Henricus cum illis, quos primò secum duxerat, versùs catervam equitum venientem processit. Cùmque interim appropinquasset, quòd per vexilla poterat quæ gens esset illa (42) discerni, cognovit Comes, quòd illa caterva esset Marchionis Oddonis, quæ de Fogia exierat ad prædationem aliquam faciendam; statimque contra eum cœpit animosiùs ire; quo viso prædictus Oddo Marchio, quia non erat cum eo tanta gens & talis, quòd bellum recipere posset, cœpit retrocedere. Comes autem ipsum insequens, animosum contra eum fecit insultum, in quo insultu aliqui de parte Marchionis in terram fuerunt prostrati. Princeps autem viso illo insultu præmisit Fredericum de Acerris militem suum cum quadam acie armatorum in succursum Comitis. quo Frederico accelerante, Marchio Oddo se versùs Fogiam quantum poterat retrahebat; commissoque inter eos conflictu, Marchione prædicto se viriliter defendendo, quousque vidit Principem à longe cum certa comitiva venientem: ipsius ergo Comitis & Principis exercitus animosior factus, contra Marchionem potentiùs dimicare cœpit. Marchio comitivam Principis venientem videns, & de sua comitiva diffidens, in fugam se versùs Fogiam proripuit, paululumque moratus ante Civitatem, & bellum ibi recipere volens, cùm vidisset, quòd illi de Civitate ad ejus subsidium non exirent (43), sed in Civitatem descendere præpararent, Comes autem Henricus viriliter insectabatur eum, & magnam jam stragem de suis facere cœperat; cùm etiam jam comitiva equitum Principis Comiti Henrico se adjunxisset; videns ipse Marchio deterius esse stare, quàm fugere, se ad fugam dissolutè convertit, & usque ad Castrum Canusii fûgit, ibique se receptavit.

Principi autem cum suis usque ad introitum Civitatis Fogiæ appropinquanti nimis vehementer in ipso ingressu à parte contraria resistebatur, cœpitque balistis & arcubus ex utraque parte rectè pugnari; cùmque per duarum ferè horarum spatium sic bellaretur ante Civitatem, nec posset Princeps cum suis hostiliter illam catervam irrumpere, & Civitatem intrare, ecce pedites arcerii, qui Principem sequuti sunt à Luceria, nec potuerant cum equitibus simul venire, ad Civitatem appropinquaverunt, qui non ea parte in qua Princeps cum suis equitibus erat, sed ex alia parte Civitatis, quæ respicit septemtrionem, de ordinatione Principis accesserunt, in qua videlicet parte resistentia aliqua non habebatur, quam Princeps appropinquabat. Cùm ergo fossata, quæ Fogitani, & illi de Papali exercitu fecerant (44) circumcirca, non essent multùm elevata ex illa parte, quam prædicti pedites petierunt, ingressi sunt ipsi pedites ex illa parte, & fuerunt in burgo Civitatis ipsius, quod erat ex illa parte. Cùm autem illi, qui erant in speculis Civitatis constituti, pedites ipsos vidissent ingressos, & jam ipsi pedites sagittis eos hinc inde lacesserent, factus est subitò clamor, quòd Civitas ex parte alia capta esset. Quod cùm pervenisset ad illos, qui Civitatem ex parte alia contra Principem defendebant, statim dimissa defensione se verterunt in fugam versùs palatium Regium Civita-

(39) *scribe* esuriem.
(40) *fortas.* exiliit.
(41) quam dispositum erat à Deo Principem ipsa die esse habiturum de.

(42) illa comprehendi vel discerni.
(43) *fortas.* se ad Civitatem defendendam se præpararent
(44) circumcirca Civitatem.

vitatis ipsius: quibus sic fugientibus Princeps & sui post eos Civitatem ingressi sunt, aliosque eorum contrucidaverunt, alios verò ceperunt, præter illos, qui se in prædicto palatio receptare potuerunt.

Posita autem Civitate ipsa in direptionem & prædam, potuisset quidem Princeps, si voluisset, contra illos, qui se receptaverant in palatio, bellum inferre, & eorum per violentiam personas habere; sed cùm jam serò esset factum, cogitavit Princeps, quòd si per instantem noctem ad obsidionem illorum in Civitate ipsa remaneret, Legatus Apostolicæ Sedis, qui cum magno exercitu erat apud Trojam, hoc audito posset contra illum cum exercitu illo venire, & fortè illum offendere, præsertim cùm milites & pedites sui propter laborem illius diei valde fatigati essent: cogitavit enim post hæc, quòd cùm aliqui viri Ecclesiastici, qui cum exercitu Papali Fogiam venerant, in prædicto palatio cum aliis se receptassent, posset sibi ad magnam sævitiam imputari, si se ad obsidionem illorum inclusorum perseverante, & palatio ipso per violentiam capto, prædicti viri Ecclesiastici cum aliis (45) caperentur. Hac ergo potissimùm causa, & ne etiam ex sui præsentia Civitas per suorum deprædationem magis damnificaretur, vidit Princeps melius esse recedere, quàm ibi in nocte ipsa remanere, ut illi, qui in palatio se receptaverant, captâ Principis absentiâ fugerent, & votum suum Princeps de eis sine aliqua nota crudelitatis haberet.

Reversus est ergo Princeps illo sero cum toto exercitu suo Luceriam, & ad mediam ferè noctem pervênit ad Civitatem. Sequenti verò mane in ipso diluculo venerunt ad Principem duo Cives Trojani, missi ab universitate Civitatis Trojæ, dicentes, quòd Legatus Apostolicæ Sedis, qui in Troja fuerat, auditâ victoriâ, quam Princeps habuerat in Fogia, cum exercitu, quem ibi habebat, de Civitate Trojana nocte recesserat; tantaque fuerat in fuga illius, & exercitus sui dissolutio, quòd aliqui relictis penitùs arnesiis suis, personas tantùm onerare & portare tentantes, ipsa ad terrorem etiam muliercularum onerata in animalibus suis dimittebant, & se ad fugam, sicut meliùs poterant expediebant; ita etiam quòd mulieres Civitatis ipsius animalia fugientia arnesiis onerata trahebant, aliqui etiam armis induti, cujuscumque seu viri seu mulieris timentes occursum, arma ipsa libentiùs deponebant, & viro seu etiam mulieri, ut securè abire sinerentur, dimittebant. Aliqui etiam non curantes equis sellas aptare, equos ad nudum equitabant & Civitatem exibant. Aliqui quoque vix tantum sibi spatium in illa fugiendi occupatione laxabant, ne equos suos de præsepe resolverent & equitarent, sed dummodo salvare quoquo modo se possent dimissis equis pedites fugiebant. Prædicti ergo Nuntii Trojanæ Civitatis hoc Principi exponentes, ipsum ex parte universitatis ipsius (46) suppliciter deputabantur, ut ad Civitatem Trojanam venire dignaretur, nec eis imputaret ad culpam, quòd Legatum prædictum, & Marchionem cum Papali exercitu receperunt, cùm eorum violentiæ nullo modo resistere potuissent. Simili quoque modo Rogerius de Parisio, qui cum prædicto Papali exercitu Trojam venerat, significavit Principi, quòd fugiente Legato ipse Castrum Civitatis ipsius ad honorem Regis & Principis cepit, ipsumque ad fidelitatem Regis & Principis custodiebat.

His auditis totus exercitus Principis valde lætatus est, instabantque omnes apud Principem, & præcipuè illi Theutonici, qui pridem de Civitate Trojana per mortem Regis Conradi fuerant, ut dictum est, à Trojanis expulsi, ut Princeps cum exercitu proficisceretur Trojam. Princeps autem sapienter corde consideravit, quòd si tunc Trojam accederet, magna destructio Civitati eidem posset accidere, tum ex cupidine spoliorum, qua ferè omnes ad eundum illuc accendebantur, tum ex ultione injuriæ, qua prædicti milites Theutonici miro modo videbantur accensi, præsertim cùm data eis materia debacchandi, ad quælibet enormia committenda impunè prosilirent, belli præcipuè tempore, quo licitè committuntur illicita, & quæ pacis tempore injusta sunt. Ex hac ergo provida consideratione Princeps exercitus sui motum contra Civitatem Trojanam à direptione in ipso sui primordio cautè revocavit, gravius sibi futurum existimans eorum impetum semel in sui voti prosequutione permissum ab illius postea Civitatis destructione compescere, quàm à principio revocare. Dixit itaque Princeps non esse necessarium Trojam appetere, quæ jam Legato & exercitu Papali inde fugientibus ad mandatum Regis & suum conversa erat; necessarium autem esse, & magis utile repetere Fogiam propter illos, qui pridie in palatio se receptaverant, ne si sic sine impugnatione aliqua dimitterentur, possent forsitan & ipsi animum viresque resumere, & alii de secta ipsorum, qui per vicina fortassis loca collecti erant, aliquid resistentiæ in corde concipere, & nocumentum aliquód fidelibus irrogare.

Habitum est ergo pro meliori redire Fogiam, quàm ire Trojam, sicut Princeps edixerat; arreptoque itinere Princeps & sui versùs Fogiam vexillis explicatis procedebant. Cùm autem essent ad quatuor ferè millia prope Civitatem, occurrit exercitui Principis in via quidam Nuntius de Fogia veniens, qui dixit, quòd omnes illi, qui die præterita se in palatio Fogiæ receptaverant, de nocte recedentes fugerunt.

Cùm autem rumor hujusmodi in exercitu Principis de fuga illorum insonuisset, omnes uno impetu, & præcipuè Theutonici per camporum invia versùs illam partem, qua illos fugientes ire existimabant, animosè currere cœperunt, ut eis ex transverso possent occurrere. Qui quidem ex magna prosequendi animositate, quam hostium fuga nimis augebat, videbantur in equis non quidem incedere sed volare: non quippe, ut fieri solet, ante positas hostium acies illi gressibus modestè procedebant, quasi congressuri, ut in campo stantibus hostibus sapienter bellum inferrent, sed cùm hostes, qui non apparebant, ex animo quærerent, moderamen eis sola videbatur effrænitas, qua ipsos invenire possent. Insequuti sunt ergo eos hoc modo per viæ plurimum, nec ullo modo eos attingere potuerunt, quia illi tempestivè nimis de nocte fugam arripuerant, & timor eis ad fugiendum alas adjunxerat; in tantam enim dissolutionem fugiebant, quòd eorum aliqui viam ignorantes, vel potiùs

(45) caperentur vel interficerentur.

(46) suppliciter deprecabantur.

Digitized by Google

tiùs pro cautela ipsam deferentes, & per devia montium divertentes, cùm pervenissent ad loca, quorum exitus nives undique clauserant, post dies aliquot mortui reperti sunt; per plura etiam loca bonettæ pannis & rebus aliis plenæ inventæ sunt, quas ut fugerent expeditè in via dimiserant.

His itaque taliter gestis, (47) & talem quippe Principe apud Fogiam assequuto victoriam, prædictus Legatus Apostolicæ Sedis de Troja recedens, cum Papali exercitu versùs Neapolim ad Summum Pontificem properabat; qui cum tanta festinantia ibat, quòd Marchioni Bertholdo, qui pridie ab ipso fuerat missus ad Papam, in via se adjunxit, & deinde ambo simul Neapolim pervenientes invenerunt, quòd ipsis diebus, videlicet Idibus Decembris, Papa defunctus erat. Tantus autem Cardinalibus & aliis de Romana Curia ex illa victoria Principis timor accessit, quòd viso Legato & Marchione omnes voluere de Neapoli recedere, & in Campaniam redire. Ad magnam tamen instantiam & confortationem Marchionis ipsius steterunt, & in unum collecti ad electionem novi Summi Pontificis Cardinales (48) de mane procedentes elegerunt Dominum Rainaldum, *aliis* Raymundum Episcopum Ostiensem, vocatusque est Papa Alexander.

Princeps autem post habitam prædictam victoriam morabatur in partibus Capitanatæ, clamabantque tam Theutonici, quàm Saraceni Barolum, Barolum. Ergo cùm tota alia Terra Bari partem Ecclesiæ adhuc teneret, auditâ victoriâ, quam Princeps habuerat, & qualiter Theutonici & Saraceni versùs eos incursionis suæ vota direxerant, memores destructionis, quam jam pridem fuerant ex alia sua rebellione perpessi, Nuntios miserunt ad Principem, se & Civitatem ad mandatum Regis & Principis exponentes. Ipsis ergo Barolitanis venientibus ad mandatum Regis & Principis, tota alia Terra Bari adhuc in rebellione durabat. Princeps autem non ipsam Terram Bari, sed superiores Apuliæ partes, quæ magis parti adversæ vicinabantur, repetere decrevit, processitque versùs Barolum, (49) disponens antequam obsidionem contra Castrum ipsum firmaret, ut ipsum violenter caperet, sed hyeme adversante noluit ibi frustra laborare.

Processit ergo Venusium, & ex insperato Civitatem ipsam adhuc in rebellione perseverantem intravit, ipsamque ad mandatum suum habuit: petierunt enim ipsius Civitatis incolæ humiliter à Principe veniam, proponentes, qualiter contra Melphienses & alios, qui eos in rebellione præcesserant, quòd destructionem eis ex vicinitate comminabantur, stare in proposita fide non potuerant, propter quod de necessitate in partem eorum declinaran, fidem autem suam non deseruerant in eodem, sed quando potuerant, in adventu Principis ipsam declaraverunt; talibusque verbis, & aliis hujusmodi coram Principe propositis veniam promeruerunt. Memoratus est enim Princeps, qualiter pridem ipsum à Terra-Laboris procedentem, & in Apuliam venientem, omnique spe frustratum, Venusini devotè receperunt, & honorem, quem possent, sibi concumulati fuerunt, ex qua potissimùm causa Princeps ad præstandum eis veniam inclinatus est.

Interea verò Joannes Morus erat in Acheruntia, & eodem tempore quo Princeps Luceriam, ut supra dictum est, intravit, ipse Joannes Morus à Papali Curia rediens, cùm audisset in via Principem esse Luceriæ, valde turbatus est, admirans, quomodo Civitatem ipsam introire potuerat, cùm ipse ante recessum suum valde diligenter eam ordinasset custodiri; misitque ad Principem Nuntios supplicans, quòd ei literas suas de securitate mitteret, cùm ipse ad pedes suos venire vellet. Princeps autem infidelitatem & proditionem ipsius Joannis Mori dissimulare contemnens, literas suas ei denegavit; dixit tamen, quòd si venire vellet, secundùm quod merita sua exigebant, recipiendus erat: quod ipse Joannes audiens non Luceriam venit ad Principem, utpote læsam conscientiam habens, sed rectâ viâ profectus est in Acheruntiam, ibique ut dictum est, morabatur. Saraceni verò ibi cum ipso morantes, ipsius proditione cognita, ferino potiùs, quàm humano instinctu eumdem Joannem Morum in eis plurimùm confidentem interfecerunt, & corpore ejus ab eis membratim diviso, caput ejus in Luceriam delatum est, & ad portam Fogitanam ipsius Civitatis in spectaculum suæ nefandæ proditionis appensum est. Saraceni ipsi miserunt Nuntios ad Gualvanum Lanceam avunculum Principis de Romana Curia redeuntem (erat in Castro suo, quod Tulle vocatur) sibi hoc significantes, & petentes, ut veniret in Acheruntiam, & Terram ipsam pro parte Principis reciperet. Dictus enim Gualvanus, qui, ut supra dictum est, Principe recedente de Acerris apud Romanam Curiam ex utili quidem & necessaria causa remanserat, donec in prædicta Curia fuit, tamquam homo astutus & discretissimus, ostendebat se, non pro se, sed contra Principem esse, ut cautè sibi de ipsius Principis utilitate tractaret; capta verò temporis opportunitate de Curia ipsa recessit, & ad Castrum suum prædictum, quod dicitur Tulle, interfecto prædicto Joanne Moro, ad petitionem Saracenorum Acheruntiam intravit, terramque ipsam pro Principis parte recepit, cùm Princeps, ut prædictum est, apud Venusium esset, idem Gualvanus ad Principem illuc venit; lætatusque est nimis Princeps de adventu suo, tum quia ipsum de manibus adversariorum suorum recepit incolumem, tum quia consilium & auxilium ejus circa illa ardua negotia, quæ Principi incumbebant, sibi necessarium & utilissimum erat. Ipso enim Gualvano ad Principem veniente, multis cogitationibus se Princeps exoneravit, cùm ipse Gualvanus tantæ quidem prudentiæ ac strenuitatis esset, quòd de toto guerræ negotio Princeps sibi securè posset incumbere, & ipse tamquam Dominus sinè cogitatione aliqua remanere.

Interim autem Civitas Rapullæ, quæ ipsius Gualvani erat, in rebellione durabat; mittitur ergò illuc prædictus Gualvanus cum multitudine equitum, & peditum armatorum; cùmque Cives ipsius oratione requisiti pacificè ad mandatum venire nollent, datus est viriliter in Civitatem insultus; & licèt incolæ loci

(47) & talem divinitus Principe.
(48) de more procedentes elegerunt Dominum Raymundum Episcopum.
(49) disponens ante obsidionem contra Castrum ipsum firmare, & ipsum violenter caperet; sed hyeme adhuc stante.

Digitized by Google

loci se nimis audacter in primo congressu defenderent, cùm situs loci ipsius defensioni eorum magnam audaciam daret, inde animis & viribus Principalis exercitus ex illorum magis resistentia & defensione crescentibus, cùm resistentiam illorum solatium reputarent, & defensionem, quam illius loci homines faciebant, suarum esse sentirent incitamenta virtutum. Violenter tamen Civitas capitur, pluresque de Civitate ipsa propter rebellionem ipsam, in qua pertinaciter devenerant, neci traduntur, & ad extremam quodammodò desolationem Civitas ipsa non minùs ex incolarum suorum stultitia, quàm ex Principalis exercitus triumphali ultione perducta est.

Capta autem tali modo Civitate Rapullæ, Melphienses, qui eidem Civitati ad quinque ferè millia vicinantur, timentes ne ipsi in rebellione persistentes (50) simul paterentur, statim missis ad Principem Nuntiis ad mandatum ipsius redeunt. Tranenses quoque, & Barenses, & alii de Justitiariatu Terræ Bari, audita captione Rapullæ, & quòd alia etiam superior pars Apuliæ ad mandatum Principis venerat, satis temerarium esse putantes in rebellione ultra perseverare, ad mandatum Principis revertuntur: totaque jam ferè Apulia, præter quasdam Civitates Terræ Idrunti, mandato & Jurisdictioni Principis se sponte supposuit.

Interea post asumtionem Summi Pontificis Alexandri, dum sic Princeps in Apulia prosperaretur, Thomas Comes Acerræ cognatus Principis, & Riccardus Filangerius venerunt ad Principem à quibusdam, ut credebatur, Cardinalibus missi, admirantes quare cùm mos esset, ut asumto novo Papa Nuntii à Mundi Principibus mitterentur ad ipsum, nec ipse Princeps Nuntios aliquos ad novum Papam miserit, suadebant sibi, quòd (51) Nuntios ad novum Papam delegaret. Princeps verò ad mittendos Nuntios induci non potuit, ne Papa, vel alii de Romana Curia ex hujusmodi Nuntiorum missione aliquam debilitatem, vel pusillanimitatem esse in Principe cogitarent, dixitque Princeps; ad Papam non ad aliam pacem tractandam eos mitteret, nisi ut Regnum in Dominio & possessione Regis Conradi Secundi Nepotis sui sub baliatu Principis remaneret; Compositio autem super eo tantùm esset, ut census pro ipso Regno Romanæ Ecclesiæ augeretur. Cùm autem Princeps per prædictum Comitem, & Riccardum Filangerium ad mittendos Nuntios non potuisset induci, venit ad eum quidam Episcopus à Sede Apostolica missus, citavitque ipsum ex parte Summi Pontificis, ut in Festo Purificationis Beatæ Mariæ proximè futuro ad Curiam Romanam accederet, responsurus de interfectione Burrelli de Anglono, & de injuria, quam Apostolicæ Sedi intulerat expellendo Legatum, & exercitum Ecclesiæ de Apulia. Princeps verò ad citationem hujusmodi sibi factam respondit per literas suas Summo Pontifici, excusans se rationabiliter de his, quæ sibi objiciebantur, & qualiter nullam injuriam Romanæ Ecclesiæ fecerat, Nepotis sui, & suam Justitiam defendendo. Principe autem sic perdurante in proposito non mittendi aliquos Nuntios ad Summum Pontificem, venit ad eum de Apulia Magister Jordanus de Terracena Apostolicæ Sedis Notarius, qui ejusdem Principis benevolus videbatur, & qui etiam in Romana Curia magnum locum habebat, consuluitque Principi, quòd Nuntios suos ad Papam mitteret, quòd ex illa Nuntiorum missione, non aliud quàm honor & commodum sibi poterat provenire.

De consilio ergo Magistri Jordani Apostolicæ Sedis Notarii Princeps motus est ad Nuntios ad Summum Pontificem destinandos, misitque Gervasium de Martina, & Goffridum de Cusentia Secretarios suos, & suæ voluntatis plenè conscios, dans eis potestatem de concordia cum Summo Pontifice tractanda in certa forma, quæ commodum Regium & honorem Principis sapiebat. Profectis itaque prædictis Nuntiis ad Romanam Curiam, quæ tunc Neapoli erat, cœpit de concordia tractatus haberi, & cùm non posset tractatus ipse per eosdem Nuntios ad finem perduci propter aliqua dubia, quæ non poterant nisi præsentia Principis declarari, petebant Nuntii non ex mandato Principis (52), sed ex nutu suo & certitudine, quam habebant de Principis voluntate, ut aliquis Cardinalium pro declaratione prædictorum dubiorum, & agnoscenda personaliter Principis voluntate ad Principem mitteretur: dicebantque Nuntii ipsi Summo Pontifici, quòd si Cardinalis ipse mitteretur ad Principem, pax nullo modo poterat infecta remanere, cùm ad multa Princeps descenderet propter præsentiam & reverentiam Cardinalium, ad quæ aliàs induci non posset. Dicebant autem aliqui de Cardinalibus, id non convenire Sedis honori, ut Cardinales hoc modo mittantur; verumtamen si Princeps hoc peteret, vel si Nuntii ipsi hoc de mandato Principis eis facto esse testarentur, quòd Cardinalis (53) mitteretur, & quòd negotium pacis considerationem debitam ex Cardinalium missione reciperet, bene posset Apostolica Sedes induci ad Cardinalem mittendum. Super hujusmodi autem articulo satis visum est; sed quia Nuntii ipsi dicebant petitionem ipsam non fieri de mandato Principis, sed ex suo motu procedere, sperantibus ipsis, immo pro firmo tenentibus, quòd pax fieret penitus, si Cardinalis ad Principem mitteretur, Papa & Cardinales super hoc articulo simpliciter prædictorum Nuntiorum verbis stare nolentes, ad mittendum Cardinalem non potuerunt induci.

Licèt autem Princeps Nuntios, ut dictum est, ad Romanam Curiam pro tractanda pace misisset, nihilominus ipse ad conquirendum Terram ad suum specialiter Principatum pertinentem, quæ propter turbationem præteritam à suo se dominio subduxerat, intendebat; perrexitque cum suo exercitu ad Guardiam Lombardorum, quæ sibi ratione Comitatus Andrensis, ut supra memoratum est, spectat. Quamvis autem terræ ipsius incolas prima facie resistentes invenerit, tamen disposita circa eam obsidione cepit eam, & ad suum dominum revocavit. Quod cùm ad notitiam Papæ pervenisset, Papa id grave tulit, asserens, quòd Princeps Ecclesiæ Romanæ videbatur illudere, dum ex una parte concordiam peteret, ex alia verò terram, quæ erat

(50) *Fortasse* similia.
(51) Nuntios ad eumdem eligeret. Princeps.
(52) sed ex motu suo.
(53) mitteretur ad ipsum.

Digitized by Google

erat in manu Ecclesiæ occupare. Cùmque id dictum fuisset Nuntiis Principis, qui in Romana Curia erant pro pace tractanda. Nuntii responderunt dicentes, quòd Princeps non ad illusionem Ecclesiæ, nec ad contrarium tractandæ pacis hoc faciebat, quia Terra illa Guardiæ erat de speciali jure ipsius Principis, super quo Curia Romana nullam Principi controversiam facere intendebat: propter quod non debebat Summo Pontifici grave videri, si id Princeps faciebat, quod licitè facere poterat, licèt autem hac de causa Summus Pontifex gravatum se diceret, quòd Princeps Terram, quæ erat in manu Ecclesiæ, occupare videbatur; tamen alia causa erat potissima, ex qua adventum Principis ad Guardiam Lombardorum & ipsius Terræ captionem molestè tulit; dubitabant enim tam ipse, quàm Cardinales, ne Princeps contra eos Neapolim cum exercitu veniret; & cùm de hoc in magna dubitatione essent, adeò quòd si Princeps ultra venire tentasset, Summus Pontifex, & tota Romana Curia de Neapoli recessissent, cùm omnes hoc audito vasa jam sibi parare cœperint, ut per mare recederent. Dictum est ergo Nuntiis, quòd si Princeps Ecclesiæ pacem volebat, sic Nuntii ipsi instarent, quòd Princeps de Guardia Lombardorum recederet, & in Apuliam rediret.

Nuntii ergo Principis totum hoc Principi significaverunt, significantes ei, quòd de Guardia Lombardorum discederet; occultè tamen sibi exponentes, qualiter Summus Pontifex, & alii de Romana Curia dubitabant de adventu ejus Neapolim contra eos, & qualiter si ipse Princeps tunc in Terram-Laboris venisset, de levi posset totam terram, quam Ecclesia occupaverat, recupare. Quo intellecto Princeps dum cogitaret quid esset melius faciendum, & in proposito esset quodammodo procedendi versùs Terram-Laboris, licèt via esset valde nivibus impedita, subitò recepit quemdam Nuntium de partibus Terræ Idrunti exponentem sibi, qualiter Manfredus Lancea consanguineus suus, quem Princeps Capitaneum constituerat in Terram Idrunti, cum Brundusiensibus, qui contra Terram Nerito iverant ad conflictum, & in conflictu ipso fuerat expugnatus, & qualiter terra ipsa Nerito à Brudusiensibus capta fuerat, & destructa, multis de comitiva ipsius Capitanei, & de ipsius Terræ Nerito interfectis hominibus. Quo Princeps intellecto revocavit propositum suum, quod de procedendo in Terram-Laboris conceperat, consultius reputans in Terram Idrunti propter casum, qui ibi acciderat, festinare, ne Brundusienses, & eorum complices ex illa victoria, quam tunc habuerant, animosiores effecti contra fideles insurgerent, & in absentia Principis impunè illos offendere possent. Ex eodem enim facto & prædicto periculo prudenter occurrere, & voluntati Summi Pontificis, quæ erat quòd ipse de Guardia Lombardorum recederet, & in Apuliam rediret, studiosè satisfacere videbatur.

Recessit ergo Princeps de Guardia Lombardorum, & iter arripuit eundo ad partes Terræ Idrunti pro causa prædicta. Nuntii autem ejus, qui in Romana Curia pro tractatu pacis erant, nihil de pace facere poterant, cùm Papa jam Legatum alium ordinasset in Regno, videlicet Octavianum Sanctæ Mariæ in Via Lata Diaconum Cardinalem; & Legatus ipse cùm tractare cœpisset de congregando exercitu contra Principem: quod Nuntii ipsi videntes de Romana Curia recesserunt, & venerunt ad Principem apud Guardiam Alguadianam, ubi Princeps cum exercitu suo erat in processu eundi versùs Terram Idrunti.

Abinde ergo Princeps rectâ viâ processit, eundo versùs Terram Idrunti, & pervênit cum exercitu ante Brundusium, quæ Civitas erat caput rebellionis, & factionis terrarum aliarum (54) Terræ Idrunti, Oriæ, videlicet Civitas Idrunti, Liciæ, & Misagniæ, quæ Principi rebelles erant. Obsedit itaque Princeps Civitatem Brundusii; & cùm Civitas ipsa mœnibus & populo valde munita esset, nec posset per insultum eam de facili capere, fecit fieri depopulationem arborum circumcirca Civitatem ipsam usque (55) ad mœnia Misagniæ, quæ erat Gualterii de Ocra Regni Siciliæ Cancellarii, cùm ad mandatum Principis venire nollet, nec eidem Cancellario parêre ut domino, per violentiam capta est, & ad instantiam ipsius Cancellarii, qui rebellionem ipsius molestissimè tulerat, destructa est. Ibi ergo Princeps morabatur cum exercitu suo propter abundantiam rerum victui necessariarum, quæ ibi erant, de quo loco quotidie ibat exercitus usque ad mœnia Civitatis Brundusii, cùm prope ipsam esset ad octo ferè millia, & magnam depopulationem ibi faciebat.

Licienses autem, auditâ Principis potentiâ, considerantes stultum esse sibi resistere, & destructionem timentes, ad mandatum Principis sponte venerunt. Facta autem ingenti depopulatione circumcirca Civitatem Oriæ, & ante eam obsidione disposita, cùm Cives Terræ ipsius requisiti ad mandatum venire nollent, mandatum est fieri depopulationem circumcirca. Fiebat autem quotidie depopulatio, nec tamen illa aliquatenus ad mandatum venire volebat; dabatur quoque insultus quandoque ad mœnia, sed tamen populus Civitatis se satis animosè & viriliter defendebat. Factæ sunt quoque caveæ subterraneæ ad dirutionem mœnium; & cùm quædam pars ipsorum mœnium pro hujusmodi caveis cecidisset, apparuit statim alius murus ex interiore parte fabricatus, quem Cives Oriæ contra illam partem, qua cavea fiebat exteriùs, interiùs erexerunt; & cùm muro exteriori cadente propter caveam exercitus se ad Civitatis ingressum pararet, invento alio muro noviter facto, intrare non potuit. Fecit etiam fieri Princeps machinam elevatam, cujus summitas Civitatis mœnibus superemineret; & cùm eam prope ad mœnia duci artificiosè fecisset, ut ex ea Civitas opportuniùs oppugnari posset, illi de Civitate injecto ab intus igne ipsam machinam combusserunt. Dum itaque sic Princeps in obsidione ipsius Civitatis existeret, intellexit per tertium nuntium, & literas sibi missas, quòd Petrus Ruffus de Calabria Comes Catanzarii, qui Baliatus officium in Sicilia & Calabria gerebat, à Messanensibus fuerat de Messana expulsus: quod qualiter processerit, enarrandum est.

Fuit

(54) Terræ Idrunti, videlicet Civitas Idrunti, Oriæ, Liciæ.

(55) ad mœnia. Mesagnia quoque, quæ Terra erat Gualterii de Cerra.

Digitized by Google

A Fuit quidem prædictus Petrus Ruffus de Familia Imperatoris Frederici, qui Curiam ipsius Imperatoris Frederici pauper ingressus, adeò per successiva incrementa in Imperiali Curia erat, quòd Magister Imperialis, Marescallus, & ipsius Imperatoris Consiliarius, immo omnium consiliorum suorum intimus factus est, ac tamdem in ultimis Imperatoris totius Regni Siciliæ Marescallus constitutus fuit. Principe autem Manfredo Balio totius Regni, & Italiæ ab Imperatore ordinato, ipse Petrus cum Rege Henrico juniore filio Imperatoris in Siciliam & Calabriam missus est, ut ipsum Regem in annis pupillaribus constitutum, & ipsas provincias Siciliæ (56), & Calabriæ gubernaret. B Licèt autem in partibus illis ad gerendam ibi vicem Principis ordinatus fuisset, & per omnia mandatis, & ordinationibus Principis obedire teneretur, ipse tamen Petrus de mandatis, quæ sibi Princeps faciebat, non nisi ea tantùm, quæ ipse volebat, exsequebatur: videbaturque sibi, quòd non subesset Principi in prædictis Provinciis gubernandis, sed ipse in capite in ipsarum gubernatione præpositus esset. Princeps autem qui ex dispositione paterna benemeritis, quibus provisum condignè non fuerat, providere tenebatur, Gualvano Lanceæ, qui diu in Lombardia & Tuscia Imperatori satis strenuè prudenterque serviverat, & retributionem ab ipso morte prævento habuisse C non poterat, cujus etiam præsentia & auxilium valde necessaria Principi erant in exercendo Balio sibi commisso, de Comitatu Buteræ decreverat providendum. Restituerat etiam sibi (57) Terras Paternionis, & Sancti Philippi de Argiro, quas eidem Gualvano materno jure spectantes Imperator ab ipso revocaverat, dato tamen sibi minùs competenti excambio in Calabria, cujus valor excambii vix ad tertiam partem valoris terrarum ab ipso revocatarum perveniebat. Cùmque Princeps mandasset prædicto Petro, ut Comitatum Buteræ, & prædictas (58) Terras Paternionis, & Sancti Philippi Nuntio ipsius Gualvani assignari, & de ipsius Comitatus terrarumque proventi- D bus faceret sibi responderi: præfatus Petrus nullo modo mandatum Principis exsequi voluit. Quinimmo hominibus Comitatus ipsius, & prædictarum Terrarum Ecclesiis fecit indictiones fieri, ut contradicerent & reclamarent, se prædictum Gualvanum Lanceam nolle aliquatenus habere in dominium. Providerat etiam Princeps Fredericum Lanceam fratrem prædicti Gualvani avunculi sui de Comitatu Squillacii propter multa & immensa servitia, quæ Imperatori contulerat, & nullam inde retributionem habuerat; cujus similiter Frederici consilium & auxilium Principi ad exercitium Balii sibi commissi satis utile, & necessarium erat. E Et cùm de assignatione ipsius Comitatus facienda Nuntio ipsius Frederici, præfato Petro Princeps mandatum fecisset, ipse Petrus nihil inde penitus facere voluit, immo manifestè ipsi contradixit. De provisione quoque plurium aliorum, qui diu Imperatori serviverant, simili modo mandavit; sed ipse Petrus nihil inde complebat. Mandavit etiam sibi quandoque Princeps, ut de equis Marescalliæ Calabriæ sibi mitteret, quia sibi necessarii erant pro impugnatione rebellium, qui in Apulia & Terra-Laboris, ut supra memoratum est, insurrexerant; de quo nihil omnino ipse Petrus facere voluit, adeòque dominium & potestatem Provinciarum ipsarum Siciliæ & Calabriæ sibi ipse Petrus adduxerat, quòd si interdum Princeps ad officiales ipsarum provinciarum literas, vel pro negotiis Curiæ, vel pro negotiis privatorum destinaret, officiales ipsi literas Principis nisi prædicto priùs Petro consulto exsequi dubitabant. Quæ omnia Princeps attendens, in quantum possibile erat, ad majorem turbationem partium Regni vitandam, quæ ex ipso facto posset accidere, processus ipsius Petri dissimulare nitebatur, ut omnia posset cum prudentia & meditatione peragere. Misit prædictum Gualvanum in Siciliam cum literis ad dictum Petrum, ut ipse Petrus ad Principem pro quibusdam arduis servitiis, quibus præsentia ejus necessaria erat, veniret, ipse verò Gualvanus in Sicilia remaneret; quod ipse Petrus præsentiens procuravit ita, quòd prædicto Gualvano perveniente Messanam factus est subitò rumor & clamor, populus miratus est, & in tantum commotus, quòd in prædictum Gualvanum, quasi ipse Messanam in Proregis offensionem venisset (59), insurrexerat, nisi ipse sapienter, & cautè injuriam in personam passus fuisset. Post adventum Regis Conradi in Regnum dictus Petrus factus est ab eodem Rege Comes Catanzarii, remissusque est in Siciliam & Calabriam ad Regis vicem in provinciis ipsis gerendam. Mortuo verò Rege Conrado, & dicto Petro in Sicilia permanente, commissoque sibi Balio provinciarum ipsarum sub Marchione Bertholdo, qui, ut supra dictum est, totius Regni Balius fuerat constitutus, Summus Pontifex Nuntios ad eum misit cum certis capitulis, ut ipse Petrus Siciliam & Calabriam in manu Ecclesiæ poneret. Ipse Petrus Fulconem nepotem suum cum Siracusano Episcopo, & Nuntiis Civitatis Messanensis in duabus galeis ad Summum Pontificem misit, quibus euntibus, & post certum cum Summo Pontifice tractatum habitum redeuntibus, cùm ad ea, quæ Nuntii ipsi ab Apostolica Sede retulerant, dictus Petrus, & Civitas Messanæ, aliæq; Siciliȩ partes inclinare & àcquiescere nollent, Nuntios alios quatuor, duos Fratres Prædicatores, & duos Fratres Minores ipse Petrus ad Apostolicam Sedem remisit, per quos suam, & Messanensium, aliorumque Siculorum voluntatem super capitulis, quæ priores Nuntii ab Apostolica Sede retulerant, Summo Pontifici declaravit.

Inter hæc autem dum Princeps Manfredus, ut superiùs memoratum est, interesset Luceriæ, & undecumque poterat auxilium sibi, & consilium in illa magna necessitate quærere cogeretur, misit Nuntios suos, scilicet Gervasium de Martina, & Joannem de Terraca ad prædictum Petrum, petens ab eodem, ut quia ipse Princeps causam Regis Conradi pupilli nepotis sui resumere, & viriliter defendere intendebat, ipse Petrus ad hoc sibi auxilium & consilium præstaret, & se cum eo in jure prædicti pupilli defendendo teneret. Nuntiis ergo Principis ad prædictum Petrum Messanam euntibus, licèt intentio Nuntiorum ipsorum fuisset id cum ipso Petro tractare, ut Principe Balium Regni gerente ipse Petrus tamquam eidem

(56) Calabriæ sub Balyatu Principis gubernaret.
(57) Terras Patrimonii & Sancti Philippi de Argere.
(58) Terras Patrimonii.

(59) insurrexerunt, & nisi quia ipse sapienter & cautè inconsultum prædicti Populi motum declinavit, injuriam in persona passus fuisset.

Digitized by Google

eidem Principi subjectus provincias Siciliæ & Calabriæ vice Principis regeret, & sibi tamquam generali Balio Regni in omnibus obediret, non tamen aliud tractare cum ipso prædicti Nuntii potuerunt, nisi confœderationem quamdam inter ipsum & Principem pactionibus (60) confirmatam, licèt indignum esset sic inter Principem, & ipsum Petrum fuisse tractatum, tamen propter magnam necessitatem, in qua Princeps tunc erat, dicti sui Nuntii tractari eam expedire viderunt, & eam Principi retulerunt.

Hujusmodi autem confœderatione sic facta, Princeps cùm in Apuliæ partibus, ut supra memoratum est, prosperaretur, dictus Petrus assensu Principis generalis Balii Regni nec requisito nec habito, monetam novam cudi fecit in Messana sub nomine Regis Conradi Secundi, ad quam monetam novam faciendam processit de consilio quorumdam, qui sibi adulabantur, magìsque proprium lucrum, quàm utilitatem Regiam de ipsa moneta captabant, & contra aliquorum judicium saniùs sentientium, qui totum (61) periculum, quod de ipsa moneta Panormitani primò, & deinde ex suggestione Philippi Pactensis Episcopi, Pactenses rebellare cœperunt. Quod audiens dictus Petrus cum exfortio Messanensium, in quibus plurimum confidebat, ad Civitatem Pactarum processit, & tam Episcopum, quàm Civitatis ipsius Cives à rebellione tunc revocavit. Reversus autem Messanam misit Nuntios suos Panormum, qui quidem ibi recepti non fuerunt, & ipse cum Messanensibus versùs Calatagironem, cujus jam Cives se cum Panormitanis ad rebellandū confœderare parabant, ire disposuit. Erat autem in medio palatio Civitatis Messanæ columna marmorea perforata ad aquam ex sui summitate artificiosè fundendam, cui columnæ cùm dictus Petrus suum vexillum superimponi fecisset, ut ad signum vexilli ii, qui cum eo ituri erant, in palatio convenirent, statim quòd vexillum fuit ipsi columnæ superimpositum, columna ipsa fracta est, & vexillum in terram columna ipsa dejectum, repositumque est dictum velum in reliqua parte columnæ, quæ post fracturam erecta remansit: Præmissis quibusdam equitibus in Panormum, ipse post duos dies cum Messanensibus, in quibus totam suam spem posuerat, de Messana processit; cùmque pervenisset (62) Leuconium, & sequenti die pararet se (63) ire Lentinum, & ivisset usque ad flumen, invênit pontem à Leuconensibus fractum, intellexitque quòd (64) Leuconium, & Argirò manifestè rebellaverant. Reversus ergo in Civitatem Cathaniæ, moratusque ibi per aliquot dies, recepit tam à Messanensibus, quàm ab aliis Siciliæ partibus in fidelitate manentibus equitum peditumque præsidium, cùm jam Calatagironum, Heraclea, Biczanum, Aydona, Placia, Mistretta, Policium, & Cephaludum apertè rebellassent, cùm perplexus esset, & nesciret cui parti priùs occurrere deberet, recepit à Castellano Castri-Joannis Nuntium nomine Guaimarium, qui significavit ei, quòd Civitas Castri-Joannis parata erat ad rebellandum, si tamen ipse properanter iret illuc, posset Civitas ipsa de levi à rebellione cohiberi. Processit itaque prædictus Petrus cum multitudine armatorum equitum & peditum versùs Castrum-Joannis; cùmque fuisset apud Sanctum Philippum de Argirò, intellexit ibi, quòd oppidum Cisari, quod est inter Sanctum Philippum, & Castrum-Joannis, & ipsa etiam Civitas Castri-Joannis publicè rebellaverant. Perrexit ergo ad oppidum ipsum; cùmque locus difficilis esset, nec posset de levi per insultum haberi, tractatu pacifico ad oppidum ipsum receptus est, moratusque ibi per unam noctem tantùm, sequenti mane fuit ante Castrum-Joannis.

Est autem Civitas ipsa Castri-Joannis in medio Siciliæ posita cunctis aliis Siciliæ locis situ eminentior, solo Monte Gibello superexcelsa, qui sibi ex parte orientali oppositus est. Lapidibus etiam circumquaque decisa, & rupibus angustissimis, & declivibus viis ex tribus tantùm partibus accessibilis, aquæ abundantiam in ipsa etiam summitate montis habens. Cùm ergo prædictus Petrus cum exercitu ante ipsam Civitatem ad duo ferè milliaria pervenisset, invênit magnam multitudinem hominum Civitatis ipsius hostiliter egressam ad defendendum Civitatis ingressum, quæ ad duo ferè milliaria longè à Civitate poterat ex loci montuositate, & passuum angustia, & declivositate defendi, qui cùm essent homines rustici & bellicæ exercitationis ignari, & viso prædicto exercitu territi, in fugam ad montis altiora se receperunt. Exercitus autem ex illorum pusillanimitate, fugaque animatus, versùs Civitatem procedebat; quantoque ipse magìs exercitus Civitati vicinabatur, tanto illi magìs fugiendo superiùs se retrahebant. Cepit itaque exercitus viam ex parte Castri Civitatis, in quo Castro prædictus Castellanus cum Castri servientibus, & qui fideles ipsius Terræ Cives, qui se ibi in Civitatis turbatione receperant, morabantur; qui stantes in castri mœnibus venienti exercitui animositatem augebant; via equidem illa, qua tendebat exercitus, poterat tantùm à Castro defendi, & nullo modo poterat à Civibus impediri, licèt Cives ante adventum exercitus quasdam ibi macerias lapidum per diversa ipsius viæ loca fecissent. Quibus maceriis (65) delatis ab ipso exercitu remotis, perventum esset ad Castri auxilium & confortationem ad planitiem, quæ est inter Castrum, & Civitatem; viso autem exercitu ante Castrum, remotisque quibusdam lignorum oppositionibus plantatis ad impediendum ex parte castri Civitatis ingressum, omnes ipsius Terræ homines in fugam conversi sunt, & sic Civitas capta est & deprædationi exercitus derelicta.

Capta autem hoc modo Civitate Castri-Joannis magnus terror vicinis Civitatibus, quæ rebellaverant, incussus est, eo quòd Civitas illa invictissima erat, & præ ceteris Siciliæ Civitatibus tam situ, quàm populo minùs expugnabilis; credebaturque apud omnes, quòd sicut Civitas illa ita de levi expugnata fuit, ita & aliæ Civitates, quæ minùs illa difficiles erant, faciliùs essent expugnandæ atque vincendæ. Licèt autem tunc in ipsius Civitatis captione dicto Petro de Calabria fortunæ quo-

(60) confirmatam, ac si Princeps non superior, sed par ejus esset: quam confœderationem licèt indignum.

(61) periculum, *fortassis adde* prævidebant.

(62) *Cod. Messan.* Lenconillum. *ita quoque Cod. de Miro*.

(63) se ire Bentinum.

(64) *Cod. Messen.* Argirani. *Cod. de Miro* Leuconium, Angria, & Angera manifestè.

(65) de levi ab ipso.

quodammodo vultus arriserit, & in magnam exultationem de tam insperata victoria cor ejus exaltabatur, tamen eodem ipso die, ipsoque ferè momento ab illa summitate prosperitatis, in qua sic eum fortuna posuisse videbatur, degradari pedetentim quodammodo cœpit, (66) & dum ad processus ejus attingunt, quo altiùs ascendere non poterant in descensu jam de necessitate revolverentur. Ipsa etenim die, qua prædicta Civitas Castri-Joannis contra credulitatem omnium capta est, Civitas Nicosiæ, quæ ab ea viginti ferè milliaribus distat, captionis adhuc illius ignara rebellavit, ita quòd fama, quæ per Siciliæ diversas partes de Castri-Joannis captione processerat, & iis, qui jam rebellaverant, timorem incusserat, famam illico de Nicosiæ rebellione superveniente opprimebat, & securitatem iis, qui rebellaverant, excusso terrore subministrabat. Ex rebellione ergo Nicosiæ cœperunt plura alia loca circumadjacentia rebellare. Messanenses quoque, qui cum prædicto Petro fuerant in Castri-Joannis captione, indignè ferebant, & jam id, quod in corde gerebant contra prædictum Petrum, de illa Civitate dolendo quodammodo propalabant post captionem ipsius Civitatis.

Tertio die processit dictus Petrus cum exercitu ad oppidum Hundronis ab Aydona & Placia per sex ferè millia distans; & cùm Placienses quemdam Nuntium ipsius Petri ad eos pridie missum, pro eis, si fieri posset, à rebellione revocandis, nomine Fratrem Fortem de Ordine domus Altipassus, interfecissent, & nimis tenaciter in rebellione perdurassent, idem Petrus ad suggestionem quorumdam Aydonensium sibi adhærentium, & asserentium, quòd ipsorum studio, qui introitus & exitus Civitatis Aydonæ sciebant, Civitas Aydonæ poterat leviter capi, præmissis cum eis de nocte quibusdam balistariis, ad indicium luminis sibi factum ab eis processit de nocte ipsa cum exercitu versùs Aydonam; & cùm præmissi balistarii & alii de supervenienti exercitu pervenissent ad locum, in quo erat quædam specula ab Aydonensibus erecta pro custodia Civitatis, & speculam ipsam, partim occisis, partim fugatis inde custodibus, cepissent: potuissent quidem ipsa nocte ingredi Civitatem, & obtinuisse eam, nisi quia ex pusillanimitate quadam diem fieri exspectabant: donec verò ipse exercitus ita staret, & diem exspectaret, venerunt ad Civitatem ipsam plures armati de Placia, quæ Civitati Aydonæ ad quatuor ferè milliaria vicinatur; venerunt etiam alii de Calatagirone, qui præcedenti die fuerant ab Aydonensibus in auxilium evocati, ita quòd in illo diluculo dum prædictus exercitibus facto insultu Civitatem ingredi vellet, apparuit magna multitudo armatorum Civitatem defendentium, & longè major, quàm credi potuisset.

Cùm autem Fulco nepos prædicti Petri, juvenis quidem animosus, nimis prope Civitatem accessisset, paucis ipsum sequutis, cùm exercitus paulò inferiùs remansisset, cœperunt illi de exercitu, visa multitudine armatorum Civitatis unus post unum paulatim retrocedere; quod cùm vidissent illi de Civitate, animum sumserunt, cœperuntque procedere versùs exercitum; & nisi prædictus Fulco, qui aliis retrocedentibus cum paucis comitibus suis in superioribus montibus remanserat, exeuntibus à Civitate prudenter restitisset, & gressu modesto, non dissoluto, descendens, venientes quadam solerti defensione cohibuisset: Aydonenses illo die magnam stragem de exercitu prædicto fecissent; locus enim erat valde declivis, minùsque condecenter equites quàm pedites poterant inde descendere. Illi quidem de Civitate desuper incumbebant, magìsque lapidibus, quàm armis aliis hostes infra se positos oppugnabant; pluresque tunc de exercitu præcipitio magìs quàm ex percussione aliqua perierunt, qui cùm non essent decenter armati ad recipiendos ictus lapidum desuper missorum, se super declivia montis dissolutè proripientes in fugam, dum imminens eis periculum fugere satagebant, cursu suo inordinato & stolido se altiùs præcipitantes, in mortis se periculum injecerunt. Aliqui etiam equites fræna laxantes, ut unum quidem vitarent periculum, aliud incautè subibant; nam repuentibus equis, & parum se in illis declivibus præ fugiendi celeritate regentibus, in terram turpiter equis ruentibus corruebant, & in ipsa ruina se cum equis per terram alternatim volutantes, fugæ suæ aliquid in illa etiam necessitate addebant; dum ruina illa eos inferiùs ex clivosi loci natura traheret, & sic in illo præcipitationis incommodo, commodum aliquod sibi inesse sentirent. Nam quidam erant ibi Nobiles Messanenses, fugientium aliorum postremi, his, qui post eos fortè clamabant, ne sic dissolutè procederent, respondentes, indignum fore, si lapis ex alicujus rustici manu missus alicujus Nobilis Messanensis tergum percussisset. Sic ergo descensum est, aliis quòcumque poterant se proripentibus, aliis verò modesto & ordinato passu modò inferiora petentibus, modò se versùs hostes repugnando volventibus, (67) quousque in planitie ad pedem montis totus colligeretur exercitus. Aydonensibus autem ab insequutione se retrahentibus, & ad Civitatem reversis, dictus Petrus cum exercitu ipso ad Sanctum Philippum de Argirò reversus est. Ad magnam quoque instantiam Messanensium regressus est Messanam. Antequam autem ad Civitatem pervenisset, & esset in quodam Monasterio, quod dicitur Sancta Maria de Rocca Amatoris, quod à Messana minùs quatuor millibus distat, occurrerunt ei ibi omnes ferè Messanenses, consuetam honorificentiam sibi exhibentes.

Præsentiens autem ibidem Petrus, quòd in crastinum in hora tertia, quando ipse ingressurum Civitatem esse se dixerat, aliqui Messanenses, qui occultam conspirationem contra se fecisse videbantur, subitò in eum insultum facturi essent, retinuit ibi ad comitivam suam Leonardum de Aldigerio, & quosdam alios de majoribus Messanæ Civibus, qui eum similiter in Sicilia associaverant. Subitò autem de media nocte surgens simul cum aliis, & aliis de familia sua processit ad Civitatem & Palatium Regium Civitatis ingressus est. Mane autem facto ortus est clamor in Civitate, quò præfatus Leonardus, & alii Cives Messanenses in palatio detinetur: ille quidem Leonar-

(66) ut dum ad id processus ejus attigerat, quòd altius ascendere non poterat, in descensum jam de necessitate revolveretur.

(67) quousque se in planitie ad pedem montis collegit exercitus omnis.

nardus valde à populo diligebatur, propter quod ad clamorem ipsum totus populus concitatus est, & contra prædictum Petrum commotus. Quæ res cùm ad ejusdem Petri notitiam pervenisset, permisit prædictum Leonardum cum aliis de palatio exire. Statim illi, qui factionis hujusmodi caput erant, cum aliquibus de populo Civitatis, qui eos sequebantur, dictum Leonardum circumdederunt, & eum ducentes ad Archiepiscopalem Ecclesiam, universo populo ad campanæ sonitum convocato, ipsum in Capitaneum Civitatis assumserunt, factumque est statim in Ecclesia ipsa colloquium, in quo multa fuerunt contra prædictum Petrum posita ad concitandum populum contra eum, & ad auferendum ab eorum cordibus multorum bonorum memoriam, quæ eis fuerant ab ipso Petro collata. Cùm autem dictus Petrus hoc audiens, Carnelevarium de Papia, qui secum in Palatio erat, pluresque alios consanguineos & affines suos misisset ad populum ad sedandam commotionem ipsius, quæ sic sinè causa orta esse videbatur; prædictus Carnelevarius & alii à populo retenti sunt, nec ad dictum Petrum redire permissi. Provocatus est itaque adeò totus populus contra eum, ut nisi incontinenti ipse Petrus Castrum Civitatis Messanæ, Castra quoque Milatii, Montis-fortis, Ramettæ, Scalettæ, Taurimenii, Calatabiani, Francavillæ, & Castilionis in Sicilia, castra quoque Regii (68). & Calanæ in Calabria prope Messanam posita redderet, ipsi statim in Palatium irruerent, & ipsum ac suos omnes, qui secum ibi erant, neci traderent. Sic itaque post multas altercationes missis hinc inde tractatoribus tractatum est, & juramento hinc inde firmatum, quòd dictus Petrus prædicta Castra eis assignari faceret ad honorem & fidelitatem Regis custodienda per eos, & ipsi eum ac suos cum familia & bonis suis salvos in Calabriam transsire permitterent.

Resignato ergo eis Castro Messanæ, factisque ab ipso Petro mandatis ad Castellanos aliorum de assignatione ipsorum eis facienda, dimissis etiam ad abundantiorem cautelam quibusdam consanguineis & affinibus, usque ad castrorum assignationem retinendis, ipse Petrus cum suis & cum parte bonorum suorum, quam secum portare potuit, in Calabriam transivit, dimissis quibusdam servitoribus suis cum parte rerum, quæ in Palatio remanserant, ut post eum res ipsas in Calabriam transferrent. Ipso autem Petro transeunte Pharum, statim post exitum suum à Palatio Messanenses in Palatium irruerunt, & omnes res ipsius Petri, quas dimiserat ibi post se portandas, diripuerunt. Quod cùm dictus Petrus in Calabria existens intellexisset, attendens quòd cùm Messanenses fidem sibi promissam de rerum suarum salvatione non servassent, ipse etiam fidem eis promissam licitè frangere posset, cogitavit se in Castrum Calani recipere, quod quidem Castrum eis resignare promiserat, ut supra dictum est, nondum tamen Nuntio Messanensium ad ipsum recipiendum transmisso assignaverat. Misso ergo statim post transitum suum Jordano Ruffo nepote suo ad partes Vallisgratæ cum quibusdam armatis, ut ibi vicem ejusdem Petri gereret (69), ipse in Castrum Calaiti ire festinavit, antequam prædicto Nuntio Messanensium, qui jam pro dicto Castro recipiendo processerat, assignaretur. Cùmque pervenisset ad Castrum illud, inveniens Nuntium Messanensium circa ambitum Castri nondum sibi Castri assignatione facta, cepit ipsum de persona, & in Castro ipso posuit detinendum, quamdiu Messanenses obsides, quos ipse Petrus dimiserat in Messana, sibi redderent; fecit quoque capi quemdam filium Leonardi de Aldigerio tunc in Calabria casu inventum.

Circa id quoque temporis, quo dictus Petrus de Messana in Calabria transivit, combustum fuit Palatium Regium (m) Catohæ, quod ab eodem Petro procuratum fuisse creditum est, ne Messanenses contra eum in Calabriam transeuntes se in eo receptare possent. Fecit quoque ipse Petrus muniri (70) præsidium Castri Calanæ, Monasterium Xillæ, & Monasterium Badulariæ posita in Calabria supra Pharum: quemdam etiam locum, qui dicitur Sanctus Nicolaus de Latronibus prope Civitatem Regii ad Civitatem ipsam impugnandam pro eo, quòd in partem Messanensium contra ipsum Petrum declinaverat: ipse autem Terram Messanensem à Pharo per tria ferè millia distantem, & prædicto castro Calanæ proximam muniri fossatis fecerat, faciens fieri circumcirca eam per mœnia speculas ligneas, & se in ea Terra, quæ situ quidem difficillima incolis quasi vacua videbatur, fortificare satagebat contra Messanenses, qui ad occupandam magnam Calabriæ partem ad opus suum transituri dicebantur.

Venerat autem diebus illis quidam familiaris, & Nuntius Principis nomine Riccardus de Frosina ad dictum Petrum, quando videlicet ipse Petrus de Sicilia rediens Messanam vênit, qui, ipso Petro à Messanensibus expulso, in Calabriam transiens usque ad Neocastrum processerat, & procuraverat cum suis post transitum Petri in Calabria, quòd Castellanus Castri Neocastri, nomine Fulconerus, Theutonicus, qui Principi suspectus videbatur, de Castro ipso ejectus sit; quo ejecto Rogerius de Frosina ejusdem Riccardi pater Castrum ipsum ad honorem Regis & Principis custodiendum accepit. Cùm autem dictus Jordanus Ruffus à prædicto Petro, ut dictum est, missus pervenisset Neocastrum cum multitudine armatorum (71), qui ipsum Petrum partim sinè stipendiis de diversis Calabriæ partibus sequebantur, dictum Rogerium compulit Castrum prædictum sibi resignare, in quo ipse Jordanus quemdam consanguineum suum posuit Castellanum, & prædictum Riccardum familiarem, & Nuntium Principis, ipsum quoque Rogerium patrem suum, & Guillelmum Decanum Neocastrensem ipsius Castellani germanum, de personis cepit, & prædictum Riccardum in Castro Tropeæ, Rogerium verò patrem ejus in Castro Mesiani, Decanum autem in Castro Montis-Leonis custodiendos injunxit. Idem Jordanus monitus, quia præfatus Riccardus quemdam Nuntium suum usque Cusentiam,

(68) & Calani in Calabria prope Messanam posita, Messanensibus redderet.

(69) ipse in Castrum Calanum.

(m) *Cod. Messan.* Catone, quod ab Episcopo procuratum.

(70) prædictum Castrum Calaunæ, Montisilla, & Monasterium Balutariæ, posita in Calabria supra Pharum contra Messanam; quemdam.

(71) qui ipsum partim cum exstipendiis, partim sinè exstipendiis de.

tiam, & partes alias (72) Vallisgratæ præmisisse dicebatur, qui Petrum Ruffum à Messanensibus interfectum asserebat, ex quo facto Cusentini nomen Principis, quod usque tunc (73) in Calabria terebatur, priùs invocare & exaltare cœperunt. Castellanum quoque castri (74) Cusentiæ ejecerunt, in quo quidem facto Cusentini constanter perseverassent, nisi quia ex insperato casus ille supervenerat, & se repentè firmare, ut deceret, non potuerant, ut quod ex fide cœperant, ex debita constantia servare possent: prædictus enim Jordanus, habito castro Neocastri, & prædicto Rogerio & filiis captivatis, ut supra dictum est, cum multitudine prædictorum armatorum processit Cusentiam, nomine quidem Regis procedens, nomen verò Principis nec supprimens, nec exprimens, quin potiùs etiam Nuntium suum misit ad Principem cum literis excusatoriis de captione prædicti Riccardi & suorum, asserens se ipsos cepisse ex causa seditionis, quam in Sicilia, & Calabria contra fidelitatem Regiam & statum pacificum regionis movissent.

Erat ergo prædictus Jordanus in Cusentia cum magna societate equitum peditumque armatorum, totamque Provinciam Vallisgratæ, & Terræ Jordanæ ita sua potestate cohibebat, quòd illi, qui ad exaltandum nomen Principis affectabant, terrore ipsius Jordani, & militiæ, quæ secum erat, subjacebant, & eum quòcumque volebat sequebantur.

Audiens autem Princeps, dum esset in (75) obsidione Oriæ, per quosdam Cusentinos, qui ad eum illuc ex timore prædicti Jordani confugerant, qualiter prædictus Jordanus, & Petrus de Calabria à Messanensibus fuerant ejecti, statim Nuntium suum, videlicet Gervasium de Martina, ad ipsum in Calabriam misit; qui cùm pervenisset Cusentiam, ubi prædictus Jordanus morabatur, & vellet ire usque ad dictum Petrum, qui (76) Messanæ, ut dictum est, morabatur, habiturus cum eo tractatum ex parte Principis super iis, quæ illius temporis necessitas exigebat, idem Jordanus ipsum Gervasium ultra Cusentiam procedere non permisit; propter quod ipse Gervasius reversus est ad quoddam oppidum, quod dicitur Amindolaria, cujus oppidi Dominus Rogerius nomine tunc temporis Justitiariatum Vallisgratæ ex commissione dicti Petri exercebat; cum quo Rogerio cœpit idem Gervasius collationem habere de iis, quæ in Calabria fiebant, & qualiter etiam idem Gervasius ad prædictum Petrum de Calabria non fuerat transire permissus. Compertum est autem à prædicto Gervasio, quòd hoc ideo factum est, quia tractari dicebatur, quòd Calabria in manibus Ecclesiæ daretur. Jam enim Nuntii ad Romanam Curiam super hoc missi esse dicebantur; cui periculo dictus Gervasius volens occurrere, Principi significavit, eique suggessit, ut gentem armatam in Calabriam mitteret ad Terram ipsam suæ ditioni pro parte Regis Conradi Secundi nepotis sui subjiciendam, antequam de ea posset prædictum incommodum evenire.

Ad instantiam ergo præfati Gervasii, & quorumdam etiam Cusentinorum, qui honorem Principis zelabantur, & propter hoc specialiter ad Principem accesserant, misit Princeps quamdam competentem comitivam equitum, & peditum armatorum, constituitque Capitaneum Calabriæ Conradum Truich, ut unà cum prædicto Gervasio Terram ipsam conquireret & gubernaret. Erat autem prædictus Conradus Truich in Vallegrata, quando per Principem constitutus est, recepitque prædictos equites & pedites in ingressu Vallisgratæ, qui congregatis cum eis armatis aliis de familia sua, & Berardi Truich fratris sui, necnon & plurium aliorum Baronum, cum prædicto Gervasio de Martina processit usque ad Antonium de Stridola. Prædictus autem Jordanus Ruffus erat apud Casſanum cum tota comitiva sua, præter Cusentinos, qui pridie audito gentis Principalis ingresu in Vallemgratam, ab ipso Jordano recesserant & Cusentiam reversi erant.

Interea Petrus de Calabria, qui, sicut dictum est, in Castro Calanæ morabatur, tum quia Messanenses jam transiverant ad Civitatem Regii, & exinde contra eum ire disponebant, tum quia intellexit, quòd gens Principis ingressa erat in Vallemgratam, dimissis in partibus illis Calabriæ (77) Carnelevario de Papia, Fulcone nepote suo, & (78) Boamundo de Oppido, ut ipsi tamquam Capitanei ipsarum partium facerent & tractarent cum Messanensibus de Castro Calanæ, & obsidibus in Messana detentis, quod viderent esse utiliùs tractandum: recessit de ipso Castro Calanæ; & ivit Catanzarium ad celebrandum ibi Pascha Dominicæ Resurrectionis. Celebrato autem ibi Paschate, processit Cusentiam cum paucis armatis, exspectans alios de Calabria postea venturos. Ipsa autem eadem die, qua ipse Petrus pervênit Cusentiam, Jordanus Ruffus nepos ejus, qui pridie de Terra Casſani ad Terram Sancti Marci cum comitiva sua profectus erat, à gente Principis apud Sanctum Marcum captus est, & in carcerem missus; quod cùm supradicto die summo mane diluculo ad prædicti Petri notitiam pervenisset, antequam plenè factum hoc divulgaretur, de Cusentia recessit; & cùm iret ad Castrum Agelli, ibique se receptare intenderet, non ibi receptus est, sed deinde Catanzarium repetiit; & licèt ibi se firmare proponeret, tamen quia pro parte una processerat usque Cusentiam, ex alia verò parte usque Cotronum, timens dictus Petrus, ne ab utraque parte à Principali gente in Catanzario concluderetur, recessit inde cum uxore & rebus suis, ut iret ad quoddam Castrum, quod fuerat nepotis sui Jordani, quod dicitur Castellum Maynardi. Et cùm ibi recipi non potuerit, ivit ad Castrum Mesiani, quod quidam consanguineus uxoris suæ custodiebat; cùmque fiducialiter appropinquasset ad Castrum, Custodes ipsius Castri, faciente & procurante prænominato Rogerio de Frosina, qui, ut supra dictum est, in Castro ipso Mesiani captivus custodiebatur, accessum ejusdem Petri ad Castrum sagittis in eum jaculatis compescuerunt. Quod videns dictus Petrus, cùm in Castro Mesiani se receptare non posset, ivit Tropeam, ex qua quidem Civitate oriundus erat, & in qua prædictus Jordanus nepos

(72) alias Vallisgratiæ. *Ita & alibi.*
(73) in Calabria tuebatur.
(74) Cusentiæ de Castro ipso.
(75) in obsidione Oyræ.

(76) *locus, ut videtur, corruptus & restituendus* Calanæ.
(77) Calabriæ loco sui.
(78) & Bramundo de.

Digitized by Google

nepos suus domicilium habuerat; ibique paululum morans fecit armari unam Sagittam, ut in ea per mare recederet; cùmque descendisset ad mare cum uxore sua, & uxore, ac filiis prædicti Jordani nepotis sui, Castellanus Castri Tropeæ hæc videns, Riccardum de Frosina, qui, ut supra dictum est, à memorato Jordano Ruffo captus fuerat, & in Castro Tropeæ captivus (79) custodiebatur, liberavit ob reverentiam & timorem Principis, cujus familiaris ipse Riccardus erat. Ipse autem Riccardus tali modo liberatus statim ipsius Terræ Capitaneus pro parte Principis à populo constitutus est. Qui mox, ut vidit prædictum Petrum esse in litore maris cum Sagitta paratum ad recedendum, fecit dari bannum ex parte Regis & Principis, ut nullus de Civitate Tropeæ cum prædicto Petro in Sagitta ipsa ire præsumeret, alioquin proditor Regis & Principis haberetur, & pœnam proditionis pateretur; quod bannum cùm audissent Marinarii Sagittæ, unus post unum Sagittam dimiserunt, sicque prædictus Petrus in litore manebat, & nec per mare fugere poterat, nec ad Terram Tropeæ redire permittebatur; fecerat enim prædictus Riccardus claudi portas Civitatis, & optimè custodiri, ne dictus Petrus Civitatem ingredi posset. Cùm autem sic staret Petrus in litore, & omne sibi auxilium & consilium deesse videretur, subitò quædam barcæ de partibus Principatus maritimam illam casu transibant, ipsisque barcis ad locatorum velle conductis, ipse cum familia sua, & prædicti nepotis sui, quam tunc habuit, de nocte recessit, & Neapolim ad Papalem Curiam, quæ ibi tunc erat, profectus est.

Prænominati autem Gervasius de Martina, & Conradus Truich Capitanei processerant de Cusentia, euntes versùs Martoranum; antequam autem pervenissent Martoranum, intellexerunt, quòd Martoranenses licèt pridie Nuntios suos misissent ad eos, ac mandatum Principis se, & Cives alios facere spopondissent, tunc tamen se tenêre, & eos non recipere intendebant. Nihilominus autem exercitus Principis ad Civitatem appropinquavit: cùmque Cives ipsius Terræ gentis Principalis accessum lapidibus jactis compescerent, cùm locus ille difficilis esset & valde declivis, ita quòd per levem defensam poterat contra gentem illam defendi, retrocessit exercitus, & declinavit ad quoddam casale, (80) quod dicitur Pictarella; ubi dum ipse exercitus pernoctaret, procurante Roberto de Archis, qui cum exercitu ipso erat, & prædictæ Civitatis Civis habebatur, nocte ipsa venerunt Nuntii ipsius Civitatis ad prædictos Gervasium & Conradum, Civitatem ipsam ad mandatum Principis exponentes; missique sunt ad Civitatem ipsam Nuntii ex parte Capitaneorum, qui juramenta hominum pro parte Regis & Principis receperunt. Inde autem profecti sunt Neocastrum, cùmque in Castro ipsius Terræ Neocastri esset Castellanus quidam dicti Petri de Calabria nepos, nomine Johannes de Mele, ille Johannes statim visis vexillis Principis claves Castri Capitaneis misit, & Castro eis assignato recessit. Processit ergo exercitus Principis sine aliqua resistentia usque ad oppidum,

A quod Seminaria vocatur. Circa ejus oppidi partes Carnelevarius de Papia, (81) Boamundus de Oppido, & Fulco Ruffus nepos prædicti Petri de Calabria, Castra quædam revolvunt. Prædicti autem Carnelevarius, & Boamundus, veniente exercitu Principis, requisiti à prædictis Gervasio & Conrado, ad mandatum Principis venerunt & juraverunt; dictus autem Fulco se in Castro suo Sanctæ Christinæ recollegit, ad mandatum prædictorum venire dubitans. Habebat quidem ipse Fulco præter ipsum castrum Sanctæ Christinæ castrum aliud valde difficile (82), quod Bubalinum vocatur, quæ duo castra ad duodecim ferè milliaria mediantibus excelsis montibus inter se di-
B stant, habentque difficilem ab aliis ad alterum transitum, qui nullo modo auferri aut impediri potest. Receptus ergo prædictus Fulco in illis duobus castris, ad mandatum Principis venire nolebat; licèt enim sibi per prædictos Gervasium & Conradum securitas data fuisset, ipse tamen Fulco, asserens Jordanum Ruffum fratrem suum post securitatem sibi promissam ab eis iniquè fuisse captum, eis se credere dubitabat, ne simul sibi contingere posset quod contigerat fratri suo.

Stabat ergo exercitus Principis in Planitie Sancti Martini cum pro reprimenda rebellione prædicti Fulconis, tum etiam quia difficillimi transitus erant inde in antea, ut sinè magno
C discrimine transiri non posset. Miserant autem prædicti Gervasius & Conradus Nuntios suos ad Civitatem Giracii, quæ adhuc se tenebat; & sic tractatum est quòd Civitas ipsa, quæ si resistere voluisset, non sinè magna difficultate debellari poterat, sponte ad mandatum Principis reversa est (83). Præterea Civitatem Rhegii, ad quam propter difficillimos transitus exercitus ire non poterat, & præter prædicta duo castra Sanctæ Christinæ & Bubalini, quæ prædictus Fulco tenebat, castrum quoque Stili tenebat quidam Berardus Theutonicus, qui nec apertè rebellis videbatur, non tamen castrum ipsum dimittere volebat, dicens concessam sibi fuisse castri
D ipsius custodiam à Rege Conrado in vita sua secundùm consuetudinem Alamanniæ: propter quod dicebat, se castrum ipsum non debere nec velle dimittere, sed ipsum ad honorem & fidelitatem Regis & Principis custodire; plures tamen suspectos, qui à facie Principalis exercitus fugerant, in castro ipso receperat, propter quod videri poterat (84) rebellionis potiùs quàm fidelitatis. Ita autem castrum ipsum loci natura munitum & difficile est, quòd neque per insultum, neque per famem capi aliquatenus posset: est enim saxis & rupibus circumquaque vallatum, continens circa se magnum terræ nemorosæ & laboratoriæ
E spatium, quæ ad vitam sexaginta personarum cultura indeficiente sufficeret, quæ etiam terra caules silvestres usui hominum aptos sinè aliquo seminario producit, multaque animalia pascuis indeficientibus vivunt.

Interea Messanenses audito, quòd exercitus Principis totam jam ferè Calabriam acquisiverat, & videntes se quodammodo pèr id voto suo frustrari, quod erat, magnam Calabriæ partem in suo velle districtu habere, congregaverunt magnum exercitum equitum & peditum

(79) custodiebatur, e carcere liberavit.
(80) quod dicitur Pactarella.
(81) Bramundus.

(82) quod Bubelitium.
(83) Præter Civitatem.
(84) rebellio potiùs quàm fidelitas

A ditum armatorum, miseruntque ipsum contra exercitum Principis in Calabriam. Exercitu quoque Principis existente apud Sanctum Martinum, ut supra dictum est, exercitus Messanensium ex insperato vênit ad oppidum Seminariæ, quod à Sancto Martino sex ferè millibus distat, ceperuntque Messanenses ipsum oppidum, & in ipsius loci hominum præda sævitiosè multùm exercentes, statim inde cum præda recesserunt: ita quidem eos excœcavit aviditas, quòd gloria illius qualiscunque visa est vilipensa, cordis balistarum sarcinulas pannorum, & aliarum rerum, quas diripuerant, ligabant. Cùm ergo pervenisset ad notitiam Principalis exercitus, quòd Messanenses Seminariam venerant, ordinatum est, quòd Gervasio de Martina remanente cum aliquibus in Sancto Martino ad ipsius loci cautelam, propter castrum Sanctæ Christinæ, quod Fulco Ruffus ibi prope tenebat, & in quo aliqui Messanensium diebus illis dicebantur receptati esse, Conradus Truich Capitaneus cum exercitu Principis versùs Seminariam iret. Sed quia auditum est, quòd Messanenses jam de oppido ipso cum præda recesserant, propter hoc divisus est Principalis (85) exercitus, parte sub Capitaneo in Seminariam procedente, alia pars sub Roberto de Archis per alterius viæ compendium (86) contra Messanenses exiret, ut Messanenses ante & retro ab utraque intercepti manus eorum evadere non possent.

B Procedente ergo hoc modo utraque parte exercitus, ventum est ad planitiem, quæ est inter Seminariam & nemus Solani, qui locus Corona vocatur. Cùm autem Messanenses vidissent Principalem exercitum, primo pede se collegerunt in unum; & quia timor eis apparitione Principalis exercitus repentinus irruerat, cœperunt quidem non deliberare quid agerent, sed quoddammodo fluctuare. Capitaneus autem Principalis exercitus, & pauci alii de ipso exercitu, qui cum ipso Capitaneo ad planitiem illam acceleraverant, videntes multitudinem Messanensium ita collectam, nolebant quidem à principio ipsos aggredi, tum quia equi fatigati erant ex properantia veniendi ad locum illum, ad quem (87) aridus & montuosus erat accessus, tum quia major pars exercitus retro erat, nec adhuc ad planitiem venerat, & ideo exspectabant. Dum autem sic Capitaneus staret cum illis paucis ad aspectum Messanensium, vidit moveri vexilla eorum alterum contra alterum cum quadam tumultuositate, ex quo inordinato & tumultuoso motu comprehensum est, quòd Messanenses pavorem jam ex apparitione Principalis exercitus concepissent, & turbarent inter se (88), nec scirent quid facerent. Dum ergo considerante hoc Capitaneo, ecce apparuit Robertus de Archis cum illa parte exercitus, quam ducebat. Cùmque Messanenses ita inter se scrutantes tumultuarent, subitò contra eos prædictus Capitaneus cum Roberto de Archis & illis paucis, qui tunc ibi inventi sunt de exercitu Principis, cum magna animositate se proripuit, cui quidem aliqui de Messanensi exercitu equites resistere tentaverunt, sed statim uno eorum, qui caput Messanensis exercitus dicebatur, per ictum (89) Conradi Truich Capitanei exercitus Principalis, mox quoque alio per ictum Roberti de Archis ab equis eorum in terram dejectis, statim totus ille Messanensium exercitus dissolutus est, & turpiter se convertit in fugam. Tunc plures Messanenses instante Principali exercitu interfecti sunt, alii gladio, alii verò ruina (90), dum semper in via sicut meliùs poterant fugientes præcipuè montium eis occurrentium, vel ex timore periculum, quod fugiebant, videre non poterant, vel quasi unum de duobus periculis, quæ vitare non poterant, eligebant.

C Aliqui profectò de oppido Seminariæ, qui deprædationem, ut dictum est, à Messanensibus passi fuerant, sequuti sunt Principalem exercitum per Seminariam transeuntem, sub spe recuperandi bona eorum, quæ à Messanensibus asportabantur. Horum quidem aliquis sive masculus, sive fœmina, ex illo exercitu Messanensium equitem sive peditem armatum capiebat, & si volebat interficiebat; pluresque illo die de Messanensibus ab illis de Seminaria propter odium deprædationis prædictæ, quàm ab illis de exercitu Principis interfecti & vulnerati fuisse dicuntur, ita quòd pauci ex eis salvi evadere potuerunt. Capti autem fuerunt ex eis quinquaginta septem numero, qui alicujus valoris homines esse extimati sunt, & in carcerem missi: alios autem, qui interfecti, aut capti non sunt, vel fugæ desperatio, vel vilitas personæ servavit & salvavit.

Ex illa igitur expugnatione Messanensium Civitas Rhegii ad mandatum vênit. Captum est etiam Castrum Calanæ, quod Messanenses usque tunc tenebant ab eo tempore, quo, ut supra dictum est, prædictus Petrus de Calabria ab ipso recesserat.

D Cùm autem sic in Calabria gereretur, Princeps erat adhuc in obsidione Oriæ: cùmque Civitatem ipsam angusta obsidione teneret, Thomas de Oria, qui caput factionis & rebellionis ipsius, & Brundusinæ Civitatis erat, videns Civitatem ita obsidione circumdatam, quòd nullo modo ex ea pateret egressus, cùm vires & subsidium aliquod à Brundusinis recipere obsidione Principis impediretur, nec posset nec haberet unde stipendia solveret soldaneriis, quos ad defensionem Civitatis tenebat: (91) ad fraudolentia commenta se convertit, misitque Principi Nuntios suos, significans ei, quòd ipse, & Orietani libenter se & Civitatem Oriæ in manibus dare volebant; sed quia juramento & pactionibus inter se, & Cives Brundusii habitis tenebantur Orietani nihil sinè conscientia Brundusinorum facere, petebat sibi dari tempus & copiam mittendi Nuntios ad Civitatem Brundusii, ad notificandum Civibus Brundusinis, qualiter ipsi Orietani nullo modò contra Principem tenere se poterant, propter quod ipsi mandatum Principis facere omnino disponerent; & ad persuadendum etiam Brundusinis, quòd & ipsi similiter mandatum Principis facerent: cui rei si fortè Brundusini refragarentur, Nuntii ipsi eis exponerent, qualiter Orietani penitus à societate sua recederent,

E

(85) exercitus in duas partes, ut una videlicet exercitus parte.
(86) ante Messanenses.
(87) aiduus & montuosus.
(88) nec scirent ex pavore quid facerent. Considerante ergo hoc.
(89) Conradi Trinch.
(90) dum semper invia, sicut melius poterant, rapientes, præcipue.
(91) ad fraudulenta consilia.

Digitized by Google

rent, & ad Principis mandatum redirent. Princeps autem petitione ipsius Thomasii & Orietanorum super hoc audita, considerans, petitionem talem non ex fraude, sed ex necessitate procedere, quam Orietani ex nimia obsidionis angustia pati videbantur, dedit eis copiam mittendi Nuntios ad Brundusinam Civitatem, prout illi petierunt. Missi sunt ergo Nuntii Orietanorum Brundusium, non quidem pro causa prædicta, quam Principi exposuerant, sed ut Brundusini per eos pro soldaneriis Orietanis stipendia mitterent, qui jam ultra sinè stipendiis retineri non poterant. Reversisque Nuntiis ipsis à Brundusio infra diem statutum cum stipendiis soldaneriorum, dum crederet Princeps statim post reversionem Nuntiorum ipsorum, Civitatem, juxta quod Orietani promiserant, esse dedendam: Orietani responderunt, quòd nullo modo se dedere vellent, sed pertinaciùs in antea, quàm olim, in rebellione perseverare, declarantes veram causam, pro qua Nuntios ad Brundusium miserant, & commendantes se, quòd Principi super hoc illusisse videbantur. Multum enim eis tunc illa fraus profuit, quia fraude illa mediante, & superveniente postmodum causa majore, deditio Civitatis illius tunc dilata est. Si enim Princeps ad obsidionem Civitatis ipsius ad modicum tempus ultra institisset, proculdubio eam ad mandatum suum tunc habuisset; sed quia majora ipsum negotia trahebant, oportuit ipsum obsidionem ipsam dimittere, ut utilioribus se laboribus occuparet.

Pervênit enim ad notitiam Principis, quòd Octavianus Apostolicæ Sedis Legatus magnum exercitum congregaverat, & in Apuliam cum ipso exercitu venire parabat. Recessit ergo Princeps ab obsidione Oriæ, & ivit Melphiam; ipsoque in Civitate ipsa morante, (92) pro eo quòd (n) quædam susurra hominum ibi, & in Civitate Potentiæ esse videbantur, Gualvanus Lancea avunculus ejus ad Civitatem Potentiæ profectus est, & eam sapienter, pro ut temporis qualitas dabat, reformavit, & in bono statu composuit, & ad Principem in Melphiam reversus est. Princeps autem in Melphia ipso Gualvano dimisso, pro ipsius Civitatis & adjacentium partium statu pacifico conservando, Luceriam ivit, & congregato ibi magno exercitu tam de ipsius Terræ incolis, quàm aliarum Apuliæ partium, & de Theutonicis, & aliis soldaneriis, quos per Apuliæ partes dispersos habuerat, prima die Mensis Junii, 13. Indictionis cum exercitu ipso exivit, & in campum processit continuato progressu ad montem Formicosum, quem Imperator Federicus mutato nomine Montem-Sanum vocari jusserat. Jam enim Papalis exercitus venerat usque ad locum, qui vocatur (93) Bulsida, quod Princeps intelligens valde gavisus est: audiverat enim à tempore patris sui Imperatoris Frederici, quòd quædam scriptura inventa fuerat, ex qua vaticinari videbatur, quòd unus de posteris Imperatoris ipsius in loco illo Bulsida magnam victoriam esset habiturus. Propter quod, cùm ex casu inspe.rato Papalis exercitus ad locum jam ipsum venisset, credebat Princeps, & pro firmo sperabat, advenisse tempus de illius scripturæ vaticinatione, quòd in persona ipsius Principis prædicti Imperatoris filii compleretur, eratque sibi in argumentum præcedens victoria, quam sibi feliciter, ut supra memoratum est, apud Fogiam de hostibus habuerat, quæ præparatoria & incentiva ad majorem futuram victoriam esse videbatur.

Cùm ergo Papalis exercitus esset in loco illo, Princeps ad Guardiam Lombardorum, quæ sibi rebellis erat, processit, intendens ipsam Terram anticipare, antequam Papalis exercitus ad ipsam veniret. Erat autem in ipsa Terra quædam magna comitiva armatorum de parte Ecclesiæ, qui Terram ipsam defendebant, ita quòd Princeps tunc ipsam capere non potuit. Cùm propter collium oppositionem videri non posset ab exercitu Principis, in quam partem iret: ab aliquibus credebatur, exercitum ipsum retrocessisse ob timorem Principis: ab aliquibus non immensam illius exercitus multitudinem metientibus putabatur, non quòd fugeret, sed quòd per loca vallosa exercitus ipse incederet, & se contra Principalem exercitum in loco tutiori collocaret. Ad hanc ergo dubitationem tollendam missus est à Principe Comes Henricus de Sperneria cum quibusdam Theutonicis armatis ad explorandam viam prædicti Papalis exercitus; qui Comes cum prædictis armatis procedens, cùm pervenisset ad nemus, (94) quod est prope Frequentum, constituit prædictos armatos in quodam loco (95) ipsius montis, depresso quidem & arboribus obsito, ipseque ad superiores nemoris partes ad explorandam viam prædicti exercitus solus processit. Cùmque ita explorando procederet, incidit in quosdam armatos de Papali exercitu, qui per nemus illud casu discurrebant, & cùm ipse solus esset, illi verò pauci, dum per amfractus nemoris vellet ab occursu illorum secedere, & fugiendo quodammodo trahere eos versùs locum, in quo suos comites armatos dimiserat, in illis viis nemoris cespitavit equus ejus, totusque in terram revolutus ipsum in terram dejecit; sicque ipse Comes ab illis de Papali exercitu eum insequentibus captus fuit. Cùmque ducerent eum captum, nec tamen scirent quis esset, nec præsumerent eum magnam de Principis comitiva esse personam, pro eo quòd sic solum in nemore illo ipsum invenerant quasi errantem, studebat dictus Comes, quasi viarum ad exitum illius nemoris conscius, ducere illos per locum, ubi comites suos dimiserat, ut ab eis posset sibi succurri. Cùmque ad locum illum cum ipsis suis ductoribus pervenisset, non invênit comites suos ibi, unde quodammodo desperatus credebat è manibus illorum ex tunc evadere non posse. Licèt autem in eo facto de comitibus suis non inventis fortuna sibi adversata fuisse videretur, tamen statim sibi in ipsius contiguo adversitatis arrisit; nam cùm paululum è loco illo processissent, apparuerunt de prope quidam Saraceni Arcerii de Principali exercitu, quos cùm dictus Comes Henricus cognovisset, statim clamavit ad eos vocans eos compatres, quo nomine Saraceni, & Theutonici de Principali exercitu se ad invicem vocare adsueverant. Illi autem voce Comitis audita, ipsoque cogni-

(92) pro eo quòd quædam susurratio ibi hominum, & in Civitate Potentiæ esse videbatur.
(n) quidam susurrus.
(93) *In margine Codicis de Miro hæc adnotantur.* Saracenicæ originis Oppidum.
(94) quod est prope Oppidum.
(95) ipsius nemoris.

gnito, statim in eos, qui eum captum ducebant, irruerunt; & Comite liberato, alios ex eis occiderunt, alios vulneraverunt, alios ceperunt, alios in fugam turpiter converterunt & coëgerunt.

His itaque de Comite Henrico gestis, Principalis exercitus, qui prædicto modo de loco, in quo primo steterat, se movens, per collium oppositionem disparuerat, ex alia parte, quæ ad aspectum Papalis exercitus directa erat, prope Frequentum (96) apparuit de viso. Princeps cum suis, versùsque ipsum Papalem exercitum procedebat, intendens eidem exercitui contra se venienti occurrere, & cum ipso pugnare. Papalis autem exercitus viso, quòd Princeps ad ejus aspectum non quidem ex illorum multitudine territus, sed ad pugnam accensus, ad veniendum contra eos castra movisset, non ultra processit, sed in loco se fixit: quo viso Princeps similiter cum exercitu suo stetit, nec tunc priùs illos appetiit, sed ad stationem, unde se moverat, est reversus.

Erat autem circa partes illas quidam locus eminens, de quo Princeps consideravit, ut sapiens, quòd si locus ille caperetur ab hostibus, magnum sibi posset evenire nocumentum; quia loco illo ab hostibus habito, foderum ex illa parte Capitanatæ non posset ad suũ exercitum pervenire, & in eo loco Princeps castrametatus est, in quo ante & retro hostes habebat; ex una enim parte erat Guardia Lombardorum rebellis, in qua erat quædam pars Papalis exercitus, ut prædictum est, ex alia verò parte erat Legatus cum exercitu infinito. Cùm ergo post paucos dies prædictus Legatus cum Papali (97) exercitu à loco, in quo erat prope Frequentum recessisset, versùs prædictum locum eminentem venturus, Princeps credens, quòd pro occupando loco ipso veniret, statim cum exercitu suo se movit, & contra Papalem exercitum venientem animosè procedens, ut prædictum locum eminentem præoccuparet & defenderet, contra hostes recepturus pugnam, (98) si illi tanti essent antequam ipsam inferrent. Procedente autem sic Principe contra eos, illi ad Principis animosè venientis aspectum non venerunt, nisi usque ad nemus, quod est (99) citra Frequentum, ibique se in quodam loco tuto locaverunt, & tentoria sua ibi fixerunt. Videns autem Princeps, quòd illi ultra non procedebant, ipse similiter ultra non ivit, sed ad stationem suam reversus est. Erat autem locus ille, in quo se fixit tunc Papalis exercitus, ex tribus undique partibus naturali terræ montuositate vallatus, ex quibus partibus nullus in eo de facili poterat haberi accessus; ex altera verò parte ad aspectum Principalis exercitus clivositate mediocri in planitiem quamdam locus ille vergebat; sicque ibi exercitus ille collocatus erat, ut ipsis euntibus contra alios esset inde descensus, aliis verò ad eos accedentibus esset ascensus. Ex illa ergo parte mansionis illius, quæ ad aspectum Principalis exercitus erat, & quæ non ita sicut tres aliæ mansionis partes, naturaliter munita videbatur, facta est quædam clausura de paliciis, tantaque erat ipsius exercitus multitudo, qui ibi tunc collectus erat, quòd hastarum solummodo elevata congeries ad similitudinem alicujus nemoris apparebat.

Cùm ergo sic in aspectu mutuo uterque staret exercitus, & exercitus Papalis incomparabiliter major & copiosior, quàm exercitus Principis appareret, expectabat Princeps, (100) ut ipse requireretur ad bellum; tum quia ipse ad defensionem Terræ stabat, non quidem oppugnare debebat, sed oppugnantibus resistere satis esse credebat; tum quia, ut dictum est, sine comparatione major erat exercitus ille, quàm suus, cùm innumerabilis esset in eo multitudo peditum; equitum quoque numerus exercitus sui in septuplum videbatur excedere. Stabat ergo Princeps bellum exspectans ab inimicis, nec tamen illi de loco illo ubi tentoria fixerant, & se circumquaque concluserant, ullo modo exibant. Unde cùm aliquot dies in hujusmodi Princeps belli exspectatione stetisset, cogitavit, quòd ideo illi eum aggredi dubitarent, quòd ipse cum exercitu suo in eminentiori parte stare videbatur; propter quod, ut eos ad bellum posset allicere, decrevit de loco illo in planum descendere, & exercitui Papali magìs appropinquare; & quia certum gerebat de bellando propositum, & sic suam tunc volebat experiri fortunam, ut solus vincendi amor ipsum ad bellandum impelleret, ut nulla eum expugnationis in se forsitan faciendæ verecundia vel formido retraheret, effossis de loco illo tentoriis, in tres acies totum suum divisit exercitum; & quum tribus aciebus illis exclaratus descenderet in planum, ecce tres aquilæ super exercitum ipsum apparuerunt volantes in aëre, quod omnes illi de exercitu, & Theutonici maximè videntes cœperunt exultare lætitiâ, quasi certæ victoriæ signa ex illa aquilarum supervolantium apparitione comprehendentes: unde & si priùs ad pugnandum nocivi & ardentes fuerant, tunc magis ac magìs ex illo signo aquilarum accendebantur ad pugnam. Taliter igitur procedens Princeps ad unius stadii spatium appropinquavit, parans se ibi ad pugnam recipiendam; Ipse enim pugnam eis inferre non poterat commodè, nisi illi de clausura illa qua circumcingebantur, exirent; quia si Princeps eos in illa clausura invaderet, palitîa illa, quibus Papalis exercitus se totum clauserat, magnum sibi posset ad victoriam impedimentum inferre. Præcedebant autem pedites Principis cum arcubus balistisque adeò prope clausuram, ut illos de Papali exercitu ad exeundum allicerent, quòd mittebant in eos saggittas, & eos quatenus poterant lacessebant; sed nullo modo de sua se statione movebant: immo si quando aliqui sui pedites extra clausuram exire tentabant, equites eos celeriter revocabant, manifestèque ostendebant, quòd bellandi animum non habebant.

Videns ergo Princeps, quòd ipso taliter bellum desiderante, adversarii sui bellare sic penitus recusarent, cùm Principis acies esset in eo loco, ubi si bellum committeretur, melior adversariorum suorum conditio futura esse videbatur, cùm per sex ferè horarum spatium Princeps in illo loco fuisset ad bellum recipiendum paratus, ne ampliùs in vanum ibi sic stare videretur, cogitavit ad stationem suam retrocedendum. Sic tamen retrocessionem ipsam

(96) apparuit de visu. Princeps cum suis versùs ipsum.

(97) exercitu, se in loco, in quo erat prope Frequentum, recepisset.

(98) si illi tamen essent ante, qui ipsam inferrent.

(99) contra Frequentum.

(100) ut ipse à Papali exercitu requireretur.

ipsam sapienter fieri procuravit, ne, ipso retrocedente, adversarii sui, qui in loco eminenti, ut dictum est, stabant, contra eum in ipsa retrocessione incautè irrumperent, & aliquod sibi, sicut sæpe fieri solet in talibus, nocumentum inferrent. Disposuit ergo Princeps, quòd prima acies sua, quæ castris hostium vicinior erat, & secunda similiter, quæ prope ipsam, in loco suo fixæ & stabiles permanerent, ipsisque duabus aciebus in loco suo sic stantibus, tertia acies, quæ ultima erat, moveretur, & modesto ac ordinato regressu ad unum stadium de loco suo retrocederet, & ibi ordinata maneret; quo facto etiam acies subsequenter prior ipsa de loco suo similiter moveretur, & ad locum, unde acies tertia recesserat, se ordinata retrocessione reciperet; ac deinde prima acies, quæ in castrorum hostilium vicinitate remanserat, ad locum, unde secunda acies recesserat, reliquis duabus aciebus non nimis longè ab ipsius tutela distantibus verteretur. Sicque factum est, quod aciebus ipsis gradatim una ante aliam cum prædicta cautela retrocedentibus, adversarii non minus de sapientia & prudentia Principis obstupescentes (1), quàm de suæ armatæ potentia trepidantes, nullo modo contra ipsum in ipsa etiam hujusmodi exercitus retrocessione exire ausi fuerunt: & Princeps composito & inoffenso regressu ab hostium suorum facie ad stationem suam, ubi priùs steterat, regressus est.

Post recessum quoque Principalis exercitus facta sunt de ingenio Marchionis Bertholdi quædam lignea instrumenta triangulata sic artificiosè composita, quòd de loco ad locum leviter ducebantur, & quocumque modo revolverentur, semper ex uno capite erecta constabant. His ergo ligneis instrumentis Papalis exercitus ex illa parte, qua erat exercitus Principalis aspectus, se circumcinxit, & sic se ipsorum compositione vallavit, ut non de facili ex illa parte posset irrumpi. Mirum autem valde, videlicet quòd Papalis exercitus etiam provocatus ad bellum non exivit; cùm sicut dictum est, exercitum (2) Principis in immensum excedere videretur; additus enim erat ipsi exercitui diebus illis quidam alius Papalis exercitus, qui sub Archipresbytero Paduano prædicti Legati Vicario per partes Principatus ad invadendam & conquirendam Calabriam dirigebatur. Eo etenim tempore magnus Papalis exercitus sub prædicto Octaviano Legato Apostolicæ Sedis in Apuliam venire dispositus erat. Ordinatus etiam fuit prædictus Archipresbyter cum magna comitiva equitum & peditum ire in Calabriam; & prædictus Petrus Ruffus de Calabria, qui, ut supra dictum est pridem fugiens ad Romanam Curiam se contulerat, ordinato navilio constitutus fuit ire per mare cum Archiepiscopo Cusentino noviter à Papa creato. Itaque fuerat inter ipsos cognitum, ut simul eodemque die Archipresbyter ille cum exercitu, quem ducebat per Terram, & prædictus Petrus per mare Calabriam invaderet. Dumque in Calabria utrinque procederetur, Archipresbyter prædictus, qui jam ad duas ferè dietas cum prædicto exercitu Calabriæ finibus appropinquaverat, à prædicto Legato Apostolicæ Sedis ad subsidium magni Papalis exercitus, qui contra Principem stabat, in itinere Calabriæ revocatus est. Cujus revocationem prædictus Petrus, cùm per mare proficisceretur, ignorans de illo, quod cognitum fuerat, à se simul cum prædicto Archipresbytero ex diversis partibus invadendam esse Calabriam, ad Castrum Sancti Lucidi de Vallegrata cum navigio prædicto pervênit, & in castro ipso cum prædicto Archiepiscopo & armatis, quos duxerat, se receptavit. Statim autem sparsus est in Calabria, & præsertim in Civitate Cusentiæ rumor, quòd prædictus Petrus cum duodecim Galêis, & infinita multitudine armatorum per mare venisset, & quòd Papalis exercitus per terram veniens ex duabus partibus, videlicet prædictus Archipresbyter per introitum Morani, & Oddo Marchio de Honebruch, cui Comitatus Catanzarii per Papam concessus erat, per introitum pontis Roseti, Vallisgratæ fines intrasset; & quòd Gervasius de Martina, multique cum eo armati, qui apud castrum Vallis ad defensionem finium Vallisgratæ stabant, à Papali exercitu capti essent. Item quòd duodecim Galêæ Brundusinorum venissent ad maritimam Cutroni ad partes Terræ Jordani pro parte Ecclesiæ oppugnandas, & quòd Princeps apud Guardiam Lombardorum à Legato Apostolicæ Sedis & Papali exercitu, qui ibi erat, foret expugnatus in campo.

Dum autem rumores hujusmodi per Calabriam, & præsertim in Civitate Cusentiæ ducerentur, & diversorum narratione hinc inde venientium firmarentur, magisque verisimiles in eo viderentur, quòd prædictus Petrus de Calabria ad prædictum castrum Sancti Lucidi, quod à Civitate Cusentiæ ad quindecim milliaria vicinatur, sic audacter & securè cum uxore sua & aliis mulieribus ipsius, quas pridem fugiens de Calabria secum duxerat, descendisset, quòd non videbatur ab eo potuisse (3) acceptari, nisi cum multitudine armatorum magna venisset, & nisi rumores illi, qui dicebantur de ingressu Papalis exercitus in Vallegrata, & de captione prædicti Gervasii & suorum, & de expugnatione Principis in aliquo veri essent: vênit quidam Nuntius dicti Petri Cusentiam cum literis ejus, & Archiepiscopi Cusentini, per quas universitati ipsius Civitatis ex parte Apostolica firmiter & expressè mandabant, ut incontinenti Nuntios mitterent ad eorum præsentiam pro parte totius Universitatis ipsius, mandatum per eos Apostolicum recepturos; alioquin in sequentem diem essent cum toto eorum exsfortio ad ipsius Civitatis excidium. Cùm autem tunc temporis quando hæc fiebant omnes ferè meliores homines Civitatis Cusentiæ ab ipsa civitate abessent, quoniam cum prædicto Gervasio de Martina ad defensam finium Vallisgratæ apud Castrum Vallis morabantur, nec remansissent in civitate ipsa nisi quidam populares, & illi, qui vel de personis nobiles erant, vel nullum armorum exercitium habere videbantur, veniente prædicto Nuntio Petri de Calabria cum literis illis, homines Civitatis prædictæ, qui ibi tunc inventi fuerunt, diuturnitate quietis & pacis, quam à tempore Imperatoris Frederici habuerant, inexperti, & prorsus ignari guerrarum, cùm nescirent, nec per angustiam temporis prævidere possent quid melius esset eis in illo articulo faciendum, cùm præsertim Civitas ipsa Cusentiæ propter in-

(1) quam de sua armata potentia.

(2) Principis in numero equitum & peditum in immensum.

(3) potuisse attentari.

incendium, quod anno præterito passa fuerat tam domibus quàm aliis, quæ ad defensionem competerent, esset immunita: ex illa minaci & aspera prædicti Petri & Archiepiscopi (4) requisitione providerunt, ut Nuntios ad prædictum Petrum & Archiepiscopum mitterent, non quidem, ut aliquod mandatum Apostolicum ab ipso reciperent, sed ut ipsorum Nuntiorum missione & tractatu super instante negotio hinc inde habendo, dictus Petrus & Archiepiscopus morandi apud Sanctum Lucidum occasionem haberent, donec lateret certitudo de prædicto Gervasio & aliis, qui capti esse dicebantur, (5) vel si hoc factum esset, dictus Gervasius totum hoc negotium sciret; vel ipse veniret, vel Cives Cusentiæ, quos secum habebat, & alios ad defensam Civitatis ipsius mitteret. Missi sunt ergo Nuntii à Civitate Cusentiæ in Sanctum Lucidum ad prædictum Petrum de Calabria, & ad Archiepiscopum Cusentinum; missi quoque sunt Nuntii & literæ ad prædictum Gervasium de Martina, per quos sibi totum negotium declarabatur, & petebatur, ut de defensione Civitatis provideret, sicut esset ad eorum salutem & fidem meliùs providendum, & ad explorandum etiam de statu ipsius Gervasii & aliorum; ut si verum esset quod de ipsorum captione dicebatur, & de aliis etiam rumoribus, quæ, ut supra dictum est, contra salutem Principis testabantur, procederetur ab eis in antea, sicut esset pro qualitate ipsius procedendum.

Cùm ergo prædictæ Civitatis Nuntii profecti essent ad Castrum Sancti Lucidi, ubi prædicti Petrus & Archiepiscopus Cusentinus erant, invenerunt eos cum paucis quidem amicis, quos de partibus Terræ-Laboris secum navigio duxerant. Verumtamen quia dictus Archiepiscopus commissionem ab Apostolica Sede habebat Cruce-signandi homines ad auxilium Ecclesiæ sub ea remissione & indulgentia, quæ conceditur illis, qui Cruce-signantur ad auxilium Terræ-Sanctæ: multi rustici & ignobiles de maritima illa & adjacentibus Villis, audita tam grandi remissione & indulgentia, quæ fiebat à prædicto Archiepiscopo illis, qui vellent Crucem recipere, ad locum ipsum confluxerant, & Crucem ab Archiepiscopo ipso receperant pro timore & pro servitio Ecclesiæ, & si opus esset sub spe remissionis. Itaque ferè duo millia hominum Cruce-signatorum cum prædicto Petro & Archiepiscopo jam erant, præter illos, qui cum eis venerunt navigio Terræ-Laboris. Statim autem quòd prædictus Petrus, & Archiepiscopus viderunt Nuntios Civitatis Cusentiæ ad se venientes, primò quidem eos læta & curiali facie receperunt, magna eis & Civitati Cusentiæ promissa ex parte Ecclesiæ facientes. Intelligentes verò, quòd Civitas Cusentiæ vocaverat Gervasium de Martina ad defensionem finium (6) Vallisgratæ, statim quidem totus exercitus Principalis, qui cum eo erat in Castro Vallis, ipseque turbatus est, cœperuntque omnes, & illi præcipuè qui partem Principis contra prædictum Petrum animosè tenuerant, valde timere, & quilibet de se potiùs quàm de defensione Provinciæ cogitare; timebant enim de potentia, in qua dictus Petrus sic subitò erectus esse videbatur ex multitudine hominum, quæ ad ipsum tunc confluxisse dicebatur, longèque plus de eo, quàm verum referebatur.

Cùm itaque sic exercitus ipse titubaret, ex his quæ dicebantur, omnesque ad dissolutionem ipsius exercitus proinde tendere viderentur, Gervasius de Martina, qui Capitaneus ipsius exercitus erat, habito cum Baronibus & aliis secum existentibus consilio, captis quibusdam de Cusentinis, qui suspecti de ipsius Petri parte videbantur, omnes alios Cusentinos, qui in ipso exercitu secum erant, Cusentiam remittendos decrevit, eisque sub juramento fidei præcepit, ut euntes Cusentiam sic facerent, ut prædictum Petrum vel caperent, vel fugarent, ipse verò Gervasius cum aliis remansit in exercitu exspectans. Venientes ergo Cusentiam invenerunt Petrum præfatum magna hostium multitudine circumfultum, ex quibus, licèt multi, non * affectionibus & armis decentibus armati, alii gladiis, alii verò armis, alii erant prout poterant licèt incompetenter muniti. Licèt autem eis competentia arma deessent, animositatem tamen quamdam habere videbantur, se mori paratos pro servitio Ecclesiæ conclamantes, incitantes etiam dictum Petrum, ut illico exirent in campum, & ipsos ad hostes Ecclesiæ debellandos producerent in sequentem diem contra Gervasium de Martina, ubicumque eum invenire possent.

Statim ergo quòd venerunt prædicti Cusentini

(4) requisitione fluctuabant. Tamen habito qualicumque consilio providerunt.

(5) ut si hoc.

(6) Vallisgratiæ, & alii quoque tunc cum eis ad Sanctum Lucidum venerant, partam sibi opportunitatem viderunt, ut Civitatem ipsam haberent & totam Vallemgratiæ, immo etiam totam Calabriam de facili acquirere possent. Cogitaverunt autem, quantum prædicti Nuntii Cusentiæ aliquid tractarent de negotio quod instabat, facere eis auferri equos, in quibus equites venerant, multisque aliis, qui vel vocati ab eis, vel sponte ad eos in Sanctum Lucidum accesserant. Omnes itaque armati, quos de Terra-Laboris pedites navigio duxerant, equis sive mulis tali modo ablatis, homines equites facti sunt, statimque ex insperato dictus Petrus & Archiepiscopus cum prædictis armatis equitibus, & aliis Cruce-signatis, dimissa in Sancto Lucido uxore ipsius Petri, cum quadam alia familia mulierum & parvulorum, quos pridem fugiens secum duxerat, eundi Cusentiam iter accipientes, cùm pervenissent ad quoddam Casale, quod Pantosa vocatur, invenerunt viros ferè mille inter equites & pedites, quos Thomas Forissmus consanguineus dicti Petri, pridie ab eo & ab Archiepiscopo missus ad Castrum Rendæ cum quodam alio ipsius Archiepiscopi Cruce-signari fecerat, & in auxilium Ecclesiæ de prædicto Castro Rendæ & adjacentibus locis extraxerat. Quibus Cruce-signatis suæ comitivæ adjunctis, prædictus Petrus & Archiepiscopus magna quadam innumerabili multitudine Cruce-signatorum associati, versùs Cusentiam procedentes, in ipso diei crepusculo ex improviso contra omnium Civium credere, Cusentiam ingressi sunt. Cùmque adventus ipsius Petri & Archiepiscopi ad Casalia circumadjacentia fama pervenisset, sequenti mane tum propter Archiepiscopi novitatem, tum propter magnam remissionem & indulgentiam, quæ ab ipso dabatur, confluxerunt Cusentiam ultra quatuor millia rusticorum ad Crucem recipiendam. Tantaque multitudo Cruce-signatorum ipso die in Cusentia fuit ad auxilium Ecclesiæ, usque ad sanguinis effusionem se offerentium, quòd si dictus Petrus cor militis habuisset, totam tunc Calabriam acquirere potuisset. Cùm autem hæc omnia pervenissent ad notitiam Gervasii de Martina & exercitus Principalis, qui cum eo erat in Castro Vallis ad defensam finium Vallisgratiæ &c.

Digitized by Google

tini Cusentiam, & potentiam dicti Petri viderunt, alii ex eis secesserunt, nec ante faciem ejus apparere voluerunt, alii verò ut efficaciùs possent operari ea, quæ prædictus Gervasius eis facienda de ipso Petro mandaverat, comparuerunt, quibus mandatum Ecclesiæ jurare fecit, astantibus sibi viris armatis paratis ad capiendum & offendendum omnes illos, qui ad ipsius Petri jussum mandata Ecclesiæ jurare fortè reniterent. Compulsi ergo tunc illi mandatum Ecclesiæ ex necessitate magìs quàm corde juraverunt. Videntes autem, quòd in personam ipsius Petri nihil facere vel etiam (7) acceptare auderent propter magnam hominum multitudinem, quæ circa ipsam erat; cogitaverunt, ut id, quod per vires eorum facere non poterant, dolis operarentur, ut sicut dictus Petrus per dolum & falsos rumores per Calabriam seminatos, in Calabria taliter receptus esse videbatur, sic & inde per dolos & falsas adinventiones expelleretur. Ordinatum est ergo per Cusentinos, quòd Nuntii mitterentur ad maritimam Sancti Lucidi, relaturi rumores per maritimam illam, & sparsuri, quòd gens de Calabria ventura erat ad castrum Sancti Lucidi, ad uxorem dicti Petri capiendam; qui relatores ita fecerunt, quòd rumores hujusmodi ad uxorem dicti Petri pervenire possent; sicque rumores ipsi à diversis concorditer recitarentur, quòd credibiles viderentur. Ordinatum est etiam à Cusentinis prædictis, quòd submitterentur quædam personæ ex parte aliquorum, qui prædictum Petrum diligere viderentur, asserentes ei se * occasione ex parte ipsorum, atque testantes quòd se custodiret, quia ab illis, qui ei magìs adhærere videbantur, sibi proditio tractaretur; sicque positum est, quòd Gervasius de Martina de nocte venire deberet, quo ante Civitatem existente, ipse Petrus ab illis, qui in Civitate essent, immisso in Civitate igne, caperetur. Euntibus ergo prædictis Nuntiis & relatoribus ad maritimam Sancti Lucidi, & prædictos rumores in maritima spargentibus eo modo, quo credibiles dictæ uxori Petri de Calabria facti sunt: statim ipsa rumoribus ipsis auditis, & sibi multorum concordi assertione verificatis, misit literas & Nuntium viro suo apud Cusentiam, quæ literæ ad eum de media nocte pervenerunt continentes, qualiter ipsa timens valde ne caperetur à gente illa, quæ contra eam ventura de Calabria dicebatur, rogabat & sollicitabat eum, quòd sibi succurreret. Ita etiam eadem nocte quidam missi ab aliquibus de parte sua venerunt ad eum, qui tremore simulato, secreta ei confessione dixerunt ex parte illorum, à quibus ad eum missi esse videbantur, quòd ipse Petrus se custodiret & si cautè posset de Civitate recederet; quia pro certo contra eum ab illis, qui sui esse videbantur, proditio tractabatur; itaque nisi se custodiret, proculdubio sic ordinatum erat, quòd caperetur. Multaque sibi alia figmenta suggesserunt, per quæ dictus Petrus ad ea credenda, quæ dicebantur, moveretur. Iisque dictis Petrus attonitus, intelligens etiam, quòd Judex Johannes de Marturano, qui secum de Curia Romana venerat, per Robertum de Archis juxta Calabriam apud Marturanum captus fuerat, & dum duceretur Neocastrum à quibusdam sibi occurrentibus interfectus in via. Audiens, quòd dictus Robertus de Archis venturus erat supradicta die cum magna multitudine hominum contra eum; perpendens quoque, quòd Cusentini de ipsius captione tractabant, & quòd illi, qui Principis partem fovebant, intendebant ignem mittere in Civitatem, habito cum prædicto Archiepiscopo Cusentino in ipsa nocte tractatu & deliberatione, quæ in illa temporis angustia potuit haberi, summo diluculo fecit edici, quòd ipse volebat facere monstram de armatis, qui secum erant, & aliis, qui ad ipsum confluxerant, in campo ante Civitatem; factâque ipsâ monstrâ, procedere ad incendendum quoddam Casale prædicti Roberti de Archis prope civitatem Cusentiæ positum, quod Venera vocabatur, ac deinde prandio ire contra Gervasium de Martina, ubicumque eum inveniret.

Egressus est itaque ipse cum Archiepiscopo Cusentino, & armatis equitibus, ac innumera multitudine peditum extra Civitatem, & simulata quadam monstra, ibi cœpit procedere contra Casale prædictum, credebaturque ab omnibus Cusentinis, quòd ipse ad Casale prædictum iret, & postea reversurus esset ad Civitatem: dimiserat enim tam ipse quàm Archiepiscopus coquos & ministros alios (8) ad prandium. Cùm igitur usque ad pertinentias ipsius Casalis processisset, & pedites eum longè retro sequerentur, cœpit statim ipse, & qui cum eo erant, tenêre viam, qua itur ad Sanctum Lucidum: ex quo facto, & exeundi festinantia cognitum est, quòd fugeret. Reversisque peditibus, qui post eum ibant, cùm Cusentini eumdem Petrum fugisse cognovissent, valdè contristati sunt & turbati, quòd sic eos dictus Petrus eluserat, & à manibus ipsorum evaserat, nuntiaveruntque statim Gervasio de Martina, qui hoc audito cum gente, quæ sibi remanserat, profectus est ad Castrum Montis-Alti, quod propter adventum dicti Petri rebellaverat. Cùmque ipsius Castri municipes se contra ipsum Gervasium satis animosè defenderent, ita quòd aliqui ex suis insultu Castri ipsius fuerint lethaliter vulnerati, tamdem per fortunam Regis & Principis potentiam Castrum ipsum violenter captum est igneque crematum. Capto verò & combusto ipso oppido Montis-Alti, processit exercitus (9) ad Castrum Rondæ, quod similiter ex adventu ipsius Petri rebellaverat; & licèt aliqui de illis, qui cum prædicto Petro venerant, ibi essent, & ipsius loci municipes ad resistendum animarent, tamen statim quòd exercitus ante oppidum fuit, (10) & ipsum oppidum cepisset, incolæ loci ex timore instantis exercitus omnem animum & vigorem ad se defendendum amiserunt; solùmque illi, qui à Petro prædicto fuerant missi, oppidum regere & exercitum repellere satagebant. Videntes autem, quòd municipes animum & vigorem amiserant, nec ipsos ad resistendum juvare volebant, in fugam exercitu jam intrante conversi sunt, & cum prædicto Petro apud Sanctum Lucidum se receperunt. Capti autem sunt ibi quidam Neapolitani. Canaymus de Grisagni cùm resistere vellet, aliis fugientibus, apprehensus est, detentusque in carcere, in Apuliam missus.

Capto autem Castro Rondæ, cùm exercitus pa-

(7) attentare auderent.
(8) ad prandium præparandum.
(9) ad Castrum Rendæ.
(10) & ipsum oppugnare cepisset.

Digitized by Google

A pararet se ire versùs Sanctum Lucidum contra prædictum Petrum, qui se ibi cum suis receperat, dictus Petrus hoc audiens, Galèas, in quibus venerat, cum Archiepiscopo, & omnibus illis, qui cum eis venerant, & de Cusentia & Ronda fugerant, festinanter ascendit, profectusque est Tropeam. Cùmque ibi non fuisset permissus ad terram descendere, recessit inde, & tentavit ire Messanam. Messanenses autem hoc præsentientes, cùm ipse Petrus esset adhuc (11) in ingressu Phari, & ibi quiesceret, miserunt ad eum Nuntios, sibi prohibentes ne ad Civitatem veniret, immo potiùs de loco illo discederet.

B Recessit ergo Petrus ad Insulam Lipari, ibique aliqua exenia de pane & rebus victui necessariis, quibus plurimùm indigebat, à Communitate & singularibus personis Liparensibus recipiens, in Terram-Laboris regressus est (12) G. Licèt autem prædicti Petri adventus in Calabriam in offensionem & damnum Principis attentatus fuisset, magnam tamen Principi utilitatem & gloriam procuravit; quia cùm usque tunc plures de Calabria vacillarent, tam in prædicto Petro, quàm in viribus Papalis Curiæ fiduciam aliquam habentes, tamen ex adventu ipsius Petri, tam ejus, quàm Papalis Curiæ, quæ ipsum misit, impotentiam experientes, in Principis fide confirmati sunt, & vanis verbis atque rumoribus, quæ corda hominum plerumque movere solent, numquam ampliùs credere voluerunt.

C Interea dum hæc sic ad triumphum & gloriam Principis in Calabria peragerentur, Princeps cum exercitu suo erat in colle illo, qui est inter Guardiam Lombardorum, & nemus (o) Frequenti, exspectans aggressum Papalis exercitus, qui de die in diem continuum undique recipiebat augmentum. Exibant quoque aliqui de exercitu Principis in planitiem, & adversarios provocabant ad bellum; illi tamen nullo modo extra clausuram, quam circumcirca se fecerant, progrediebantur: tantusque eos de Principis potentia timor invaserat, quòd si

D quando exire deberent hinc aliqui de utroque exercitu ad aliquid, ut moris est, acquirendum, & quinquaginta viris de Legati exercitu, sex aut octo viri de parte Principis occurrerent, ab eorum aspectu protinus fugerent, & eorum aggressum nullatenus exspectarent. Morabatur igitur sic uterque exercitus, alter ad aspectum alterius, nec ullo modo Legati exercitus, ad quem impugnatio pertinebat, movebatur ad bellum.

E Factum est autem, quòd diebus illis quidam Marescallus Ducis Bavariæ, avunculi Regis Conradi Secundi, ex parte Reginæ Elisabeth matris ipsius Regis, & ex parte etiam ipsius Ducis, vènit à Theutonica in Regnum, missus ab eis ad Principem, & deinde ad Romanam Curiam, pro negotio dicti Regis tractando. Cùmque Legatus Apostolicæ Sedis, & Bertholdus Marchio de Honebruch, ipsius Marescalli scivissent adventum & causam, pro qua ipse de Theutonica venerat, occasionem habuerunt tractandi cum Principe treguas, donec de negotio Regis, pro quo ipse Marescallus venerat, posset aliquid cum Summo Pontifice tractari. Mediantibus ergo ex utraque parte viris nobilibus & magnificis, qui in utroque exercitu erant, initæ sunt & firmatæ treguæ inter Principem & Legatum utriusque partis, & multorum hinc inde Magnatum juramentis corporaliter roboratæ. Qualis treguæ talis erat in summa conditio, ut donec dictus Marescallus, & alii Principis Nuntii ad Summum Pontificem irent pro tractando prædicti Regis negotio, atque redirent, quinque quoque diebus post reversionem ipsorum, nihil ab utraque parte innovari deberet. Responsum fuit eis, quòd in relatione treguarum, quam Legatus Summo Pontifici ac fratribus fecerat, nihil de adjectione quinque dierum continebatur, & quòd (13) totum negotium Legati providentiæ ac arbitrio commissum erat: propter quod nullum à Romana Curia responsum habere potuerunt, nisi quòd redirent, & cum Legato de negotio ipso tractarent. Ex hujusmodi igitur responso conjectum est, quòd Legatus, qui in relatione treguarum Romanæ Curiæ per se facta de adjectione prædictorum quinque dierum nihil expresserat, Principem decipere disposuerat: quod quidem ex postea facto satis clarè & apertè manifestatum est.

Nam statim quòd treguæ ipsæ firmatæ fuerunt, ut superiùs dictum est, securus Princeps, quòd nihil treguis durantibus innovari per Legatum deberet, recessit à loco illo, in quo contra Papalem exercitum tentoria fixerat, perrexitque cum gente sua versùs inferiores Apuliæ partes, ut & Terram illam tamquam bonus Rector perambulando visitaret, & confortaret in fide, & à laboribus, quos in campo passus erat per Urbium amœnitates æstivando quiesceret. Descendit itaque per Cornetum ad maritimam Terræ Bari: quod cùm Legatus Apostolicæ Sedis, & Bertholdus Marchio de Honebruch Capitaneus Papalis exercitus intellexissent, contra pacta treguarum firmata cum Principe, processerunt (14) versùs Rubum, ac deinde continuato progressu in Capitanatam profecti sunt, Civitatem Fogiæ quasi ex insperato moventes. Cùmque Terra ipsa Fogiæ totum Papalem exercitum capere non posset, pars ipsius exercitus in oppido Sancti Laurentii de (p) Caraman, quod Fogiæ per tria ferè millia tantùm proximatur, se receptavit. Erat enim prædicta Civitas Fogiæ frumento, hordeo, ceterisque rebus victui hominum & equorum necessariis abundans, locaque similiter sibi adjacentia: propter quod tunc Papalis exercitus ibi se recepit, ut res prædictas victui necessarias haberet ad copiam, & ut etiam Princeps, qui in Maritima Terræ Bari tunc erat, Papali exercitu apud Fogiam existente, (15) cùm Luceriam jungi non posset, & facile esset ipsum Principem à Luceria separatum, vel Luceriam ipsius Principis auxilio carentem, superari.

Cùm itaque Princeps existeret apud Tranum, vènit sibi rumor insperatus & subitus, quòd Papalis exercitus venisset in Capitanatam, & Fogiam occupasset. Minimè credibile reputavit, & miratus est, quòd si verum esset, quòd Legatus Sedis Apostolicæ, vir quidem Ecclesiasticus, & qui magis aliis fidem servare tenebatur, firmata inter se, & Principem

(11) in ingressu Phari in terris.
(12) G. *fortasse* Gajetam.
(o) Freguentum.
(13) totum Regis negotium.
(14) versùs Robinum.
(p) Camarati.
(15) cùm Luceria vinci non posset.

pem treguarum pacta fregisset, cùm nondum rediissent à Papali Curia Principis Nuntii, usque ad quorum reditum, & quinque diebus ultra, treguæ ipsæ durare debebant. Comperto autem, & veraciter cognito, quòd Papalis exercitus Fogiæ erat, Princeps moræ impatiens, & Marchionis Bertholdi præcognoscens astutias, cujus consultu hoc actum esse dicebatur, profectus est Barolum, ibique parum moratus, persuasit Barolitanis, ut in Regia & sua fide persisterent, nec propter adventum Papalis exercitus in Capitanatam se de suæ fidei stabilitate mutarent, immo finalem rei exspectantes eventum non priùs in partem (16) contrariam ire deberent, quàm ipsum Principem, si id fortuna daret, victum viderent; quia si usque ad finalem belli eventum in sua fide persisterent, vincente Principe, gloriosi reputarentur, vel eo forsitan succumbente, sinè vitio in partem alteram declinarent. Facta itaque persuasione hujusmodi Barolitanis, recessit, & per attinentias castri Canusii transiens, quod Oddo Marchio de Honebruch tenebat, Gaudianum pervênit; inde quoque processit ad Civitatem (q) Exculi, receptisque de ea obsidibus, Luceriam profectus est. Et licèt Papalis exercitus transitum Principis per partes illas, utpote vicinum perpendere potuisset, non tamen ipsum impedire tentaverunt; sed sinè aliquo impedimento Princeps cum gente sua Luceriam intravit, paucisque diebus in Civitate ipsa permanens, cum toto exercitu suo egressus est (r), juxta flumen, quod dicitur . . . . . (s) quod à Civitate Fogiæ sex ferè milliaria distat, mansitque (17) ibi per dies . . . . . . cùm autem Civitas Sancti Angeli in supercilio montis Gargani ad adventum Papalis exercitus contra Principem rebellasset, misit Princeps partem exercitus sui contra Civitatem ipsam, sicque Civitas ipsa per violentiam capta est & ad mandatum Principis devoluta.

Cùm autem Princeps in prædicta statione per aliquot dies stetisset, & videret, quòd Papalis exercitus, qui se in Fogia receptaverat, ut prædictum est, ad egressum Principis non exiret in campum, Princeps eorum pusillanimitatem ex hoc prænoscens, aliquantulum magis appropinquavit cum exercitu suo ad Civitatem Fogiæ, ut videretur, si vel tunc ad bellandum exirent: illi autem aliquatenus non exibant, immo incœperant se circumcirca vallare fossatis, & super fossatis sticchatos erigere, destruentes etiam domos, quas Imperator Fredericus construi fecerat in Riveria Sancti Laurentii valde pulchras, quo lignaminibus domorum ipsarum, quæ inde dirumpere potuerunt, facerent sticchatos, sivè palliciata circumcirca Civitatem. Non enim licuit eis in totum domus ipsas destruere. Princeps ad obsidionem ipsorum procedens, juxta flumen, quod est ante Fogiam, tentoria sua fixit, & super quadam Ecclesia (18) Sancti Bartholomæi, quæ magis Civitati vicinatur, speculam unam ad excubias, ut moris est, (19) contra hostes faciendo, ipsis suum vexillum imponi fecit, pro majori exercitus sui cautela, totam castrorum suorum stationem fossatis fecit circumcirca vallari, ne forsitan hostes sui, qui videbantur innumerabiles, subitò in ipsum irrumperent, & ipsum offendere possent. Fecitque capi & muniri prædictas domos in Riveria Sancti Laurentii, sicut erant in parte destructæ, quod quidem satis utile esse prævidit, ut illi, qui erant in Oppido Sancti Laurentii, ut dictum est, ad eos, qui erant in Fogia, ire non possent. Ex quo Princeps ad obsidionem Civitatis Fogiæ, sicut appropinquavit, ita Papalis exercitus, qui ibi inclusus erat, & pro obsidenda Luceria, & Principe in ea fuerat congregatus, reperit se incarceratum potiùs quàm obsessorem, & præ timore Principis extra palitia exire nullatenus audebat. Numquam enim credere potuerunt, quòd Princeps tanti animi esset, ut equo Luceriam auderet exire: firmumque erat & certum ipsorum propositum, ipsum Principem in Luceria obsidere: unde etiam Legatus Sedis Apostolicæ, qui Papali exercitui præerat, postquam Fogiam intravit, si quas literas per Regnum, vel ad partes alias mittebat, eas datas in obsidione Luceriæ subnotari faciebat. Spes autem decepit eos, & animositas Principis, quæ juvenili in eo ætate vigebat, eorum propositum penitus annullavit, & pœnitudinem eis de eo, quod fecerant, vehementer ingessit. Bertholdus enim Marchio de Honebruch, statim quòd Principem intellexit tantæ fuisse audaciæ, quòd Papali exercitu existente apud Fogiam, ipse de Terra maritimæ Bari transivit Luceriam, & exire disponebat in campum, valde in se turbatus est, (20) & ex tunc cogitare cœpit qualiter ad gratiam Principis recipi posset. Unde autem meliùs hoc & liberiùs tractaretur, & qualiter ad ipsius gratiam reciperetur, antequam Princeps Luceriam esset regressus ad obsidionem Fogiæ processurus, assumtis secum octingentis militibus de Papali exercitu, de voluntate Legati Fogiam exivit, & ad Civitatem Trani processit; cujus processus causa vel occasio fuit, ut idem Marchio Terram maritimæ Bari, quæ melior & ditior pars Apuliæ est, ad partem Ecclesiæ revocaret, & terrâ ipsâ ad partem Ecclesiæ devolutâ, congregata de partibus illis multitudine illa, & ea, quæ Fogiæ cum Legato remanserat, Principem & exercitum ejus non tam vinceret, quàm devoraret. Firmatum est inter Legatum & Marchionem interpositione juramenti, ut nullo modo Legatus (21) ad bellandum exire permitteret, antequam Marchio cum gente rediret.

Profectus est itaque Marchio ad Civitatem Trani, in cujus Civitatis Castro morabatur uxor ejus Isolda filia Marchionis Lanceæ, quæ Principi ex parte matris suæ proximâ lineâ sanguinis attinebat, cujus studio tractari cœpit, qualiter Marchio ad gratiam Principis reciperetur: Licèt autem uxor ejus hoc tractare niteretur, Marchio tamen in duplicitate ambulans, primò Civitatem Trani, deinde Civitatem Baroli, & subsequenter omnes alias Ci-

(16) contrariam crederent, quàm,
(q) Ruilis.
(r) & castramentatus est.
(s) Cùm autem Civitas S. Angeli staret in supercilio montis Gargani, qui à Civitate &c.
(17) per aliquot dies. Cùm autem Civitas Sancti Angeli, sita in supercilio montis Gargani, ad adventum Papalis exercitus in Capitanata contra &c.
(18) Sancti Bernardi.
(19) contra hostes faciendas, cum suo vexillo imponi fecit, &.
(20) & ex tunc cogitare incœpit atque tractare, qualiter.
(21) ad bellandum exiret, vel exercitum exire permitteret.

Civitates maritimæ Terræ Bari ad partem Ecclesiæ revocavit, præter Civitatem Andrensem, quæ sibi obedire noluit: nam Comes Civitatem ipsam contra Marchionem viriliter defendebat. Cùm enim inter Civitatem ipsam & Barolum quædam antiquæ inimicitiæ essent, Marchio cum militibus suis & Barolitanis omnibus per comminationem contra Civitatem ipsam processit, & cùm nihil facere posset propter defensionem prædicti Comitis & Civium Civitatis ipsius, qui satis animosè resistebant eis, & Civitatem ipsam viriliter (22) tuebantur, Marchio & Barolitani non sinè verecundia expugnati inde recesserunt.

Interea verò tractatum est per uxorem Marchionis Bertholdi, quòd quidam nepos ipsius Marchionis nomine Bertholdus, quem Marchio valde diligebat, cùm exiret venatum versùs Civitatem Andriæ, captus fuit ab Andrensibus, & in custodia detentus: quod ideo procuratum est, quòd aliqua Principi ex hoc cautela fieret, quòd Marchio contra ipsum non esset. Licèt ex hoc aliquibus posset videri & credi, quòd captio prædicti juvenis de conscientia Marchionis procurata fuisset, tamen Marchio totum contrarium operibus ostendebat. Intendebat enim omni studio congregare gentem equitum & peditum per totam maritimam Terræ Bari, quæ jam ad partem Ecclesiæ studio suo conversa erat, & quomodocumque poterat partem Ecclesiæ juvabat.

Misit quoque in diebus illis Legato Apostolicæ Sedis apud Fogiam existenti pro stipendiis exercitus Papalis omnia vasa argentea, quæ inventa sunt in camera uxoris in Castro Trani; sicque taliter in negotio Ecclesiæ se gerebat, quòd nullo modo verisimile videbatur, ipsum Marchionem occultè, vel manifestè in partem (23) Principis declinasse. Congregata enim magna multitudine armatorum equitum & peditum, multoque fodero pro exercitu tam in rebus victui hominum & equorum necessariis, quàm etiam in diversis speciebus medicinalibus pro infirmis, qui multi in exercitu ipso apud Fogiam erant, ipse Marchio cum prædicta gente, & fodero per mare ad Civitatem Syponti profectus est, quæ à Fogia per quindecim millia distat: cùmque esset cum tota ipsa gente & fodero, cogitavit, quòd si Fogiam ire tentaret, exercitus Principis, qui ante Fogiam erat, ipsum & prædictam gentem impedire posset. Misit ergo Nuntium suum ad Principem, significans ei, qualiter ipse cum quadam gente erat in Civitate Syponti, studensque sibi, ut ipsum cum prædicta gente Fogiam intrare permitteret, quia ipse erat ea cum Legato Sedis Apostolicæ tractaturus, (24) quæ ad ejus honorem & commodum redundarent. Princeps autem astutias, & fraudes ipsius Marchionis agnoscens, respondit ei præcipiendo, quòd nullo modo Fogiam cum gente illa venire tentaret. Marchio verò Principem decipere putans, respondit se non intraturum; & per aliquos dies moratus est cum gente illa Syponti. Cùmque sic aliquandiu moraretur, subitò cujusdam diei crepusculo, cum gente illa movit de Syponto, ut nocte tota procedentes ante diluculum Fogiam, sinè impedimento exercitus Principalis, intrarent. Non autem latuit Principem astutia Marchionis, quando cum gente illa movit de Syponto; sed per exploratores cautè positos processu Marchionis cum gente illa præcognito, missi sunt de exercitu Principis tercentum inter Theutonicos & Saracenos equites in occursum gentis illius. Erat autem nox, Luna tamen lucebat, dum Marchione cum tota gente prædicta in quadam securitate versùs Fogiam procedente, subitò in eos factus est clamor nominis Principalis, & cum clamore violentus gentis Principalis insultus. Cùmque gens Marchionis majorem esse occurrentis gentis multitudinem crederet, subitò stupore correpti, & ad clamationem nominis Principalis vehementer exterriti, terga verterunt (25), & se per aulam proripientes in fugam, alii ex eis gladio perierunt, alii capti sunt, alii cum prædicto Marchione (26) fugiendo salvati; fuit enim gens illa tunc equites 2300. & pedites 1500. ex quibus in illo conflictu occisi fuerunt 1400. vulnerati verò citra mortis periculum & capti circa 450. Remanserunt itaque currus, foderum, & species aliæ, quæ pro infirmis deferebantur, eorum ductoribus aut peremtis, aut fuga salvatis; inter quos currus unus inventus est (t) mosterinis, & flabellis tantùm oneratus, quæ pro infirmis deferebantur ad muscas depellendas, vel ad refrigerium aëris caloris incendii (27) faciendum, & aliis rebus medicinalibus oneratus; multique alii currus cum gallinis & pullis & rebus aliis victui hominum & animalium opportunis: quæ omnia in Principalis exercitus (28) usum commodum cesserunt.

Talis autem tempore illo fortuna Principis fuit, quòd licèt de Papali exercitu in Fogia multi quotidie morerentur, multique infirmi jacerent; in Principis tamen exercitu, qui ante Civitatem erat, paucissimi infirmi, duoque tantùm ibi defuncti fuerunt. Civitas enim Fogiæ, quæ licèt fertilissima esse consueverat, propter multitudinem gentium Papalis exercitus ibi existentis, & propter obsidionem precipuè Principis, quæ nihil illuc permittebat inferri, in tantam jam erat versa penuriam, quòd pro gallina una dabatur equus, & vix ad tale pretium poterat inveniri: ex qua penuria & ex corruptione aëris propter fimum equorum, & immunditias alias, tanta gentem illam invasit infirmitas, quòd etiam ipse Legatus Apostolicæ Sedis, cui abundantiùs quàm aliis omnia suppetere poterant, infirmitate ipsa non remansit intactus. Cùm ergo Legatus Apostolicæ Sedis adversantem sibi fortunam, & Principis prosperitatem videret, & ex multis argumentis convinceretur, (29) quòd ex fortuna necessitate erat, ut Princeps victoriam & dominium haberet, volens consulere tam sibi quàm aliis, qui ibi per obsidionem Principis intolerabiliter opprimebantur, misit Nuntios ad Principem de concordia facienda. Sicque factum est, quòd tractatu hinc inde habito, ad hanc Princeps atque Legatus concordiam devenerunt; videlicet ut Princeps pro parte sua

(22) defendebant, Marchio.
(23) Principis declinare.
(24) quæ ad honorem & commodum ipsius Principis redundarent.
(25) & se per arva.
(26) fugiendo se salvaverunt.

(t) mosternis.
(27) faciendum. Inventi sunt etiam alii currus speciebus & aliis rebus medicinalibus onerati, multique.
(28) usum quomodocumque cesserunt.
(29) quod ex permissione Dei erat, ut.

Digitized by Google

sua & Regis Conradi nepotis sui Regnum teneret, exceptâ Terrâ-Laboris, quam Princeps Ecclesiæ concessit tenendam: ita tamen quòd si Papa transactionem & concordiam ipsam fortè non acceptaret, liceret Principi Terram ad suum jus & dominium revocare. Qua transactione sic facta inter Principem & Legatum, cautionibus intervenientibus firmata, Legatus obnixè rogavit Principem, ut intuitu divinæ pietatis quibusdam Regni Nobilibus parceret, qui à tempore Imperatoris patris sui à Regno exulabant, & in præsentia cum ipso Legato erant: ad cujus Legati preces motus Princeps præfatis Nobilibus clementer indulsit; Terras, quas justè amiserant, eis restituit, & in Regno eos manere concessit, dummodo sic se in antea gererent, quòd præteritas offensas laudabili conversatione delerent, & vindictam ex sola Principis clementia contra ipsorum præterita delicta cessantem recidivo malo non subirent.

Ab illa quoque tam immensa gratia Bertholdus Marchio de Honebruch & fratres non fuerunt exclusi: nam licèt enormiter contra ipsum Principem deliquissent, & eorum recens culpa pœnam imminentem rationabiliter exspectaret, tamen Princeps (30) Divinam imitatus misericordiam, quæ nulli quantumcunque peccatori deest, eidem Marchioni & fratribus pepercit, & omnem præteritam remisit (31) offensam, & in familia sua eos manere jussit, & tenere Terras & alia bona sua, quibus rationabiliter debuerant, & in perpetuum, caruisse.

Legato itaque cum toto illo suo innumerabili exercitu à Fogia recedente, & in Terram-Laboris eunte, Princeps motis ab obsidione castris ad quemdam locum amœnum & venationibus delectabilem, qui Sanctus Gervasius vocatur, habiturus de obsidionis labore solatia profectus est: & qui in planitie Fogiæ inter calores æstivos & continuas pulveris nebulas, dudum prædictæ obsidionis tempore sanus, nullaque tactus infirmitate permansit, tamen in prædicto loco Sancti Gervasii inter venationum solatia & nemoris (32) refrigeria discaldatus aliquantulum ægrotavit, non tamen propter (33) illam discaldationem animus ejus ex vana virtute corporis languescebat; sed in illa tali ægrotatione Nuntios dimisit ad Papam, ut si placeret ei prædicta compositio facta cum Legato, acceptaret eam, alioquin ipse ad recipiendam Terræ-Laboris potestatem procederet. Nuntii autem Principis ad Papam profecti invenerunt in Papali Curia Comitem Gaserbuch, per quem Comitem intellexerunt, quòd prænominatus Bertholdus Marchio de Honebruch & fratres, qui pridem ad gratiam Principis recepti fuerant, conspirationem quamdam contra Principem cum quibusdam Regni Nobilibus tractarent: quod Nuntii ipsi statim Principi significaverunt, ut Princeps sibi ab ipsa conspiratione caveret. Quo audito Princeps, de tractatu prædictæ conspirationis certa plura habuit indicia, quibus violenter præsumsit verum esse quod dicti sui Nuntii significaverant sibi, sicque prædictum Marchionem & fratres capi fecit, & in carcere retineri.

Prædictis autem Nuntiis à Papali Curia negotio infecto reversis, indixit Princeps Curiam generalem Baroli celebrandam in Festo Purificationis Beatæ Mariæ; & ne imperfecta remanere videretur acceptatio prædictæ compositionis, quam fecerat cum Legato Sedis Apostolicæ, interim alios Nuntios misit ad Papam, requirens adhuc prædictæ compositionis acceptationem; quam cùm Papa negasset, redeuntibus ad Principem Nuntiis, celebrata est Curia generalis apud Barolum dicto Anno Incarnationis Domini 1256. mense Februarii 13. Indictionis, in Festo Purificationis Beatæ Mariæ, in qua Curia Gualvanus Lancea Principis avunculus factus est Comes Principatus Salernitani, & Magnus Regni Siciliæ Marescallus, deposito per sententiam Comitum & Baronum Petro de Calabria, tam ab honore Comitatus Catanzarii, quàm ab officio Marescalliæ Regiæ Regni Siciliæ, propter proditionem suam. In eadem quoque Curia (34) receptus Lancea Principis avunculus, prædicti Gualvani frater, factus est Comes Squillacii, & Henrico de Spernaria concessus est Comitatus Marsici. In ipsa Curia Bertholdus Marchio de Honebruch, & fratres ejus, patefacta & legitimè probata conspiratione, quam contra Principem facere tentaverant, per Comites & Barones Regni concordes sententialiter fuerunt condemnati ad mortem; pœna tamen mortis commutata est eis ad pœnam carceris perpetui, in quo miserrimam vitam fatalem finierunt.

Hæc quidem, ut prædiximus, in Apuliæ partibus gesta sunt; qualiter autem in Calabria & Sicilia res interim gerebantur, enarrandum est.

Eo sane tempore, quo Papalis exercitus in Apuliam descendebat, ut supra est memoratum, Princeps Manfredus constituit Fredericum Lanceam avunculum suum Vicarium generalem in Calabria & Sicilia, misitque eum in Calabriam, quæ in fidelitate Principis erat, ut in statu pacifico gubernaret, & Siciliam, quæ adhuc in rebellione durabat, quocumque ingenio ac virtute posset, ad mandata ejus revocaret. Profectus itaque prædictus Vicarius in Calabriam, à Calabriensibus devotissimè receptus est, totamque terram invênit in pace & in fide Principis manentem, præter duo Castra, videlicet Sanctam Christinam & Bubalinum, quæ Fulco nepos Petri de Calabria tam situ loci, quàm omnibus necessariis & viris armatis munita tenebat: contra quæ Castra prædictus Vicarius obsidionem constituit, machinas ordinavit, & ea viriliter oppugnare cœpit. Licèt autem Vicarius in Calabria corporaliter per præsentiam maneret, tamen animus ejus in Sicilia versabatur, & ad obtinendam eam tota sua cordis (35) virtute fervebat: ordinavit etenim, dum in Calabria morabatur per Nuntios frequenter & cautè in Siciliam missos, quòd magna pars Principis per diversa Siciliæ loca facta est: ita quòd ex pluribus Civitatibus Siciliæ Nuntios ad Principem mitti procuravit, per quos hinc inde tractabatur, qualiter Provincia illa revocaretur ad mandatum ejus. Erat autem in Sicilia quidam Apostolicæ Sedis Legatus nomine frater (u) Rosinus de Ordine Mi-

(30) Divinæ imitator misericordiæ.
(31) offensam, recipiens ipsos ad gratiam suam, & in familia.
(32) refrigeria discalciatus.
(33) illam discalciationem animus ejus ex vera virtute, corpore languescente, torpebat,
(34) Fridericus Lancea.
(35) virtute ferebatur. Ordinavit autem.
(u) Ruffinus.

A Minorum, qui nomine Ecclesiæ Romanæ Sici-
liæ præpositus erat, omnesque ferè Siculi ei
tamquam Domino nomine Romanæ Ecclesiæ
obediebant, præter quosdam, quorum aliqui
apertè Principis partem tenebant. Sic enim
prædictus Vicarius in Calabria manens procu-
ravit studio suo, quòd Principis pars jam in
manifesto in Sicilia erat; sicque factum est ip-
so Vicario procurante, quòd crescente parte
Principis & invalescente, captus fuit in Panor-
mo prædictus Legatus & alii sequaces ejus;
sicque Civitas Panormitana, capto Legato &
aliis rebellium fuga lapsis, aliis captis, ad
mandatum Principis conversa est; pluresque
aliæ Civitates, in quibus pars Principis usque
B tunc in occulto erat, propter prædicti Legati
captionem in aperto ad mandatum Principis
redierunt. Factus est in Sicilia exercitus pro
parte Principis hac illac discurrens, & cum
timore exercitus multi coacti ad partem Prin-
cipis reversi sunt, quidam etiam voluntariè
venerunt.

Erat illis diebus in Sicilia (36) Rogerius Fi-
metlus, qui à tempore Imperatoris Frederici
à Regno exulaverat, & mortuo Rege Conrado
in Siciliam studio Petri de Calabria reversus
erat; qui Rogerius eo tempore Lentinum te-
nebat, & omnium rebellium Siciliæ caput erat;
hic congregata rebellium multitudine contra
exercitum Principis in plano Fabariæ stare
C præsumsit: & licèt longè plures ex parte sua
essent, quàm ex parte exercitus Principalis,
tamen facto utrinque congressu, ab exercitu
Principis expugnatis pluribus rebellibus de par-
te sua, aliis captis, aliis verò interfectis, ipse
se in castro Lentini receptavit. Exercitus au-
tem Principis taliter prosperatus de die in diem
augebatur, ut nomen Principis in Sicilia nimis
magnificari cœperit: ordinatoque prædicto Fre-
derico Lancea Vicario generali, dum adhuc
in Calabria moraretur, exercitus Principis ro-
boratus satis & augumentatus, direxit se con-
tra Messanam, in qua erat Potestas quidam
Romanus nomine ab ipsius Terræ Communita-
te constitutus, sub quo Civitas more Civita-
D tum Lombardiæ & Tusciæ vivebat; sub cujus
regimine Communitas ipsius Civitatis jam egres-
sa bis fuerat exercitu congregato in offensionem
illorum, qui Principis partem tenebant, plu-
resque Civitates Principi obedientes ab ipsius
obedientia coëgerat declinare, & secum tenêre
in sua rebellione. Procuratum est itaque per
prædictum Comitem, ut exercitus Principis
Siciliæ, ut dictum est, satis roboratus & au-
gumentatus contra Messanam procederet: quo
exercitu contra Messanenses directo, Messanen-
ses de statu suo satis dubitare cœperunt, ali-
quibus eorum de resistendo consulentibus, ali-
quibus verò saniori consilio suadentibus, ut se
E ad Principis mandatum converterent.

Civitate itaque sic inter se titubante, immi-
nente sibi terrore Principalis exercitus, qui
contra Civitatem ipsam directus erat, prædi-
ctus Potestas, qui Civitatem ipsam regebat,
videns meliores & majores Civitatis libenter
velle ad Principis mandatum redire; videns
etiam populum Civitatis ipsius nimis timere
de exercitu Principali, qui jam Civitati appro-
pinquabat, de Civitate ipsa navigio recessit.
Cùm jam illi qui partem Principis occultè in
Civitate ipsa tenuerant, vexillum signo Princi-
pis insignitum aspexerunt, Nuntios ad Comi-
tem Fredericum in Calabria miserunt, ut Mes-
sanam transiret, & Civitatem ad mandata
Principis reciperet. (37) Qui confestim .....
transiens, Civitatem Messanam pro Principis
parte recepit, & inde revertens cum Messanen-
sibus aliquibus ad obsidionem Castri Sanctæ
Christinæ, in quo prædictus Fulco nepos Petri
de Calabria se tenebat, adeò Castrum ipsum
machinis oppugnavit, sicque introitum & exi-
tum ejus circumquaque vallavit, quòd prædi-
ctus Fulco, qui magnam spem in Sicilia, &
præsertim in Messanensibus habuerat, videns
totam ferè Siciliam, & Civitatem Messanam
ad Principis mandatum conversam, videns
etiam se ita Comitis Frederici obsidione arcta-
tum, quòd nullo modo ampliùs tenêre se po-
terat, se & Castra Sanctæ Christinæ, & Buba-
lini Comiti Frederico dedit: & sic tota Cala-
bria in pace & quiete remansit.

Cùm hæc itaque in Sicilia & Calabria stu-
dio Comitis Frederici gererentur, in Apulia
Princeps, ut prædictum est, morabatur; qui
certificatus per Nuntios suos à Papali Curia
redeuntes, quòd Papa compositionem inter
eum & Legatum Apostolicæ Sedis in Fo-
gia factam acceptare nollet, versùs Ter-
ram-Laboris sua vexilla direxit, ad Ter-
ram ipsam in suum verum dominium revo-
candam, quam ex forma prædictæ compositio-
nis Ecclesiæ Romanæ dimiserat, si Papa com-
positionem ipsam acceptare voluisset. Cùm
autem esset in via procedendi versùs Terram-
Laboris, in via ipsa recepit Nuntios solemnes
à Civitate Messana transmissos, exponentes,
qualiter Civitas Messana ad sua mandata re-
dierat, & quòd omnibus ipsius Terræ Civibus
de omnibus offensis præteritis, quas in rebel-
lione commiserant, misericordiam à Principe
flagitabant: quos Princeps clementer admit-
tens, omnem eisdem Civibus remisit offen-
sam. Et procedens ad fines Terræ-Laboris,
cùm fines intrasset, & esset in quadam Villa,
quæ dicitur Sanctus Petrus de Cancello, re-
cepit ibi Nuntios Neapolitanorum offerentes
sibi Civitatem pro parte Concivium suorum,
à quibus fuerant ad hoc specialiter destinati.
Sicque Princeps recta via processit Neapolim,
& ingressus Civitatem, recepit ibi Nuntios
Capuanorum similiter offerentes sibi Civitatem
Capuæ pro parte suorum Concivium. Tanta
ibi erat multitudo armatorum & peditum,
qui Principis vexilla sequebantur, quòd non
videbatur aliquibus tutum exspectare ipsos ad
bellum; & ideo prædictæ duæ Civitates Nea-
polis & Capua sponte sua se ad mandatum
Principis converterunt. Similiter autem fecis-
sent Aversani, sed erant in Civitate Aversæ
multi milites & armati alii ad stipendia Ec-
clesiæ constituti, qui Civitatem ipsam ne re-
diret ad mandatum Principis cohibebant.

Procedit itaque Princeps in obsidionem Ci-
vitatis Aversæ, datoque insultu nihil à princi-
pio fieri potuit propter magnam resistentiam
stipendiariorum Ecclesiæ, qui erant in Civi-
tate. Principe igitur ab insultu dato retroce-
dente ad Castrum, subitò magnus in Civitate
clamor factus est, partes enim illæ, videlicet
qui partem Principis tenebant, atque illi, qui
pro Ecclesia ibi erant, cœperunt inter se con-
fligere: in quo conflictu, pluribus stipendia-
rio-

(36) Rogerius Fimethus.

(37) Qui confestim, scilicet ipse Fredericus, transiens.

riorum Ecclesiæ interfectis, pars Principis, quæ intus erat, favore Principalis exercitus, qui etiam obsidioni foris instabat, contra partem Ecclesiæ prævaluit; & sic est habita Civitas ad mandatum Principis, præter Castrum, quod tenebat Riccardus de Avella, vir quidem strenuus & potens, qui usque ad dies illos in tota ferè Terra-Laboris pro sua potentia & virtute dominari videbatur, nullusque quantumcumque potens in Terra-Laboris ei resistere poterat vel obesse. Qui postquam Principis adventum in Terra-Laboris novit, se in Civitate Aversa ad resistendum ibi eidem Principi receptavit. Et licèt Civitas ad mandatum Principis conversa esset, ipse tamen Castrum tenebat, donec se videns ultra tenere non posse, Castrum ipsum clanculo exire disposuit. Sed dum exiret, & dum fugeret, in ipso egressu Castri cognitus est, & percussus interiit. Habitaque sic Civitate Aversæ, Princeps se Capuam contulit, processurus inde ad alias partes Terræ-Laboris. Sed cùm adhuc ibi moraretur, auditâ potentiâ ejus, non exspectaverunt aliæ Civitates, ut ad eas Princeps personaliter conquirendas accederet, sed singulæ Civitates & Castra, quæ sunt ibi ultra Vulturnum, Nuntios ad Principem Capuæ commorantem miserunt, offerentes se sponte ad mandatum & beneplacitum ejus. Et sic tota Terra-Laboris ad ipsius dominium versa est, præter Castrum Soræ, & Rocca de Arcis, in quibus erant Castellani quidam Theutonici, statuti per prænominatum Bertholdum Marchionem de Honebruch. Statuto autem in partibus ipsis Comite Henrico de Spernaria per Principem Capitaneo. Castra ipsa ad mandatum Principis habita sunt.

Pridem autem, antequam hæc omnia sic essent, erat Villa quædam circa partes Sancti Germani, quæ vocatur (38) Sancti Petri, cujus municipes miserant ad Comitem (39) Bonifacium de Anglono, qui erat Capitaneus in Comitatu Molisii, ut de gente sua mitteret ad Villam illam recipiendam, qui quidem missam ipsius Capitanei gentem in Villa ipsa receperunt, sed postmodum expulerunt, & ex eis aliquos occiderunt. Capitaneus verò resumto exfortio, Villam ipsam aggrediens, violenter cepit, & in pœnam commissi facinoris & proditionis ipsam cremari fecit.

Habitâ autem sic totâ Terrâ-Laboris Princeps in Capitanatam rediit, & tamen in Siciliam se conferre disponens, voluit divertere per Civitatem Brundusii, quæ adhuc in rebellione durabat cum quibusdam aliis Civitatibus Terræ Idrunti. Cùmque fuisset ante Civitatem illam, noluit ibi moram trahere; sed statuta obsidione, terra marique processit Tarentum, & ab inde in Siciliam profecturus. Cùm autem adhuc esset Tarenti, intellexit ibi, quòd Brundusini volebant se dare eidem Principi: nam quidam de ipsa Terra Civis, nomine Aytoldus de Ripaalta, attendens Principis potentiam esse in continuo incremento, stultum reputans illi resistere, quem Deus exaltabat, volens & Principi complacere, & se & Civitatem ab errore suæ rebellionis revocare tractavit; & ita in Civitate Thomas de Oria, qui caput erat rebellionis, & ipsi Civitati dominabatur, cum suis comitibus captus est, quibus captis, Civitate Brundusina ad mandatum Principis redeunte, habita est Oria, & Idruntum, quæ cum prædicta Civitate se tenuerant, & sicut ipsam in rebellione sequebantur, sic & in conversione sequutæ sunt.

Usque ad illos autem dies Civitas Ariani, tam situ loci, quàm populo invictissima satis animosè contra Principem se tenuerat, quia cùm in excelso monte posita esset, & difficiles nimis & angustos haberet ascensus, non poterat aliquo modo vel obsidione claudi, vel viribus invadi; sed quantum difficile erat exterioribus ad ipsam accedere, tantum facile erat interioribus omnes quantumcumque illuc accedere volentes ab ipsius ingressu propulsare. Cùm ergo vires contra ipsam Civitatem nullo modo valerent (40), Fredericus Maletta Principis avunculus, qui tunc temporis in Capitanata & Luceria Capitaneus erat, ad prædictam Civitatem evincendam totas animi sui cogitationes ingeniumque convertere cœpit, arbitrans non esse inconveniens militari disciplinæ contra suum hostem sive dolo, sive viribus pugnare. Tractavit itaque dictus Capitaneus, quòd sub specie cujusdam confœderationis initæ inter homines Ariani, & quosdam de Luceria, qui contra Principem se occultè esse finxerunt, illi de Luceria quasi de Terra fugientes, & se in Arianum in auxilium Arianensium receptare volentes, Civitatem Ariani noctu ingressi sunt; qui postquam in Civitate fuerunt, infidam fidem fregerunt & fidelem (41) perfidiam direxerunt; nam statim occurrentes sibi quadam securitate Ariani Cives trucidare cœperunt, & nocturno tempore nullum inter hostes & Cives fieri patiente discrimen, facta est magna inter se Civium cædes; sicque Civitas capta est atque destructa, multis eorumdem Civium in illa nocte cæsis, multis fuga lapsis, & aliis majoribus Civitatis, qui caput rebellionis fuerant, capitibus, & sententialiter damnatis ad mortem, aliis verò mediocribus & vilioribus, qui cædem nocturnam casualiter evaserunt, & qui à condemnatione mortis pro eorum numerositate & vilitate exemti sunt, de loco illo ejectis, & per alia loca Regni ad habitandum transmissis.

Usque ad idem quoque tempus Civitas Aquilæ, quæ à quondam Rege Conrado in confinibus Regni condita fuerat, magna populi numerositate plena, etiam in rebellione duraverat, ad quam Terram evincendam multum laboris hactenus fuerat exactum, nec ullo modo poterat expugnari. Statutæ autem erant circa Territorium Civitatis ipsius multæ familiæ militum & aliorum armatorum, quibus Civitas ipsa aliquantulum arctabatur, non tamen adeò, quòd non possent Cives quocumque vellent ad suas necessitates exire. Audientes autem ipsius Civitatis incolæ victoriam Principis, & præsertim qualiter Terram-Laboris de facili recuperasset, qualiter etiam tota Sicilia ad suum mandatum redierat, non inconsultè considerantes, quòd difficile erat eis ultra resistere Principi, cui tota Sicilia, & Terra-Laboris resistere non potuit, miserunt Nuntios ad Principem, per quos se, & Civitatem ipsam ad mandatum Principis humiliter obtulerunt.

Infra id quoque temporis, quædam Civitates Siciliæ, videlicet Placia, Aydona, & Castrum

(38) Sancti Petri in Via.
(39) Bonifacium de Aquilonis.

(40) Fredericus Principis avunculus.
(41) perfidiam direpserunt.

strum Johannis in rebellione duraverant; & licèt tota Sicilia ad mandatum Principis rediisset, & prædicto Comiti Frederico Lanceæ Vicario Principis Generali obediens esset, illæ tamen tres Civitates in naturali locorum (42) munitione confidentes, prædicto Vicario obedire nolebant. Qua de re Vicarius exercitu fidelium congregato contra Civitates ipsas armata manu procedens, Placiam ipse obsidere decrevit. Cùmque Civitatem ipsam ingenti obsidione circumdedisset, incolæ Civitatis nimis animosè resistere cœperunt, adeò quòd penitus difficile & quasi impossibile videbatur Civitatem ipsam violenter haberi: tanta in ipsa Civitate multitudo populi erat contra exercitum, qui ipsam obsederat, præparata. At verò Comes magnanimus moræ longioris impatiens, indignum existimans obsidionis cœpisse negotium, & vires suas non ostendere per effectum, animato, prout decebat, exercitu, & aciebus decenter instructis, Civitati appropinquavit; nec mora facta dato instanti insultu, nulla resistentia, licèt magna & violenta fuerit, Civibus profuit, quin Civitatem exercitus violenter intraret, multis ex parte Civium, nullis verò ex parte exercitus cæsis. Sicque Civitas ipsa per vires evicta est, punitis paucis, qui caput rebellionis exstiterant. Omnibus aliis, quos ad sequendum majores minoritas traxerat, eximia sibi benignitate Comes clementer indulsit, eosque in Civitate sub pace Principis habitare permisit. Civitate autem ipsa sic violenter capta, Cives Aydonæ, quæ ab inde ad quatuor milliaria distat, in clementia Comitis, quam erga Placienses Cives audiverant, valde confisi, Nuntios ex parte Universitatis suæ miserunt statim ad Comitem, qui corrigiis ligatis ad collum venientes ad Comitem Placiæ morantem, veniam pro omnium Civium suorum parte petierunt, se & Civitatem ad mandatum Principis humiliter offerentes; quibus Nuntiis clementer Comes receptis processit Aydonam, eamque ad mandatum Principis recipiens pœnam eis ex rebellionis præteritæ culpa debitam, ex devotionis eorum humili oblatione remisit. Quod factum, & reliquos rebelles excrevit, & fideles alios in devotione, & fide Principis solidavit. Licèt autem prædictæ duæ Civitates ad mandatum Principis sic habitæ essent, tamen Civitas Castri-Johannis, quæ ab eis viginti millibus distat, in sua rebellione manebat. Hæc enim Civitas in excelso monte posita, lapideis rupibus circumquaque vallata, populi multitudine plena, aquis in ipso monte currentibus abundans, de nulla sui parte aggressionem timebat; & ideo sub quadam securitate à dicti Comitis obsidione sibi ponenda manebat. Fuerat autem in ipsa Civitate Castrum à tempore Imperatoris Frederici constructum, quod eo tempore, quo Sicilia sub Legato Apostolicæ Sedis manebat, Castellano ipsius sub promissa fidei securitate egresso, & primo clam crudeliter interfecto, à Civibus ipsius Terræ dirutum funditus est; ex quo tempore Civitas ipsa, quasi ab ipsius Castri fræno liberata, cœpit liberè agere quod volebat; & tam loci situ, quàm multitudine munita, omnibus aliis Civitatibus & Castris ad Principem reversis, ipsa sola in rebellione durabat. At Comes magnanimus cum exercitu suo versùs ipsam procedens, obsidionem circa eam constituit; adeòque ipsam arctavit, depopulationem circumcirca faciens vinearum & arborum, & nullum de ipsa Civitate exire permittens, quòd Cives ipsi tædio obsidionis affecti, antequam damna majora paterentur, Nuntios ad Comitem pro pace miserunt, & fidelitatem Principi juraverunt: sicque tota Sicilia in pace posita est. Nec minus omnes aliæ partes tam in Apulia, quàm in Principatu, & Terra-Laboris à tumultibus quieverunt.

Toto itaque Regno sic in pace stabilito, Princeps Manfredus in Siciliam ire decrevit, ingressusque Siciliam, paucis diebus Messanæ moratus, ad Civitatem Panormitanam proficiscitur, viam faciens per Civitatem Castri-Johannis, in qua Civitate cùm esset, vidit ruinas Castri, quod à Civibus ipsius Terræ destructum fuerat usque ad solum. Attendens autem, quòd Civitas ipsa nullo modo bene regi poterat sinè Castro, ipsum statim Castrum reædificari præcepit; & quia magnum opus erat, nec poterat sic citò, ut expediebat, per homines ipsius loci tantùm reædificari, omnibus simul Civitatibus Siciliæ onus reparationis ipsius Castri distribuit, ut onus ipsum per omnes divisum leviùs à singulis portaretur.

Interim autem dum in Siciliam Princeps iret, vênit rumor in Regnum, quòd nepos ejus Rex Conradus, filius quondam Regis Conradi Primi in Alamannia obiisset: quo rumore audito Comites, & alii Magnates Regni, Prælati etiam Ecclesiarum in Sicilia ad Principem profecti sunt: singularum quoque magnarum Civitatum Nuntii ex parte Civitatum suarum ad eumdem Principem perrexerunt, unanimiter omnes petentes ab eo, ut ipse Princeps, qui usque tunc pro parte prædicti Regis Conradi & sua, Regnum rexerat, & in tanta pace constituerat, ipsius Regni gubernaculum & coronam tamquam Rex, & ipsius Regni verus hæres acciperet: qua petitione unanimiter sibi facta ab omnibus, idem Princeps per concordem omnium Comitum & Magnatum, ac etiam Prælatorum Regni electionem in Regem electus, Coronam Regni Siciliæ in Majori Ecclesia Panormitana, juxtà consuetudinem & ritum prædecessorum suorum Regni Siciliæ, solemniter accepit, Anno Dominicæ Incarnationis 1258. die undecima mensis Augusti, primæ Indictionis.

(42) munitione & Populi multitudo confidentes.

Quæ subsequuntur, desumta sunt, pluribus tamen mutatis, aut breviatis ex Historia Sallæ Malaspinæ, cujus Liber II. exordium hinc sumit. Tu illam infra editam consulito.

ANO-

Digitized by Google

ANONYMI SUPPLEMENTUM

Ab anno 1258 ad annum 1265.

Dignitatis autem Regiæ celeriter honore suscepto, novus Rex partes Apuliæ feliciter repetit, sed cùm ubique per Regnum bellorum seditio tumultuosa quiesceret, & spes jam probabilis quietis gratæ delicias propinaret, generale colloquium apud Barolum celebravit, multis ibi per eum decoratis honore militiæ, & nonnullis per investituram vexilli ad Comitatus excellentiam sublevatis. Posthæc solemnem Curiam apud Fogiam universis (43) citra portum Rosseti Nobilibus & Baronibus convocatis indixit, ubi ad honoris Regii clarificanda fastigia, tam de conservatione justitiæ, quàm de aliis publici boni compendiis, statutis utilibus publicatis, de diversis partibus diversorum generum gaudia festiva conveniunt, ludentium choros & agmina distinctio purpurata lætificat. Quamplures ibi regenerantur honore cinguli militiæ, nonnulli magnificantur excellentium fascibus dignitatum. Dies totus solemniter agitur, & post diei cursum flammificis facibus hinc inde lucentibus, ponderosa ceræ coacervata compagine, in agone ludentium convertitur nox in diem. Ne autem quietis & pacis longis laboribus quæsita utilia (44) compendia occasio temeritatis exterminans infringeret, Rex Manfredus curas exercituales aggrediens, cum magnifico & potenti exercitu versùs Regni confinia consilio deliberato procedit.

Erat enim in extremis Regni partibus olim Rege Conrado favente Civitas Aquilæ, in odium Baronum illius contratæ, per eorum Villanos de novo constructa, ab inde videlicet Anno Domini 1252. in qua de diversis circumadjacentibus incolis, non absque complurium comprovincialium jactura Nobilium, coadunata congeries in tantam jam multitudinem populosam concreverat, quòd de suarum virium temeritate superbiens, se vicinis exhibebat horribilem, & Domino Regi suis operibus indevotam. Quin potiùs velut pars universo non congruens, generalibus Regni statutis repugnabat, contemnens colla submittere, & singulares sibi vivendi formas conficere præsumebat. Sperabat enim assumto libertatis statu, contra Nobiles de contrata Ecclesiæ auxilio confoveri. Et ideo contra Manfredum, etiam post tempora coronationis suæ, pertinaciter rebellione durescens, sub velamine devotionis Ecclesiæ, Regi parère contumaciter contemnebat. Ad hujus itaque domandam proterviam, & per hæc restituenda læsis jura sua Rex victoriosus accingitur. Sed antequam Civitatis mœnibus ejus se vicinaret exercitus, tamquam populorum difformibus erecta particulis materia ruinosa dispergitur, & dum volare supra se nititur Aquila, plumis nudata solo deprimitur. Universis habitantibus, quibus in personis & rebus tutelæ veniam clementia Regalis indulsit, subitò vacuata deseritur, & quæ dudum plena populo stare nesciebat, in combustionem & cibum ignis illico tradita sola sedet. Et sic eâ redactâ ad nihilum, Rex in Apuliam exercitu dissoluto revertitur, ut membra bellicis fatigata laboribus quietis gratæ dulcedine solatiisque placidis restauraret. Acta sunt hæc anno Domini 1258.

Interea Regem omnium Imperialium sanguinis fastigiis comitatum, & à primis naturæ vestibulis assuefactum desideriis magnis, de remotis partibus honoris & gloriæ cupido sollicitat; & dum posset ejus affectibus tam nobilis Regni possessio blandiri, & copiosa tantarum rerum opulentia delectare, ad curas negotiorum Italiæ, ubi dignitatis paternæ præfulsit auctoritas, mentis suæ dirigit intellectum. Extendit enim potentiæ suæ robur ad Ligures, dilatat ad Tuscos, & vicinitate suarum virium concutit Marchianos. Per diversas namque Provincias, de antiqua extranea consuetudine cœtus hominum divisi in partes remanserant. In Liguria Ubertus Marchio (45) Pallavicinus, utique prudens & nobilis, qui propter fidem & servitia sua de Imperiali munificentia beneficia multa receperat, Cæsaris, quoad vixit, ac posterorum suorum honorem prædicta cordi affectione zelabat, remanserat. In Tuscia pars Gibellinorum, & Civitas Senarum præcipuè, quæ Gibellinitatis senescens in fide, tunc temporis semper erga Imperatorem & heredes suos in servitiis juvenis & devota manebat.

Erat quoque in Marchia Anconitana partium obstinata dissensio, quæ dum hæc unum, illa verò aliud appetunt, inter se rediviva semper altercatione concertant. Ab istarum itaque regionum partibus cùm ob fidem, quam erga Imperatorem habuisse prætendunt, tum ad ultionem injuriarum quam de hostium depressione concipiunt, Rex Manfredus instanter (46) requiritur (x), oblatis sibi prænunciis, eorum antiqua devotio & vires auxiliares ipsius Regis ad regionis eorum postulat favorem. Favet iis inter diversa consilia Regis affectus, & successorem se paternæ dilectionis exhibebat: & ne oblatæ sibi victoriæ gloriam negligenter abnuere videretur, ad provincias ipsas vires suas porrexit in subsidia devotorum. Habita itaque deliberatione consilii, Marchionem prædictum Pallavicinum in Lombardia Capitaneum statuit. Jordanum de Anglono Comitem Sancti Severini consanguineum suum in Tusciam, Percivallum de Oria affinem & familiarem suum in Marchiam generales loco sui Vicarios destinavit, deputata eorum cuilibet equitum quantitate non modica, quibus stipendia menstrua providit, assiduè de ærarii sumtibus eroganda. Sub horum itaque Vicariorum manibus & arduis præfecturis cœpit continuò Regis honor augeri pavorque concrescere, ut rumores prosperi successivè de singulis cor ejus (47) exhilararent, & potentiæ suæ vires illustrarent. In Lombardia namque sub Marchione prædicto, magnificentiæ Regiæ vir-

(43) circa Portam Roseti.
(44) compendiosa occasio.
(45) Pelavicinus.
(46) *fortassis*: oblata sibi per nuntios eorum antiqua devotio vires auxiliares &c.
(x) offertos sibi per nuntios.
(47) exhilarent, & potentiæ suæ vires illustrent.

Digitized by Google

A viribus ampliatis, sic ejus arrisit prospera fortuna successibus, quòd in eodem quoque loco, ubi olim Parmensium audacia Imperialia castra combusserat, ignominiosæ cladis excidia, amissionem Carrocii, & expugnationis validæ pertulit detrimenta: sicque interdictâ viriliter injuriâ patris à filio, locus ille, qui nominatus nuncupatione Victoriæ visus Imperatori fuerat illusisse, grandem Regi prædicto ex hostibus victoriæ gloriam reservavit. Civitates enim Cremonæ, Papiæ; Placentiæ, Brixiæ, & plures aliæ ei reverenter obediunt; & nomen ejus ultra, quàm credi posset triumphaliter exaltatur. Sub ejus quoque felicitate cecidit pestifer ille Tyrannus Ezelinus de Romano, cujus im- B pietatis rigidæ, severitatis horridæ, & vindictæ execrabilis acta describere longum per se tempus (48) exigeret. Sed priùs necessarium videtur (49) armatæ successum prosequi, quàm rebus atque personis tam nefandis tamque tristibus opponere calamum, vel auditorum animum applicare. Hic siquidem ab Imperatore Frederico ditatus & promotus in altum (50), ejus nutibus tota ferè Tervisina Marchia serviebat. Post infinita & inusitata pœnarum genera, quorum narrari potest à posteris nefandæ crudelitatis exemplum, jam Regi Manfredo devotionis solitæ signa non exhibens, dum collectis undique viribus con- C tra Mediolanenses infestis angustiis processisset, prope Castrum Cassiani in manibus Cremonensium, qui sub præsidatu Marchionis prædicti in auxilium Mediolanensium potenter exierant, prope flumen Addæ miserabiliter incidit, ubi lethaliter vulneratus, ductusque Suncinum morti succubuit, qui raptor fuerat vitæ multorum.

Eodem quoque tempore Civitas Florentina cum parte Guelforum, non minùs vitiis quàm divitiis affluens, sic superstitiosa jam cœperat tam multitudine populi quàm superbiæ vento plena consurgere, quòd de suorum Civium temeritate lasciviens, & de elati spiritus superfluitate confidens, dedignabatur pacificare D se aliis, sed suppeditare sibi vicinos multipliciter satagebat. Hujus itaque temeritas actibus fastuosis incumbens, nec futuros eventus debita circumspectione præmeditans, suis omnibus & fautorum viribus suorum congregatis, ad obsidionem Civitatis Senensis, commorante ibi memorato Jordano Comite cum stipendiariis Regiis, viriliter præsumsit accedere; factâque ibi morâ, quam voluit, & usque ad Civitatem eamdem ingenti depopulatione peracta, exercitu numeroso, qui armatorum triginta millia continebat, ad muniendum Castrum Montis Alcini victualibus & aliis opportunis, quod Florentini prædicti tunc in eo- E rum potestate tenebant, per territorium Senarum prope Civitatem eamdem ad duo ferè milliaria superbè processerunt, qui per aliam tutiorem viam illuc indemnes accedere potuissent. Contigit, quòd dictus Jordanus Comes cum Theutonicis secum morantibus, & Senensi populo, cum parte Gibellinorum, Regis auspiciis, in Florentinos eosdem & fautores eorum viriliter irruentes, ipsos commissis hinc inde conflictibus expugnaverunt. In cujus expugnationis eventu sic potentia Florentina deflorata commarcuit & defecit, quòd ex eis eorumque complicibus præter occisos gladio, quorum non fuit numerus præscriptus, captivorum solummodo, quos Regius carcer astrinxit, quindecim millia & ultra numero computantur. Versi sunt itaque subitò dies solemnitatis ejus in luctum, sublatis in opprobrium honoris insignibus: itaque eorum superstitione deposita, qui dum in honore essent non intellexerunt, jam sumentes annexationis vincula, intellecta Regis ejusdem mandata devotè suscipiunt, & reverenter ejusdem placitis colla submittunt.

Medio autem tempore Papali Curia morante Viterbii, ibique Alexandro Quarto Summo Pontifice viam universæ carnis ingresso, dum Collegium Cardinalium, in quibus velut in montibus sanctis Ecclesiæ fundamenta sunt posita, habere incœperant de Pastoris substitutione tractatum: & cùm inter eos vertiginis spiritu & invidiæ livore suffuso, non possent in aliquo de gremio convenire, contigit, quòd Hierosolymitanus Patriarcha natione Burgundus, qui tunc ad Curiam ipsam pro Ecclesiæ suæ promovendis negotiis accesserat, concorditer ad apicem Apostolicæ dignitatis assumtus sit. Itaque factus de petitore concessor, de subdito Dominus, de filio Pater, Papa Urbanus Quartus meruit nominari, Anno Domini 1260. Cùmque post hæc viderentur jam omnia Regni negotia sic firmiter tutèque disposita, ut ex nullo videretur angulo dubitandum, Rex deliberato consilio (51) Fredericum Malecta, Bizani Comitem, consanguineum suum, cum quadam quantitate Theutonicorum ad gubernandam Siciliam in Capitaneum destinavit, qui dum in partibus illis contingentia qualibet prudenter & cautè disponeret, dum se versùs Montem Trapani, de cujus habitatoribus aliquid fortè contrarium fama referente præsenserat, se cum sua familia vicinaret, & moraretur in campis, accidit, quòd descendentibus ad eumdem Comitem decem viris ex incolis dictæ Terræ, qui pro parte Terræ totius universitatis verba devotionis offerrent, cùm ex longa sed vitiosa potiùs consuetudine (52) nullum officialem libenter ad Montem incolæ paterentur accedere, dum Comes ipse familiaris inimicitiæ (qua nulla pestis occurrit proclivior ad nocendum) præcavere non posset insidias, quidam insolens juvenis nomine Gelbus natione Theutonicus, qui Marchionis Bertholdi familiaris & intimus fuerat, quem etiam dictus Comes Comestabulum Theutonicorum ex confidentia præfecerat, & ad familiarium negotiorum consortium admiserat, capta tunc forsitan occasione, qua posset per contemtum malitiæ suæ motum jam in actu producere, proditoria temeritate tentatus, cum quibusdam sequacibus suis in eumdem Comitem sub tentorii velo jacentem inopinanter insilivit, ipsumque temerariè interemit. De cujus obitu cùm rumor veniret in publicum, homicida prædictus & complices ejus ad montis ejusdem excelsa unà cum prædictis Nuntiis confugerunt, frustrà credentes inter eos commissi facinoris invenisse tute-

(48) exigeret, magisque completi voluminis stilo indigeret. Sed priùs.

(49) *corruptus locus, neque purior in Codice de Miro, ubi legitur*: Sed priùs necessarium videretur petere armata duritia tam rebus, quàm personis tam nefandis &c.

(50) cujus nutibus tota ferè Trivisana Marchia serviebat, post infinita.

(51) *Codex de Miro*: Festum Malitiam Recsani Comitem *Ugbelliana editio* Festum Malettam Recsani Comitem.

(52) nullius Officialis libenter ad montem incolæ paterentur ascensum.

Digitized by Google

tutelam. Sicque montis ejusdem habitantibus, suæ rebellionis malignitate detentis, ne scelus hujusmodi remaneret inultum, & montis perversitas in sua obstinatione persisteret, Fredericus Lancea Comes Squillacii, qui insolentias regionis ejusdem ab experto calcare prænoverat, de beneplacito Regis Capitaneus in Sicilia subrogatur, qui sub fortuna Regia viribus instauratis, perurgens obsidionis instantiâ, superbiam montis ejusdem per extremæ desolationis & exhabitationis excidium potenter edomuit, & ejusdem facinoris patratores convenientis supplicii pœna, quam justè meruerant, cæde confecit; de cujus montis incolis jussit Rex construi Civitatem novam, quæ vocatur Regalis, prope Scapellum in loco (y), ubi antiquitus Civitatis Apollinis vestigia subsistebant.

Jam in tota Sicilia pacis reformatione disposita, & Frederico prædicto domesticis restituto solatiis, Richardus Filangerius Comes Marsici ad ejusdem regionis regimen deliberatione provida destinatur. Dum autem Richardus idem officii sui partes impleret, & Rex in Apulia feliciter ageret, credens sic omnia in Regno disposita, ut ex nulla timeri posset parte turbatio, novus & inopinatus in Siciliæ partibus ignaviæ morbus invaluit, & mirabilis stupor irrepsit. Dum enim quidam pauper (53) Johannes de Calcaria nomine, infimæ conditionis, & abjectæ fortunæ mole depressus, ac inopiæ squallore discurreret, ex concordibus forsitan vultus ac ætatis indiciis, per quæ fallax opinio in uno eodemque subjecto diversas plurimasque formas similitudinis conformitate mentitur, audivit pauper ab aliquibus, qui eleemosynarum sibi suffragia porrigebant, Imperatori præmortuo se fore consimilem; cùmque videret inopinato ore verba crebrescere, mutavit repentè mendicus animum, & quæsitus hactenus super his responsa negantia dissimulat, quatenus verisimilia faciat quæ dicuntur. Oritur ex ipsius negatione suspicio, (54) & cùm nutriatur hominis appetitus inventis, eo magis insurgebat de ipsius ambiguitate credulitas, quo major inficiatio tradebatur. Jam rumor de verbo in verbum in fabulationem dispergitur. Discedit pauper à frequentia populi; barbam nutrit, ut inventa liberiùs valeat fabricare mendacia; loca petit vicina silvestria; firmat in monte Gebello latibulum; Imperiales sibi mores & verba, quæ veritas & natura non dabant, (55) adulta fictione componit. Jam falsus per Siciliam rumor increbuit: visitatur pauper in tenebris, honoratur plus solito, & rerum victualium, quarum ipsi priùs inopia fuerat, copiosa per aliquos opportunitate fulcitur. Ad hoc plures exules, quos perfidiæ macula de natalibus terris vicinis abjecerat, & in nemoribus latitabant, (56) ad simulatum ipsum audito rumore currunt, falsitates tantas explorant, quæsitas inveniunt, & veluti qui fluminis impetu prolabentis apprehensâ jam stipulâ credunt undas evadere, adhæserunt exules magistro mendacii, & quas solus fortè formare non poterat, jam plures sibi addunt semitas, falsas roborant fictiones. Ecce jam plenum falsitatis Imperatorem titulant, colunt ut Præsidem, venerantur ut Dominum, & in securitatem Principis excelsum (57) Montem Centurbii, quem olim exhabitari fecerat Imperator, pro tutiori statione conscendunt; per quos Imperiali sigillo vitiosè conflato, sub consueto titulo Cæsaris literas per diversas partes Imperator phantasticus subdola firmatione conscribit, & ut faciliùs audientium animos novæ fraudis adinventione corrumperet, indicat se olim habitu simulato, divinæ permissionis oraculo, ad expianda delicta nonum annum peregrinationis exercitio peregisse. Ita sollicitat, & sub isto colore requirere non formidat.

Hæc quippe fraudis & erroris intemperies multa confinia loca Siciliæ callida machinatione corrupta, & remota etiam, nisi necem prævenisset antidotus, morbus assiduus infecisset, cùm essent quamplures, quos ad credendum simplicitas tanta conduceret, & nonnulli, quos etsi super hoc scientia certè non falleret, simulantes se tamen nescire quod noverant, ad aliquorum sequelam violatæ jam mentis perfidia cogebantur. Cùmque super hoc Regis amicos relatio inopinata perstreperet, & ad longinquas ferme provincias figmenti hujusmodi novitas pervenisset, ad subvertendum idolum & cultores ejus dictus Richardus Præses Provinciæ instanter accingitur. Et cùm ad summitatem montis ipsius, in quo jam perversorum quantitas magna convenerat, tum ex prædictæ saxosæ rupis objectibus, tum ex viarum arctissimis intervallis sibi & suis impugnare volentibus facilis non pateret ascensus, obsidionem ibi satis ingentem exercitu congregato firmavit; inclusosque coërcuit, ut nulla victualium quantitas, quibus miseram regere possent inediam, ad eos more solito portaretur. Cùm autem nimis esset inelegans, nec Regia etiam fortuna permitteret, ut ejusdem perniciosa temeritas, quæ turpe nimis habuerat in sui fictione principium, non absque multorum jactura concresceret, & hujusmodi figmenti convitium ulteriùs transiret, ac multorum comitiva sequacium per devia montium procederet, & honorificè fuisset ibidem à Civibus in illa vana pompositate receptus, dum frustra crederet tempus in antea servire versutiis, dictus Richardus Comes illuc cum suorum equitum comitiva procedens, conflictu cum hostibus violento præhabito, præfatos senem & complices ejus ibidem prudenter & strenuè capere procuravit. De quorum captionis eventu Rege consulto, licèt in spectaculum servari eos & opprobrii causa petierit; quia tamen dignus non erat reus, qui tam sibi quàm pluribus aliis fuerat causa mortis, pœnas dignè sortitus, quas justè meruerat, furcarum patibulo suspensus, quos intimos sequaces sui figmenti participes & collegas habuerat, ejusdem supplicii non dimisit expertes.

Ad hæc Rex præfatus post prædictorum supplicia, firmato consilio, partes Siciliæ personaliter repetit, ut Provinciam ipsam ab omni contagio perversitatis expurget, & in statu pacifico suæ præsentiæ visitatione confoveat, pergensque Panormum multis fuit & variis donariis præsentatus.

Sic

(y) *Cod. Mess.* dicitur Vetus.
(53) Johannes de Colavia.
(54) & cum nitatur hominis appetitus in vetitum, eo magis.
(55) adultera fictione.
(56) ad simulacrum ipsum.
(57) montem Conturbii.

Digitized by Google

Sic igitur regione ipsa disposita, Rex ad consueta solatia Lacus Pensilis, quæ copiosa venationis habilitas, originalium fontium amœna frigiditas, & placidi situs nemorosa temperies grata reddunt, æstate succedente revertitur. Dumque toto jam Regno in statu tranquillo salubriter stabilito Regem ipsum de remotis & exteris, ad quæ jam suarum virium habenas extenderat, studium debitæ curiositatis attingeret, parentelam cum Rege Aragonum tractatam hinc inde per Nuntios, præmisso primordio contrahit, & filiam suam Constantiam, quam ex prima consorte sua Beatrice, filia quondam A. Sabaudiæ Comitis, Imperatore vivente susceperat, Domino Petro primogenito dicti Regis Aragonum matrimonio solemni copulavit.

Post hæc ipse Rex Manfredus, quem Papalis Curia, ut sic exaltari non valeat, diffamare contendit; cui qualitas temporis & rerum eventus, invidiæ zelo quotidie crescente, felicitatem concumulant: citatur ad præsentiam Summi Pontificis, citatione videlicet publica, in colloquio tantùm Papalis prædicationis expressa, & inscripta cedulis affixis præ foribus Ecclesiarum Urbis-Veteris, ubi tunc Sedes Apostolica morabatur, quæ ad eumdem Regem nec literarum nec Nuntii visione pervênit. Cùmque nollet super hoc Rex ipse de arrogantiæ seu contumaciæ culpa videri notabilis, quem Papalis Curia satagit in quantum potest infamiæ nota lacessere, Nuntios suos ad Sedem ipsam consulta deliberatione præmisit, humiliter supplicans, ut ex quo ipsum illuc personaliter juberet accedere, de securo & habili (58) loco, cum familia decente sua posset commodè juxta suæ dignitatis exigentiam inhospitari, benignè sibi Pater Apostolicus provideret. Tamen Rex ipse magnificè usque ad Regni confinia cum magna, qua decuit, equitum comitiva processit, ut ex vicinitate locorum posset habiliùs super his Nuntiorum expectare responsa, & de ulteriori processu vel mora, sicut sibi meliùs expediret, consulta deliberatione pensare. Excusatorum itaque prædictorum allegationibus non discussis, ipse Summus Pontifex eum vinculo excommunicationis astrinxit; cùmque super hoc nihil sibi devotio demonstrata profuerit, quem conabatur Ecclesiastico jure omni, qua posset occasione concutere, repetit Rex partes Apuliæ, ut circa alia suorum negotiorum studia curas debitas & visitationes impendat.

Interea Conradus de Antiochia Comes Albæ, Regis ejusdem nepos, qui pro Capitaneo fuerat destinatus in Marchiam, dum ad Castrum Monticuli habitatorum copia & montuosi situs eminentia munitum, sub confidentia solita & spe securitatis accederet, fuit ibi cum aliquibus familiaribus suis per incolas loci subita & inopinata proditione detentus, in cujus subsidium ad mandatum Regis magno & præpotenti exercitu congregato, Gualvanus Lancea Comes Principatus & Fundorum, Marescallus Regni, Socer ejusdem Conradi, cujus cordis intrinseca generi captio violenta pupugerat, pluribus aliis Comitibus aliisque Regni Nobilibus sociatus accessit. Sicque per eum circa Castrum Monticuli exercitus obsidione firmata, & ingenti depopulatione peracta, ibique protractâ morâ usque ad vigesimum hyemis instantis tempestatis, dimissâ quoque in Macerata magnâ equitum comitivâ, ad expugnationem Monticuli processit; & captis quampluribus regionis Nobilibus, qui factionis ejusdem capita dicebantur, dictus Gualvanus & alii de comitiva sua, soluto exercitu, cùm Castrum ipsum habere non posset, nec mora sua esset ulteriùs necessaria, inde discessit. Contigit autem, quòd idem Conradus, quem proditores ipsi ante depopulationis illata stipendia liberare noluerant, procurante solertia quorumdam devotorum suorum, qui circa custodiam assistebant, intempestivæ noctis silentio de carceris compedibus evasit, & restitutus est beneficio libertatis.

Cùm autem Regi undique ad votum universa succederent, Romani Cives de more mobiles, quos ex hoc in illud exilis de facili versat occasio, illius modicæ libertatis reliquias, quas ipsis præscripta veterum transfundit auctoritas, temerè distrahentes, exclusis pro magna parte Nobilibus, Carolum Provinciæ Comitem elegerunt in Dominum, & Senatorem Urbis perpetuum evocarunt. Hunc etiam Summus Pontifex, ut habuerat operarium per quem temporalem gladium seculariter exerat, non absque jactura multorum Regi Manfredo procurat opponere, dum Regni Siciliæ, cujus Rex ipse possessione pacifica fruebatur, verbosas & scriptas dirigit responsiones.

Interea Dominus Carolus ad requisitionem & instantiam Romanorum Vicarium suum misit in Urbem, ut Civitatem ipsam in ejus absentia regat & dirigat loco sui. Cùm autem Vicarius ipse rector in Urbe præesset, & Nobilibus, quos abjectos invenerat, Civitatis introitum denegaret, Nobilis quidam Urbis Proconsul, nomine Petrus de Vico, qui in maritimæ partibus Urbi vicinis plura Castra tenebat, & qui Regi Manfredo jam dudum ex zelo multæ devotionis inhæserat, guerram cum quibusdam adversariis suis, & specialiter cum Pandulpho Comite Anguillariæ quotidianis conflictibus agitabat. Hujus autem Comitis pater multùm fuerat Imperatori Frederico devotus: sed hic à paterna devotione degenerans, Regi Manfredo, per quem fortè multa vitasset dispendia, signa reverentiæ non ostendit.

Illis quoque diebus Jordano Comite Sancti Severini exercente officium Vicarii, dum in obsidione Monticuli potenter existebat ...... (*Hic deficit*.) Post paucos autem dies ad petitionem & instantiam dicti Petri liberalitas Regia, quæ devotis proximis & remotis opportunè porrigit de more suffragia, quamdam quantitatem Theutonicorum sub præsidatu cujusdam familiaris sui nomine (59) Francisci Trevisii in ejusdem Petri subsidium destinavit. Cùm autem dictus Petrus tam gentis ejusdem auxilio quàm partis suæ favore confisus, contra hostes suos animum roborasset, Civitatem Sutrinam, cujus idem majorem partem habere videbatur, violenter intravit, eamque Regio dominio subdidit, ac fidelitatis fecit sacramenta præstare.

Medio autem tempore Rex, intermissis solatiis suis, profectus est in Terram-Laboris, ut de negotiis spectantibus ad pacificum statum Regni, tam de resistendo viriliter Comiti Provinciæ, si veniendi per eum, sicut communis tenebat opinio, casus incideret, quàm de obstando quibuslibet aliis, qui Regni vellent turbare quietem, deliberationis debitæ consilio pro-

(58) loco, in quo cum familia & gente sua.

(59) Francisci Tugisii.

provideret. Generali propterea apud Neapolim celebrato colloquio, Comitum & Baronum aliorumque Regni Nobilium animos & vires examinat & servitium, & quid eorum quilibet deberet & posset singulari discussione requirit. Jam vocatis singulorum servitiis, & feudatariis omnibus apertis, provida deliberatione statuit, ut Percivallus de Oria familiaris & affinis Regis ad partes Ducatus cum magna militia (60), & Saracenorum quantitate procedat.

Interea Vicarius Urbis Populusque Romanus pro recuperanda Civitate Sutrina communiter exeunt, & cùm Civitatis mœnibus appropinquassent, priusquam ad impugnationis conflictus signa perveniant, Civitatem ipsam propter subitam & mobilem revolutionem Civium ad manus suas (61) & dominium revocarunt: discedentibus inde cum fuga supradicto Petro de Vico, & aliis de comitiva sua; qui non potuerunt sic omnes illæsi discedere, quin plures Theutonici de stipendiariis Regiis cum eodem Petro morantes, equis & omnibus armis amissis evaserint, & quin nonnulli etiam ex eis in Romanorum manibus in carcere remanserint, ac in Castro Vici, in quo se receptaverunt dicti Petrus & sui, Romanorum ipsorum obsidione circumdantur, & machinis, caveis, & multis impugnandi generibus instanter urgentur.

Cùmque Rege morante Capuæ hæc omnia ad ejus notitiam pervenissent, in melius mutato consilio, incontinenti memoratum Percivallum de Oria, qui versùs Ducatum gressus direxerat, cum exercitu suo versùs partes Urbis in ejusdem Petri subsidium properè mandavit accedere. Alium quoque exercitum in Regni confinibus sub Magistratu Richardi Filangerii Comitis Marsici jubet illico congregari, ut Romanis eisdem, nisi à prædicti Castri obsidione discederent, omni quo possent hinc inde conamine, detrimenta continuæ offensionis inferrent. Romani verò saniori usi consilio, audito, quòd exercitus ibat contra eos, & Rex etiam dicebatur iturus, & tempus recolligendarum frugum instaret, procedentes ab ejusdem Castri obsidione discedunt, & in Urbem properè revertuntur. Vel forsitan Romanorum innata dissensio, & natura semper ad dissentiendum proclivior, quæ numquam commune commodum, sed privatum dumtaxat affectat, cùm jam expugnationis ipsius Castri diem cerneret esse propinquum, nutantibns animis illorum de illo exercitu & divisis, rei cœptæ, (62) & jam votivæ depopulationis partæ non exspectat eventum. Sed Vicarius Urbis Jacobus de Gualtebino (z), de Provincia oriundus, qui jam pro Domino Carolo venerat pridem à Gallia, maturè debitum exsolvens, exercitus vota divisa præsentiens, & majoris partis exercitus ejusdem mentes, quæ non libenter ad finale dicti Petri exterminium accedebant, sic intra se cognoscens, quasi quadam machinatione corruptus, (63) quando Theutonici intra clausuram Burgi morantes, qui de Tuscia venerant ad defensionem ipsius de se videbantur victoriam (64) polliceri, discedendi licentiâ popularibus datâ cohortibus, & militantibus in dictis catervis, scilicet dissoluto exercitu cogitur ab obsidione recedere.

Deinde cùm de mandato Regio Percivallus præfatus gressus suos versùs partes Ducatus repeteret, & ad cujusdam aquæ transitum, quæ dicitur Nigra, de Marchia prope Ayronem cum exercitu pervenisset, & in ipsius aquæ passagio, quamquam gens prævia illæsa pertransisset, dum quemdam alium præcedentem sibi relevare vellet, occisus fuit ille solus equo succumbente permersus: substituto sibi in Capitaniæ officio juxta Regis edictum Joanne (a) de Manerio, ut ejusdem exercitus præsideret.

Post modicum verò temporis Rege in Apuliam redeunte, dum Petrus de Vico, & Franciscus Trevesius cum Sipendiariis Regis in quodam Castro ipsius Petri, quod (b) Bremum dicitur, morarentur, & Comes Anguillariæ cum comitiva sua, & alia copiosa multitudine equitum, quam sibi Summus Pontifex, & Vicarius Urbis transmiserant, apud Castrum Ventillæ, quod tribus ferè millibus distat à Bremo, pervenisset, dum non possent se hostes præ nimia oppositione collium rectè respicere, nec alter in alterum insilire, contigit, quòd cùm dictus Comes, & sui de multitudine confidentes, in quadam media plana procederent, memorati Franciscus & Petrus cum Theutonicis secum morantibus, qui pridem ab ipsis hostibus fuerant lacessiti, & ultionis tempus promtis animis exspectabant; in eos viriliter irruerunt, conflictuque magno inter eos hinc inde commisso, quodam Pippione Lombardo, quem Capitaneum 400. militum illuc destinaverat Ecclesia, pusillanimiter fugiente, captus est dictus Comes & plures alii Nobiles Romani, cum ipso, multis ex suis, quibus maximè Theutonicorum gladii non parcebant, occisis, multisque in æstus ardore & armorum valida oppressione peremtis, ubi Stephanus Attancia vexillifer exercitus Comitis, vir in bellorum exercitatione strenuus & famosus, æstuans siti, ut referunt, oppressus & suffocatus interiit, quamquam fortassis ex multis percussionum concussionibus exspirare potuisset. Cum eodem occubuit Palamedes ejusdem Vexilliferi nepos, cujus animositas in armis juventutis multa probitatis industria se probavit.

Ad hæc memorato Vicario Caroli Romæ prosecutionem sic benignius agente feliciter, non solus Rex Manfredus ad impediendum adventum ipsius Caroli, sed Cives Gibellini Romani vigilanter intendunt, parati undique sollicitè ad bella. Jam per maris excubias multitudo Galêarum invigilat, * & voluit parata æmulis classica numerosa concertare. Jam Theutonicorum voluntas itrenescit effrænis, & eorum signa velut ex eventu forent futuro victricia, in partibus Tiburtinis prope Cellas circa Regni confinia pomposè descensa præfulgent.

Interea tamen cùm per Romanam Ecclesiam Domino Carolo, ad prosequendum Regni negotium, esset in ipsius Regni concessione omnino stabilitum, quòd saltem ipse personaliter Ro-

(60) & Arcerorum.
(61) & demanium remearunt, discedentibus inde per fugæ subsidium Petro de Vico, & aliis de comitiva, qui non.
(62) *locus corruptus. In Codice de Miro habetur* depopulationi parte non exspectat eventum.
(z) *Cod. Mess.* de Gualterio. *Codex de Miro* de Gualtebio.
(63) quod Theutonibus intra clausuram Burgi morantibus, qui de.
(64) polliceri. Igitur discedendi.
(a) de Mancjo.
(b) *Cod. Mess.* Pirenum. *Codex de Miro* Brennium.

Digitized by Google

Romæ deberet adesse: Rex prædictus principiis solicitus obstans, tam per mare, quàm per aridam ipsius Caroli nisus est adventum præcidere; ut per lapsum temporis Carolus idem ab accessione hujusmodi caderet, & dictus Rex postea ejusdem Ecclesiæ reconciliare se posset affectibus. Unde sub ipsius Regis toto commine quosdam fovebat honoribus in Urbe, qui cum quibusdam aliis Gibellinis, consilio inito priùs cum ipsis Gibellinis ad impediendum memorati Vicarii & Caroli dominium diverterent, quibus * cum suorum equitum comitiva per certas Urbis portas certâ horâ repentè intrent, ut non solùm contra eumdem Vicarium, sed contra Guelfos Urbis, qui Caroli promovebant excellentiam, toto posse confligerent. Apud Castrum Cerveteris quantitate quadam equitum congregata, versùs Urbem tota nocte deproperat, ita quòd in auroræ titulo Urbis mœnibus appropinquat, & dum solus cupit dona prævenire fortunæ, vel potiùs infortunii calicem prægustare, ne sibi fortè mora posset imbecillitatem animi imputare, protinus subintrat Urbem, domos quasdam, quas tenebat, & quas faciebat tunc Vicarius custodiri, animosè invadit. Est enim Romæ locus ab utroque Tyberis latere circum se positi divisus, ad quem præstant aditum pontium (65) munitæ conformiæ Insula Licaonia ex antiqua nuncupatione vocatus. Hic absque montuosa eminentia, & sinè munitione murorum est per se valde tutus & fortis, ita quod longo tempore potest ab insultatione quorumlibet defensari. Ad hunc autem cùm idem Petrus cum suorum equitum comitiva procederet, præsentitus à loci ejusdem custodibus, ita secretò nequiens se, ut credebat, reducere, se & suos juxta eumdem locum, qui (c) Piscinula dicitur receptavit, quasdam domos inibi muniens, & communis viæ fortificans passus, ut imminentem inimicorum incursum, qui jam erant contra eum venturi, subcautè posset evadere. Cùmque Vicarius prædictus cum quibusdam suis commilitonibus de Provincia, Romanorum Guelforum non exspectato subsidio, ad expellendum dictum Petrum & gentem suam decenter accinctus armis & equis accederet, conflictus primordia reportavit diversa. Licèt enim utraque pars, Provincialis videlicet, & Gibellini Romani, qui cum prædicto Petro aderant, durè ac fortiter conflixerint, in ipso tamen principio Vicarius cum suis repellitur; sed occurrente sibi per Insulam supradictam Domino Johanne de Savello, homine securi cordis & animi, qui honorem supradicti Caroli tota mentis affectione zelabat, eodemque ab alia illius contratæ parte cum gente dicti Petri viriliter confligente, dictus Vicarius contra hostes resumit vires & animum, & belli perurgens insultum, eumdem Petrum convertit in fugam; hos milites ejus perdit, illos capit, & carceribus mancipat, & tam gloriosissimum & victoriosissimum ex ipsius hostibus triumphum consequitur, quòd hostes omnes prædictos, excepto eodem Petro cum tribus tantùm sociis, fugæ præsidio ab hostili tempestate subductis, vel crudelis gladius excidiosè contrivit, vel Capitolii carcer adstrinxit.

Ex hac itaque debellatione (66) quamplurium Gibellinorum fuerunt corda concussa, & eorum adeò perterriti animi, quòd ad turbandam Urbis quietem, quam demoliri moliebantur externis, non (67) acceptant ulteriùs requirendam; sed in Urbis circuitu tamquam aper à venatore confusus per eorum anxii castra discurrunt. Cùmque tota ferè Gallia, & Provincia pro dicto Carolo, qui de Regni dominio perpetuam jam à Sede Apostolica receperat cessionem, ad mactandum vitulum saginatum, quem ejusdem Regni Siciliæ deliciosa nutrierant, provida foret sollicitatione commota, quibusdam melliflua coactione perversis, nonnullis stipendia magna recipientibus, quæ de mandato Summi Pontificis de proventuum Ecclesiasticorum decimatione acceperant, contra Regem dictum mirificè venire paratis, (68) jam per Montes Etruriæ fulgentia illorum signa vernarunt. Jam pro conservatione Urbis ad præparandam Carolo viam quamplures milites præmittuntur; & dum favet huic Dominus Clemens Ecclesiæ universalis Antistes, qui cùm esset de Provincia oriundus, erga Carolum multa teneritate cordis accensus, & de statu suo, tamquam Pater de filii honore solicitus, (69) ipsius quasi Ecclesiæ dumtaxat negotium, indefessa sollicitudine vocis & operis ferventer assumserat, & omnia quæ sub cœli reguntur regimine, & quæ ambitus terræ claudit, sereno & votivo lætitiæ jubilo, Carolo militant; cùm quidam miles cognominatus Ferrerius, qui statura magna corporis ferri verisimiliter nomen æquabat, hinc Romam primitus veniens, versùs partes Tiburtinas ad loca, quæ Cellas nominant, cum quodam promtitudinis fervore procedit. Ibi Dominus Jacobus Neapolion caput Gibellinorum Urbis, propter Gibellinitatem ab Urbe dejectus, habebat prope ipsas Cellas Castrum Vicovarii, valde forte; qui erat Dux, & ductor quorumdam Theutonicorum, quos ad partes illas in ipsius subsidium Rex ex callida provisione transmiserat: cum quibus dictus Ferrerius sperans in illo sui fervoris impetu de Theutonicis & Romanis exulibus promereri triumphum, ex improviso bellum durissimum inchoavit: licèt à quibusdam militibus Campanis, quos Summus Pontifex stipendiari fecerat in ejus subsidium, fuisset inchoatum bellum fortiter dissuasum. Verùm non sinè mysterio Caroli volebant auspicia, ut propinquum campestre bellum perderetur à suis, quia fortuna plurimùm actibus humanis illudens, nonnumquam per præcedentia signa victoriæ ultra mentitur cum felicitate futura; & cùm quosdam favores primordialiter exhibet, omine jactans votivo primitias, ut incautos postmodum in abyssum finalis exterminii liberiùs demergere valeat: hoc continuo ludo ludendo, volens Regi prædicto favisse videri, dat sibi, ut ita loquar, (70) morsellum cerebri, ut non possit ampliùs ex aliis deglutire; & sic dictum Ferrerium, quod incautè incœperat in præcipitii discrimen adduxit, & bello totaliter perdito, captum inibi hostium suorum conclusit in manus. Quem Ferrerium memoratus Dominus Jacobus Neapolion, ex novo triumpho novo repletus gaudio, captivum

(65) munita conformia, Insula Livinia.
(c) *Cod. Mess.* Pistenula *Codex de Miro*. Piscanula.
(66) quamplurimum Gebellinorum.
(67) non attentant.

(68) Jam per montes & rura fulgentia signorum Lilia vernant.
(69) ipsius quinimmo Ecclesias.
(70) morsellum Cerberi.

vum ad Regis præsentiam sub fida custodia destinavit. Hujusmodi captionis diem Rex ipse quasi felicium successuum gloriam & mysterium solemnizans, festiva celebratione commemorat. Veniunt augures, adstant astrologi, (71) adsunt aucelli, currunt aruspices, divini festinant, ac veluti qui sua dicta, ut volentibus applaudant Dominis, & dissimulantibus adulentur, soliti sunt subornare mendaciis, certam spem Regi de prosperis successibus pollicentur.

Interea terminus peremtorius, qui Caroli exaltationi, tamquam fatalis instabat, ex temporis decursione paulatim serpens appropinquat, & dum de adventu ipsius vota hominum quodammodo desperarent, subitò juxta fauces Urbis Galêarum stolium cum gente in mare pugnabili, ad impediendum Carolo marinas semitas destinatur. Hoc postquam fauces Urbis conspicuas trabibus, & palis, & magnorum lapidum mole replendo turbavit in tantum, quòd Galêis aditus de facili non patebat, ruina credens per hoc Caroli Galêas naufragium sic intercipere, quòd nullatenus potestatis suæ judicium posset effugere; metuens propter inundantes tempestatum procellas, incassum ad terram naufragiis deportari, alta petit æquora, & freta spatiosa pererrat. Galeæ verò, quæ Carolum devehebant ad terram, ab impetu ventorum invitæ fortassis impulsæ, hostium non obviantes Galêis, juxta Romanam plagam fixis anchoris, extensis rudentibus se coarctant, & eadem durante procella, Carolus ascendens quamdam Sagittiam, non sinè personæ discrimine, terram petit, (72) cupidus fortè priùs in ipso littore mori, quàm ignominiosè à Regni concessione repelli. Sicque in descensu, dum non crederet evadere, sed omnino submergi, terra Romana ipsum excepit redivivum; & itidem maris impetu tranquillato, (73) Galli sui procedunt ad fauces, quæ objecta fuerant obstacula submovent, & Tyberis alveos liberi ingrediuntur, ac deinde, ut moris est, trahuntur ad Urbem. Carolo, qui ad terram ante descenderat, sicut Deo placuit, qui hominum dirigit vias & vota, omnes Romani Nobiles veniunt obviam, & eum reverentia multa suscipiunt; & tamdem apud Monasterium Sancti Pauli prope Urbem conducunt eumdem, cui turba Romana plebis infinitæ generis utriusque, Senex, & Juvenis, Laicus, & Clericus, ac Religiosi etiam, cum palmis processionaliter circumeundo pronuntiant Osanna pium. Atque ex ejus adventu Romanus Populus sumens ex animo festiva tripudia, choreis ludentium, & psallentium cantica noviter exinde adinventa, de more dispositis plateis, & in eis saltantibus pedibus calcare non cessant; & quilibet Nobilis juxta suæ facultatis potentiam, secum quorumdam sociorum equitum comitivam signanter inducit ad ludendum: nec est sanè memoria, quòd alicui Domino Romani usque ad illa tempora majora ostentamenta gesserint, quæ diserti oratoris officium, nequaquam brevis hora temporis, enarret.

Dictus ergo Carolus, qui mille fortè milites electissimos, & in exercitio belli viribus expertos per mare traduxerat, dura maris tempestate confractos, quorum fatigata membra Ecclesia prædicta restaurat, exercitum copiosum exspectat, qui per Terram de Ultramontanis partibus veniebat, & interim equis opportunis milites suos munit. Sed dum Admiratus stolii Galêarum Regis, quas usque in districtum Januæ valida tempestas impulerat, Carolum & Galêas suas vidisset, quod prosperè Romam advenerant, statim turbatus medulliter, & confusus spiritu retrocessit, & repetens fauces Urbis, comperit de faucibus Tyberis omnia obstacula, quæ objecerat, provida deliberatione dejecta, & neglecta solicitudine redargutus, passus est dignè contumelias & terrores.

Rex itaque Manfredus, audito quòd Carolus Romam sub tanto discrimine venerit, cœpit mente fremescere, & dum vix credere posset narrationem rumoris hujusmodi, qui ex continua solicitudine Nuntii, velut Caldararii malleus, qui ictum ad cudendum socii non exspectat, denuo statim perstrepebat auditum, non solùm veniendi admiratur modum, sed qualiter stolium Galêarum suarum classica Caroli sic præterire potuisset invisa, vehementissimè obstupescit. Ex his & aliis præsagiis, quæ Cœlum, Terra, & Mare portenderant, intellectum recipiens, quòd ex Dei judicio singula videbantur esse talia præparatoria contra eum. Illis enim temporibus Cometa, (74) qui multos annos clausus sub Cœli volumine in sui apparitione consuevit benignus invitare, & subsistentiæ quassare dominia, velut Solares radios suos usque ad terras lucidissima Cometa extendit. Sed quamquam dicto Regi de suorum proxima ex precedentibus signis desolatione daretur intelligi, consulens tamen augures, & requirens astrologos, mentiebantur sibi quodam palliato solamine, per longa tempora regnantium. Sicque generali colloquio apud Beneventum edito, Barones, & Feudatarios omnes Regni Siciliæ, ac quosdam bonos viros de singulorum bonorum locorum districtu evocat, & Theutonicorum cohortes, quas per Italiam sparserat, collegit.

Congregatis ergo universis, quos fecerat accersiri, ad Comites tamquam ad electos suos se dirigens, talis sermonis propositiones orditur. *Ecce, inquit, ignis urens de longinquo præ foribus nostris assistit,* (75) *unusquisque propterea suæ domus aquam sinè excusatione manibus suis excipiat, & obsistat, ne dum sinè rerum, & personarum exceptione consumit, domus cujuslibet devoretur ab eo. Ecce incurata ulcera, quæ malus noster pudor sub contemta dissimulatione celabat, sinè medicorum suffragio parantur ad fistulam; quilibet ergo proprio gladio vias morbi hujus toto posse concludat, ne dum usque ad cordis viscera venerit, & nostras intimas neglectus medullas inficit, deinde incurabilis habeatur. Gens quippe ista, dum Comites, & Barones Regni, & Patrimonium nostrum vénit invadere, ferocissima, & austera censetur. Hæc inquam pietatem, & misericordiam dimisit; infantiâ cor durum, ferocitatem mentis, animum inexorabilem contra nos ex proposito secum congestat. Audivistis aliquando de benignitate & mansuetudine illorum de domo Franciæ aliquid enarrari; sed tales non credatis esse, qui nos veniunt aggredi.*

(71) adsunt harioli.
(72) cupidus fortè priùs vel extinctus adimplere, quod voverat, quàm ignominiosè &c.
(73) Galeæ suæ procedunt ad fauces, & singula quæ objecta.

(74) quæ multos annos clausa sub Cœli volumine &c. benigna invitare &c. ad terram lucidissimè &c.
(75) *unusquisque ergo procurator suæ domus.*

Digitized by Google

di. Nos quidem nec amicæ preces, nec affectionis zelus contra nos, & Regnum nostrum concitavere venturos, sed sola cupido auri, & affluentia Regni nostri, quam pompa Regnicolarum fecit esse desiderabilem. Illa violentos prædictos allicit, & rerum alienarum sitibundos attrahit, & ad spolia nostra desiderata compellit; & sicut Comes Provinciæ Carolus filius Regis Franciæ facit nostram ut personam exterminet, quotidie se contra nostras fortunas parat, sic, immo avidiùs, illi, qui cum illo associantur, sub illa intentione deproperant, ut bona vestra diripiant, & non dimittant personas. Crudelis impietas, nostris inaudita temporibus! Exteræ, & effrænes gentes, quæ non nisi ad crudelia execrabiles habent aptas ad ferocitates manus, & ad spolia promtas, quærentes semper quid devorent, tranquillum statum Regni concutiunt, & omnia nostra perturbant, dum credunt solo fruitorii (76) impetu subjugare; sed ex quo cum ferocitate festinant, ferociùs resistamus eisdem. Firmum enim credere possumus quidem, quia pro nostrarum virium defensione, & pro conservatione nostræ Justitiæ dimicabimus, malitiam ipsam justitia non debeat consovere. Unum quidem attendite, quòd si venientibus cedamus hostibus, aut lentè resistamus, vel si nos audient aliquo modo trepidantes in aliquo, Gallici de more tunc quantum possunt impellent: animosi enim sunt aggressores, sed si resistatur sibi viriliter, consuetudine superborum, finaliter consueverunt succumbere. Quia igitur hæc injuria tangit omnes nostros fideles, & illum magìs, (77) quem Regis copia plus abundare concessit, & qui Terram à nobis obtinet ampliorem: universi ergo, & singuli, qui zelant nostræ Majestatis honorem, & affectant Celsitudinis nostræ gloriam, juxta suarum facultatum potentiam, armis, equis, & proborum virorum comitiva se muniant; ut cùm venientium turba nostrorum hostium confinia Regni nostri pulsaverit, illis & eorum superbiæ sic potenter & viriliter obsistatur, quòd doleant se in Ultramontanis partibus non fixisse vestigia, & si qui manus potuerunt copiosæ nostræ gentis effugere, confusi mox subitò retrocedant.

Postquam igitur Rex Manfredus circumstantibus turmis votum taliter suæ mentis aperuit, & propositum sui cordis fundo deprompsit, universi quidem & singuli collocutioni Regiæ annuunt, & parlamento dimisso, à quibuslibet ad propria sub eo colore, ut quilibet juxta suæ facultatis potentiam contra venientes hostes (78) sua muniant. Redeuntibus jam promissa fides Comitum latenter violatur interea, quam sola imbecillitas animi, ac falsæ mentis incostantia, & non metus violabilem faciebat; nondum enim quemquam timere poterant, sed ejus formidine, quod verebantur accidere, futuri casus præmeditatione perterriti, tractatum per Nuntios tam cum Comite Provinciæ, quàm cum Apostolica Sede dolosiùs ineunt, & eorum vota Comitis ejusdem voluntatibus Nuntiorum destinatione confœderant, ac ipsius mandatis placida significatione arctantur.

Rex tamen Manfredus post hæc in Alamanniam pro duobus millibus militibus equitibus, pro quibus pro sex mensibus stipendia duplicata transmiserat, non sinè anxia voluntate transmittit.

Interea Carolus Romæ in Basilica Apostolorum per quatuor Cardinales, à Summo Pontifice ad Urbem de Viterbio propterea destinatos, in Regem Siciliæ delinitur, & Regali diademate coronatur. In cujus coronatione mirabilia festa fuerunt Anno Domini 1265. per Clementem Quartum, succedentem Urbano, & nova tripudia, & festiva gaudia celebrantur. Ludunt enim generaliter omnes Romani, & quilibet, sicut ei plus bonorum copia suppetit, ita miles pariter & pedes instructus per agmina pomposiùs se ostendit ibidem, & celebriora constituit solemnia festi hujus, ut diei tanti negotii memoria perenniter memoretur. Jam Gallicorum multitudo numerosa circumfluit, jam totus Regis Caroli solicitatur exercitus; Romam veniunt quidem inopes, & laboribus fatigati, ac expensis oppressi, & ideo eorum promti spiritus violento appetitu ad bella eos accelerant, compellunt & verbo, & opere, acerbiores efficiunt & amicitiæ traditores. Unde extingui celeriter pro prima furia cupiunt, vel cædis occasione, aut spe pretiosorum eorum sacrorum mobilium amplo voto cogitant, & affectant. Contrahit tamen & ipse Carolus, & alii de exercitu suo mutua à Romanis Mercatoribus, qui desiderabant in Regno Siciliæ (79) libertatis immunitate gaudere, multaque præcedenti pollicitatione recipiunt. Reconciliantur quamplures Gibellini Romani, & ad Regis Caroli gratiam cum quadam promtitudine redeunt, ex quibus Petrus Romanus jam dictus, qui Regis ejusdem quondam persequebatur honorem, nunc Majestati Regiæ devotus efficitur, & ad ipsius fidelitatem gratiosiùs admittitur. Hic, ut dictus Rex de conversione sua pignora certa reciperet, contra Manfredum unà cum Regis exercitu ultro se offert iturum. Profectò modica supellex, rerum penuria, & carentia pretii, Gallicos instantissimè impellebant ad Regnum: sicque à Dominis Cardinalibus supradictis susceptâ cum devotione veniâ omnium peccatorum, quam auctoritate Summi Pontificis poterant indulgere, versùs Ceperanum, ubi Regni, & Campaniæ fluvius quidam confinia dividit, avida voluntate festinant. Cardinales verò prædicti extra Urbem tantùm Regem traducunt, eumdem ibi juxta Formas ipsum mutuò pacificè osculantes, & signantes eum Crucis signaculo, abire licentiâ datâ permittunt. Pater tamen ille magnificus Dominus Richardus Sancti Angeli Diaconus Cardinalis, natione Romanus, usque ad Castrum Molariæ proprii impensa peculii, pro sua & suorum perpetua propensione, comitatus est Regem prædictum.

Manfredus verò status sui hujusmodi ventura flagella præsenserat, ac veluti in extasi ac alto terroris involucro positus, ignorat penitus, ubi venientibus hostibus se opponat, ubi eis obstacula præparet, ubi obsistat eisdem; & dum ad resistendum propterea flumen repetit, ut per se facta impedimenta sint talia, quòd hostes in oppositum constituti nequeant se manualiter jungere, nunc Capuam, nunc Ceperanum, & tamdem Beneventum, festinus discurrendo gressus dirigit & revolvit. Quamlibet enim Terrarum hujusmodi altâ fluminis ripâ,

(76) *furentiori impetu omnia subjugare.*
(77) *quem Regni copia.*
(78) sua muniant, reditur. Jam promissa fides Comitum latenter violatur interiùs.
(79) libertate & immunitate.

ripâ fortificat, ac profundè defossum aggeris roborat; sed præscitus ad malum obstinatus Manfredus, qui apud Ceperanum gentis suæ resistentiam ordinare debebat, passus Regni vacuos & sinè custodiæ munitione reliquit, ut liber ad Regnum aditus pateat inimicis. Verumtamen in Castro Sancti Germani duo millia Saracenorum, & mille equites jussit pro tuitione morari. Sicque Rex Carolus cum suo victorioso exercitu Regnum liberè ingreditur, de cujus amœnitate jam aspergitur nova lætitia, jamque gaudio votivo completur, & diem quamlibet pro anno sibi computat effluere, donec resistentium adversariorum posset faciem intueri. Vênit igitur properè ad quoddam inexpugnabile Castrum, quod aliquid contrarii videtur habere, (80) cùm Rocca Arcis appelletur à vulgo: hac enim Rocca vix fortior posset inveniri, quam rupes montuosæ circumdant, & quasi de medio petrarum confixam, saxosa montium prærupta convallant. Hanc Gallici pedites, quasi leve quid esset, miraculosè conscendunt, (81) ad quam nisi noviter mutaretur infirmitas, vix crederentur posse per longa tempora devenire. Sed sicut Deo placuit Castellanus inibi deputatus, violentis perterritus Gallicorum insultibus, & præ multitudine copiosa exercitus castrametantis, per ipsius Castri circuitum stupefactus, misericordiæ mercedem implorat; (82) cui mandata Regis Caroli coacta voluntate petenti Rex ipse personæ veniam benignus indulsit, & mobilium rerum suarum, quas in eodem Castro habebat, omnimodam tutelam spopondit.

Fama itaque referente per patriam, quòd gentes Ultramontanæ tam fortissimum & inexpugnabile Castrum belli subjugaverant insultu, quælibet Terra, quæ ea se minùs fortem esse putabat, & debiliùs poterat se tueri, tanto magìs diem conflictus & expugnationis exspectare formidat. Unde factum est, quòd quæcumque Civitas, Castrum, seu Casale, situm est in circuitu Burgi Sancti Germani prædicti, abjurato Manfredo Domino, & Regis Caroli mandatis devotè parendo, signa subjectionis & fidei voce confitetur & opere. Jam famelicis & fatigatis gentibus de suorum victualium fœcunditate subveniunt, & quæque pretiosa pro libertatis dono assequendo Regi offerunt & militibus Regiis.

Sed hæc modica pars Regni, nec tanta, nec talis erat, quæ de substantia sua replere posset vacuum Gallicorum, seu eorum resarcire penurias, vel anxietates extinguere; unde succedentibus eis ad votum undique prosperis, vigorosiores & magis voluntarios ad spolia, & excidia hostium, requiemque suorum laborum, Princeps iste mendicus suos in his efficit. Et veluti astur, (83) quæ plumis deformis suscipitur ad capiendos æstivo tempore teneros perdicum pullos, quos debilis volatus nondum defendere rapacibus valet ab ungulis, per doctum aucupem provida incitatione dirigitur, (84) ut captâ prædâ & pullorum hujusmodi sanguine prægustato, deplumare jam discat, & efficiatur postmodum magìs rapax: ita Gallicorum innata complexio, quæ per se speciali ferocitate suffulta, sinè pavore mortis infert, & refert exitialia jacula, ad illas rationes occisionis accenditur, & ad spolia prædicta violenter allicitur, jam præmatura feliciter captâ prædâ, & deliciarum Regni dulcedine prægustata.

Hujus igitur successu felicitatis accensi, ad Castrum Sancti Germani, ubi magnam partem opponendæ resistentiæ invenire credebant, properè nimis pergunt; & cùm omnes ferè (85) machinas, quibus mobilium equorum suffragio uti consueverant in obsidione Castrorum, secum fecisset Rex Carolus per multitudinem curruum deportari, ibi apud Sanctum Germanum singuli de curribus deponuntur, & currus pariter & aurigæ subsistunt. Verùm nihil his machinis, nec aliis similibus generibus oppugnandi profecerunt; nam quanto invalescebat Gallicorum animositas, tanto in hominibus Terræ crescebat audacia. Insultum igitur manualis (86) pugnæ contra muros à latere fluminis ferventer incipiunt; & quoniam plus Latini de more, quàm Gallici consueverunt, & industriosiùs etiam, impugnationes Castrorum hujusmodi gerere, quàm Ultramontani, nonnulli Nobiles animi & corporis vires & virtutes cum quadam fervoris anticipatione moliebantur ostendere, inter quos Petrus Romanus, Romanorum Proconsul superiùs nominatus, cupiens Regis ejusdem gratiam redimere mentis, quam apud eum demerendo perdiderat, locum pugnæ cum quibusdam commilitonibus suis anticipans ipsius Burgi muris sinè discrimine approximavit impavidus; quem jactus frequens innumerabilium lapidum, illorum videlicet, qui muros tuebantur eosdem, usque ad mediam corporis partem obsedit in tantum, quòd se movere non poterat; sed eum quasi perditum Gallicorum, & Latinorum succurrentium promtitudo salvavit, cujus audaciam videntes, corda fortificantes & animos, & cœptum continuantes insultum, ita fortiter dimicarunt, ut fugatis murorum defensoribus portam occupaverint prædictam. Profectò tam durissimum insultum Saraceni & alii, (87) qui pro ingressu exercitus ad custodiam Sancti Germani per Manfredum fuerant deputati oculis intuentes & majorem illo mentis intuitu recensentes, se fugæ præsidio commiserunt, cùm non ad impellendum ex deliberatione potiùs essent (d) acti. Sed his fugæ remedium usquequaque non profuit, nam majorem ipsorum partem Gallicorum gladius sinè misericordiæ venia trucidavit. Occubuerunt inibi sinè numero multi, quibus non pepercit Gallicus, vel Latinus; & eorum corpora, quæ præ vulnerum confusione crudelium discerni vix poterant, in esum esurientium animalium jacebant exposita & famelicis volatilibus derelicta. Nonnulli tamen manum Gallicam evadentes, & fugam usque Beneventum continuantes, ubi Manfredus cum magno exercitu Theutonicorum, Lombardorum, & Regnicolarum aderat, (88) satis verè poterant de hujusmodi strage referre. Cùmque denuo successus & prosperitates Gallicorum multiplicantur feliciter, violentiùs eorum invalescebat audacia, & voluntatis anxiæ promtitudo cresce-

(80) Rocca Arcis appellatum à Vulgo.
(81) ad quam nisi novas alitum mutarentur in formas.
(82) cui mandato Regis Caroli coacta voluntate parenti.
(83) quæ firmatis plumis de firma suscipitur.
(84) & capta præda &c. jam didicit, efficitur.
(85) machinas Urbis Nobilium, quorum suffragio.
(86) pugnæ juxta muros ad Portam, quæ est à latere.
(87) qui pro ingenio exercitus.
(d) accincti.
(88) satis veritatis.

ſcebat, unde nullo quæſito diffugio, ſed ſublato quolibet moræ diſpendio, ad Manfredum pervenire deſiderant, & cum ſuis militibus confligere anxiantes uſque ad fores validas Civitatis Beneventanæ actu continuo & impulſu non ceſſant adverſariorum reliquias perſequi: & dum nec ſibi, nec equis eorum parcerent, qui erant præ longo itinere fatigati, quaſi omnes deficere videbantur. Sed tanta erat ſpoliorum aviditas, (*dum*) ſuccedebant eis undique proſpera, quòd totius laboris & diſcriminis onera levia reputabant.

Poſtquam igitur Gallici (89) continuò, & veluti Arcerus Siculus, qui de mane ad veſperas clamans ſequitur, fatigati ad quemdam Campum de prope Beneventum deveniunt, in quodam colle, qui reſpicit ex oppoſito Beneventum, cujus diſtantiam alveus fluminis tantùm facit, figunt accelerata veſtigia; & dum ſic ſunt in ipſo colle caſtramentati, Rex Carolus, qui continuo motu per exercitum, frendens ſicut aper dentibus, diſcurrebat, multos militiæ cingulo ad perpetuam rei memoriam decoravit, continuo quaſi clamore has voces catervis exercitus emittendo: *Hic clariùs apparebit quales habent Gallici milites: qui militiæ zelant honorem*. Sanè poſt hæc primatibus exercitus congregatis in loco campi, ubi qui voluit potuit intereſſe, his eos verbis brevibus alloquitur.

Parlamentum Regis Caroli.

„ SCiatis certiſſimè, Domini Milites, quòd
„ de loco iſto in Franciam fuga longos
„ habet protractus. Ut pugnemus venimus;
„ ſi ſuccumbamus hoſtibus, ſinè ſpe miſeri-
„ cordiæ moriemur; fugæ præſidio nullum tu-
„ telæ patrocinium nobis impendetur, quia
„ gentes, per quas venimus, ſicut nos venien-
„ tes honorabiliter tractaverunt, & reveren-
„ ter impenderunt nobis gratum obſequii fa-
„ mulatum, ita nos fugientes, animis eorum
„ in pravitatem converſis, quadam æmulatio-
„ ne uſque ad mortem perſequentur. Reſiſta-
„ mus ergo viriliter, & pugnemus audacter,
„ ut vel omnes uno ore diglutiamur, vel ſpe-
„ ratum triumphum ex hoſtibus conſequamur.
„ Tolerabilibus enim eſt mori, quàm fugere;
„ nam fuga anxia multiplices mortes inter
„ odientium diſcrimina ſecum trahit. Nos
„ quidem confidentiùs poſſumus dimicare,
„ cùm enim adverſarii, quos anathematis &
„ excommunicationis ſententia perculit, ſub
„ illius nomine Sathanæ, cujus manibus per
„ hujuſmodi ſententiam ſunt à Sede Apoſtoli-
„ ca mancipati, cum æternæ vitæ deſperatio-
„ ne confligunt. Nos ſolùm ſub illius celebri-
„ tate vocabuli, qui pro nobis pati & affligi
„ uſque ad interitum voluit, cum ſpe, immo
„ cum certitudine miſericordiæ, ab ipſius Vi-
„ cario. (90) Soliciti tamen ſitis, unde ve-
„ nientium ad pugnam priùs equos lædatis,
„ quibus ſuccumbentibus ſeſſores ad terram
„ proſtratos, & pannorum gravitudine lentos
„ & hebetes noſtrorum peditum promta ma-
„ nus excipiat & trucidet. Reguletur taliter
„ providentia veſtra, quòd ſinguli juxta ſe
„ ſingulos pedites habeant, vel binos ſi pote-
„ rint, etiamſi non poſſent alios quàm ribal-
„ dos habere: tum pro equis interficiendis
„ hoſtium, tum pro conterendis iis, (91) quos
„ excuſſerant, vel in acie præ labore continuo
„ quieſcere non ſinant. Ideo potentes & for-
„ tes, quòd niſi taliter juvent, valeant cum
„ equis hoſtium pari labore concurrere, &
„ longâ in bello morâ durare.

His igitur regulis præmuniti, velut canis in venationibus domini ſui vocibus ad prædam, quilibet ad campum paſſu voluntario coivit, & quærens quem devoret cibum ſicut famelicus Carolus lætus exſpectat.

Interea nonnulli Barones Regni, quos propter ſuſpicionis cauſas factos à Regno exules aliena diu patria foverat, Caſtra, & Terras innumeras, (92) quarum dominium juſtis titulis dabat eis licentia Regis Caroli, quam in Regni obtinuerant ingreſſu, per diverſas Regni Provincias occupant, & patrimonia ſua recuperant. Propterea Regnicolarum corda cœperunt inter ſe mutari non modicum, & generaliter minores gaudere. Credebant enim firmiter, quòd jam Regnum eſſet votivæ tranquillitati paratum, & ex adventu Regis Caroli libertati omnimodè reſtitutum. (93) Minantibus itaque Regnicolis uſquequaque per Regnum, non ceſſant interea fortes belli parcere diſcrimini, & quilibet, ut fortiùs dimicet, ſe accingit.

Manfredus tamen, qui ſemper de inſtabilitate & voto contrario illorum de Regno meritò dubitabat, (94) ſuis Comitibus hos ſermones eructat.

Parlamentum Regis Manfredi.

„ HOſtes noſtros, quos jam diu fama &
„ clamatio prænuntiavit eſſe venturos,
„ videtis in oppoſitum exiſtentes, & per Dei
„ gratiam tantos (95) & tales eſſe viſa no-
„ ſtra non judicat, quantos & quales fama
„ referente credidimus. Malos equos, & ma-
„ cilentos, & parvos habent; & ſi ſunt ibi
„ aliqui magni equi, extenuati præ labore ni-
„ mio parum valent. Dum ſic ſunt fatigati,
„ priuſquam quæſita requie convaleſcant, &
„ fortificati aliqualiter omnino invaleſcant,
„ approperemus horam conflictus, & in me-
„ dia arva ruamus, & ſi inevitabiliter fuerit,
„ moriamur. Gallici enim in ipſo inſtanti vi-
„ dentur audaces, nec ſunt ſtabiles, nec ani-
„ mum habent fortem: omnino ſunt pavidi,
„ quando reſiſtentiam aliqualem inveniunt.
„ O bona poſteritas, memoramini geſta pro-
„ genitorum noſtrorum. (96) Nonne Theuto-
„ nici gentes iſtas antiquitus viliſſimas repu-
„ tabant? nonne hos & alios requirebant
„ Itali, & eorum mero dominio multifariè
„ ſubmittebant? Fortiores ſumus patribus no-
„ ſtris, (97) majori etiam perſonarum & re-
„ rum potentia præditi, quid veremur? quid
„ formidamus? certè nihil aliud cogitemus,
„ quàm

(89) continuis laboribus, & velut Arcerus Siculus, qui de mane ad veſperas damas ſequitur.
(90) *ſupple* mittimur, *aut quid ſimile*.
(91) „ quos equi excuſſerint. Noſtri quidem macie „ præ labore continuorum itinerum non ſunt „ adeò potentes & fortes, quòd niſi taliter ju- „ vemur, valeant.
(92) quarum dominium juſtus titulus dabat eis, de licentia.
(93) Mirantibus itaque Regnicolis uſquequaque per Regnum, non ceſſant interea fortes belli parare diſcrimina.
(94) accerſitis ſuis Comitibus.
(95) & tales eſſe viſio nobis noſtra non indicat,
(96) nonne Auſonius gentes iſtas &c. reputabat?
(97) & majoritate perſonarum & rerum.

A „ quam in exterminium hostes adducere, & „ eos à facie nostra delere.

His & aliis Manfredus Gallicorum mores & facta vilificans, suos viriliter animabat; sed Comitum suorum quilibet juxta magnanimitatem & imbecillitatem animi, secundùm quod magìs & minùs fidelitatem sibi servare disposuit, voluntatem suæ mentis aperuit, & suadebat vel dissuadebat pugnam, secundùm quod virtus & vitium animi ministrabat. Verumtamen de hora pugnæ Manfredus consilio cujusdam Astrologi regebatur. Sed cùm jam deliberatione præhabita compertum per artem esset, quòd felici omine pugnam poterat aggredi, quidam ex Comitibus ipsis proditoria obstinatione corrupti, & machinationem nequissimam moliti, dissimulantes sibi displicere prœlium, (98) solum commodum ipsius Manfredi fore, si confligerent, prætendentes, ipsum Manfredum fore, si non confligeret, pro dignitate Spurii derelinquendum. Quidam etiam, quos idem Manfredus ad se tunc temporis fecerat accersiri, sumta causa, vel occasione potiùs, quam quærunt volentes recedere ab amicis, substiterunt in locis primis, futuros successus morantes potentiæ utriusque: sed qui pares censeri poterant (99) in crimine, inde fines simulabant, se ad Terrarum suarum custodiam remanere.

C Inter hæc Manfredus cum quibusdam Lombardis Comitibus, & maximè cum Gualvano, Jordano, & Bartholomæo, & cum quodam Theobaldo de Anibaldis, Cive Romano, secretum fecit consilium, & ab eis prudenter, an intendat statim contra hostes irruere, sciscitatur, an quidem de attentanda pugna videatur eisdem, diligenter interrogat. Hi sanè cùm essent homines bellicosi, quibus aliquando famosè triumphus ex bello successerat, & fortuna prospera in eorum aliquando principiis arriserat, quodam motu voluntario regebantur, ut animo videlicet, plusquam viribus crederent, & furore, plusquam virtute se vincere posse sperarent. Unde viva & promta voce stupescentes, quomodo de eo, quod Manfre- D dus jam eorum in ultimis probitatem expertus indagabat ab eis, clamant & dicunt: *Etsi statim nos oporteat mori tecum, non te negabimus. En personam tuam, ex cujus vita & obitu nostræ felicitatis (100) dependet occasus, è vestigio sequimur; & te feliciter vivere, nosque sub militaris honore fortunæ fideliter pro te mori volumus & optamus; & ut fidem, quam pro defendenda Regalis nominis libertate congessimus, statim nostra testificentur opera, primus noster erit aggressus.*

Incipit hic Pugna Manfredi.

E Umque in hujusmodi voluntatum examinatione persisterent, & militiæ agmina, (1) nec non agminum præpositi decessserint, clamor æthere tantus insonuit, quòd, sicut fertur, usque ad (e) Alfim ventus (2) impulit murmura, & veluti cùm freta fervent valida ventorum concita tempestate, omnium perturbabat auditum. Saraceni namque de Luceria, maximè arcerii numero decem millia, mandati fines furiosè transgredientes dum sic Gallicos cogitarent arcuum perterrere missilibus, quòd postea Theutonicis & Lombardis quominus prædictos Gallicos expugnarent nullius difficultatis pararetur obstaculum, circa flumen veniunt. Sed Gallicorum ferocitatem eo plus concitant & accendunt, quo magìs militum cohortibus appropinquant. Clamant de more, (3) & quasi cadentes hostes contererent, vocibus clamare continuò invalescunt. His occurrunt Ribaldi, qui congregati de facto ad manus adveniunt; & comperto, quòd Saraceni essent, clamant dicentes: *porci sunt isti, qui ad nos cum tanto clamore descendunt*. Unde quasi inermes sinè alicujus Magistri conductu, solita conciti furia, (4) velut arborum frondes, quando in nubilosa multitudine de loco moventur ad locum, venientibus Saracenorum turmis occurrunt. Verùm Saraceni more solito priusquam se jungant manualiter hostibus, (5) ex peraciis tela projiciunt, & subitò sagittantes, Ribaldos sinè numero vulnerant. Emissæ plus vel minùs, prout ex lacertis fortioribus prodeunt, post terga sagittæ, ad instar serpentis inter stipulas progredientis congeminatæ sibilant, & inopinatè & irremediabiliter ex hoc in illum fulgura ferunt. Sed dum frequentiùs eructantur, in diversis corporum partibus nonnullæ subsistunt, modò in capite, modòque in facie geminæ residentes, nova figurant cornua, & geminatæ taliter affixæ circum pectus & scapulas, (6) exornes vitium palmites simulant. Recipiunt hujusmodi simulatos ramos innumerabilia corpora, (7) sed non funduntur; perforantur in nixum; & veluti greges ovium in campis Apuliæ, quando Boream de Dalmatiæ derivatum montibus patiuntur, quali caduco morbo confectæ simul & subitò in multitudine concidunt: sic Ribaldorum infinitas, quorum casus parum vel nihil Regis Caroli tangebat exercitum, exanimis redditur & exspirat. Milites autem Gallici Ribaldorum stragem occumbentium subitò factam noscentes, & dolentes potissimùm, ne Saraceni ex hac strage sumant vigoris audaciam, & contra eos fortiùs invalescant, quamdam servientium (8) aciem deputant, qui Saracenos in campo clamantes invadant. Irruunt quidem equites numero fortè mille in Saracenos prædictos, & ita fortiter percutiunt Saracenos, quòd mortificati universaliter cum arcubus, & quodammodo facti exanimes solo metu, se nemine adhuc percutiente, prosternuntur; facti sunt veluti passeres in sepibus, quando in eos Nibius de aëre subitò veniens irruit, & gregales aves, quas audax Aquila quasi de Cœlo corruens prosternit in nemore. Trucidantur canes, & eorum corpora, quæ Gallicus gladius sinè pietate aliqua extinguebat, laniata, sicut venales carnes, carnificium canibus relinquuntur.

Ad

(98) prœlium, & solum commodum ipsius Manfredi fore, si non confligeret, prætendentes, ipsum Manfredum dedignato spiritu dimiserunt. Quidam.
(99) in crimine inde fingentes simulabant.
(100) *felicitatis subsistentia, & ultimus infelicitatis dependet occasus.*
(1) nec non & agminum præpositos recenserent.
(e) Alifium. *Codex de Miro* Alifum.
(2) ventus impulit vocum murmura.
(3) & credentes hostes conterere.
(4) veluti autumnales sturni, quando.
(5) ex pharetris.
(6) exortos vitium.
(7) corpora, sed non funditus perforantur. *locus adhuc vitiatus.*
(8) servientium equitum aciem.

Ad hæc Comes Jordanus promtus & audax, cujus aliquando fortuna juvit audaciam, non exspectata deliberatione Manfredi, statim cum mille Theutonicis prosilivit in campum, & dato signo inter Comestabulorum catervas bellum fortissimum cum illis servientibus Gallicis iniit. Ii quidem ex multa Saracenorum occisione fatigati, & quia nec erant tales, nec equis talibus insidentes, quòd occurrentibus Theutonicis possent obsistere, succumbunt protinus, & pauci è Theutonicorum manibus potuerunt effugere. Omnes ferè Gallicos gladius devorat, omnia objecta agmina lacerat. Erant enim prædicti Theutonici melior quasi pars totius exercitus Manfredi.

Hoc autem Rex Carolus intuens, fremens & furens, modò personaliter in Theutonicos volebat irruere, modò usus saniori consilio subsistebat; sed tamen ordinatis banderiis, & Magistris militiæ, ac Præpositis agminum, qui in campum venerant, mille milites suos electos jubet invadere. Fortes igitur contra fortes fortissimè nectunt, sed Theutonicis finaliter succumbentibus, adsunt Gualvanus, (9) Bertholomæus, & plures Comites cum Lombardis, & Theutonicis, & aliis, catervatim ad bellum submittunt, & (10) confluunt durissimè sicut possunt.

Belli sic durante conflictu, ex utraque parte deficientibus multis, quos vel labor, vel gladius comprimebit, aliam comitivam Rex Carolus initum conflictum durissimum edicit ituram. Hæc quidem adeò fortificavit pro parte Regis Caroli bellum, quòd omnino reversi sunt Gallici prævalere, (11) immo potiùs prævalebant. Ah ah, Manfrede predestinate ad malum! Totamque pugnam & pugnæ modum oculis intuetur, & corde dividit; jam jam omnino volens irruere denuo solicitus & attentus, sicut leporarius, quem tenet venator, solicitatur bracchettis, & excubiis nemoris laxiatum fremebat, & anxiebatur aggredi bellum: mandat ceteris Capitaneis, & Præpositis sui exercitus, quòd ilico descendant ad pugnam. Sed cùm nonnulli de Regno, qui quosdam falsos Comites, (12) cum quibus Rex Carolus sub colorato Patrimonialis successionis titulo spolia Regni diviserat, sequebantur, nollent bellum ingredi, sed proditoriè abstitissent: Manfredus cum suis militibus mori potiùs eligens, quàm eis morientibus alieno profugio vitam petere, quasi desperatus cum prædicto Domino Theobaldo Romano, qui eum nullatenus dimittebat, immo quantùm poterat suadebat, quòd omnino statim aggrederentur bellum, & suis militibus, qui pugnabant, succurrerent, ut vel simul omnes unus affectus, una hora, unus gladius devoret, vel exaltet: inimicorum suorum ruit in medium, pugnat, percutit, percutitur, & expugnatur (proh dolor) à suis sic proditus! Invalescit violentia Gallicorum, circumdat astutia totum campum; nulli parcit Gallicus, singulos de Manfredi exercitu necant, & trucidant immaniter; lavant sitientes manus suas in sanguine occisorum. Quamplures quidem attendentes inhumanitatem hujusmodi, videlicet quòd nec prostratis Gallicus parcebat gladius, se mergebant armati cum equis in flumen, demergi satiùs eligentes in flumine, quàm sic immaniter trucidari: unde quos gladius non contrivit, fluvius deglutivit.

Facta est igitur tanta strages, quòd nihil in Campo remansit. Undique corpora occisorum equorum super cadavera hominum quiescebant; vix cadaver integrum, immo mutilatum diversimodè, poterat inveniri: omnia in desertum, & sinè prima figura, jacebant impiè sic tractata.

Rex itaque Carolus, qui nondum de Manfredi obitu certus erat, conscendit triumphaliter Civitatem veterem Beneventi, & quæ diu anxiè affectaverat, spolia magis anxiè amplexatur: lætus comperit, & lætior excipit gazas innumeras & pretiosa nonnulla, quæ non solùm Manfredus in proprio gazophylacio, sed & Conradus frater, & Fredericus Pater in non modica congesserant quantitate; ex diversis quantitatibus auri compositis magnis acervis solicitus adunat, quem faciebat sola rerum indigentia, & diuturna penuria sitibundum. Thesauros multorum Comitum (13) incautos invênit & recondit. Ditantur undique Gallici, nec tamen sitis extinguitur, vel repletur esuries. Nam non solùm occisorum hostium spolia sua faciunt, sed Civitatem miseram sinè personarum exceptione disrobant, & quod pessimum est, incolas cædunt, & exteris inventis ibi non parcunt. Cædes continua non quiescit interea, sed prædictos magis cædunt tanto plus fortiter, quanto plus ardent quoslibet Beneventanos adducere in exterminium & in prædam. (14) Mittit in Siciliam Dominum Philippum de Monteforte ac quaslibet Regni Provincias visitat per officiales, & ministros: verumtamen propter Gallicorum multitudinem, quorum frequentiâ singulæ Regni partes complentur, quælibet Terra sua deplorat incommoda (15) & clades perterritat. Non palpavit incendia exiguo, & continuo transitu, attamen violentos sentit incursus, & afflictione jactilis offenditur improviso; namque cùm iis, qui sequuntur castra, fides & pietas nulla insit, naturam sapiunt ignis & fulguris, ut videlicet omnia per quæ transeunt loca contaminent, & quos ita subitò nequeunt interimere, subactos ad instar ignis materiæ denuò partes contiguas comprehendentis adurunt.

Ad hæc Rex prædictus tam glorifico triumpho magnificus, ut de Regnicolarum moribus, Regnique consuetudinibus se informet, quosdam Regnicolas, quos Manfredus penes officiorum administrationes, & ministeria ante seriosè congesserat, in suam familiaritatem advertit & receptat, inter quos quemdam Barolitanum præcipuè, nomine Giezolinus de Marra, cujus primogenitores de montibus Amalphiæ traxerunt originem, ad tractatus rerum domesticarum, & commissionum regalium officiositas Regi reddebat acceptum. Hic registra proventuum Regni (16) officiorum, &

(9) Gualvanus, & Bertholdus, & plures.
(10) & confligunt.
(11) immo protinus prævalebant. Ah Ah, Manfredus prædestinatus ad malum, totam pugnam, & pugnæ modum oculis intuetur, & corde dijudicat:
(12) cum quibus miser Manfredus sub.
(13) Comitum intactos.
(14) prædam. O tantæ crudelitatis impietas, o immanis sævitia præter humanam! Mittit.
(15) *locus corruptus*. *In Codice de Miro*: & cladia pertenuis non palpabit incendia. Ex jugi & continuo transitu violentos sentit incursus, & afflictionum jaculis offenditur.
(16) Regni, singulorum officiorum.

A & officialium etiam per diversa ipsius Regni loca particulariter ponendorum habebat, in quibus non solùm jurisdictiones & jura Regni, (17) per quæ felices, contentis dumtaxat eisdem, sui feliciter conservabantur honores, memoriter erant inserta; sed omnes angariæ, perangariæ, collectæ, tagliæ, dativæ, contributiones exercituum, immunitatum, quibus Regum nefandorum impietas miseros Regnicolas opprimere ac vexare didicerat, studiosius fuerunt rubricata. Hujus Giezolini consilio & suggestu Rex, qui Regum prædecessorum suorum vitæ in vivendo modum sequi, ac mores eorum probabiles non prætendebat habere, legem ponit Regnicolis, novosque
B Secretarios, Justitiarios, Admiratos, Protonotarios, (f) Portuzanos, Dohanerios, & Fundicarios, (18) Magistros Scholariorum, & Magistros Juratos, Bajulos, Judices, & Notarios, ubique per Regnum, & super hos majores Præpositos statuit. Hi, religione juramenti, quod in officiorum susceptione consueverant præstare, (19) præsumtuosis abusibus violata, ubilibet subjectos gravant indebitè, ac eis importabilia onera imponentes, exigendo plus debito cruorem eliciunt ac medullas.

(20) Provocavit Regnicolas Dominus diris oppressos flagitiis, & jam mente corrupti violenter inermes, quilibet inter se specialis excogitata fraudis machinatione corrumpitur; &
C præ novi timore Domini plus gemitibus, quàm verbis alter alteri tactus dolore cordis intrinsecus, intentionis suæ pandit arcana, & lamentabilibus saltem conquestibus suæ mentis reserat voluntatem, ac tristes volvens in pectore questus, misera ejulatione (21) quasi Nestores lupis clamat: *ò Rex Manfrede! temet non cognovimus, quem nunc & ter etiam deploramus. Te lupum credebamus rapacem inter oves pascuæ hujus Regni; sed præsentis respectu dominii, quod de mobilitatis & incostantiæ more sub magnorum profusione gaudiorum anxiè morabamur, agnum mansuetum te fuisse cognovimus. Jam fuisse dulcia tua potestatis mandata sentimus* (22), *dum*
D *alterius & majora gustamus. Conquerebamur frequentiùs* (g) *nostram partem, partem in dominio tuæ Majestatis adduci; nunc autem omnia bona, quod pejus est, & personas, alienigenarum convertere debemus in prædam.*

Quando Gibellini miserunt pro Conradino, & Frederico de (h) *Stuffen in Alamanniam.*

REgnicolis igitur ubique per Regnum murmurationes emittentibus, & lamenta, nonnulli de Regno ipso hæc & deteriora recepta (i) Comitibus, Equitibus, & Baronibus
E exteris, & abjectis, ac profugis, necnon & universis in Lombardia, & Tuscia Gibellinorum capitibus intimare procurant de aspero (23) & angusto ac importabili dominio Gallicorum. Quamplures inter (K) hæc viri magnifici, videlicet Gualvanus, & Fredericus, fratres Comites prælibati, Conradus Capicius, & Marinus ejus frater de Neapoli, quibus ad preces Bartholomæus de Pignatellis Archiepiscopi Messanensis vitæ veniam post eventum (24) præfatæ deliberationis indulserat, in Alemanniam ad suscitandum Carolum dormientem, qui nondum ætate cœperat adulta pennescere, properè se convertunt. Ibi enim de tota Frederici posteritate solus Conradus, natus quondam Regis Conradi ejusdem Frederici filii (25), qui cum Frederico de Stuffen quondam Duce Austriæ, ac multis de Theutonica magnis viris, linea consanguinitatis conjunctus, tamquam quoddam miraculum supererat. Ad hunc sane variis licèt alienis suasionibus excitandum non solùm prædicti exules, & alii quamplures de Regno perveniunt, sed ab omnibus Gibellinis, & à Civitatibus etiam Imperialibus de Provinciis supradictis, quæ quondam sub devotione Frederici & filiorum fuerant, solemnes Nuntii destinantur, qui sibi tamquam Regi venturo aurum, thus offerebant, & myrrham; ac ei de propriis peculiis, & Civitatum ipsarum thesauros promittentes pro expendiis necessariis ampliores, non tantùm ipsum, qui corpus & cor ætatis (26) puerilis habebat, sed alios eo majores virtute & ætate amicos, & consanguineos suos ad deliciosas & fertiles Regni epulas invitarunt, quos illico illi festinis gressibus concitaverunt venturos.

Quando Conradinus misit literas suas per Italiam.

COnflato igitur & sculpto sigillo sub Regis Siciliæ titulo, Conradinus per Italiam literas spargit & Nuntios, & suum adventum celerem fore prænunciat.

Conradus autem Capicius de (27) Generali (l) Vicariatu Siciliæ subventus, sub ipsius Conradini sigillo, literas, in quibus se Regem Siciliæ confingebat, studuit obtinere, dicens quòd ad præparandas Domino suo vias, ejus in Regnum Civitatibus prædicando adventum, volebat, ut præcursor, sublato moræ dispendio properare. Sicque obtentâ superioris licentiâ, Pisis de voluntate quoque Principum Alamanniæ, ac oblata per eos ipsi Conradino (28) in antea voce prænuncia, promulgavit. Postulat interim hoc à Pisanis per mare subsidium, quòd possit ad præsens in Tunisium transfretare; & quia Pisani jam disposuerant prosequi factum & causam favorabiliter Conradini, concedunt Conrado præ-

(17) per quæ felices Reges, contenti dumtaxat eisdem, suos feliciter conservabant honores.
(f) & Comites Portulanos *ita quoque Codex de Miro*.
(18) Magistros Scholarios.
(19) præsumtuosis ausibus.
(20) Provocantur Regnicolæ Domini diris oppressi flagellis, & jam mente corrupta violantur interiùs, ac quilibet.
(21) quasi Pastores lupis clamant: *O Rex Manfrede, te vivum non cognovimus, quem nunc mortuum deploramus. Te.*
(22) *dum alterius amariora gustamus. Conquerebamur frequentiùs nostræ substantiæ partem in dominium tuæ Majestatis adduci. Nunc autem omnia bona, quod pejus est, & personas, alienigenarum converti dolemus in prædam.*
(g) subjectionis.
(h) de Stufa.
(i) divitibus.
(23) aspero & agresti.
(K) hos.
(24) præfatæ debellationis indulserat, in Alamanniam ad suscitandum catulum dormientem, & pullum Aquilæ, qui.
(25) qui tam Frederico de Stuffa, quam Duci Austriæ.
(26) ætatis juvenilis.
(27) de Generali Capitania & Vicariatu.
(l) Capitaniatu.
(28) Conradino juvamina voce.

Digitized by Google

prædicto unam Galêam armatam quantùm vehatur, suæque subserviat voluntati. Applicans igitur in Tunisium Conradus Capicius prælibatus, Domno Frederico, nato Regis Hispaniæ, cogitatu callido de invadenda Sicilia (m) machinationem, factumque Conradini justificans, & suorum magnificans potentiam amicorum, oblata sibi per magnificos viros Italiæ, ac insignia loca subsidia, plus quàm ipsa foret veritas, referebat. Prædictus enim Domnus Fredericus, & Domnus Henricus germanus ejusdem, quos invidentia, quam habebant de magnitudine ac prosperitate fraterna, & abjectos & absentes à propria diu Patria fecerat, tunc quidem pro se, ac quibusdam militibus de Hispania stipendia recipiebant à Rege Tunisii, qui quotidianis cavalcatis & assiduæ guerræ solicitudine angebatur per alios Saracenos. Hi sanè fratres Hispani præ Saracenorum conversatione diutina actibus Agarenorum imbuti, & ferè Christianæ Religionis obliti, à Saracenis ipsis vita parùm & moribus differebant. Verùm Domnus Henricus à præfato Tunisii Rege habitus ex sua superstitiosa superbia, & proditoria machinatione suspectus, ad seducendum, & concitandum Romanam Provinciam, (29) & Curiam dimissus, ab Ecclesia, ac Apostolicæ dignitatis auctoritate magnæ libertatis, & gratiæ immensa dona popoſcerat, ac sua nobilitate Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ Ministros adeò videbatur (30) inebriasse repentè, ut ei deberet de Regno Sardineæ provideri, conditum fuit, & factum Consistorium & tractatum.

Quando Domnus Henricus factus fuit Senator in Urbe.

QUidam Nobilis Romanus Civis Angelus Capucia nuncupatus, seditionem in Romano Populo suscitavit, per quem contra Urbis (31) Magnates cœperunt populi quibusdam viris de qualibet Regione VII. electis secum adjunctis, sub pacis specie, viribus Magistratus est erectus. Hic ex contradicta sibi per dictum Populum potestate, qua quem vellet posset eligere Senatorem, Domnum Henricum præfatum contra plurium Nobilium repugnantiam, & obstaculum etiam Cardinalium aliquorum, qui jam aliquid de ipsius Domni Henrici fraudulenta voluntate conceperant, ad Urbis regimen evocavit. Cujus evocationis solemnitas, etsi fuisset ante publicationem à pluribus impugnata, & multorum corda non immeritò duriùs pupugisset, tamen sub quadam fuit gratitudine generaliter ab omnibus acceptata. Vênit ergo de Romana Curia factus Senator ad Urbem, (32) & aliqua (n) diu statuta justitiæ sub æquitatis libra (o) omnibus suæ potestatis appendens, tandem corde & voluntate perversus, vita & moribus protinus regulatis abjectis, in arcum repentè convertitur inopinabilis pravitatis. Guelphis quidem Urbis, & amicis Ecclesiæ ac devotis in abundantia mellis promissi verbo tenus, fellitum, & venenosum poculum actualiter subministrat. Concipit iste similiter odia contra prædictum Regem Siciliæ, cui gradu attinebat consanguinitatis; & cùm de Sicilia, & suorum successuum felicitate invideret, quærebat opportunitatem, ut eum per viam aliquam posset perenniter exterminare, vel cædere, aut in Regni possessione eumdem (33) se Regem habere legitimum; & motum sui animi fore justum pro eo quòd eidem Regi, quando primùm contra Manfredum inops, & jam substantiâ tenuis veniebat, asserebat se non modicam pecuniæ quantitatem de proprio peculio mutuasse, quam dictus Rex ad fortunam veniens pinguiorem, sibi, ut bona fide spoponderat, reddere contemnebat.

De Adventu Conradini in Italiam.

HIs contra præfatum Regem (34) immo ex cordis iniquitate, Conradino Italiam jam venire disposito & parato, se literarum & Nuntiorum destinatione confœderat, & ei posse suum, ac Romanorum potentiam subsidiosè spondens, contra Regem Carolum experiri, multis ipsum inductionibus ad celeriter veniendum reddit attentum, ostendens sibi mendaciter, quòd adventum suum Regnicolæ, & Roma, & tota Italia suspirabat, & asserens, eidem Gibellinorum saltem subsidia non posse deficere, ac se etiam toto animo hostiliter Gallicis fore armatum obviaturum. Ad hujusmodi igitur grande factum exhortatione ac pollicitatione suggestum, statim Conradinus solicitatus ab omnibus instantissimè, quibus ultra se promiserat venturum in Italiam esse, congressus accinctos magis accelerat.

Interea perfidus Christianus Domnus Henricus variè excogitans ac tentans omnes Nobiles Urbis Guelfos unâ horâ simul in Capitolio irretiri, ad instar piscium, quando plures numero uno tractu retium capiuntur, facit ad se prædictos Nobiles proditoriè accersiri; cùmque Nobilium ipsorum alter alterius vocationem penitus ignoraret, quamplures intrepidi, sed decepti, Capitolium ascendunt. Sunt autem prædicti Nobiles, Dominus Neapolion, Matthæus frater ejus de filiis Ursi, Dominus Johannes de Sabello, Petrus Stephani, & Angelus Malabranca. Hos tamen, qui nihil de excogitata fraude præsenserant, ad vocationem prædictam purè ac simpliciter venientes, statim Dominus Henricus cepit, captosque jussit in Capitolio prisonari; quibus in ipso captionis initio nullam motu vel gestu formam turbationis, aut alicujus asperitatis ostendit, immo præconceptæ contra eos fraudis patula lenitate verborum, sagaciter temperabat virus; & meritò, ne propter hujusmodi captorum detentionem, tam subitò seditiosus contra eum tumultus commoveretur in Populo. Postquam verò dictos captos verbis assecuravit mellifluis, perpendens, quòd concitata Populi corda quievetant, ex eis aliquos, videlicet Dominum Neapoleonem, & fratrem, apud Monticellum, quod est Castrum fortissimum prope Tybur, inibi moraturos in carcere ad suum beneplacitum destinavit; & tamen ut eos de districtu extraheret Urbis, eosdemque posset liberè confer-

(m) machinatur.

(29) & Curiam, adhuc non præcisus ab Ecclesia, sequeretur, ab Apostolicæ.

(30) inebriasse repentè, quod frequenter, ut ei deberet de Regno Sardiniæ provideri.

(31) Magnates Capitaneus Populi quibusdam viris de qualibet Regione septem electis secum adjunctis, sub pacis specie viribus ultroneis est erectus.

(32) & aliquandiu.

(n) deinde.

(o) manibus.

(33) non Regem.

(34) *fortass.* immensa ex cordis iniquitate conceptis.

servare, apud Sarracinifcum, quod est Castrum Conradi de Antiochia, nepotis quondam Frederici prædicti, jubet exactâ custodiâ in arcto carcere detineri. Verùm ex reliquis in Capitolio sic detentis prælibatum Dominum Johannem de Sabello, de quo cùm esset homo probatæ fidei, zelans pacem & tranquillitatem Urbis toto mentis affectu, nulla sinistra pateret suspicio, receptis primò ad cautelam pro eo quibusdam fidejussoribus, & Luca ejus filio dato obside pro excambio, à carcere Capitolii relaxavit.

Et quia Raynaldus de filiis Ursi, vocatus cum aliis Capitolium non conscendit, interim se in Castro Marini, non sinè audaci promtitudine, receptavit (35), jam dictus prædo Christianus contra eumdem Dominum Raynaldum duxit copiosum exercitum Romanorum, & Castrum (36) ipsum, quod quamplures de Urbe strenui milites & pedites tuebantur, sicut firmiter credidit expugnare, redit ad Urbem furibundus & fremens,

Quando Domnus Henricus extendit manus per Ecclesias Thesaurum accipiens.

QUi in Urbe commorans, (37) non contentus in viros Ecclesiasticos, & Ecclesiæ Romanæ devotos manus immaniter immittere violentas, ad thesauros innumeros, quos conservabant Ecclesiæ, sceleratas manus execrabiliter extendere non pavescit. Sunt enim Romæ diuturni mores, quibus non solùm Romani, qui aliquas pecuniarum summas modo quolibet congregant, vel habent res pretiosas, quas propter latrones hostiumque incursus in domibus propriis conservare formidant, sed & quamplures exteri vicini libentiùs petentes (38) Romam, sacris in Monasteriis & Ecclesiis magna & multa deponunt peculia, quæ per longum tempus non requiruntur à Dominis, considerato, quòd in locis ipsis cum integritate ac tutela consueverunt deposita conservari.

Ad hæc itaque diripienda deposita, contra ipsarum Ecclesiarum privilegia libertatum, prædictus Domnus Henricus anxiis instat conatibus, totoque inceditur mentis ardore; sicque prædo securus Deum, Ecclesiam, & homines non verens offendere, loca depositorum hujusmodi quadam audet promtitudine temeritatis invadere. Hic confringit sacrilegus ostia, hic Sacristias violat sceleratus, hic fur violentus aperit cavernas Clericorum; inde pecuniam, inde argentea vasa, & aurea, inde sacras vestes, & quæcumque pretiosa diripit, & asportat procul. Proh dolor! Lateranensis, Sancti Pauli, Sancti Sabæ, (39) Sancti Basilii, Aventini, Sanctæ Sabinæ, & aliorum Monasteriorum, & Ecclesiarum loca dolent, & lugent suis disturbata depositis, & altis clamoribus conquerendo pro voce dant gemitum, & per illum doloris ingentia suspiria & singultus: (40) orant Ecclesiastici viri, & has voces sub incendio lugubris infelicitatis emittunt: *O infelix Urbs Urbium Roma, tot Sanctorum Patrum glorificis ditata reliquiis, tantaque gentium alienarum frequentia in tuis venerabilibus Sanctuariis honorata, facta es modò opprobrium, & subsannationis illusio gentibus, quæ circumstant. Venerunt, inquam, gentes in hanc Sanctorum hereditatem, quæ in cordis insipientia, Deum in Sanctis suis non cogitant, & dum Divina Templa polluere non formidant, Ecclesiarum pecunias, & loca desolaverunt ipsarum. Ergo suppliciter nos peculiaris Christi, & Ecclesiæ suæ populus, nos grex Dominicus, & Pascua, boni Pastoris oves, ut tu Deus ultionum Dominus hanc tuam, & Ecclesiæ tuæ temporibus nostris ulciscaris injuriam. In conspectu tuo sic* (41) *gemitus compeditorum introëat, sicque oppressorum clamor ad sedem Majestatis tuæ ascendat, ut iniquitates istas, quas fidelis Populus tuus patitur à gentibus, quæ te non noverunt, provida clementia tua propitiationis aboleat, & miseratio tuæ pietatis abstergat.*

Jam inter hæc Conradinus unà cum filio Ducis Austriæ, comitante sibi equitum Theutonicorum manu, in Lombardiam de Alamannia venerat, ubi aliquantulum moram trahens, fautorum quondam Manfredi Patrui sui tam de Tuscia, quàm de Lombardia (42) cepit tunc quondam per literas oblata subsidia. Sed sedula consideratione attendens, quòd ad invadendum Regnum, & Gallicos in Regno morantes, pro illorum comitiva Theutonicorum, qui sequebantur ipsum, non possent etiam triplicata sufficere, consideravit tamen, quòd Gibellinorum usquequaque subsidiis, quæ tam à Civitatibus, & locis Provinciarum ipsarum, quarum contra Regem Carolum videbatur pariter agi negotium, quàm etiam à personis particularibus, quas vel vicinorum invidia, vel temporalium bonorum cupido concitabat ad arma sumenda, oblata & destinata demum sibi fuerant, in uno eodemque exercitu contra Regem ipsum unanimiter adunatis, poterat cum Gallicis qualibet succumbendi sublata formidine victoriosè pugnare. Unde contra monitiones mandati, & inhibitiones tamdem expressas Romanæ Sedis Antistitis, cum anathemate excommunicationis sententiam mente juvenili temerè in hac parte contemsit, & Romam quamcitiùs venire festinat, ut & fautoribus & complicibus suis ejus adventum exspectantibus celeriter votum animi sui promat: plus tamen verbosis literis atque præconiis, quàm pedibus molitur in jam deliberata vestigia. Eum enim fugientem suasiones & stimuli fortiùs ad ultima fatorum excidia impellebant, eumdemque in tantum sub delusoria sponsione * Arecii trahebant ad nubilum tenebrarum, & sub felicitatis ostentamento futuræ, debilem & insanum in medium procellarum fluentium adducebant.

Famâ igitur de prædictis ad Conradum Capicium, & Domnum Fredericum (43), qui adhuc Tunisium, devolutâ, statim sub favore illius Regis Tunisii cum ducentum Hispanis, totidem Theutonicis, & (44) quatricentum Turcis stipendiariis, quos in Tunisio ad Regis ejusdem stipendia commorantes, avidos ad spo-

(35) jam dictus perfidus Christianus.
(36) ipsum dura obsidione circumdat; quumque ratione nequiret Castrum ipsum, quod quamplures.
(37) se non contentans.
(38) petentes Romana suffragia, in Monasteriis.
(39) Sancti Blasii Aventini.
(40) orant Ecclesiastici viri suppliciter, & has voces sub.
(41) *gemitus spoliatorum.*
(42) recepit tunc, & recepta meditatione diligenti recensuit quædam per literas.
(43) qui adhuc erant apud Tunisium, evolante, statim.
(44) & quatuorcentum Tuscis stipendiariis.

Digitized by Google

A spolia Siculorum, tamquam aliàs expertos temporibus retroactis esse compererant, in duabus navibus, in quibus quidem decem & septem equos induxerant cum eis, multis tamen sellis & frænis muniti, in Siciliam transfretant. Hos quædam terra, quæ vocatur Schiacca regalis dominii, sed dehabitata, primordialiter receptavit; ipsisque nonnulli Siculi, quos tamquam perpessos successionis occasione exilium, aversos adhuc spes vacua fovebat, grandia exenia præsentarunt, per quæ non modicum eorum debilis fortificatur adventus.

Conradus igitur Capicius per totam Siciliam spargit literas, ac se Illustrissimi Regis Conradini Vicarium in Sicilia generalem literali
B fictione describit, tales literarum tenores inter alia intimando: *Ecce Rex noster citò veniet in celebri magnæ potentiæ majestate, in manu potenti & brachio excelso nimis. Veniet tamquam verus Dominus* (45) *novus Rex, & naturalis successor ad hereditatem sui regiminis, & patrimonii gentem, quam unanimiter opprimunt exteri; & gregem non suæ possessionis, quo possessor violentus abutitur, liberare disposuit, & te erectam in antiquis felicium progenitorum suorum libertatibus confovere.*

Cujus sanè Conradi Capicii Nuntios & literas quàm plura loca, & nonnullæ personæ recipiunt, ac Conradini adventum gratificant,
C (46) & acceptant, eò quidem perveniente instabili voluntate, ut ad Conradini nominis & honoris magnificationem aspirent: sicque tota Vallis Mazzaræ, totaque Vallis Nothi, & ferè tota Sicilia, exceptis quibusdam locis insignibus, ut sunt Panormum, Messana, & Syracusæ, dictorum Conradi, & Domni Frederici beneplacitis, saltem nutibus obtemperare videntur. Cùmque quidam Fulco de Podio Riccardi, Provincialis natione, Vicarius tunc in Sicilia Regis Caroli generalis, videret Siciliam tam subitò studiosa machinatione commotam, contra prædictos Conradum, & Domnum Fredericum adhuc in Schiacca propter equitum paucitatem multùm debiles exi-
D stentes, amicorum & aliorum de consensu, (47) quorum fraudolens voluntati propositum ignorabat, exercitum congregavit. Verumtamen prædicti milites convenerunt ipsum Fulconem, & quòd multi violata mente conflictum cum hostibus in montaneis inirent, sedula denuo suasione confortant, hac consideratione potissimè, ut ipsum sagaciùs & liberiùs pro voto possint adducere in præcipitium & ruinam, ac eumdem & gentem suam in cibum & prædam exercitus hostium præparare. Et iis ipsis profectis quamplures extranei proditoriè fabricaverunt bannerias & vexilla, ut descendentibus hostibus ad conflictum ea in ipsorum hostium auxilium, & exterminium reliquorum terga vertentium exigerent, & banneriis, ac vexillis erectis de amicis nova quadam mutatione facta subitò gladios & lanceas converterent in amicos.

Factum est itaque, quòd dum prælibatus Vicarius prope Schiaccam magnum Siculorum exercitum congregasset, & illorum potissimè, qui vocati in partibus illis vexilla ferebant, appellati vulgari linguositate, fœtentes, fidem Regis Caroli profiteri viderentur, jam dicti Conradus, & Domnus Fredericus cum equis & equabus, quos & quas invenire tunc poterant, in illo modico temporis intervallo versùs exercitum contra eos adductum, quasi familiares hostes (48) inimicis domesticis appropinquant.

His igitur juxta ejusdem exercitus ambitum audacter subintrantibus, loca castrorum statim in ipso debili eorum congressu, nullius tutelâ defensionis adhibitâ, Siculorum agmina fugata finaliter exsparguntur, ac Provinciales in prædam hostium derelinquunt (49), ex quibus aliis erectis fabris, & fabricatis hostium ipsorum in ipsa fuga banneriis & vexillis, post ipsam simulatam fugam, cui se videbantur propter impugnantium formidinem commisisse, post commistionem hinc inde jam factam, intrant suorum agmina pedetentim, conversique repentè in arcum pravæ malitiæ convertunt manus, & dimicant contra suos.

Vicarius autem se aspiciens sic subitò proditum & dolosè deceptum, dimissis pavilionibus & tentoriis, fractis arnesiis, fugæ non improvidè petit remedia, nec se voluit discriminoso certamini conscientiâ gravatâ committere, sed se, suosque Provinciales à manibus invalescentium hostium eripere studuit fugiendo: pauci verò demum ex omnibus lethaliter vulnerati, quamquam & interfecti, & capti fuerunt multi tam ex Provincialibus, quàm ex Siculis supradictis; sed hostes advenientes ad spolia maximè capienda equos studebant habere potiùs, (50) quàm extinguere morte totaliter debellatos.

(45) verus Rex.
(46) & acceptant; quo quidem pervertente instabilis mentis voluntatem, jam ad Conradini nominis & honoris magnificationem aspirant. Sicque.
(47) quorum fraudulentæ voluntatis propositum, & dolosi propositi machinationem ignorabat.
(48) hostes & inimici domestici.
(49) ex quibus aliqui erectis falsis, &.
(50) quam ad extinguendum morte taliter debellatos.

FINIS.

Digitized by Google

CHRONICON VERONENSE

Ab Anno 1117. ad Annum usque 1278.

AUCTORE

PARISIO DE CERETA;

Ab aliis verò continuatum ad Annum usque 1375.

Nunc primùm

E MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ ESTENSIS

Eductum, atque evulgatum.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN PARISII DE CERETA CHRONICON VERONENSE

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

QUae sint Veronensis Urbis praerogativae, antiquitas nempe, & antiquitatis illustria adhuc vestigia, aëris salubritas, situs amoenitas, & aedium cultus, & quam felicibus ingeniis abundarit semper, & etiam nunc abundet, quantaque ejus olim potentia fuerit: nemo ignorat, nisi qui aut in antiqua Historia plane est hospes, aut illius aspectu frui nunquam potuit. Sed tum potissimum ingens eidem facta est potentiae, & gloriae accessio, quum priorum Scaligerorum Principum imperio paruit; nam qui postremo loco ibidem ex ea stirpe regnarunt, Majorum quidem ditionem, sed nequaquam virtutes hereditate perceperunt, atque idcirco tamdem exciderunt. Digna profecto Civitas, quae egregios nobis rerum suarum Scriptores dedisset, & in nostro hoc Opere, qualis quantaque fuerit, se conspiciendam praeberet. Sed sive heic mihi fortuna parum arriserit, seu revera non eos dederit, quos facile poterat, Urbs feliciffima Historicos, sive tamdem eos temporis ingluvies absumserit; non aliud ego proferre possum, quam breve hoc *Chronicon Veronense*. Habeant Lectores quod possum; nam uti a doctis viris intellexi, hisce Annalibus neque antiquiorem, neque parem Historiam se habere Veronenses ipsi fatentur. Hanc autem suppeditavit mihi Bibliothecae Estensis Codex ante annos circiter trecentos manu exaratus. Ibi autem primo occurrit *Chronica Martiniana*, hoc est Chronicon Martini Poloni, non ab Augusto Caesare & Nativitate Christi deductum, ut quidam putant, sed ab Urbe condita. Subsequitur *Tractatus de statu & mutatione Romani Imperii per Dominum Landulphum de Columpna Canonicum Senensem compilatus*. Hunc Scardius edidit. Landulphum de Columna Romanum, & Canonicum Carnotensem Caveus in Historia Literaria, ac alii agnoscunt Auctorem *Breviarii Historialis*; isque a Volaterrano dicitur scripsisse *Vitas Romanorum Pontificum*. Videndum est, num idem ille sit ac iste *Canonicus Senensis*. Legitur itidem in memorato Codice *Tractatus Magistri Nicolai Oresme contra Judiciarios Astronomos & Principes se in talibus occupantes*. In fine haec habentur: *Explicit Liber* &c. *translatus in Latinum, quia ipsum composuit in Gallico. Die XVII. Septembris* 1468. Post haec *Veronense Chronicon* succedit; & postremo loco occurrit *Chronica extracta de Archivo Ecclesiae Ravennae, compilata a Ricobaldo Ferrariensi*. Verum haec minime integra est, brevi quippe compendio ab initio orbis deducitur dumtaxat usque ad S. Petrum Apostolum.

Redeo nunc ad *Chronicon Veronense*. Ante illius exordium haec adnotantur: *Nota, quod in quodam Libro, qui est in Ecclesia Sancti Andreae de Mantua, inveni sic fore scriptum: Anno Domini MLXXXXVII. fluvius Athesis tam fortiter crevit, quod pontem lapideum a Sancto Stephano de Verona diruit, & Episcopale Palatium fregit, & intravit per Basilicam Sancti Zenonis Oratoris*. Quis autem Chronicon hocce elaborarit, titulus Libri in Codice MSto minime nos docuit. Verum ejus nomen fortuito in ipsius Historiae contextu servatum fuit; ibi quippe legitur ad Annum 1233. *Eo anno nomen Chronicatoris Parisius de Cereta hujus Chronicae Scriptor ivit Romam*. Nil aliud puto ego ab Auctore heic scriptum, quam verba illa: *Eo anno hujus Chronicae Scriptor ivit Romam*. Quae vero intermiscentur, hoc est, *Nomen Chronicatoris Parisius de Cereta*, arbitror a quopiam in margine vetustioris Codicis primo apposita, in textum Estensis MSti subinde irrepsisse. Sive tamen Auctor ipse, seu quisquam alius haec ita scripserit, en certum Historici hujus nomen. Itaque is fuit *Parisius de Cereta*, nunc *Cerea*, Auctor ipsis Veronensibus non solum notus, sed perquam laudatus. De Cereta inquam; quamvis enim in MSto Codice legatur de *Coreta*, id amanuensis errorem arbitror, quum toties de Cereta mentionem Auctor fecerit, ut se inde originem traxisse satis prodat. Iis autem temporibus floruit Parisius

fius noster, quibus Veronensis Marchia teterrimis procellis est agitata, furore potissimum Eccelini de Romano inter Tyrannos famosissimi. Brevibus quidem, attamen accurate, quae in Urbe Veronensi, & conterminis regionibus tunc acciderunt, enarrat Historicus noster, ut recte conjungendus veniat cum Rolandino, & Monacho Patavino, quos tamen uti aetate praecessit, ita etiam in referendis rebus sub suo, ut ita dicam, aspectu gestis superare potuit. Illud unice heic monebo, falli Scriptorem hunc ad Annum 1249. ubi enarrata Bononiensium victoria, & Hentii Regis captivitate addit: *Et statim Mutinenses dederunt & submiserunt se Bononiensibus propter conflictum receptum ab eis*. Numquam Bononiensi Reipublicae contigit, ut Mutinensi jugum servitutis imponeret. Vide Gherardaccium, & ex eo haec cum veritate compone.

Chronicon autem suum continuasse videtur Parisius ad Annum usque 1278. quo fortasse postremo fato sublatus est. Tum praetermissis iis, quae post Annum 1278. contigere, ab altero Scriptore, cujus mihi ignotum nomen, Historiae cursus resumitur Anno 1301. atque exinde perducitur usque ad occasum Scaligerae gentis sive potentiae. Vix autem dubitari potest, quin iste Continuator iis ipsis temporibus floruerit, quum accurate adeo, & singulis annis res gestas memoret ad Annum usque 1368. ut & ipse interfuisse credendus sit. Nam quae postea saltu facto ad Annum 1374. praecipiti cursu calami referuntur de postremis fatis Scaligerae dominationis, ea alium quempiam Scriptorem habuisse plane videntur, qui Chronico interrupto coronidem apponere voluerit. Certe monuit me per literas Veronensis Urbis, immo & Italiae insigne ornamentum, Vir Clariss. Marchio Scipio Maphaeus, Historiae hujus non unum exemplar Veronae haberi; tanta autem varietate haec fuisse conscripta, ut numquam certo dijudicare potuerit, quousque Parisius suum laborem perduxerit, & quae portio Continuatoribus sit adscribenda. Quomodocumque tamen res se habuerit, praeter Parisii Opusculum magni faciendum, heic sub oculos Lectorum sistuntur Scaligerorum Principum exordia, progressus, & occasus, multis etiam adjectis, quae ad finitimarum gentium Historiam pertinent. Atque haec apposita Historiis Veronensibus Torelli Saraynae jam editis, lucem, ut spero, additura sunt, suumque pretium apud Eruditos nactura.

CHRO-

Digitized by Google

CHRONICON VERONENSE

Ab Anno 1117. ad Annum usque 1375.

IN Christi nomine Amen. Liber ad perpetuam rei memoriam retinendam pro futuris temporibus, de multis rebus in præsenti Chronica actis, & gestis in Italia in partibus Lombardiæ, & præcipuè in Verona.

MCXVII. Terræmotus factus est magnus in Italia, ita & taliter quòd non fuit talis ab initio seculi, & fuit IV. Junii dicti Millesimi.

MCXXXII. Dominus Luiterius Rex Romanorum cum suo Exercitu fuit in Lombardia, & Anno prædicto ivit Romam.

MCXLII. Marcus Regulus Comes Sancti Bonifacii decessit.

MCLXII. Dominus Fredericus Romanorum Imperator Civitatem Mediolani totaliter destruxit.

MCLXIV. Die X. Septembris. Pilius Avus Azonis de Nichexola de Verona cum decem aliis Civibus Veronensibus interfecti fuerunt in carceribus Veronæ, quia tradere volebant Civitatem Veronæ dicto Frederico Imperatori. Et fuit dictus Imperator usque ad Vacaldum cum Exercitu suo.

MCLXXII. Combusta fuit tota Civitas Veronæ per Cives Veronenses. Et ipso Anno factum fuit fundamentum Turris Dominorum Lambertorum, quæ hodie dicitur Turris à Campanis Veronæ.

MCLXXVI. Lombardi quasi omnes ex una parte bellaverunt in Festo Sancti Martini cum

A Imperatore Frederico, & obtinuerunt cum eo victoriam.

MCLXXXIII. Dominus Lucius Papa, & Dominus Fredericus Imperator ultimo die Julii fuerunt Veronam. Et hilariter recepti, & honorificè pertractati.

Millesimo supradicto intrante mense Januario. Maxima pars alæ Arenæ Veronæ cecidit Terræmotu magno per priùs facto, videlicet ala exterior.

MCLXXXVI. Saladinus cepit Sepulcrum Domini Nostri Jesu Christi in Jerusalem. Eodem itaque Anno dictus Fredericus Imperator cum multis Baronibus ivit per Terram ultra Mare ad dictum Sepulcrum, & major pars ex

B iis periit.

MCLXXXIX. Dominus Imperator obiit in aqua, quæ dicitur Solef.

MCLXXXXIII. Circa Festum Omnium Sanctorum Dominus Henricus Imperator ivit in Apuliam, & eam sub sua potestate subjugavit, & dominio subegit. Eodem Anno Gulielmus de Oxa de Mediolano fuit Potestas Veronæ, & fecit fieri Palatium Communis Veronæ.

MCLXXXXVII. Dictus Henricus Imperator in Festo Sancti Michaëlis in Apulia diem suum clausit extremum. Eodem Anno Veronenses iverunt contra Paduanos, & Dominum Icerinum de Romano; & eos viriliter dimicaverunt, & in campo mortui fuerunt, plurimos

C gladio jugulantes.

MCLXXXXIX. Die VIII. exeunte Januario, Veronenses iverunt ad ædificandum Castrum Hostiliæ, quod est situm super flumen Padi. Eodem Anno Veronenses pugnaverunt cum Mantuanis in capite Pontis Molendinorum de Mantua, & de ipsis Mantuanis Victoriam habuerunt, & multos Veronam conduxerunt in carceribus Communis Veronæ XXVI. Junii.

MCCVI.

Digitized by Google

MCCVI. Robacomes fuit Poteſtas Veronæ; & eodem Anno Bonifacius Comes filius Sancii de Sancto Bonifatio cœpit pugnare cum Monticulis die Sabbati XIV. Maji. Et tunc combuſſerunt domos illorum de Carcere, ſtationes Mercatorum, & domos illorum Monticulorum, & illorum de Lendenaria, & multas alias domos Veronæ.

MCCVII. Azo Eſtenſis Marchio exiſtens Poteſtas Veronæ cum Parte ſua, & Communis Bononiæ ex una Parte, & Bonifacius Comes de Sancto Bonifatio & Monticuli ex altera Parte pugnaverunt, & fuit expulſus de Poteſtaria idem Azo Marchio; & Odoricus Vicecomes factus fuit Poteſtas Veronæ X. Junii eodem Milleſimo. Eodem Anno cùm dictus Azo Marchio in Feſto Sancti Michaëlis auxilio Mantuanorum rediiſſet in Veronam, & ipſum Odoricum, & Monticulos cum Parte ſua expuliſſet de Verona, domos, & Turres eorum totaliter diruendo, & ipſi Monticuli fugientes, intraverunt in Arcem Gardæ, & in Piſcheriam. Qui omnes ibidem fuerunt capti, & in Caſtro Eſtenſi conducti & captivati. Et eodem Anno Rex Philippus mortuus eſt.

MCCVIII. Azo Eſtenſis Marchio fuit Poteſtas Veronæ. Et eodem Anno Galvagnus de Turiſendis, & Monticuli, habentes Piſcheriam juraverunt ipſi Marchioni, & dictam Piſcheriam eidem reddiderunt. Qui Galvanus, & Monticuli, ut ſupra, captivati fuerunt. In cujus Exercitu exiſtente circa Piſcheriam fuerunt Carrocia Veronenſium, & Mantuanorum.

MCCIX. Guilielmus Rangonus de Mutina fuit Poteſtas Veronæ. Et eodem Anno Otto Rex Romanorum deſcendit in Lombardia, & Monticulos traxit de carceribus, atque liberavit de carceribus Caſtri Eſtenſis. Et illo Anno fuit Romæ coronatus. Et Ordo Prædicatorum, atque Ordo Minorum oriuntur, & habuerunt principium. Eodem Anno dictus Comes Bonifacius cum Veronenſibus cepit Caſtrum Orſamò, & eum deſtruxit. Quod Caſtrum erat Ribaldi de Turiſendis; & ſimiliter Vazagum ceperunt & deſtruxerunt. Eodem Anno Bartholomæus de Palacio Poteſtas Veronæ cum Veronenſibus ivit contra Vicentinos apud Pontem-Altum, & ibidem pugnavit eum eis *, Icerino de Romano; & capti fuerunt Joannes de Palacio, Icerinus de Muſto, & alii multi Milites de Vincentia, & conducti in captivitatem Veronæ.

MCCXIII. Aldevrandinus Marchio Eſtenſis fuit Poteſtas Veronæ; & Domaſolus, & Palmerius fuerunt Poteſtates Ceretæ. Et Monticuli cum parte eorum intraverunt Veronam in Feſto Sancti Martini. Eodem Anno Fredericus Imperator Secundus intravit Veronam, & fuit in majori Eccleſia Veronæ benignè receptus, vadens versùs Alemanniam, Othonem Imperatorem acriter perſequendo.

MCCXV. Dominus Innocentius Papa Quartus celebravit Concilium Generale Romæ, & in ipſo Concilio interfuerunt circa quingenti Epiſcopi, Mille Abbates, & alii Clerici infiniti. Eodem Anno Veronenſes iverunt in auxilium Mantuanorum ad Caſtrum Gonzagæ, obſeſſum per Cremonenſes, & Reginos, & per ſuccurſum Veronenſium levaverunt campum ad recuperationem dicti Caſtri, quod eſt recuperatum per Mantuanos. Deinde Veronam reverſi ſunt cum honore, & victoria.

MCCXXIII. XXV. Decembris in Feſto Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti horâ Tertiarum fuit Terræmotus in Lombardia undique ſuper Terram, & omnes perſonæ, quæ erant in Arena Communis Veronæ causâ tripudii & ſolatii, fugerunt extra dictam Arenam. Et Caſtrum de Marano, & domus illorum de Laziſio cecidit; & major Pars murorum & domorum Civitatis Brixiæ cecidit.

MCCXXVI. XXIX. Decembris. Dominus Leo à Carceribus fuit factus Capitaneus Veronæ, & unà cum Parte Monticulorum, & Quatuor viginti de Verona cum eorum Parte pugnaverunt in Civitate Veronæ contra Rizardum Comitem Sancti Bonifacii, & ejus Partem. Et eodem Anno eum devicerunt, & totam Civitatem Veronæ habuerunt & obtinuerunt, capientes Dominum Guifredum de Provale de Mediolano, qui erat Poteſtas Veronæ, eumdem carceri mancipantes in vinculis ferreis in domo habitationis Domini Guilielmi de Zerlis de Verona. Eodem Anno Dominus Leo à Carceribus pro medietate Anni, & Dominus Icerinus de Romano pro altera parte Anni fecerunt diruere & deſtruere muros & Domos Partis Comitis, ipſis Dominis Leone, & Icerino exiſtentibus Poteſtatibus Veronæ. Et eo Anno Dominus Conradus fuit Poteſtas Ceretæ. Eodem Anno Cremonenſes, Mutinenſes, & Parmenſes ex una parte, & Bononienſes cum Reginis, Imolenſibus, Faventinis, & ceteris quantitatibus Militum Lombardiæ ex altera parte pugnaverunt inter ſe apud Caſtrum Bazani Diſtrictus Bononiæ, ſuccumbentibus Bononienſibus cum parte eorum, altera parte Victoriam incumbente; & ibi fuit magna ſtrages. Eodem Anno Dominus Icerinus de Romano cum Parte Monticulorum, Vincentiam acceperunt, & eam ſuo dominio ſubjugavit.

MCCXXX. die Dominico VII. Aprilis in die Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti. In Campo Marcio de Verona fuit magnus rumor; ex quo fuit mortuus Nepos Robaldi Inrigeti Migolæ, & multi alii vulnerati: propter quod Raynerius Ruzerius Veronæ Poteſtas confinavit Rizardum Comitem Pecorarium, Aleardinum de Lendenaria, Monticulos, & Quatuor de viginti cum eorum Parte ad ſtandum Venetias ob cauſam dicti rumoris. Et in Sancto Petro de menſe Junii Pars dicti Comitis cœpit pugnare cum Parte Monticulorum, & Quatuor viginti, qui erant reverſi de Venetiis; & tunc ipſe Comes fuit captus cum Parte ſua, inter quos fuerunt capti Pecorarius de Mercato Novo Veronæ cum uno ejus filio, Guilelmus de Lendenaria, Græcus de Moratica cum uno ejus filio, Guilelmus de Zerlis cum duobus ejus filiis, Donatus, Bonfacius, & Joannes de Palatio, Leo de Carcere, Conſtantius Canonicus, Valerianus de Braganzo, & multi alii tam milites, quàm pedites de Verona, & domos & Turres eorum projecerunt in terra, ipſis poſitis in vinculis ferreis in domibus Cerlorum, & Bonacurſii de Monzambano, & poſt paucos dies conducti fuerunt in Palatio Communis Veronæ, & in gabiis carcerati. Et eo Anno Salinguerra fuit Poteſtas Veronæ. Eodem Anno die Lunæ IX. Septembris Azo Novellus Eſtenſis Marchio, & Veronenſes extrinſeci, Stephanus Badoarius de Venetiis Poteſtas Paduæ, Paduani, Vincentini cum eorum Carrociis in auxilio prædictorum fuerunt ad Caſtrum Ponti, & obſederunt eum per terram, &

Digitized by Google

& per aquam. Die XI. post eorum adventum dictum Castrum ceperunt, & similiter Leniacum; in quibus Terris Dominus Salinguerra, Icerinus de Romano, Comes de Tirole, ac milites, & Populus de Verona erant intus, & exierunt versùs Veronam fugientes, & dimittentes arma, positi in conflictu. Et statim Paduani iverunt circa Bonadiicum, & Rivaltam Castra Tixii & Uguzonis de Crescentiis, & obtinuerunt, eaque intraverunt, & in Castris ipsis guardas dimiserunt. Eodem Anno Lorengus à Straza de Brixia Potestas Mantuæ cum Carrocio Mantuanorum cepit Castrum de Cola, & ipsum destruxit. Deinde Trevenzolum, Mottam Abbatis, Insulam Comitum, quæ dicitur Insula de la Scala, & alias multas Villas Districtus Veronæ combusserunt, & expoliaverunt: quod totum factum fuit in auxilium Comitis Rizardi, & ejus Partis.

MCCXXXI. Stephanus Badoarius Potestas Paduæ cum Paduanis, & ejus Carrocio venerunt extra Villam Trium Comitatuum in Curia Sancti Zenonis, alio die ad Rivaltam; & Lorengus de Straza Potestas Mantuæ cum Mantuanis & ejus Carrocio fuerunt usque ad caput Pontis Molendinorum de Mantua versùs Veronam in auxilio Comitis Rizardi, & ejus Partis, qui erant carcerati Veronæ; & ob hanc causam dictus Comes Pecorarius, Joannes de Palatio, Guilielmus de Lendenaria, Leo de Carcere, Costantius Canonicus, & multi alii fuerunt à carcere absoluti & liberati; & per Potestatem Brixiæ Brixiam conducti fuerunt, deinde Placentiam; & ob hanc causam Populus Mantuæ, & Paduani cum eorum Carrociis ad propria redierunt. Eodem Anno XV. Julii dictus Comes Rizardus cum ejus Parte, & Monticuli, & Quatuorviginti cum eorum Parte procuratione Lombardorum, & Rectorum Marchiæ, fuerunt in Villa Francha, & in Sancto Bonifacio die sequenti pacem inter se solemniter contraxerunt. Eodem Anno Electus fuit Guido de Rode in Potestatem Veronæ. Et die VIII. Novembris dictus Potestas cum Veronensibus obsedit Castrum Colignolæ Districtus Veronæ, & circa finem mensis prædicti ipsum Castrum obtinuerunt, & prædari, atque cremari fecerunt.

MCCXXXII. XIV. Aprilis. Dominus Icerinus de Romano cum militibus,& Populo Veronensi ceperunt Guidonem de Rode Potestatem Veronæ, & eius Judices, & Familiam super Palatio Communis Veronæ. Et eodem die misit per quemdam Nuntium Imperatoris Frederici de Apulia, qui erat Hostiliæ, & cum militibus de Verona conductus fuit Veronam; & post paucos dies Comes de Tirole, & Maginardus Comes de Olremo, & Henricus Comes de Pianio cum CL. militibus, & C. balistariis venerunt Veronam nomine Imperatoris pro custodienda Civitate. Et eo Anno Guilielmus à Perseco de Cremona factus fuit Potestas Veronæ. Et primo Maji captum fuit Castrum Porti ab illis de Leniaco, & ibidem mortuus fuit Palmerius de Ruzinentis, & multi alii vulnerati. Et XIX. Maji Mantuani aperuerunt aquam Padi inter Castrum Hostiliæ, & Turrim Beverariæ. Et eo Anno reædificatum fuit Castrum Rivaltæ, & Mantuani destruxerunt Pontem Prædæ idest lapidis Beurariæ de Verona; & statim Veronenses fecerunt eum de ligno. Eodem Anno XXVII. Julii. Azo Marchio Estensis, Rizardus Comes, Bianchinus, & Guezere de Camino in adjutorium illorum de Camino pugnaverunt cum Trivisanis inter confinia Paduæ, & Tarvisii, & contra ipsos Trivisanos obtinuerunt, & de ipsis ceperunt XLVIII. milites, quos in Castro Rodigii districtus Ferrariæ in vinculis ferreis tradiderunt, & die II. Julii. Dominus Icerinus de Romano cum centum militibus de Verona cum destreriis coopertis, & C. Balistariis ivit in adjutorium Trivisanorum ad Turrim Bassani, & per Valderaynum. Deinde Veronam reversi sunt idem Dominus Icerinus, & reliqui omnes.

MCCXXXIII. de Mense Octobris. Balduinus Comes de Casaloldo Potestas Mantuæ cum Civibus Mantuanis, & eorum Carrocio equitaverunt contra Veronenses, & obtinuerunt & ceperunt Castrum de Nogarolis, & combusserunt plures Villas districtus Veronæ, videlicet Pontem-Posserum, Fragnanum, Insulaltam, Poveranum, Insulam de la Scala, Salezolum, Bodelonum, & plures alias; & milites Veronenses ex Parte Comitis reliquerunt Nogariam, & eam postea combusserunt. Et eo Anno Veronenses ex Parte Monticulorum, & Icerini de Romano, pugnaverunt cum Guilielmo de Lendenaria, Pecorario de Mercato Novo, & cum aliis de Parte sua in terra Opeani, & de eis victoriam habuerunt. Ex conflictis captus fuit Clochega de Gœlis Potestas extrinsecorum de Verona, & multi alii partis eorum; & Joannes de Hengrana mortuus est. Et eo Anno circa finem Octobris Mantuani Villam Ceretæ totaliter spoliaverunt, domos Amaberii, Gerlorum, Groti, Galisi, & plures alias combusserunt; & pacto interveniente mediante pecunia reliquas domos prædictæ Villæ reliquerunt. Et primo Novembris Mantuani ad propria redierunt pro IV. millibus libris Veronensibus parvorum solvendis pro ea Terra Ceretæ. Et ea vice Tixius, & Henricus de Bonadico dederunt Castrum eorum Paduanis, & eum totaliter destruxerunt, & cum eorum Carrocio ad Rivaltam iverunt, & id obtinuerunt tractatu Uguzonis de Crescentiis; & ea vice totaliter Villa Tombæ combusta est. Eodem Anno Mantuani cum eorum Carrocio, & cum adjutorio Mediolanensium, Bononiensium, Faëntinorum, Brixiensiumque, equitaverunt contra Veronenses, & combusserunt, ac devastaverunt plures Villas Districtus Veronæ, videlicet Villa-Francham, Xonam, Gusolengum, Siccam campaneam, Plovezanum, Palazolum, Insulaltam, & plures alias, & ad propria redierunt. Et eo Anno (nomen Chronicatoris PARISIUS DE CERETA) hujus Chronicæ Scriptor ivit Romam. Eodem Anno Frater Joannes Ordinis Prædicatorum Mantuæ existens, & veniens à Sancto Bonifacio versùs Veronam, Veronensibus eidem Fratri Joanni obviam euntibus, & eum benignè recipientibus, in Foro seu Mercato Veronæ prædicavit; cui Fratri Joanni, & in ejus manibus Dominus Icerinus de Romano, Guizardus de Tealdisco Potestas Veronæ, & XV. Milites de Monticulis cum Quatuor viginti, & eorum Parte, juraverunt obedire mandatis Romanæ Ecclesiæ, & dicti Fratris Joannis, de Pace facienda cum Comite Rizardo, & ejus Parte. Et eodem die dictus Comes Rizardus similiter juravit omnia adimplere. Et ob hanc causam Ferrarienses, Paduani, Trivisani, Vincentini, Mantuani, & Bri-

Digitized by Google

Brixienses post paucos dies de mandato ipsius Fratris Joannis dederunt eidem Fratri Joanni Carrocium Veronensium, & in eo, & super eo Carrocio ipse Frater Joannes ascendit in Foro Veronæ, & de voluntate Populi Veronensis ipse Frater Joannes se elegit in Ducem, & Potestatem Veronæ, & de voluntate Populi Veronensis ipse Frater Joannes Populo clamante fuit electus in Ducem, & Rectorem Veronæ. XXI. Julii dictus Frater Joannes in tribus diebus fecit comburi & cremari in Foro & glara de Verona LX. ex melioribus inter masculos, & fœminas de Verona, quos ipsos condemnavit de Hæretica pravitate. Eodem Anno Festivitas, & Curia facta & celebrata fuit Veronæ inter Sanctum Jacobum de la Tomba, & Sanctum Joannem Lovototum super ripas Atacis in Pratis, quæ appellantur Vigomondoni; & facti fuerunt duo Pontes super flumen Atacis, super quibus gentes ambulabant, hinc inde transeundo. Et ibidem interfuerunt Brixienses, Mantuani, Paduani, Trevisini, & Vincentini cum eorum Carrociis, & carrettis, & maxima multitudo circumstantium Civitatum, videlicet de Bononia, Ferraria, Mutina, Regio, & de Parma; & reputatum fuit ibi fore, & fuisse quatuor centum millia personarum, & ultra. Et etiam ibidem fuerunt omnes Episcopi, & Prælati Civitatum omnium prædictarum. Super quo Belfredo ipse Frater Joannes ascendit, & pronuntiavit Pacem inter Comitem Rizardum, & ejus Partem, & Icerinum de Romano, Monticulos, Quatuor viginti, & eorum partem, & inter se dederunt osculum inviolabilis & firmæ Pacis; pronuntians etiam Matrimonium inter Rainaldum Marchionem Estensem, & quamdam Filiam Domini Albrici de Romano eidem traditam in Uxorem. Eodem Anno III. Septembris captus fuit dictus Frater Joannes à Paduanis, & ab Ugutione de Pilio in Civitate Vicentiæ; & postea eum dimiserunt, & est reversus Veronam. Et eodem tempore Bononienses tenentes Castrum Hostiliæ pro ipso Fratre Joanne, accessit idem Frater Joannes Hostiliam, volens ipsum Castrum in se, quod sibi dare Bononienses penitus recusarunt. Et idem reversus est Veronam totali sua intentione frustratus. Eodem Anno XXIV. Maji Brixienses, & Mantuani cum eorum Carrociis & Populis venerunt contra Veronenses, & hospitati sunt in Paquata, & Sancto Joanne Lovototo, & combusserunt Lebetum, Ronchum, Opeanum, Bovum, Villam Paludis, Insulam Porchariam, Bodolonum, & majorem partem Ceretæ. Et die primo Junii ad eorum Civitates, & Castra cum victoria sunt reversi. Eodem Anno XV. Junii Dominus Icerinus de Romano, Rector, & anterior Partis Monticulorum, & Quatuor viginti cum militibus suis & Veronensibus, ivit per pontem factum ad Rivaltam, & cepit Castrum Albaredi, ei datum per illos de Crescentiis. salvis omnibus rebus ipsorum; & ibidem posuit ducentos Custodes. Deinde volens ire ad Castrum Coloniæ, eidem obviavit Azo Marchio Estensis, qui cum ejus amicis eidem Domino Icerino obviavit viribus recensitis, & abiit. Eodem Anno Robertus de filiis Manfredi de Piis de Mutina fuit Potestas Veronæ de voluntate Domini Icerini, Partis Monticulorum, & Quatuor viginti de Verona, & cum Carrocio, & militibus de Verona ivit & destruxit Castrum Albaredi, & similiter destruxit Mottam, & Turrim Roberti de Orte. Deinde equitavit circa Castrum Ponti, quod tenebatur per Gricos de Verona, Leniaci, & Toracii, & ipsum Castrum expugnaverunt, nec ipsum habere potuerunt. Et eo Anno Comes Rizardus cum Mantuanis cepit Castra Pontis Posseri, Sanctique Michaëlis in capite Tejorii; & Thomaxinus de Clerexia, & Tajabasa fuerunt Potestates Veronæ & Ceretæ eo Anno.

MCCXXXV. die XVIII. Aprilis Domini Nicolaus, & Tixius Episcopi Regii, & Tervisii Legati Domini Papæ Gregorii fecerunt jurare Comitem Rizardum, & Partem Monticulorum, & Quatuor viginti in Sancto Martino, & Sancto Michaëli in campanea, & cum osculo Pacis pacificati sunt cum Domino Leonardo Nascinguerræ, & aliis de parte sua; & prædicti Legati fecerunt, & fuerunt supra Portas Braidæ & Tofiolorum. Et eo Anno Rainerius Borgarello de Perusio electus fuit Potestas Veronæ per ipsos Legatos, & juravit in Curte Palatii Communis Veronæ conservare libertatem Romanæ Ecclesiæ, & ejusdem obedire mandatis. Eodem Anno XVII. Maji. Guidotus de Corrigio Episcopus Mantuanus interfectus fuit ab Uguzone de Altafolia, & aliis Advocatis de Mantua. Et eo Anno Joannes de Berardo, & Ventura Ingloberii, & Zeno Ubertorum fuerunt Potestates Veronæ, & Ceretæ.

MCCXXXVI. Alcardinus de Lendenaria cum Parte Monticulorum, & Quatuor viginti expulerunt Partem Comitis Rizardi de Verona, & Rainerius de Burgarello tunc Potestas Veronæ reddidit Arcem Gardæ, & Castrum Hostiliæ dictæ Parti Monticulorum, & Quatuor viginti; & licentiatus fuit ipse Potestas de Civitate Veronæ. Et Dominus Icerinus de Romano, & Bonifacius Comes de Panico electi fuerunt Rectores Veronæ, & Henricus de Gazo Potestas Ceretæ. Et statim duo Filii Alcardini de Capite Pontis, & multi alii tam milites, quàm pedestres de Verona fuerunt capti, & in vinculis ferreis carceri mancipati. Et eo Anno Turres & Domus Vicecomitum Filiorum Desiderati, Filiorum Bonaguisæ, Isnardi de Gozo Filiorum Pesserii, Facini Ragosii, Cavalcasellæ de Machacharis, Cavazanorum, Petri de Muriolo, Zucherii, & Petersixii destructæ fuerunt, & in terram projectæ. Eodem Anno Castrum Castejoni, quod erat in curte Colignolæ, datum fuit Comiti Rizardo per Philippum filium Bonadici. Et eo Anno III. Aprilis Benedictus de Castejono de Gardesana cum aliis Amicis ex parte Comitis Rizardi acceperunt Arcem Gardæ occultè de nocte, & interfecerunt Bonetum Notarium de Braida, qui tunc erat Capitaneus dicti Loci. Et ex Custodibus, qui dictam Arcem custodiebant pro Domino Icerino de Romano, & ejus Parte, fuerunt mortui & vulnerati plures. Et eo Anno XXII. Aprilis filii Delphini de Pischeria, & Martius Tortus eorum Patruus dederunt Castrum Pischeriæ Domino Icerino de Romano, & Parti Monticulorum, & Quatuor viginti pro tribus millibus librarum Veronensium parvorum. Et XVI. Maji Gaboardus Nuntius Imperatoris Frederici venit Veronam cum quingentis militibus, & centum Balisteriis ad custodiam Civitatis nomine Imperatoris. Et eo Anno Dominus Icerinus de Romano cum parte Monticulorum, & Quatuor viginti cepit, & devicit Turrim & Castrum Ba-

Bagolii, & milites cepit omnes. Eodem Anno XVI. Augusti Dominus Fredericus Imperator cum tribus millibus Militibus Theutonicis vênit Veronam, & in Monasterio Sancti Zenonis benignè receptus est per dictum Dominum Icerinum de Romano, Partem Monticulorum, & Quatuor viginti, qui tunc regebant Civitatem Veronæ. Sequenti verò die dictus Imperator cum ejus Exercitu ivit Vacaldum, & ibidem per XV. dies stetit. Postmodum transivit ultra Menzum, ad Cremonam vadens. Et statim Paduani, Trivisini, Vicentini, Azo Marchio Estensis, Guezere, & Bianchinus de Camino cum eorum Exercitu iverunt circa Castrum Rivaltæ Uguzonis de Crescentiis, & ibidem per unum mensem moram fecerunt. Quo scito statim Imperator reversus est in adjutorium Veronensium, & ea vice steterat Dominus Icerinus de Romano per XV. dies cum Exercitu suo contra Paduanos in Villa Tombæ; & Paduani cum eorum Exercitu ob timorem Imperatoris, & Domini Icerini, à dicto Castro Rivaltæ, discesserunt, ipso Castro penitus non obtento. Et eo Anno & Mense Dictus Azo Marchio Estensis, qui tunc erat Potestas Vicentiæ, aufûgit ex Civitate prædicta, & Paduæ se recepit. Et tunc Imperator, & dictus Dominus Icerinus cum eorum Exercitu & Populo de Verona, ceperunt dictam Civitatem Vicentiam, nullo contradicente. Et Theutonici Imperatoris inhonesto modo spoliaverunt & derubaverunt Civitatem, & Dominas mulieres Vicentinas auro & argento, & aliis bonis suis. Et de voluntate dicti Imperatoris Dominus Icerinus de Romano elegit & constituit Gulielmum Vicecomitem de Mantua Potestatem Vicentiæ.

MCCXXXVII. VI. Exeunte Julio. Gerardus de Dovaria de Cremona Potestas Veronæ existens, unà cum Populo Veronensi, & auxilio Paduanorum, & Vicentinorum, & eorum Populis & Carrociis iverunt circa Castrum Sancti Bonifacii, & eum Castrum obsiderunt cum novem manganis, & pluribus tortorellis, seu manganellis, & ibidem steterunt usque ad diem V. Octobris, Castro penitus non obtento occasione Imperatoris, qui cepit ipsum Castrum in se. Eodem Anno XII. Septembris Dominus Fredericus Imperator prædictus descendit de Alemannia, & hospitatus est ad Manticum, deinde ivit ad Vacaldum, & misit pro Rizardo Comite de Sancto Bonifacio, qui vênit ad eum pro pace tractanda inter ipsum Comitem, & Veronenses intrinsecos, & XIV. Septembris applicuerunt in Districtu Mantuano VII. millia Saraceni sagittarii missi de Apulia in adjutorium Domini Imperatoris. Eodem Anno VII. Octobris dictus Imperator cum magno exercitu ivit circa Castrum Monteclarii districtus Brixiæ. In ejus adjutorium interfuerunt Cremonenses, Parmenses, Mutinenses, Regini, & Icerinus de Romano cum quingentis militibus Paduanis, Trivisinis, Vincentinis, Veronensibus, & Mantuanis. Et interfuerunt multi Milites de Tridento, & duo millia de Alemannia, & illi VII. millia sagittarii Saraceni. Quod Castrum obtinuit dictus Imperator XXI. Octobris. Et eo Anno uxor dicti Imperatoris vênit Veronam, & XIV. Novembris fuit hospitata in Monasterio Sancti Zenonis de Verona, & honorificè recepta. Eodem Anno XXVI. Novembris dictus Imperator cum prædicto Exercitu apud Cremonam magnum bellum commisit cum Mediolanensibus, &

A amicis eorum; & plures milites, & pedites de Mediolano tunc mortui & capti fuerunt, Imperatore victoriam obtinente. Inter quos captus fuit Petrus Comes de Venetiis, qui erat tunc Potestas Mediolani, & ipsum Potestatem super Carrocio Mediolanensium ligatum conduci fecit in Cremonam; deinde misit ipsum in Apuliam; & super ripam Maris ad furcas ipse Petrus fuit suspensus. In quo bello mortui ceciderunt Albertus de Arcule, & Riprandus de Zerlis. Et eo Anno Johannes Urso de Jebeto fuit Potestas Ceretæ.

MCCXXXVIII. XII. Maji. Quædam Nobilis Domina filia dicti Imperatoris, nomine Salvaza, cùm maxima comitiva stetit in Ecclesia Villæ Ceretæ per XI. dies ad expensas B Communium Ceretæ, & Leniaci, ibidem honorificè pertractata; & XXII. Maji ivit Veronam; & in die Pentecostes ante januam Sancti Zenonis de Verona idem Imperator eamdem Dominam Salvazam ejus filiam tradidit in Uxorem Domino Icerino de Romano, quam idem Dominus Icerinus guadiavit & desponsavit, & eam conduxit in Veronam in domo habitationis Comitis Bonifacii de Panico cum solemnitate maxima nuptiarum. Eodem Anno Imperator prædictus Veronam vênit à Cremona, & in Monasterio Sancti Zenonis XXII. Maji hospitatus est. In eodem die Pentecostes in Campo Marcio magnam Curiam celebravit, C cibo, & potu reficiente se, & eosdem, qui in solemnitate prædicta aderant, & XXVIII. Junii idem Imperator cum omnibus suis ivit ad hospitandum in Terra Goiti districtus Mantuæ. Eodem Anno VIII. Julii magnum prœlium fuit in Prato Sanctæ Justinæ de Padua inter Azonem Marchionem Estensem, & amicos ejusdem ex una parte, & Icerinum de Romano, & Paduanos ex altera parte, & finaliter Azo prædictus cum Parte sua fugit, & ex ipsis plures mortui, & capti fuerunt, inter quos captus fuit Jacobus de Carraria, & quidam ejus filius: ob quam captionem ipse Jacobus de Carraria effectus est amicus intimus dicti Domini Icerini. Et eo Anno propter aliqua verba suspecta inimicus effectus est: pro- D pter quod Robaldus Franciscus, qui tunc erat Potestas Paduæ pro dicto Domino Icerino, fecit ipsi Jacobo de Carraria caput amputari publicè in platea.

MCCXXXIX. XXVI. Junii. In Prato Monasterii Sancti Zenonis Domini Icerinus de Romano, & prædictus Bonacursius de Palude Potestas Veronæ, & tamquam Rectores Veronæ pro se ipsis, & Populo Veronense consentiente, juraverunt obedire mandatis Domini Imperatoris Frederici, & Conradi ejus Imperatoris filii in manibus Petri de la Vigna recipienti mandato & nomine dicti Imperatoris de E firma pace tenenda cum Inimicis usque ad Festum Sancti Michaëlis, & ultra ad voluntatem dicti Imperatoris. Et eo Anno XIV. Januarii. Bonacursius de Palude Veronæ Potestas conduxit obsides Paduanorum usque Valegium, deinde ad Imperatorem; & eo tempore fecit diruere Turres illorum de Lendenaria, Calzabusanorum, de Montagnana, illorum de Piscina, & Sancto Quirico, & plures Turres alias Civitatis Veronæ. Et eo Anno Imperator Fredericus Ruzerius à Parma veniens, & à Cremona, vênit Veronam XVI. Junii, & eo tempore ivit in Marchiam Trivisinam, & obtinuit Civitates Vincentiæ, Paduæ, & Tervisii,

visii, quem Imperatorem Paduani cum eorum Carrocio honorificè receperunt; & pax ab eo Imperatore facta & publicata fuit ibidem. Quo Imperatore Paduæ existente Dominus Gregorius Papa Nonus eumdem excommunicavit pluribus sententiis, & processibus publicatis contra eum, & sequaces ejus. Eodem Anno XIII. Junii, Idem Imperator bannivit, & in banno cridari fecit omnes de Parte Comitis Rizardi; & confiscata fuerunt, & publicata eorum bona in Communi Veronæ, nisi ad octo dies se personaliter comparerent, seu præsentarent. Eodem Anno idem Imperator pugnavit Castrum Plumatii districtus Bononiæ, & eo Anno obtinuit eum. Et eodem Anno Bonacursius de Palude Potestas Veronæ, unà cum Veronensibus habuit consilium destruendi Castrum Calderii tunc Episcopatus Veronensis. Et eo Anno IV. Octobris MCCXXXIX. XXVI. Junii flumen Aticis in tantum crevit, quòd Pontem Novum, Pontem Navium, & omnes alios Pontes Civitatis Veronæ dirupit & fregit; & ultra quinquaginta Molendina, quæ erant in Atice in Civitate, submersit; & Pontem Sancti Natalis, & murum Portæ de Morbio, & in pluribus aliis locis muros Civitatis Aticis aqua demersit; & plures domos in Insuolo, & in Civitate implevit aqua, & dirupit. Et ferè per quatuor dies & plures aqua Aticis per Civitatem fecit transitum cum maximo decursu, & deinde cessavit.

MCCXL. IX. Januarii. Turrixendus filius olim Robaldi reddidit Castrum Orsanici Icerino de Romano, recipienti nomine Imperatoris, & Custodes posuit in eodem: propter quod idem Turrixendus rediit & intravit in Civitatem Veronæ. Et eo Anno die VII. Februarii dictus Icerinus de Romano fecit duci captos Morbium de Ponceto, Bonaventuram ejus filium, Benasutum Judicem de Pitadina, & in vinculis ferreis in Castro Bassani eos fecit includi. Eodem Anno Jacobus Teupolus Dux Venetiarum cum Venetis, Azo Estensis Marchio, Rizardus Comes Sancti Bonifacii cum Mantuanis, Albricus de Romano, Bianchinus de Guezere de Camino, Gregorius de Montelongo delegatus Domini Papæ Gregorii cum ceteris aliis Militibus Lombardiæ, & Romandiolæ obsederunt Civitatem Ferrariæ, & ibi steterunt à Festo Sanctæ Mariæ Februario usque ad primum diem Junii, & eam Civitatem obtinuerunt eis traditam per tractatum Bertholopei, Marchexini Parvi, Menabovis, & Soxinelli de Lambertis, & aliorum Proditorum pactis factis per Dominum Salinguerram Dominum Ferrariæ, Paulo Intraversario de Ravenna, & aliis Dominis nominatis, qui interfuerunt obsidioni Civitatis prædictæ. Et eo Anno Robaldus Franciscus Potestas Paduæ pro Imperatore Frederico pugnavit prope Pontem-Rubeum cum Azone Marchione Estensi & suis Militibus, & Vincentinis; & perdidit prædictus Marchio, & plures capti fuerunt, inter quos Guizardus, & Rizardus de Lendenaria, & Fava de Liulcis de Ferraria capti fuerunt, & Paduam conducti. Eodem Anno Ugo de Curte de Parma fuit Potestas Veronæ, & XVI. Maji ipse Potestas, Bonifacius de Panigo, Comes de Panigo, & Bonacursus de Palude cum Militibus & Populo de Verona, cum plaustris & navibus iverunt per terram & aquam per flumen Aticis versùs Abbatiam contra Azonem Marchionem Estensem, & ejus Amicos, & Partem, in succursum & adjutorium Castri Gaibi, quod tenebatur per Veronenses, & nihil facere potuerunt. Immo turpiter recesserunt, dimissis eorum navibus & plaustris; & ea vice Castra Frattæ, & Gaibi capta & destructa fuerunt pro Parte ipsius Marchionis. Et eo Anno Dominus Icerinus de Romano fecit amputari capita Joannis Bosii, & Bonzenoni Notarii de Gavardo, in Palatio Communis Veronæ, quia confessi fuerunt voluisse tradere Castrum Hostiliæ Domino Philippo Episcopo Ferrariensi. Eodem Anno Gerardus Rangonus de Mutina Potestas Mantuæ cum Populo Mantuano venerunt Trevenzolum & ad Villas circumstantes Districtus Veronæ pugnaturi cum Veronensibus, qui equitaverunt ad Trevenzolum, & ibidem cum Mantuanis acriter pugnaverunt; & obtinuerunt Veronenses contra ipsos Mantuanos. In quo Bello ipse Gerardus de Rangono Potestas Mantuæ mortuus est; & Bochadasinus de Mantua Capitaneus Mantuæ, & plures alii Mantuani capti fuerunt, & in vinculis ferreis Veronæ conducti & carcerati fuerunt. Et eo Anno de Mense Augusti Dominus Fredericus Imperator obsedit Civitatem Ravennæ, & XXII. Augusti ipsam Civitatem obtinuit. Et eo Anno Dominus Henricus de Egna fuit Potestas Veronæ.

MCCXLII. de mense Januarii. Ugucio de Pilio dedit Castrum Monticuli majoris, & omnia ejus alia Castra, & Petrus Comes de Montebello dedit Castrum Montebelli Domino Icerino de Romano. Et eo Anno Dominus Henricus de Egna tunc existens Potestas Veronæ fecit magnam Curiam Militum & Dominarum cujuscumque conditionis in Palatio Communis Veronæ, & in Foro, seu Mercato Veronæ Milites bagordaverunt, & tunc Dominæ ballaverunt in Ponticellis factis extra Palatium Communis Veronæ. Et eo Anno die XXV. Martii ignis combussit totum Castrum Montagnanæ. Et Dominus Henricus de Egna Potestas Veronæ & Dominus Icerinus de Romano cum Veronensibus in eam Terram Montagnanæ intraverunt, & eam mitigaverunt, & unum Zironem seu Rocham fecerunt in ea. Et eo Anno datum & traditum fuit eisdem per proditores circa Castrum Archularum, portantibus proditoribus extra dictum Castrum omnia eorum bona, exceptis victualibus, & balistis. Eodem Anno Monsferratus filius Ganzoli dedit ejus Castra Domino Icerino de Romano, videlicet Castrum Veterum, Bubulcam, & Vestenam. Et eo Anno factum fuit Forum, seu Mercatum Veronæ, & de quadrellis salecatum, & de lapidibus Domini Guilielmi de Zerlis. Et eo Anno Advocatus de Clavica Veronæ dedit Castrum Vilimpentæ Communi Veronæ, & expulsit guardas Communis Mantuæ, quæ erant & tenebant dictum Castrum. Et eo Anno Mantuani destruxerunt Turrim & Castrum Moraticæ.

MCCXLIII. XXI. Martii. Brixienses, Mantuani, Rizardus Comes Sancti Bonifatii, & Dominus Turrixendus ceperunt Castrum Gazi, & eum munierunt; & in eorum adjutorium vênit Dominus Icerinus de Romano cum Mille & quingentis Militibus de Marchia. Et eo Anno Dominus Henricus de Egna tunc Potestas Veronæ unà cum Veronensibus ivit ad reædificandam Villafrancam cum magnis fossatis, belfredis, & una Turre; & fecit fieri unum

unum fossatum à capite Villæfranchæ usque ad caput Summæ Campaneæ. Et eo Anno Fossata Campaneæ Veronæ facta fuerunt à Domo Malsanorum Tombæ usque ad Insulam Comitum, quæ dicitur nunc de la Scala, ne Comes Rizardus transiret de Mantua ad Sanctum Bonifacium. Et eo Anno nono Aprilis Castrum Villæ pictæ traditum fuit Mantuanis à Silvagno servo Advocati de Clavica, custodibus ipsius Castri euntibus & recedentibus salvis & liberis cum bonis & personis eorum. Et XIV. Aprilis Advocatus prædictus de Clavica aufugit ad alteram Partem timore Domini Icerini de Romano. Et eo Anno Henricus de Gazo, Bonzenelus de Gazo, & Coffii Domini Leonis de Carcere per tormentum in Nogaria mortui sunt per Dominum Icerinum propter Castrum Gadii, quod tradiderunt Domino Turrixendo, & Mantuanis. Et eo Anno Castrum Nogariæ fuit reædificatum, & Comes Bonifacius de Panico, Bartholomæus Abriani, Jacobus & Octo de Frabaldis, & multi alii proditores capti fuerunt, & in vinculis positi in Verona, & Bartholomæus Frabaldus, & Albertinus de Piris existentes in exercitu cum Domino Icerino ad Castrum Franchum, fugerunt in eo Castro timore ipsius Domini Icerini. Eodem Anno die IV. Julii Bonifacius Comes de Panico in Padua mandato Domini Icerini fuit decapitatus. Et eo Anno Castrum, & Turris de Gazo Bartholomæi de Adriano, & domus Albertini de Piris, Turris Albertini de Castellano, & casamenta Albertini Siligaris fuerunt dirupta. Et VI. Junii Turres & Domus Leonis & Puncinellæ à Carceribus, & Turris & Casamenta Henrici de Gazo, quæ erant in Castello Veronæ, fuerunt incisæ & projectæ, & Bartholomæus Abriani mortuus est in tormento Veronæ. Et XXII. Julii Castrum Sancti Michaëlis à capite Tejoni captum fuit à Mantuanis, & à Comite Rizardo. Eodem Anno die primo Augusti Dominus Turrixendus fecit comburi Castrum Gadii. Et eo anno Mantuani, Azo Marchio, & Rizardus Comes cum eorum exercitibus, & aliis Lombardis cum eis per Joannem de Scanarola XII. Februarii. Et eo anno XXV. Martii Dominus Icerinus pro Communi Veronæ, & Potestas Mantuæ pro Communi Mantuæ unanimiter convenerunt de relaxando omnes carceratos, qui erant in carceribus Veronæ, & Mantuæ: quod factum fuit inter Insulam, & Castellarium; & sic relaxati fuerunt omnes XXVIII. Septembris. Et eo Anno Mantuani, Comes Rizardus cum Veronensibus extrinsecis, & Azo Marchio Estensis cum Ferrariensibus pugnaverunt ultra Mentium cum Domino Icerino, & Veronensibus intrinsecis; & ex utraque parte multi capti & mortui fuerunt, & plures equi propter nimium calorem suffocati sunt. Et Tajaferrus, & Octolinus de Riva ea vice capti, & in carceribus Veronæ mortui sunt XXV. Junii. Et eo Anno Dominus Icerinus emit Turrim, & Casamenta quondam Gioti, quæ contra fuere Fidentiorum, & totum illud, quod Dominus Joannes de Palatio habebat, & tenebat in Verona, & ejus Districtu tam in Vassallis, quàm in aliis rebus mobilibus, & immobilibus pretio MD. librar. denariorum Veronensium parvorum. Et eo Anno Thomaxinus de Grazana fuit Potestas Ceretæ. Eodem Anno Dominus Fredericus

A Imperator cum magno exercitu venit de Apulia, & Cremonenses cum militibus suis, Dominus Icerinus cum militibus Veronæ, Paduæ, Vincentiæ unà cum dicto Imperatore iverunt in obsidionem Civitatis Parmæ, & ibi steterunt per medium Annum, & eam minimè habuerunt. Quoniam Gregorius de Monte-Longo Legatus Domini Gregorii, præterea Rizardus Comes Sancti Bonifacii, Bernardus Rolandi de Rubeis de Parma, virtute Romanæ Ecclesiæ erant in dicta Civitate pro defensione ejusdem. Et similiter Albericus de Romano, Bianchinus de Camino, Azo Marchio Estensis, & multi Lombardi, & Marchiani, cum maxima comitiva erant in Terra Bresell

B Districtus Parmæ à capite Pontis Padi, & ab alio capite dicti Pontis erat Entius Rex filius ipsius Imperatoris cum Parmensibus extrinsecis, defendentes, & evitantes quòd Victuaria non intrarent in Parma. Et finaliter Lombardi, & Domini nominati, qui erant in servitium Parmensium intrinsecorum, violenter ceperunt Pontem prædictum, & victuaria miserunt in Parma; propter quam causam dictus Imperator fecit de novo ædificari aliam novam Civitatem, quam appellavit Victoriam, quæ Civitas erat sita inter Parmam, & Burgum Sancti Donnini, & post parvo tempore transacto post ædificationem dictæ Civitatis

C dictus Delegatus Domini Papæ, & alii intrinseci Parmæ dictam Civitatem ceperunt, & explanaverunt, magna auri, & argenti spolia deprædantes, & multi Saraceni, qui intus erant, mortui gladio. Imperator versùs Cremonam fugam dare coactus est.

MCCXLVIII. Diatalinus de Cauriastico fuit Potestas Veronæ. Et Fredericus de la Scala eo Anno fuit Potestas Ceretæ, & Dominus Icerinus de Romano cum Populis Veronæ, Paduæ, Vincentiæ, Feltri, & Belluni ivit ad Castellarium Districtus Mantuæ, & ibidem per Villas Mantuanas maximum guastum fecit; & cepit Cepatam Mantuæ, stando in dicto Districtu Mantuæ per unum Mensem vel circa de Mense Octobris, & plures

D captivos Veronæ in captivitatem duxerat.

MCCXLIX. Rex Encius filius Imperatoris Frederici existens apud Mutinam pugnavit cum Bononiensibus, & in dicto Bello idem Rex subcubuit, & captus est, & in vinculis aureis in Bononia captivatus est, & cum eo captus est Boxius de Dovaria de Cremona cum pluribus aliis suis, & militibus pluribus de Mutina; & statim Mutinenses dederunt, & submiserunt se Bononiensibus propter conflictum receptum ab eis. Eodem Anno Arabonus de Montesello existens Rector Veronæ, Dominus Icerinus cum Populis Veronæ, Paduæ, & Vicentiæ ivit ad Terram Estensem, & eam habuit proditoriè pecunia mediante

E per Vitalianum de Arolda XI. Septembris, & ea die Rocham dictæ Terræ obsederunt, & ibi steterunt per duos Menses circa dictam Rocham cum XIII. manganis grossis, in ipsa Rocha die noctuque manganantibus; & ipsam ceperunt, & totam destruxerunt, excepta Turre, quæ remansit pro custodia, salvis personis, quæ intus erant, liberè relaxatis. Et eo Anno Custodes plures dimisit, & stare fecit die noctuque per unum Annum, & ultra circa Rochas Cerri, & Calaoni, ne aliqui de parte Marchionis Estensis possent in eas Rochas cum victualibus intrare; & fossata fieri fecit

Digitized by Google

fecit à latere inferiori, & sepes magnas super eo fossato. Et finaliter Custodes ipsarum Rocharum eas voluntariè dederunt, salvis personis eorum & rebus, exceptis armis & balistis. Et eo Anno Leo de Aleardis fuit Potestas Ceretæ.

MCCL. Dominus Icerinus de Romano Dominus Veronæ, & Petrus de Formaniga existens Potestas Veronæ fecerunt fieri foveam seu fossatum à Sancto Spiritu de Verona usque ad Insulam Comitum, seu de la Scala. Et eo Anno dictus Dominus Icerinus habuit Castrum, & Villam Montissilicis, eidem traditum per Dominum Piscem, & ejus filios. & eorum Amicos de Montesilice Districtus Paduæ. Et eo Anno dictus Dominus Icerinus, prima uxore defuncta, in uxorem accepit quamdam filiam Domini Bontraversi.

MCCLI. Ugo de Sancta Juliana fuit Rector Veronæ; & Gilbertus, & Zavarisius fuerunt Rectores Ceretæ. Et Dominus Icerinus cum Populis Veronensibus, & Paduæ, & Vincentiæ, atque Tridenti ivit in Districtu Mantuæ in Terra Bruleti, & ibi stetit per XX. dies; deinde ivit ad Terram Campitelli Districtus Mantuæ, & cepit Turrim seu Campanile dictæ Terræ, & omnes homines, qui erant in dicta Turre, capti fuerunt, & totam illam Terram combussit. atque prædatus est. Et eodem Anno Mediolanenses cum eorum exercitu ex una parte erant in obsidione Civitatis Laudi, volentes eam; & Cremonenses cum eorum exercitu ex una parte erant in obsidione Civitatis Laudi & ipsi; & tamen posuerunt se in defensionem ipsius Civitatis. Tamdem Mediolanenses eam obtinuerunt, eo quòd Cremonenses, & Papienses terga verterunt Mediolanensibus; & cum ipsis Cremonensibus erant Fredericus de la Scala, & Rainerius de Insula, missi pro Ambasciatoribus Domini Icerini pro defensione ipsius Civitatis Laudi. Eodem Anno de Mense Octobris Conradus Rex Apuliæ, & Dominus Icerinus de Romano cum Populis Veronæ, Paduæ, & Vincentiæ cum magno exercitu, & multis exercitis Theutonicorum, iverunt ultra Menzum ad Castrum Goiti Districtus Mantuæ, & ibi steterunt per XV. dies ad parlamentum cum Cremonensibus, Papiensibus. Placentinis, & aliis Rectoribus Civitatum Lombardiæ cum complicibus Imperatoris. Et transactis XV. diebus reversi fuerunt Veronam, & de præsenti dictus Rex cum ejus comitiva per Portum Naonem cum navigio & maximo apparatu transivit in Apulia. Et eo Anno Rainaldus Marchio Estensis existens carceratus in Apulia, mandato ipsius Regis venenatus est. & decessit.

MCCLII. Dominus Icerinus de Romano fecit capere Carnarolum de Monticulis, Visum de Beto, & ejus filium Pecorarium, Mantesi, & ejus fratres, Petrum de Bonis, & ejus fratres, Joannem de Cendamo, & ejus filios, Florum de Verla, & ejus fratres, Albertum de Bebege, & Bastardum ejus, & Henrigetum Notarium de Panceria, fratres de Cacetis, Andriolum Notarium, & plures alios de Verona, & cum eis Ugonem de Sancta Juliana cum multis Paduanis; & de mandato ipsius Domini Icerini condemnati fuerunt omnes prædicti per Dominum Bonutium Judicem de Cereta, & trainati per Civitatem Verona deinde decapitati in Mercato Veronæ de mense . . . . . Millesimi prædicti.

MCCLIII. Rizardus Comes Sancti Bonifacii obiit in Civitate Brixiæ in Domo Fratrum Prædicatorum de mense Februarii. Et eo Anno Buzacarinus de Padua, & Albertus Macognus fuerunt Vicarii Veronæ; & Gilbertus, & Zavarisius de Zavarisiis fuerunt Rectores Ceretæ. Et eo Anno de mense Augusti ivit dictus Comes Nogariam, & Cironem ipsius ex toto combussit.

MCCLIV. Dominus Icerinus fecit capere Taxium de Castro rupto, Thomasinum de Grezana, Thomasinum de Ocha, Menapacem, Leonem, Aleardinum fratres de Messa, Firmum de Cereta, & Fredericum ejus filium, Thomasinum Suppicognam, & alios multos de Verona, & eos fecit trainari per Civitatem Veronæ, & in Mercato Veronæ eos fecit interfici & comburi.

MCCLV. De mense Aprilis Dominus Icerinus fecit capere Ziramontem de Romano ejus fratrem, & ipsum in vinculis ferreis duci fecit, & includi in Castro Semontis; deinde conduci fecit in carceribus Communis Veronæ, & ibidem mortuus est. Et eo Anno misit Icerinum de Egna captum in Marchia. Et eo Anno quidam miles de Apulia existens Potestas Tridenti pro Domino Icerino unà cum Azone, & Aldrigeto de Castro Barco, & cum aliis Civibus Tridentinis, acceperunt Civitatem & Castra Tridenti in se contra Dominum Icerinum.

MCCLVI. Bonifacius de Marostiga, & Compagnus de Padua fuerunt Rectores Veronæ; & Frassapaya de Ponti fuit Potestas Ceretæ: Et eo Anno Dominus Icerinus cum Populis Veronæ, Paduæ, Vincentiæ, Tridenti, & Feltri; & cum omnibus ejus amicis undique convocatis, cum magno exercitu ivit ultra Menzum pæne Civitatem Mantuæ ante Portam ipsius Civitatis à latere versùs sero; & ibidem stetit per mensem de mense Junii, dando guasta continua in villis Mantuæ de vineis, arboribus, bladis, broilis, & domibus eorumdem. Et ea vice Dominus Palavicinus Marchio existens Potestas Cremonæ cum Cremonensibus vênit in eo exercitu in auxilio dicti Domini Icerini. Et eo Anno quidam Delegatus Domini Papæ cum copia soldatorum Ecclesiæ Romanæ, & maxima turba Balisteriorum Venetorum, Bononiensium, Mantuanorum, Marchiæ, & aliarum partium iverunt Paduam, & eam Civitatem ceperunt, & Castrum ejusdem Civitatis. Et Dominus Ansedisius nepos dicti Domini Icerini, qui erat in Civitate Paduæ Vicarius pro ipso Domino Icerino, & Albergerius de Vivario, qui erat cum eo, Vincentiam aufugerunt solummodo cum personis eorum, ipsi Delegato Domini Papæ Civitate Paduana cum omnibus Castris suis relicta, vel relictis, exceptis Montissilicis, & Calaonii, quæ diu steterunt, & se defenderunt. Statim Marchio Estensis circa ipsas Rochas custodes in obsidionem misit, ne in dictis Rochis victualia mitterentur. Et finaliter dictus Marchio dictas Rochas obtinuit. Et statim ea vice dictus Dominus Icerinus fecit detineri in Verona omnes Paduanos, qui erant in Verona, & in exercitu cum eo circa Mantuam, & in carceribus positi sunt in Sancto Georgio de Verona, & ibidem mortui sunt omnes. Et transactis XV. diebus dictus Dominus Icerinus cum magno exercitu & apparatu

paratu ivit contra dictum Delegatum Paduæ, & in Burgis stetit per plures dies, credens Civitatem recuperare, quod non fecit. Et reversus est Veronam. Et eodem Anno Peronus de Leniaco, Bonincontrus de Sancto Petro Leniaci, Martinus de Via, & multi alii de Leniaco in Vigilia Omnium Sanctorum interfecerunt Contaodũ Canis, qui erat Potestas Leniaci, & cum eorum filiis, & uxoribus fugerunt ad aliam partem clamantes alta voce: *Viva il Marchese Azo da Este: La Terra è nostra*. Et habentes secum in Leniaco Insignia ipsius Marchionis. Et eo Anno transactis paucis diebus credens Civitatem recuperare, seu Leniacum, Bonfadus de Colonia, & Aprilis ejus filii, & plures alii de Colonia cum eis dederunt Castrum, & Villam Coloniæ Marchioni Estensi, & parti Comitis, & timore Domini Icerini ad alteram partem fugerunt.

MCCLVII. Thomaxius de Masone, Carus de Vincentia, & Zacharia de Ferraria existentes Vicarii Veronæ, & Bonaventura de Verme existens Potestas Ceretæ, Dominus Icerinus de Romano fecit capere Fredericum, & Bonifacium fratres de la Scala, Boninsigna de Clavica socerum dicti Frederici de la Scala, Avancium Monzevelli, Jacobinum Zovenoni, & omnes de domo sua, Zenarium de Belde-Ponto, Bonaventuram Alberti Trentini, & fratres ejus, Nicolaum Trentinum Petri Duri, & Antonium de la Mele, & multos alios Veronenses, tam Nobiles, quàm Cives, quos dixit esse proditores contra ipsum Dominum Icerinum, eo quod volebant tradere Civitatem Veronæ Mantuanis, & Azoni Estensi, & ipsos omnes fecit trainari per Veronam, & per forum Veronæ ad sonum Campanæ; & combusti, & mortui fuerunt in dicto foro de mense Octobris. Eodem Anno Dominus Albricus de Romano venit ad præceptum Domini Icerini ejus fratris, & eidem reddidit Civitatem, & Castra Tervisii; & pacem inter se fecerunt osculo & signo pacis in Castro-Franco Districtus Tervisii VIII. Maji; & in signum firmæ pacis & concordiæ dictus Dominus Albricus dedit eidem Domino Icerino tres filios suos in pignus, & fidem pacis; quos posuit in Castro Sancti Zenonis pro pace perpetuò conservanda.

MCCLVIII. Thomaxius de Maxone, & Zacharia de Ferraria existentes Vicarii in Verona, & Mastinus de la Scala existens Potestas Ceretæ. Dominus Icerinus fecit capere Basuinum, & Bellabrancam ejus filium, Gabrielem Zanini, & ejus filium Joannem Zaninum, Bon-Joannem de Calzareriis, & ejus filios, & omnes de domo sua, Zordanum de Capitalibus, & fratrem ejus, & multos alios tam Cives, quàm Nobiles de Verona, qui omnes in judicio præmortui sunt primo Februarii mandato dicti Domini Icerini. Eodem Anno Dominus Philippus Archiepiscopus Ravennæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus, & Dominus Cossadoca electus Episcopus Veronæ, Simon Domini Bonifacii de Fojano de Regio existens Potestas Mantuæ, Bianchinus de Camino, Pancera de Arco, Buratus de Sala, cum Populis Brixiæ, & Mantuæ, existentes circa Castrum Torrexellæ Districtus Brixiæ, & volentes prohibere ne trecenti milites Domini Icerini, qui erant Cremonæ redirent Veronam, dictus Dominus Icerinus cum suis militibus, & Populo Veronæ, Vincentiæ, & Feltri ivit versùs exercitum Torexellæ, dimissa in Pischeria certa Populi quantitate; & cum eo Legato, & cum suis acriter pugnavit, & victoriam habuit de prædicto Legato; & plures capti & mortui fuerunt, inter quos captus fuit prædictus Legatus, Episcopus Veronæ similiter, Potestas Mantuæ, & Brixiæ, Buratus de Sala, & plures alii de Brixia & de Mantua, & Veronæ conducti in carceribus Zerlorum, & de Curte alta in captivitatem positi fuerunt die XXVIII. Augusti. Et die sequenti dictus Dominus Icerinus cum ejus exercitu intravit Brixiam, & eam pacificè obtinuit, & quietè venientibus omnibus ad ejus mandata sinè ulla contradictione.

MCCLIX. Dominus Icerinus de Romano cum maximo apparatu, & Populis Veronæ, & Brixiæ, ivit circa Castrum Friolæ Vincentini Districtus, & ipsum Castrum obtinuit cum omnibus, qui intus erant, & omnes mala fecit morte interfici. Et statim reversus est in Territorio Brixiensi circa Castrum Urcii, devastando omnia circa ipsum Castrum. Deinde ivit Monzam Districtus Mediolani, deinde Cassanum ultra flumen Addæ, & in transitu dicti fluminis Boxius de Dovaria cum suis ivit contra dictum Dominum Icerinum, & eum personaliter cepit, & conduxit eum captum, & vulneratum in Castro Sonzini Districtus Cremonæ, ex quo vulnere idem Dominus Icerinus mortuus est XXVII. Septembris, & in Arca marmorea sub scalis Palatii Castri Communis Soncini sepultus est, & regnavit inter hostes viriliter dimicando annis XXXIII.

Nota quòd hic habuit Principium Dominus Mastinus de la Scala faciendi se Dominum Civitatis Veronæ.

MCCLX. Post mortem Domini Icerini de Romano Dominus Mastinus Primus de la Scala factus fuit Potestas Veronæ. Et eo Anno Dominus Albricus de Romano cum uxore, & filiis, filiabusque suis reduxit se in Castro Sancti Zenonis Districtus Tervisii, tenens ipsum Castrum pro ejus tuitione, & suorum, occasione mortis Domini Icerini ejus fratris. Et ea vice Boxius de Dovaria de Cremona, & cum eo Azo Marchio Estensis, Mantuani cum Populis, & Carrociis Ferrariæ, Mantuæ, & Cremonæ, nec non Populi, & Communia Veronæ, Paduæ, & Vincentiæ, & Tervisii, iverunt ad dictum Castrum Sancti Zenonis in obsidionem, & ibi steterunt à primo Maji usque per totum mensem Augusti. Quod Castrum Sancti Zenonis captum fuit per eosdem tractatu Messæ de Porcillis, qui erat in custodia dicti Castri cum aliquibus Teuthonicis dicto tractatui consentientibus; & in eo Castro captus fuit dictus Dominus Albricus de Romano cum uxore, & Liberis; & statim fuit ipse Dominus Albricus gladio interfectus unà cum uxore, & Liberis. Omnes fuerunt igne cremati, & combusti omnes, scilicet mulieres; masculi verò divisi fuerunt inter dictos membratim. Et dicti Domini Civitatum prædictarum habuerunt unusquisque portionem eis tangentem.

MCCLXI. De mense Septembris Anno completo Potestariæ ipsius Domini Mastini de la Scala, & de ejus voluntate factus fuit Potestas Veronæ Dominus Andreas Zeno de Venetiis. Et eo Anno Azo Estensis Marchio cum Ferrariensibus, Loysius Comes Sancti Bonifacii cum Ve-

Digitized by Google

Veronensibus extrinsecis, & illis de Lendenaria iverunt contra Civitatem Veronæ ferè per quinque Milliaria, credentes ipsam Civitatem violenter intrare: quod minimè facere potuerunt. Sed castra vertentes, obtinuerunt Castra Coloniæ, Sabloni, Leniaci, & Gironem Castri Ponti; & in eo Girone Castri Ponti stetit ipse Loysius cum tota familia sua per IX. menses, & ultra. Et tunc temporis & illi de Leniaco dederunt Terras Leniaci, & Ponti dicto Domino Mastino de la Scala, & parti intrinsecæ de Verona, & expulerunt dictum Loysium Comitem à dictis Castris. Et eo Anno illi de Lendenaria cum omnibus de Domo eorum, & aliis extrinsecis de eorum parte de Verona obtinuerunt Castrum de Lavaneo, & eum tenuerunt per mensem vel circa; deinde id Castrum reddiderunt eidem Domino Andreæ Zeno Potestati Veronæ nomine dicti Domini Mastini de la Scala, sanis & salvis euntibus, & exeuntibus à dicto Castro cum personis, & rebus eorum.

MCCLXII. Dominus Mastinus de la Scala factus fuit & creatus Capitaneus totius Populi Civitatis Veronæ de communi voluntate, & Consilio Populi Civitatis ejusdem.

MCCLXIII. Dominus Ludovicus Comes Sancti Bonifacii cum omni Parte sua, & omnibus Sequacibus ejusdem expulsus fuit de Civitate Veronæ XIV. mensis Septembris. Et ex postea ipse, seu ipsi Comites Sancti Bonifacii numquam in Civitate Veronæ penitus redierunt. Et ab Anno prædicto usque ad Annum MCCLXVII. regnavit & rexit idem Dominus Mastinus de la Scala in Civitate Veronæ, Dominus Civitatis prædictæ.

MCCLXVI. Dominus Carolus Rex Apuliæ Senator Romanus cum magno exercitu & comitiva Lombardorum, & Toscanorum, Civitatum Tusciæ, & Lombardiæ obtinuit Apuliam.

MCCLXVII. Dominus Conradinus Rex & Dominus Henricus Domini Regis Castellæ germanus frater, existens Senator Romanus, unà cum Romanis, & dicto Domino Conradino iverunt & intraverunt Apuliam contra prædictum Dominum Regem Carolum Regem Apuliæ, & fecerunt durum prælium contra eum; & finaliter dictus Dominus Carolus victoriam habuit contra eos; in quo Bello plures diro gladio sunt extincti, & capti, inter quos capti fuerunt Dominus Conradinus Rex Regis Conradi filius, Dominus Henricus Regis Castellæ Frater, Dominus Dux Austriæ, Dominus Conradus de Antiteja, Dominus Comes Galvagnus cum uno ejus filio, Dominus Thomaxius de Aquino Camerarius ipsius Domini Conradi, & Mainardus de Castanea, & plures alii Tusci, & Teuthonici infiniti. Ultra mille decapitati, & morti traditi tunc fuerunt. Qui Dominus Henricus, & Comes Galvagnus cum uno ejus filio eidem Domino Carolo redemtione mortis eorum tradere voluerunt centum millia oncias puri auri, volentes esse perpetuo carceri obligati: quod fuit XXIII. Julii millesimi prædicti.

MCCLXIX. Dominus Turixendus de Turixendis de Verona XX. Octobris fuit interfectus in Verona per quemdam filium Bernardini de Sancto Apostolo, & quosdam alios de Verona; & tunc Poncinella à Carceribus cum certa quantitate Veronensium aufugit de Verona, & intravit, seu invasit Castra Leniaci, Villæ-Franchæ, Illaxii, Suavi, Bubulchæ, & Vestenæ, & alia multa Castra districtus Veronæ; & ligam fecerunt cum vinculo juramenti cum Domino Luixio Comite Sancti Bonifacii, & ejus Parte extrinseca, faciendi vivam & rectam Guerram Domino Mastino de la Scala Capitaneo Populi Civitatis Veronæ. Quæ Castra tenuerunt, & cum ipsis guerram fecerunt ipsi Domino Mastino, & Communis Veronæ per duos Annos, & ultra. Quæ Castra finaliter tradita fuerunt ipsi Domino Mastino per Tractatum habitum cum quibusdam, & ea Castra ex postea pro Communi Veronæ tenuit usque ad ultimum vitæ suæ. Et eo Anno Comites de Sancto Bonifacio cum Parte ipsorum expulsi fuerunt à Civitate, & districtu Veronæ, qui ex postea numquam redierunt, qui hìc per ordinem notati sunt. Primò Dominus Ludovicus Comes de Sancto Bonifacio filius ejus cum omnibus ab eo descendentibus, Dominus Crosna de Lendenaria cum filiis, fratribus, & eorum descendentibus omnibus. Dominus Isnardus de Capite-Pontis cum fratribus, & cum omnibus ab eo descendentibus. Dominus Bartholomæus de Palatio cum filiis, & cum omnibus ab eo descendentibus. Dominus Rizardus, Bartholomæus, Nicolaus, Pegorinus eorum nepos, filii quondam Domini Pegorini de Monzambano cum omnibus de domo sua, & cum omnibus ab eis omnibus descendentibus. Dominus Balzanellus de Henrigeto, & Micola cum filiis, & ejus descendentibus. Dominus Balzanellus de Tresea-Novella cum filiis, & cum omnibus ab eis descendentibus. Dominus Conradus de Cavazanis cum filiis, fratribus, & nepotibus, & cum omnibus ab eis descendentibus, exceptis Armino, & Todesco, qui vênit pro pactis Monzambani Domini Jacobi de Zerlis. Bonifacius Zerlotus patruus eorum cum filiis eorum, & cum omnibus ab eo descendentibus. Dominus Frizolinus, Dominus Blanzardus, Daniel de Arexiis, & omnes de Cataneis, de Grexiis, & cum omnibus ab eo descendentibus. Fious, Morbisus, & Bonaventura de Terceto. Recentius quondam Bonnini, Ricardus quondam Henverardi de Voceto cum fratribus, filiis, nepotibus, & consanguineis, & omnibus ab eis descendentibus. Dominus Naxellus de Sancto Petro Hengana majori cum fratre, & filiis. Dominus Bonaventura de Garda cum filiis, & cum omnibus ab eo descendentibus. Dominus Beronus Judex de Montorio cum fratribus, cum consanguineis & nepotibus, & omnibus descendentibus. Dominus Bonacursius Judex de Montorio cum fratribus, cum consanguineis, & eorum descendentibus, Thebaldus ejus nepos de Pitania cum consanguineis, & omnibus ejus descendentibus. Dominus Marcetus de Natu cum filiis, & fratribus, & ejus descendentibus. Bonaventura Domini Macii de Sardenellis, Antonius Venturæ Sardenæ cum filiis, fratribus, & ejus omnibus descendentibus. Dominus Aldrigetus cum filiis, & ejus omnibus descendentibus. Dominus Octus, Dominus Odoricus quondam Domini Achylicis filius. Alexander de Vicecomitibus, & cum omnibus filiis, fratribus, & eorum omnibus descendentibus. Hæredes quondam Domini Iperini de Mosto, & cum omnibus ab eis descendentibus.

MCCLXXVII. Decimoseptimo Octobris. Exi-

Existens tunc Potestas Veronæ Dominus Joanninus Gambagrossa de Bonacosis de Mantua, interfectus fuit Mastinus de la Scala per tractatum quorumdam Civium Veronæ, ob cujus mortem capti, & mortui fuerunt actores sceleris supradicti, & expulsi, banniti, ac perpetuò relegati, & eorum bona confiscata fuere Cameræ, seu Factoriæ Dominorum de la Scala. Inter quos mortuos, & bannitos fuerunt illi de Plancanis, de Pigotio, & illi de Scaramellis, & plures alii de Verona. Qui Dominus Mastinus regnavit in Dominio XVI. Annis, vel circa. Isti fuerunt interfectores Domini Mastini de la Scala, ut hìc describuntur seriatim, & proditores fuerunt. Primò Daniel de Scaramellis filius Isnardi de Scaramellis, Bartholomæus, Antonius fratres & filii quondam Benedicti; Altiderius de Bustia; Vantus, Jacobus ejus frater; Jacobus quondam Mucii nepos prædictorum; Sandrinus de Pigotio; Sardelus de Mizollis; Magister Bologninus Notarius de Braida, Botinus de Castagneto, Ravonus de Contro, Soxinus Baraterius, Joannes de Foja; Tarmagellus de Nigrello, Merlius Becarius, Castellanus ejus filius, Altegranus de Lazisio; Joannes Omnebonum fratres, & filii Bonazontæ de Sancto Paulo Veronæ; Parentius ejus filius; Laurentius Galvagnus; Delavantius, Antonius, Bertholinus fratres de Pigotio, Gerlus Zeno de Graixio de Sancto Nazario; Ivanus, Lazarius, Marsilius, Antonius de Fratta fratres de Pigotio.

MCCLXXVIII. Post mortem Domini Mastini prædicti Dominus Albertus de la Scala frater Domini Mastini prædicti successit in dominio, & factus fuit Capitaneus, & Dominus civitatis Veronæ, qui dictam Civitatem benignè gubernavit, & rexit Annis XXIII. in dominio, & is morte naturali decessit.

Continuatio Chronici Veronensis Auctore Anonymo.

MCCCI. Post mortem Domini Alberti de la Scala prædicti successit in dominio Dominus Bartholomæus de la Scala primogenitus dicti Domini Alberti, qui rexit duobus annis cum dimidio in maxima gratia Populi Veronæ, qui mortuus est naturali morte. De MCCCIV. septimo Martii Dominus Alboinus de la Scala frater prædicti Domini Bartholomæi factus fuit Dominus Generalis Civitatis Veronæ, & rexit per Annos VIII. in Domino, & mortuus est morte naturali MCCCXI. ultimo Decembris.

MCCCXII. Dominus Canis Grandis primus de la Scala, frater Domini ipsius Domini Alboini, & filius Domini Alberti Primi de la Scala, successit in Dominio, & factus fuit Capitaneus & Dominus Generalis Civitatis Veronæ, & Vincentiæ, & plura gesta fuerunt à sua Serenitate, prout inferiùs describentur. Qui Dominus Canis Grandis natus fuit MCCLXXXXI. Nono Martii, & fuit staturæ magnæ, & pulchræ, & omnibus spectabilis, & gratiosus in actis, similiter & loquela, & bellicosus in armis.

MCCCXIV. Dominus Canis Grandis prædictus de la Scala posuit in conflictum Paduanos in Burgis Vincentiæ, qui venerant causâ accipiendi eidem civitatem Vincentiæ, eos morti tradendo, & eorum equis & arnexiis spoliando, & ultra ex eis MD. capti, & in captivitatem conducti fuerunt Veronam, & carcerati fuerunt in Domo Ablado, qui dicitur Amileo, super Braidam Veronæ; inter quos captus fuit Dominus Jacobus Primus de Carraria, & plures alii Nobiles de Padua. Et hoc fuit XVII. Septembris millesimi supradicti. Eodem Anno Brixienses extrinseci dederunt solo verbo Domino Cani Grandi prædicto Dominium civitatis Brixiæ, & castrorum, quæ castra minimè obtinuit: & fuit hoc ultimo Novembris.

MCCCXVII. Dominus Canis Grandis de la Scala existens in Exercitu cum ejus militia circa civitatem Brixiæ, & castrum Lonadi districtus Brixiæ, audito quòd Veronenses, & Vincentini extrinseci unà cum Comite Sancti Bonifacii venerant Vincentiam cum Paduanis, credens obtinere civitatem per tractatum notum ipsi Domino Cani, equitavit subitò nocte tota, & prædictos Inimicos volentes intrare civitatem posuit in conflictu. Fuerunt omnes pro majori parte mortui, & captivati, inter quos captus fuit Comes Sancti Bonifacii supradictus, & Veronæ in carceribus mortuus est: quod fuit XXII. Maji dicti Millesimi. Eodem Anno XXII. Decembris Dominus Canis Grandis de la Scala intravit castrum Montisfilicis districtus Paduæ, & circa flumen Brentæ totum Paduanum territorium occupavit, & ibidem stetit usque ad XII. Februarii. In quo die pax fuit inter eos solemniter celebrata & publicata.

MCCCXVIII. IV. Januarii. Dominus Ugolinus de Sesso de Regio fuit Potestas Veronæ, & in Potestaria pluribus annis stetit exercendo jus unicuique juxta merita & acta per eos. Et eo Anno Dominus Franciscus de la Mirandola accepit in se cum amicis ejusdem sub titulo Populi civitatem Mutinæ, quam tenebat Dominus Passarinus de Bonacosis Dominus Mantuæ, & Mutinæ. Eodem Anno 24. Julii. Dominus Canis Grandis de la Scala unà cum Domino Passarino prædicto, cum eorum militia, & peditibus iverunt Mutinam pro recuperanda civitate, & nihil facere potuerunt; & spe eorum frustrati Mantuam, & Veronam reversi sunt. Eodem Anno 30. Julii. Dominus Jacobus de Carraria factus fuit Generalis Dominus civitatis Paduæ, & ejus districtus. Et eodem Anno III. Octobris Dominus Canis Grandis de la Scala cum ejus militia, & comitiva Veronensium, & Vincentinorum ivit in obsidionem Tarvisii, & ibi stetit per duos menses, & omnia castra districtus Tarvisii habuit, exceptis tribus; & ob hanc causam Tarvisini dederunt civitatem Tarvisii Domino Auguritiæ. Demum ipse Dominus Canis Grandis de la Scala vênit Veronam; & eo Anno XVI. Decembris Parlamentum Generale factum fuit in castro Soncini districtus Cremonæ per Gibellinos Dominos civitatum Lombardiæ: in quo parlamento Dominus Canis Grandis de la Scala factus fuit Generalis Capitaneus Guerræ Ligæ Gibellinæ partis totius Lombardiæ &c.

MCCCXVIII. Tertio Augusti. Dominus Canis Grandis de la Scala cum ejus militia, & comitiva, & ejus Exercitu ivit circa civitatem Paduæ, & circa castrum Cittadellæ districtus Paduæ, & cum eo Ugutio de la Faxola. Et eo Anno, & mense fecit fieri unum castrum prope civitatem Paduæ per quatuor milliaria in loco, ubi dicitur Baxanellum. Et dum hæc agerentur, Dominus Canis Grandis om-

omnia castra districtus Tarvisii reddidit Comiti Auguritiæ, pacto & conventionibus habitis inter eos, videlicet quòd dictus Comes Domino Cani Grandi dare seu concedere debebat centum milites usque ad acquisitionem civitatis Paduæ & districtus. Qui Dominus Canis castrum Cittadellæ XVI. Octobris obtinuit. Et eo Anno Paduani habito tractatu cum Comite Auguritiæ de interficiendo Dominum Canem, & Ugutionem prædictos, ipsis præscientibus XII. ex melioribus Auguritiæ, qui cum Domino Cane erant, capti fuerunt: propter quod Paduani civitatem Paduæ eidem Comiti Auguritiæ tradiderunt. Et interventu Ducis Austriæ, & Ducis Carinthiæ treuga facta fuit, & firmata inter Dominum Canem, & Paduanos à decimo Januarii usque ad quindecim Martii, tenente ipso Domino Cane castra omnia, quæ tenebat in districtu Paduæ, excepto castro Baxani. Et eo Anno Ugutio de la Faxola in civitate Vincentiæ primo Novembris morte naturali decessit, & tertio ejusdem mensis Veronæ in Capitulo Fratrum Minorum honorificè fuit sepultus.

MCCCXX. Vigesimo Martii. Dominus Canis Grandis de la Scala habuit omnia Castra Districtus Tarvisii, quæ primo Domino Comiti Auguritiæ reddiderat; & circa Civitatem Paduæ cum ejus exercitu stetit usque ad XXVI. Augusti. Et ea vice Duces Austriæ, & Carinthiæ, quibus Paduani se dederant, miserunt in Paduam magnam militum quantitatem, qui exiverunt subitò de Civitate Paduæ contra Dominum Canem & ejus exercitum. Qui Dominus Canis fuit positus in conflictum cum ejus militia, & comitiva, multis ex suis interfectis, & captis. Et statim Castrum Baxanelli diruerunt, & Montemsilicem obsiderunt per Annum, & ultra. Demum ipse Dominus Canis pacem fecit cum Paduanis, & Tarvisanis.

MCCCXXI. Vigesimo Julii. Dominus Gibertus de Corrigio de Parma mortuus est in quodam ejus castro morte naturali, quod vocatur Castrum-Novum Districtus Parmæ. Qui Dominus Gibertus fuit cognatus Domini Alboini de la Scala, seu Socer. Et eo Anno filii ipsius Domini Giberti de Corrigio in civitate Parmæ ad propria redierunt de mense Augusti dicti Millesimi, & ibidem de cetero morati sunt.

MCCCXXIV. XXVII. Januarii. In castro Palazoli Districtus Brixiæ factum fuit Parlamentum, in quo convenerunt Domini Veronæ, Mantuæ, Ferrariæ, Mediolani, & Domini pro majori parte superiores, & inferiores totius Lombardiæ, operantes contra Ecclesiam Romanam. Et fuit ibi tractatum de diruptione Pontis Placentiæ super Padum, ut mercantiæ, & naves non possent ire Venetias de Mediolano. Et eo Anno primo Aprilis Dominus Canis Grandis de la Scala cum Veronensibus civitatis, & districtus Veronæ, & eorum auxilio & pecunia incœpit fortificare, & fortificari facere civitatem Veronæ à parte versùs Vincentiam à Porta Episcopi, de foveis, seu fossatis circumquaque usque ad Portas Sancti Georgii ob timorem Ducum Carinthiæ, & Austriæ, qui adunationem fecerant Paduanorum, & Tarvisiensium. Et super ipsa fovea, seu fossato circa Veronam factus fuit murus à Porta Episcopi usque ad Sanctum Zenonem in Monte, & ultra. Et finaliter inter Dominum Canem prædictum, & Duces prædictos fuit firmata treuga usque ad Nativitatem Domini; & sic prædicti Duces de voluntate ipsius Domini Canis & ejus licentia ad propria sunt reversi. Pro quibus fossatis & muris posita fuit Datia in civitate Veronæ XX. solidorum pro libra, & in Villis XV. solidorum pro libra.

MCCCXXV. XII. Januarii. Dominus Canis Grandis de la Scala, finitis treugis inter eum, & Paduanos, & Tarvisinos, habuit castrum Brusaporchi per tractatum extrinsecorum; & castrum Vigazoli similiter habuit per pactum habitum cum extrinsecis. Et decimo Januarii Custodes dictorum castrorum permiserunt exire, salvis eorum arnexiis, & personis. Et statim castrum prædictum Brusaporchi fecit dirui & comburi. Et eo Anno sesto Februarii Dominus Chichinus de la Scala morte naturali decessit. Eodem Anno quintodecimo Februarii Dominus Canis Grandis de la Scala cum ejus militia & exercitu discedens de Vincentia per Leonicum, Montagnanam, & Montemsilicem transiens, Territorium Paduæ est ingressus, & omnia extra muros civitatis exposuit ferro & igni, nullis eidem obviam venientibus inimicis. Et eo Anno primo Junii posita fuit Datia in civitate, & villis Veronæ de XVI. solidis per libram. Eodem Anno IV. Julii fuit magnus ignis in civitate Vincentiæ, & ibi stetit duobus diebus, & quartam partem civitatis intra muros ejusdem devastavit, & combussit. Et statim die sequenti Dominus Canis Grandis de la Scala veniens de Mutina in auxilio Domini Passarini, audito de crematione civitatis Vincentiæ versùs civitatem Vincentiæ equitavit, & in itinere infirmatus est; & Veronam rediit, & dubitatum fuit de morte ipsius. Ob quam causam Dominus Fredericus de la Scala, & filii Domini Albuini verba de dominio civitatis Veronæ inter se habuerunt. Stipendiarii Domini Canis ad arma traxerunt: propter quod ipse Dominus Fredericus captus est, & castrum Marani, quod ipse tenebat, redditum fuit ipsi Domino Cani, & diruptum, & dictus Dominus Fredericus à Verona relegatus est cum ejus familia XIV. Septembris; & plures amici ipsius Domini Frederici mortui & capti fuerunt, & prædati. Et eo Anno circa principium Octobris Dominus Canis Grandis de la Scala ordinavit, & fecit compleri murum civitatis Veronæ à parte versùs Mantuam, & Brixiam, & fuit MD. perticæ, & constitit quælibet pertica XVI. ducatos auri.

MCCCXXVI. Nono Julii. Ambaxiatores Regis Ruberti, & Domini Papæ applicuerunt Veronæ, & hospitati fuerunt in Monasterio Sancti Zenonis, habito colloquio cum Domino Cane Grandi. Et nescitur qua de causa. Et nono Julii idem Dominus Canis Grandis ivit ad parlamentum cum Mantuanis, Ferrariensibus, & Mediolanensibus apud Sanctum Zenonem in Mozio districtus Veronæ, eis Dominis dictarum Civitatum habentibus Exercitum, & ejus militiam circa Castrum Vitalianæ Districtus Cremonæ.

MCCCXXVII. Ultimo Maji. Dominus Ludovicus de Bavaria Romanorum Imperator cum Domina Imperatrice ejus uxore coronatus fuit Corona Ferrea in Ecclesia Sancti Ambrosii de Mediolano, cujus coronationi interfuerunt Domini civitatum Lombardiæ, videlicet Montisferrati, Vercellarum, Novariæ, Cumarum, Pa-

Papiæ, Cremonæ, Laudi, Pergami, Mantuæ, Regii, & Ferrariæ, & plurium Romandiolæ, & Tusciæ civitatum, & plurium Marchiæ Anconitanæ, & Tarvisinæ. Inter quos interfuerunt dictæ Coronationi Dominus Canis Grandis de la Scala cum duobus millibus equitibus, & quingentis peditibus bene armatis, faciendo expensas, & Curias, ultra quæ dictus Imperator, & Vicecomites Domini Mediolanenses tunc temporis insimul faciebant. Et ea vice ipse Imperator concessit eidem posse ædificare Pontem super Padum per directum castri Hostiliæ, & exigere pedagia aquæ Padi, prout exigunt alii circumstantes: quod minimè fecit propter mortem ipsius Domini Canis imposterum subsequutam.

A

MCCCXXVIII. VII. Januarii. Imperator prædictus Romam ingressus, & ibidem honorificè receptus. Et XVII. Januarii fuit Corona aurea coronatus; & in dicta urbe Castrucium constituit Senatorem. Et eo Anno Imperator prædictus cum Clero & Populo Romano privaverunt Papam Joannem Vigesimum secundum, & elegerunt alium Papam de Ordine Fratrum Minorum Papam Nicolaum nomine appellatum, & sex Cardinales novos similiter creaverunt. Eodem Anno XVI. Augusti Dominus Loysius de Gonzaga affinis Domini Passarini de Bonacosis Domini civitatis Mantuæ unà cum Guidone, Philippo, & Feltrino filiis Domini Loysii, habito tractatu cum Domino Cane Grande de la Scala, & cum gente ipsius Domini Canis Grandis, Mantuam acceperunt, per Portam Pontis Molendinorum de Mantua intrantes, & ipsum Dominum Passarinum interfecerunt gladio, & Dominum Francischinum ejus filium, & omnes de Domo ipsius Domini Passarini. Eodem Anno X. Septembris Dominus Marsilius de Carraria unà cum complicibus, & amicis suis, & cum illis de Rubeis de Parma, habito longo tractatu dederunt civitatem Paduæ Domino Cani Grandi de la Scala; & die sequenti in Generali Concilio supra Palatium Communis Paduæ eidem Vexillo Populi præsentato, factus fuit Dominus Generalis ejusdem civitatis Paduæ. Et disposito de statu Civitatis, & ordine XXVII. Septembris Veronam reversus est. Et eo Anno ad gloriam ampliorem de obtentu civitatis Paduæ ultimo Octobris in Verona maximum gaudium & Curiam celebravit, & creavit XXXVIII. Milites manu sua de diversis partibus Lombardiæ; inter quos fuerunt decem Milites Nobiles Paduani; & duravit Festum per unum mensem in civitate Veronæ, & in Palatio Veronæ. Nomina Militum, qui interfuerunt prædicto Festo, & Solemnitati celebratæ per dictum Dominum Canem Grandem in civitate Veronæ, postquam factus fuit Dominus Generalis Paduæ, sunt hæc:

B

Dominus Nicolaus Foscari de Venetiis.
Dominus Aluixius de Gonzaga de Mantua.
Dominus Gulielmus Novellus de Castro-Barco.
Dominus Raviza de Rusconibus de Cumis.
Dominus Albertus de Soardis de Pergamo.
Dominus Azo de Castro-Barco.
Dominus Gulielmus de Castro-Barco.
Dominus Ugolinus de Sesso.
Dominus Marcabrunus de Regio.
Dominus Tibaldinus de Novaria.
Dominus Franciscus de Cataniis de Vercellis.
Dominus Bernardus de Ranuzo de Florentia.

C

D

E

Dominus Nicolaus de Vivaro de Vincentia.
Dominus Jacobus de Verme de Verona.
Dominus Joannes de Guizinello de Bononia.
Dominus Hendrigetus de Bongai de Cu . . .
Dominus Petrus de Verme de Verona.
Dominus Lanfranchus de Piis de Verona.
Dominus Dinadanus de Nogarolis de Verona.
Dominus Bonaventura de Bredellis de Verona.
Dominus Guidotus de Nichexola de Verona.
Dominus Guertius de Suetio de Florentia.
Dominus Franciscus Frasalasta.
Dominus Duxius de Buzaccarinis de Padua.
Dominus Icardinus de Caudo de Vacha de Padua.
Dominus Jacobus de Carraria de Padua.
Dominus Cattaneus de Lendenaria de Padua.
Dominus Tixius de Campo Sancti Petri de Padua.
Dominus Marsilius Parvus de Carraria de Padua.
Dominus Philippus de Peraga de Padua.
Dominus Obizo de Carraria de Padua.
Dominus Albertus de Carraria de Padua.
Dominus Cagnolus de Nogarolis de Verona.
Dominus Nicolaus ejus frater de Verona.
Dominus Mastinus de la Scala Secundus de Verona.
Dominus Marsilius de Carraria de Padua.
Dominus Albertus Secundus de la Scala de Verona.
Dominus Franciscus filius dicti Domini Canis Grandi de la Scala naturalis. Suprascripti Nobiles omnes interfuerunt dictæ Solemnitati Domini Canis Grandis.

MCCCXXIX. secundo Julii. Dominus Canis Grandis de la Scala cum ejus militia, & comitiva, ac magno exercitu, & apparatu posuit exercitum circumquaque Civitatem Tarvisii super fillo in Monasterio Sanctorum Quadraginta, cum ejus persona & familia habitando; & fecit fieri splanatam circumquaque Pontibus junctis super fillo, & canali de Mestre; & finaliter XVIII. Julii Advocatus de Annuali unà cum majoribus de Tarvisio ipsi Domino Cani Grandi civitatem Tarvisii tradiderunt, quam civitatem eo die prædictus Dominus Canis Grandis introivit, honorificè à cunctis civibus receptus, & gratiosissimè honoratus. Eodem Anno XXII. Julii in die Sanctæ Mariæ Magdalenæ Dominus Canis Grandis de la Scala in civitate Tarvisii morte naturali decessit propter fluxum, & febrem continuam ob laborem exercitus civitatis prædictæ; & Veronam portatus die noctuque, XXIV. Julii ejus Corpus fuit traditum sepulturæ, & in Arca lapidea valde pulchra conditum est in Ecclesia Sanctæ Mariæ antiquæ de Verona. Et sic regnavit Dominus Canis Grandis prædictus Annis XVIII. vel circa. Et in morte sua reliquit Dominium civitatis Veronæ, & Vincentiæ, Paduæ, & Tarvisii, Feltri, & Cividalis, Dominis Alberto, & Mastino fratribus de la Scala Nepotibus suis, post ipsum nemine relicto filio legitimo. Eodem Anno XXV. Julii Domini Albertus, & Mastinus secundi fratres de la Scala, & filii quondam Domini Albuini de la Scala, electi & confirmati fuerunt super capitello majoris plateæ sive mercati communis Veronæ in Capitaneos & Dominos Generales civitatis Veronæ, & civitatum prædictarum. Et ea vice XXVII. Julii Dominus Albertus de la Scala præ-

prædictus personaliter accessit extra civitatem Veronæ ad accipiendum Dominium aliarum civitatum, & Veronam rediit XIII. Augusti. Demum XVII. Septembris Dominus Mastinus de la Scala frater ejusdem Domini Alberti, qui licèt secundus & junior esset, magis erat doctus in dominio & cautelis, movit se de Verona ad accipiendum dominia particulariter civitatum, & castrorum Districtuum civitatum ipsarum, in eisdem disponendo de Custodibus, & Rectoribus eorumdem. Eodem Anno circa ultimum Decembris Bartholomæus, & Zilibertus fratres, & naturales filii Domini Canis Grandis de la Scala diffamati & accusati de pensatione mortis & status contra Dominos Albertum, & Mastinum de la Scala, capti fuerunt, & in carceribus communis Veronæ positi & perpetuò condemnati. Et ea vice Magister Franciscus eorum Magister judicatus est; & per terram trainatus ad furcas tumbæ suspensus est.

MCCCXXX. nono Junii. Dominus Mastinus de la Scala secundus cùm ejus exercitu & comitiva ivit in Riparia Brixiensi, & plura castra, & loca obtinuit usque prope civitatem Brixiæ, villas & loca devastando, & ibidem moram traxit per mensem. Et eo Anno II. Septembris Dominus Mastinus prædictus cum ejus exercitu rediit in territorium Districtus Brixiæ, & obtinuit totam Riperiam, & Vallem Sabiæ, & multa loca alia primitus non obtenta. & per mensem vel circa ibidem moram traxit.

MCCCXXXI. XVIII. Novembris. Dominus frater Thebaldus Ordinis Fratrum Eremitarum Episcopus Veronensis, cùm jam esset annorum XC. ex catharro mortuus est, & sedit in Episcopatu Annis XXXVI. Et eo Anno XXVII. Novembris factus fuit Episcopus Veronæ frater Nicolaus Abbas Villæ-Novæ, & sedit in Episcopatu Annis V. vel circa; deinde morte naturali decessit.

MCCCXXXII. VII. Junii. Dominus Mastinus de la Scala civitatem Brixiæ obtinuit per proditionem sibi traditam per infrascriptos, videlicet Conradinum de Bichis, & Nigrum de Bruxatis, & quatuor alios Nobiles de Brixia cum eorum sequacibus, & amicis. Et Dominus Marsilius de Carraria nomine Domini Mastini de la Scala duxit tractatum prædictum nomine ipsius Domini Mastini, & Rector ipsius civitatis tunc temporis factus est; Et per triduum Guelfi ipsius civitatis Brixiæ habuerunt licentiam interficiendi Gibellinos civitatis Brixiæ, & Districtus, operâ Domini Alberti de la Scala per consilium sibi datum per Dominum Marsilium de Carraria prædictum. Et in brevi tempore his peractis omnia castra & loca Districtus Brixiæ venerunt ad obedientiam, & mandata Domini Mastini de la Scala prædicti. Et in ipso die natus est Dominus Canis Grandis secundus. Eodem Anno XXII. Novembris Domini Rectores civitatum Mediolani, Ferrariæ, Mantuæ, Veronæque Ligam fecerunt contra Regem Bohemiæ, qui tenebat certas civitates, & terras Lombardiæ, & inter se dictas terras diviserunt, videlicet Pergamum, & Cremonam Domino Mediolani; Mutinam Domino Ferrariæ; Regium Dominis Mantuæ; & Parmam Domino Veronæ. Et sic prædicti Domini Lombardiæ requisiti sunt ad Ligam cum Florentinis, & Rege Roberto contra Regem Bohemiæ, quæ Liga Veronæ per Sindicos & Ambasciatores Regis Roberti, & Florentinorum firmata est circa finem Martii, positâ taleâ inter ipsos de tribus millibus equitum, & duorum millium peditum.

MCCCXXXIII. primo Aprilis. Dominus Mastinus de la Scala cum ejus exercitu, & comitiva requisitus à Domino Obizone Marchione Estensi Domino civitatis Ferrariæ ivit in auxilio dicti Domini Marchionis contra Dominum Beltrandum Cardinalem Hostiensem, & Legatum, ac Dominum Generalem civitatis Bononiæ, & Romandiolæ, qui erat in obsessu civitatis Ferrariæ, & ibi fecerat unam bastitam. Cum dictis Domino Mastino, & Marchione Estense interfuerunt gentes equites, & pedites Dominorum de Mediolano, & de Mantua &c. Et XIV. dicti mensis exiverunt civitatem Ferrariæ, aciebus, & feritoribus ordinatis contra ipsum Dominum Legatum, & ejus exercitum, per terram, & aquam Padi contra ipsos viriliter pugnantes, & ejus bastitam per vim eisdem inimicis auferentes, & comburentes; & multi ex eis captivati, & morti traditi sunt; inter quos fuit Comes de Armignaco; & ultra mille quingentos carceribus consignati, & in bottino ultra duo millia equorum consignati fuerunt, & plurima alia spolia infinita vendita in bottino ultra XIV. millia Florenorum, exceptis donis factis pluribus Nobilibus de communitate bottini, & pluribus furatis rebus, & occultatis per cives Ferrariæ, & per Soldatos, quæ excesserunt numerum prædictum. Eodem Anno circa medium Augusti Dominus Carolus filius Regis Bohemiæ per Dominum Mastinum de la Scala honorificè receptus est, & in Episcopali Curia duobus diebus requievit, & in recessu ejusdem de equis, & palafrenis ab ipso Domino Mastino, & alia plurima dona recepit; & per Pontem Corvariæ versùs Tridentum ipse Dominus Carolus in castro Avii notificavit. Et eo Anno octavo Octobris Dominus Joannes Rex Bohemiæ Pater ipsius Domini Caroli applicuit Veronam, & in propriis Palatiis habitationis Domini Mastini de la Scala honorificè receptus est, & multis donis eidem ex equis, & aliis exeniis præsentatus. Demum die sequenti versùs Tridentum per castrum & pontem Corvariæ Tridentum reversus est ad propria.

MCCCXXXIV. Dominus Mastinus de la Scala cum ejus exercitu, & Liga Dominorum Mediolani, Ferrariæ, & Mantuæ XX. Januarii posuerunt exercitum circa castrum Brexelli districtus Parmæ super ripa fluminis Padi situm, distans à Parma per XII. milliaria, à Regio XV., & à Cremona XXVI., & fecerunt unum Pontem supra Padum, & dictum castrum vallaverunt triplici fovea; & lignamina, asseres, funes, ferramenta, victualia, & alia necessaria portabantur de Verona usque ad exercitum supradictum. Et eo Anno XXIII. Februarii Domini Hector de Panico de Bononia, Gothofredus de Sesso de Regio, Joannes de Manfredis de Regio, & plures alii nobiles existentes in castro Corrigii, districtus Regii, cum quingentis militibus de Verona, & Ligæ supradictæ casualiter equitaverunt contra Civitatem, & Villas districtus Regii: contra quos occurrit Dominus Gibertus de Fojano de Regio tunc Dominus Civitatis ejusdem, & cum ejus militia cepit eosdem Dominos Hectorem

rem de Panico, & prædictos tam cum omnibus equitibus suis, quàm Soldatibus dictæ Ligæ. Ex eis consignatis ad bottinum in Platea Communis Regii percepti sunt ultra X. millia florenorum. Eodem Anno XVI. Martii. Bononienses traxerunt ad arma contra Dominum Beltramum Legatum Ecclesiæ Romanæ, & Dominum civitatis Bononiæ, & ipsum Legatum in castro Bononiæ incluserunt, & obsiderunt; & XXVIII. Martii ipsum castrum obtinuerunt, & ipsum Dominum Legatum, & ejus familia cum personis, & rebus recedere liberè permiserunt; & Florentiæ honorificè est receptus; demum in civitate Pisarum se recepit, & per mare transiens Avinioni applicuit XXVI. Aprilis. Et eo Anno IV. Decembris Dominus Joannes Papa XXII. in Avinione mortuus est. Et eo die, & hora fuit Terræmotus maximus Veronæ. Et die XX. dicti mensis fuit electus Papa Benedictus XI., & coronatus. Eodem Anno in exitu mensis Junii accensus est ignis in Insulo superiori Veronæ, & crevit in tantum, quòd dictum Insulum cum toto lignamine, & cum toto Ponte-Novo combustum est, & cremavit per duos dies. Et Anno sequenti factus fuit dictus Pons de lapide, qui erat primitus de lignamine.

MCCCXXXV. Primo Julii nobiles de Rubeis de Parma dederunt civitates Lucæ, & Parmæ Domino Mastino Secundo de la Scala certis pactis, & conventionibus habitis inter eos, & VII. Octobris idem Dominus Mastinus civitatem Parmæ intravit, & ibidem honorificè est receptus, & dominia civitatum Parmæ, & Lucæ à prædictis nobilibus de Rubeis de Parma, qui dictas civitates tenebant, benignè recepit. Et ad civitatem Lucanam misit pro Capitaneo ipsius civitatis Guillielmum de Canatio de Scanabiciis de Bononia. Eodem Anno XV. Septembris. Dominus Gibertus de Foliano de Regio Dominus civitatis Regii dedit Dominium civitatis Regii Domino Mastino de la Scala; qui Dominus Mastinus ipsam civitatem Regii liberè tradidit post octo dies Dominis Guidoni, Philippino, & Feltrino fratribus de Gonzaga Dominis Mantuæ propter certa pacta, & conventiones habitas inter eos & Ligam superiùs nominatam. Qui Domini de Gonzaga dictam civitatem Regii tenuerunt postea XXX. Annis, vel circa. Eodem Anno Ambasciatores de Florentia die XI. Decembris venerunt Veronam, petentes, quòd Dominus Mastinus de la Scala Communi Florentiæ traderet civitatem Lucanam liberè & quietè certis pactis, conventionibusque inter Commune Florentiæ supradictum, & ipsum Dominum Mastinum de la Scala, & Ligam superiùs nominatam habitis & perceptis. Qui Ambasciatores de Florentia VIII. Februarii à Verona recesserunt, nihil penitùs obtinentes. Eodem Anno Dominus Carolus filius Regis Bohemiæ venit in Cariciam, & Tridentum ad intrandum tenutam de bonis Domini Ducis Carentiæ mortui Anno illo de mense Decembris.

MCCCXXXVI. Domini Marsilius, Rolandus, & Petrus de Rubeis de Parma existentes Veronæ ad provisionem Domini Mastini de la Scala, dubitantes de ipso Domino, eo quòd diffamati erant, ut dictum fuit per Dominum Azonem de Corrigia de Parma inimicum prædictorum de Rubeis, eos præsumsisse, & tractasse mortem Domini Mastini de la Scala, ob quam causam de Verona aufugerunt, & Venetiis se receperunt. Et ea vice de mense Maji omnia eorum bona in Parma, & alibi fuerunt totaliter confiscata & accepta. Eodem Anno ultimo Maji quidam Florentinus dimissus in castro Massæ de Lunixana per Regem Bohemiæ tradidit ipsum castrum Domino Mastino pro XVI. millibus florenorum. Et eo Anno primo Julii exercitus Domini Mastini de la Scala existens circa castrum Pontremuli inter Parmam & Lucam dictum castrum obtinuit, datis Custodibus dicti castri quatuor millibus florenorum, salvis personis & rebus eorum, & sic eorum fuit recessus. Eodem Anno Commune, & Consilium Venetorum captatâ causâ contra Dominum Mastinum de la Scala incœperunt guerram suscitare, & nova pacta & conditiones contra civitates prædicti Domini Mastini de la Scala, & inhibuerunt omnia mercimonia de Terris prædicti Domini Mastini de la Scala portari Venetiis, exceptis ferro, lignamine, & victualibus. Et è converso propter hæc odia Dominus Mastinus de la Scala fecit reædificare unum castrum cum muro & fossatis in districtu Paduano, marique propinquum, quod appellavit castrum de Salinis. Eodem Anno Florentini diffisi non posse obtinere civitatem Lucanam, pro qua civitate voluerunt tradere Domino Mastino prædicto CCC. millia florenorum, & fecerunt ligam & unionem cum Venetis, & inimicis Domini Mastini contra ipsum Dominum Mastinum, & civitates ejusdem, usque ad ultimum exterminium eorumdem. Et sic primo Junii ipsum Dominum Mastinum diffidaverunt, & banniverunt in scalis Palatii Communis Venetiis Domino Joanne Francisco dicto Cane de Ca-Dandulo existente Duce tunc Venetiarum. Eodem Anno IV. Augusti Dominus Albertus frater Domini Mastini de la Scala cum eorum exercitu & militia expugnaverunt castrum de Oritio, Tarvisini districtus, quod tenebatur per Venetos, & ipsum obtinuerunt, & in eo ceperunt Dominum Gerardum de Camino, & alios nobiles de Venetiis. Et ea vice XXV. Augusti similiter obtinuerunt castrum de Camino districtus Tarvisii, quod tenebatur per Venetos. Et in eo exercitu Domini Mastini de la Scala de propriis Soldatis fuerunt ultra duo millia equitum, & V. millia peditum armatorum. Eodem Anno Veneti, & Florentini creaverunt, & fecerunt Dominum Petrum de Rubeis de Parma eorum Guerræ Capitaneum Generalem, & adunaverunt apud castrum Mottæ districtus Tarvisii tria millia equitum, & V. millia peditum armatorum, cupientes vindictam sumere contra Dominum Mastinum de la Scala, & Civitates ejusdem. Et eo Anno una Pars contra alteram plures res notabiles in armis pertractati sunt.

MCCCXXXVII. VI. Martii. Dominus Guilielmus de Campo Sancti Petri tradidit castrum Trituli Venetis, & similiter ea vice XII. Martii usque ad principium Maji perdidit Dominus Mastinus de la Scala obtenta per Venetos plurima castra districtuum civitatum Domini Mastini supradicti, videlicet Campum Sancti Petri, Coneglanum, Rigenzonum, Asolum, Romanum, Sanzenonem, Viorum, Mesestrum, & Serravallem. Eodem Anno VIII. Julii Dominus Carolus accepit Cividale Domino Mastino per tractatum, & ultimo

An-

Digitized by Google

Augusti dictus Dominus Carolus habuit Feltrum intrinsecis fame convictis, & alia plura castra proditoriè sibi accepta, Eodem Anno Dominus Marsilius de Carraria existens in civitate Paduæ, habito longo tractatu cum Venetis, & Domino Petro de Rubeis Capitaneo exercitus Venetorum, & Florentinorum, habito primo ipsis Venetis per longam machinationem manganorum castro de Salinis, ipse Capitaneus cum exercitu suo intravit III. Augusti Civitatem Paduæ apertâ sibi portâ Pontis Corvi per Dominum Marsilium de Carraria supradictum, & ipsam Civitatem obtinuerunt; & stipendiarios Domini Mastini de la Scala prædicti derobaverunt, & totaliter eorum armis, & arnexiis expoliaverunt, & plures ceperunt ex eis, inter quos captus fuit Dominus Albertus frater Domini Mastini de la Scala cum pluribus Veronensibus, & Venetias in carceribus missus est, & ibi per multos menses stetit. Et sic factus est Dominus Marsilius de Carraria supradictus civitatis Paduæ Dominus Generalis. Et ea vice VI. Augusti Dominus Petrus Rubeus cum Exercitu Venetorum ivit in obsidionem castri Montissilicis, & ibi pugnando in quadam scaramucia per unum peditem de intrinsecis percussus est de quadam lancea ipse Dominus Petrus Rubeus, ex quo vulnere expiravit; & in Sancto Marco de Venetiis pro ipso Domino Petro multa obsequia & honores per Venetos tunc fuerunt facta. Eodem Anno existentibus Dominis Guidone de Corrigio de Parma Capitaneo, Nobilibus de Foliano de Regio, & Domino Boneto de Malavexina de Verona existente Rectore Civitatis Brixiæ pro Domino Mastino de la Scala: Dominus Azo Vicecomes Dominus Mediolani per tractatum habitum cum certis de Brixia Nobilibus V. Octobris cum ejus Exercitu intravit civitatem Brixiæ, & eam obtinuit totam, excepto castro civitatis. Qui Rectores cum gente Domini Mastini fugerunt, & applicuerunt Veronam octavo Octobris. Et ea vice ipse Dominus Azo obtinuit castra Pontivigi, & Canedi, & plura alia castra districtus Brixiæ. Et primo Decembris Gentilis de Ciprianis Capitaneus castri civitatis Brixiæ pro Domino Mastino id castrum dedit Domino Azoni prædicto.

MCCCXXXVIII. VII. Martii. Dominus Marsilius de Carraria Dominus civitatis Paduæ morte naturali decessit. Et X. Martii Dominus Ubertinus de Carraria post ipsum factus est Dominus civitatis Paduæ. Et eo Anno primo Aprilis Ambaxiatores, & Legati Florentinorum, & Dominorum Lombardiæ cum Venetis in Civitate Venetiarum existentes, firmaverunt Ligam contra Dominum Mastinum de la Scala, eo quòd de pace fienda non poterant convenire. Et eo Anno XII. Augusti castrum Montissilicis redditum fuit Venetis; & Rocha castri prædicti primo Decembris defectu victualium reddita fuit prædictis Venetis, & Paduanis. Eodem Anno XXVII. Augusti Dominus Mastinus de la Scala equitando per civitatem cum Domino Azone de Corrigio post cœnam in Solis occasu, instigatione ipsius Domini Azonis Dominum Bartholomæum de la Scala Episcopum Veronensem manu propria gladio interfecit, ex qua morte cum Romana Ecclesia multa mediante pecunia reconciliatus est, & absolutus finaliter.

MCCCXXXIX. X. Januarii Dominus Albertus de la Scala, qui erat Venetiis carceratus, exivit carceres supradictos, pactis habitis inter Dominum Mastinum de la Scala ex una parte, & Venetos, Florentinos, & Paduanos ex altera parte: videlicet quòd Veneti habere deberent civitatem Tarvisii, & ejus districtum, quod habuerunt X. Januarii. Paduani tunc habuerunt castra Bassani, & Castri-Baldi districtus Paduæ. Florentini habuerunt castra Pesse, Buzani, & Claravali districtus Lucæ. Et sic pax facta fuit inter eos, & Dominus Albertus prædictus cum suis fuit à carcere liberatus, & XV. Februarii Veronam vênit, cui obviam ivit Dominus Mastinus de la Scala ejus frater usque Leniacum, & Portum. Eodem Anno primo Aprilis Dominus Mastinus de la Scala Lucam ivit, ubi numquam priùs fuerat, & dimisso ibidem ordine de custodia civitatis Veronæ reversus est. Et eo Anno XX. Maji Dominus Albertus de la Scala ejus frater cum mille & quingentis equitibus, & tribus millibus peditum ivit in obsidionem Marosticæ Districtus Vincentiæ, quæ detinebatur per Xichum de Caldonatio proditore ipsius Domini Mastini. Eodem Anno VII. Julii fuit maxima obscuratio Solis pauló post Nonas, & in tantum quòd vix LX. pars Solis videbatur.

MCCCXL. XXIV. Octobris Dominus Bardinus de Nogarolis annorum LXX. morte naturali decessit, & ad Ecclesiam Sanctæ Cæciliæ positus fuit, solo filio Domino Cagnolo relicto post eum. Et eo Anno XX. Novembris Dominus Vivarius de Vivario de Vincentia tractatu Domini Mastini de la Scala, dum esset in Burgo Roveredi Districtus Tridenti, fuit gladio interfectus per Albertum Avancii de Caldono campaneæ Veronensis. Qui Albertus statim per familiares ipsius Domini Vivarii fuit interfectus: & similiter Filiaxius de Gardono, qui tractatum mortis prædictæ duxerat, dum vellet auugere prope Villam Sachi, Aticem transfundo eques submersus est. Et ipso die natus est Dominus Cansignorius de la Scala.

MCCCXLI. XII. Januarii. Dominus Conradus à Buchis, & cum eo alii sui amici decapitati fuerunt per Dominum Luchinum Vicecomitem Mediolani, opponendo eis, quòd volebant prodere civitatem Brixiæ Domino Mastino de la Scala.

MCCCXLII. Die II. Octobris fuit prœlium in campo penes civitatem Lucæ inter gentes Domini Mastini de la Scala, & gentes Florentinorum ex una parte, & gentes Mediolanensium, & Pisanorum ex altera. In quo bello fuerunt ultra VI. millia equorum armatorum, & XV. millia peditum. Et in dicto bello obtinuerunt Pisani, qui erant in obsidione circa civitatem Lucanam prædictam; in qua civitate erat Capitaneus Generalis Dominus Gibertus de Foliano de Regio pro prædictis Domino Mastino de la Scala, & Florentinis. In quo bello interfuit Dominus Gibertus prædictus, & post conflictum dicti belli cum parte familiæ, & gentis suæ se reduxit ad custodiam dictæ civitatis Lucæ. Et plures ibi mortui, & capti fuerunt per Pisanos, inter quos mortuus fuit Dominus Fregnanus de Sesso de Regio, & capti fuerunt Dominus Gulielmus de Fojano de Regio, & Dominus Luchi-

Digitized by Google

chinus de Verme, & Bonetus de Malavexina de Verona, & plures alii Nobiles, & aliæ gentes mercenariæ, & soldati prædicti Domini Mastini de la Scala, & Florentinorum, conducti, & carcerati fuerunt in civitate Pisarum. Et eo Anno dicta civitas Lucana per famem & inopiam reddita est Pisanis.

MCCCXLIII. Dominus Azo de Corrigio de Parma per tractatum accepit civitatem Parmæ Dominis Mastino de la Scala, turpiter expulsis & derobatis gentibus stipendiariis, & Veronensibus Officialibus ipsius Domini Mastini, nec non Regentibus in ipsa civitate Parmæ pro ipso Domino Mastino, qui erant Dominus Petrus del Verme, & Dominus Gibertus de Foliano de Regio cum certis de domo sua. Et in eorum recessu, & expulsione plures ex Populo Parmæ per ipsos interfecti sunt in loco, ubi dicitur Codeponte; deinde per Terras amicorum Veronam se reduxerunt.

MCCCXLV. Dominus Mastinus de la Scala tradidit in uxorem Dominam Beatricem, quæ Domina Regina appellabatur, Domino Bernabovi de Vicecomitibus de Mediolano, ex qua utriusque sexus filios procreavit plurimos. Eodem Anno Dominus Mastinus de la Scala fecit incipi & fundari muros Serragi de Villa-franca, incipiendo à Mentio usque prope Nogarolas. Eodem Anno fuit universalis terræmotus per totum Orbem, cui numquam fuit similis.

MCCCL. Fuit mortalitas magna in civitate Veronæ, & ejus districtu, & mortui sunt vigesima pars personarum, & hominum, & mulierum; & in aliis civitatibus quasi decima pars personarum. Et eo Anno fuit Jubilæus tempore Domini Clementis Sexti Papæ. Eodem Anno Dominus Mastinus de la Scala die XXII. Novembris fecit desponsari per manum Domini Canis de la Scala Primogeniti ipsius Domini Mastini in uxorem & sponsam Dominam Helisabeth filiam quondam Domini Ludovici de Bavaria Romanorum Imperatoris, ex qua numquam procreavit.

MCCCLI. III. Junii Dominus Mastinus de la Scala morte naturali mortuus est. Natus est MCCCVIII., qui rexit in dominio annis XX. vel circa, relictis post ipsum V. filiis legitimis utriusque sexus, & septem filiis naturalibus utriusque sexus ex pluribus mulieribus. Eodem Anno & die de voluntate Domini Alberti de la Scala, & Populi Veronensis, electi fuerunt & creati in Dominos Generales civitatum Veronæ, & Vincentiæ Domini Canis Grandis Secundus, Cansignorius, & Paulus Albuinus fratres, & filii quondam Domini Mastini de la Scala. Natus est Dominus Canis Grandis MCCCXXXII. & rexit in dominio civitatis Veronæ & Vincentiæ VIII. Annis, vel circa.

MCCCLII. XIII. Septembris. Dominus Albertus de la Scala frater Domini Mastini prædicti morte naturali decessit, & natus est MCCCVI. nullo filio legitimo relicto, & in maxima gratia Populi Veronensis decessit.

MCCCLIV. De mense Februarii. Dominus Canis Grandis Secundus de la Scala tenens dominium in se solum civitatum Veronæ, & Vincentiæ ivit ad Bolzanum de Alemannia causa solatii, ducens cum eo Cansignorium ejus fratrem, & plures cives de melioribus de Verona, relicto in Verona Domino Azone de Corrigio de Parma Locumtenente dicti Domini Canis Grandis. Qui Dominus Azo, ut postea apparuit, in ejus instigationem diutino tractatu habito cum illis de Gonzaga Dominis Mantuæ, unà cum Domino Fregnano de la Scala fratre naturali Domini Canis Grandis, & ejus consensu, Dominus Fregnanus de la Scala prædictus dominium civitatis Veronæ in se accepit, expulsis gentibus & Soldatis Domini Canis Grandis, & introductis in Verona Dominis Mantuæ cum eorum personis, Soldatis, & Populo Mantuano. Quibus auditis, & intellectis per Dominum Canem, subitò Vincentiam equitavit, quæ tenebatur nomine suo per Dominum Joannem de la Scala naturalem ipsius Domus, & de Vincentia subitò Veronam equitavit versùs Portam Campomartii de Verona cum equitibus & peditibus, quos habere potuit de Vincentia, & à Dominis Paduæ, & Venetiarum; & ab alia parte civitatis Veronæ versùs Portam Sancti Maximi jam equitaverat Dominus Bernabous de Vicecomitibus de Mediolano cum octingentis Barbutis, expugnando Portam civitatis prædictæ, nec intrare potuit; & ignoratur qua de causa venerit Dominus Bernabous, & in ejus servitio tamen retrocessit, & in Gusolengo hospitatus est. Demum die sequenti, videlicet die Martis Carnisprivii Dominus Canis prædictus intravit Veronam per Portam Campomartii; & in ejus introitu Portæ prope Pontem Navium Dominus Fregnanus in Aticem omnibus armis armatus necatus est, & submersus. Et super Pontem prædictum, seu juxta ipsum Pontem Dominus Paulus de la Mirandula tunc Potestas factus Veronæ pro ipso Domino Fregnano gladio mortuus est. Et sic recuperavit Dominus Canis prædictus Veronam pro ipso Domino. Et sic die sequenti, ac aliis diebus fuerunt suspensi per gulam in Platea apud capitellum cadaver ipsius Domini Fregnani, & plures alii de Verona, inter quos fuerunt Alboinus de la Scala, Dominus Albertus de Monfalcone, Joanninus de Campariis cum quatuor filiis suis, Magister Jacobus de Padua Physicus, Magister Gilibertus Cyroicus, Jacobus de Porcillis, Conradinus de Ilaxio, Zanottus frater ex parte matris ipsius Domini Fregnani, Gregorius, & Hieronymus fratres, & filii Thebaldi à Camino, Thebaldus prædictus, Bozolus Conestabilis peditum, Cœlestrinus de Bovis, Gerus de Parma, Nicolaus à Barba, duo filii Domini Regazoli à Lameriis. Et plures alii hinc & inde per Veronam fuerunt per gulam suspensi. Et similiter plures gladio fuerunt necati ob tractatum prædictum, videlicet Dominus Petrus de Verme, Dominus Bonsignorius de Braida, Cavedalus, Proynus de Lunixana, Polpatellus, Jacobus Notarius Soldatorum, Dominus Joannes de Summoripa, Petrus de Arcuariis, Joannes de Montagna, Ubatonius à Lameriis, & plures alii, quorum nomina, & imagines pictæ fuerunt in Sala Procuratorum Communis Veronæ, & eorum bona totaliter confiscata; & plures de Verona fuerunt carceri mancipati. Et ea vice Dominus Feltrinus de Gonzaga Dominus Mantuæ cum duobus filiis suis, & certis Nobilibus de Mantua, nec non cum pluribus de Mantua, qui venerant Veronam propter prædictum tractatum in servitio & auxilio Domini Fregnani, in Verona capti fuerunt, & carcerati per Dominum Canem prædictum; & post paucos dies satis improvisè mediante certa quantitate pe-

Digitized by Google

pecuniæ fuerunt de carceribus relaxati. Et ea vice Dominus Marchio Brandiburgensis cognatus Domini Canis prædicti cum certa quantitate gentis & comitiva venit Veronam ob dictam causam in servitio ejus cognati, scilicet Domini Canis prædicti, cupientes unà cum ipso vindictam sumere contra Dominos Mantuæ, & Mantuanos: quod Domino Cane contradicente, ipse Marchio recessit indignatus; & sic evasit Mantua à manibus Veronensium ea vice, & tempore. Eodem Anno Dominus Carolus filius Regis Bohemiæ electus fuit, & confirmatus in Romanorum Imperatorem. Et eo Anno Imperator prædictus coronatus fuit corona Ferri in Ecclesia Sancti Ambrosii de Mediolano, ubi interfuerunt plures Domini civitatum Lombardiæ, quos omnes instituit Vicarios civitatum eorum, nec non Dominus Maffeus, Bernabos, & Galeacius fratres de Vicecomitibus, & Domini Mediolani, qui per prædictum Imperatorem instituti fuerunt Vicarii civitatis Mediolani, & aliarum plurium civitatum Lombardiæ. Qui ipsum Imperatorem in Mediolano solemniter tractaverunt pluribus diebus maximis solemnitatibus Militum, hastiludiorum, torneamentorum, & aliorum tripudiorum. Et ea vice dictus Imperator Romam accessit, & ibidem honorificè Corona aurea coronatus est; deinde in Alemanniam satis miserè & occultè reversus est. Eodem Anno Dominus Canis Grandis de la Scala fecit fieri Castrum in civitate Veronæ prope Portam Morbii in Sancto Martino Aquario, & Pontem lapideum super Aticem per directum Rochæ dicti Castri, super quem Pontem transitur in Campagnolam versùs Burgum Sancti Georgii de Verona. In quò Castro Dominus Canis prædictus habitavit usque ad mortem. Et eo Anno fecit fieri Castrum Monticuli majoris, & expleri muros Seragii de Villafranca.

MCCCLV. Dominus Canis Grandis de la Scala fecit poni in civitatibus Veronæ, & Vicentiæ, maxima onera & Datia, & pro quolibet Campo districtus Veronæ, & Vincentiæ exigebat quatuor solidos, & omnia onera imponebat, ut posset pecuniam à suis civibus extorquere, durante tempore vitæ suæ. Eodem Anno Dominus Canis Grandis de la Scala fecit jurare omnes stipendiarios ejus in manibus trium filiorum suorum naturalium, cupiens & credens ipsos Dominos relinquere civitatum ejusdem.

MCCCLVI. Dominus Canis Grandis de la Scala prædictus posuit in civitate Venetiarum nomine filiorum suorum naturalium, videlicet CC. millia Florenorum, qui numquam dari deberent, nisi filiis supradictis per Dominium Communis Venetiarum, seu Procuratores Sancti Marci de Venetiis. Nomina filiorum prædictorum Fregnanus, Thebaldus, & Gulielmus de la Scala.

MCCCLVII. Dominus Canis Grandis de la Scala ivit Venetias, & ibidem firmavit cum Venetis facta filiorum naturalium, videlicet de pecunia, & thesauro prædicto, quem deposuerat in civitate Venetiarum pro filiis supradictis; & ea vice fecit jurare stipendiarios in manibus filiorum suorum naturalium. Eodem Anno Dominus Bernabos de Vicecomitibus Dominus Mediolani diuturno tractatu habito cum quibusdam de Adelberiis, & de Torellis Civibus Mantuæ, misit Dominum Valerianum de Interminellis de Luca in Capitaneum suum cum Stipendiariis in certa quantitate. Qui Dominus Valerianus per Pontem de Governulo, supra Padum Districtus Mantuæ intravit, & accepit Serragium Mantuanorum, & Burgumfortem cum Ponte Padi; & Rochettam ultra Pontem obtinuit. Ob quam causam Domini Guido, & Feltrinus de Gonzaga Domini Mantuæ defectu gentium, & pecuniæ impotentes, pro defensione status eorum tradiderunt seu vendiderunt Domino Cani Grandi de la Scala pro XXX. millibus Florenis Castra Castellarii, Caneduli, & Piufortis Districtus Mantuæ; & ob illam causam Dominus Bernabos prædictus fecit pacem cum Mantuanis, & eis restituit Serragium Pontis Padi, & Burgumfortem, ac Rocham prædictam Domino Ugolino filio Domini Guidonis de Gonzaga prædicti.

MCCCLIV. Die Sabbati XIV. Decembris Dominus Canis Grandis de la Scala in Verona prope Sanctam Euphemiam apud Ripam Aticis gladio mortuus est per Dominum Cansignorium de la Scala ejus fratrem. Qui Dominus Cansignorius eo die de Verona aufugit, & in Montagnana Districtus Paduæ in Hospitio se recepit; deinde Paduam ivit, ubi honorificè receptus est per Dominum Franciscum de Carraria tunc Dominum Paduæ. Et ea vice XVII. Decembris cum gente Domini Paduæ Veronam intravit; & sic eo die ad Capitellum in Platea Communis Veronæ ipse Dominus Cansignorius, & Dominus Paulus Albuinus fratres de la Scala, electi & confirmati fuerunt in Generales Dominos civitatum Veronæ & Vincentiæ. Et eo Anno per decem dies fuit ventus calidissimus in Verona, sicut si esset de Mense Julii, quodammodo contra naturam.

MCCCLXI. Dominus Cansignorius de la Scala de Mense Maji tradidit in uxorem Dominam Viridam ejus sororem Illustri Domino Domino Nicolao Marchioni Estensi Domino civitatum Ferrariæ, & Mutinæ. Et eo Anno Dominus Cansignorius de la Scala prædictus, Dominus Franciscus de Carraria, Dominus Ægidius Cardinalis de Hispania tunc Dominus Bononiæ, cum Marchia & Romandiola pro Romana Ecclesia fecerunt Ligam & firmitatem inter se, & cum Domino Feltrino Domino Regii contra Dominum Bernabò de Vicecomitibus Dominum Mediolani, Parmæ, Brixiæ, Cremonæ, Pergami, & Laudi. Et eo Anno contra ipsum Dominum Bernabovem, & ejus Terras fecerunt maximum exercitum, & guerram. Et ea vice Dominus Cansignorius de la Scala prædictus elegit in suum Capitanium & gentis suæ in exercitu prædicto Dominum Jacobum ab equis de Verona. Et ea vice obtinuit dictus Dominus Jacobus pro ipso Cansignorio de la Scala castra Panegoli, Puzolengi, Gavardi, Gragnani, Pontis Vigi, Gaidi, & plura alia castra Districtus Brixiæ. Demum quod Liga non bene se habebat cum Domino Cansignorio de la Scala, pacificatus est cum Domino Bernabove Domino Mediolani, & eidem omnia Castra prædicta liberè relaxavit. Qui Dominus Bernabos omnia Castra prædicta statim fecit dirui totaliter usque ad solum ad futurorum rei memoriam & vindictam.

MCCCLXII. Fuit in toto Orbe mortalitas universalis, & valida, & precipuè in Verona, & ejus Territorio, in tantum quòd in civitate Ve-

Digitized by Google

Veronæ, & ejus districtu mortui sunt plusquam dimidia pars hominum, & mulierum; & in civitate nullus remansit, quia omnis Populus fugit propter pestem. Eodem Millesimo die XII. Novembris Dominus Ugolinus de Gonzaga Dominus Mantuæ gladio interemtus est in camera propria per Dominos Ludovicum, & Franciscum ejus fratres, qui Dominium civitatis Mantuæ in se libere acceperunt.

MCCCLXIII. die V. Junii. Dominus Cansignorius de la Scala duxit, & desponsavit in uxorem Dominam Agnetem filiam quondam Domini Ducis de Duratio de Apulia; & fuit festum in Verona in Curia Veronæ per XV. dies, ubi interfuerunt Marchio Nicolaus Estensis cum ejus uxore, Domina Regina uxor Domini Bernabovis de Mediolano cum maxima comitiva & pulcherrima Dominarum de Mediolano, Dominus Franciscus de Gonzaga Dominus Mantuæ, & plures Ambasciatores, & alii Nobiles Lombardiæ. Natus est ipse Dominus Cansignorius MCCCXL. V. Martii.

MCCCLXIV. Dominus Cansignorius de la Scala fecit fieri & ædificari Broilum, & Revoltum, & plura Palatia cum cameris, & ornamentis in domibus habitationis ipsius.

MCCCLXV. die XXVII. Decembris fuit in Verona ventus calidissimus, ac si esset de mense Junii. Eodem Anno die Martis XXI. Januarii in festo Sanctæ Agnetis Dominus Cansignorius de la Scala, sentiens diutinum Tractatum contra personam, & statum suum, & certificatus de Tractatu prædicto, fecit capi & detineri Dominum Paulum Albuinum ejus fratrem, & in castro Pischeriæ includi, & carcerari fecit. Et plures ob illam causam in Arena Veronæ decapitati fuerunt, videlicet Frater Dominicus Prior Ordinis Fratrum Prædicatorum Sanctæ Anastasiæ de Verona, Icerinus de Sagramoxio, Bartholomæus de Pitatis, Aluixius de Manardo, Bonomus à Lardo, Albertus de Mizolis, Bernardinus Raffe, & Michaël Seccadinari; & fuit die Sabbati XXV. Januarii in die Conversionis Sancti Pauli, & plures alii carcerati.

MCCCLXVI. Prædictus Dominus Cansignorius de suprascriptis carceratis fecit suspendi super furcas Sancti Jacobi ad Tombam Zampetrum de la Scala, Joannem Grassum filium quondam Domini Nicolai de Dispensatoribus, Zuchetum filium Adæ de Leniaco, & Canti de Cardino Fratrem Philippi de Cardino. Ceteri verò detenti in carceribus Communis Veronæ remanserunt carcerati usque ad mortem Domini Cansignorii, qui obiit die Jovis XIV. Octobris MCCCLXXV. in V. hora noctis, qui postea incontinenti de dictis carceribus liberè fuerunt relaxati, & certi confinati. Eodem Anno XII. Februarii Dominus Leopoldus frater Domini Ducis Austriæ vênit Veronam cum quingentis equis benignè receptus, & die sequenti ivit versùs Mediolanum ad desponsandam quamdam filiam Domini Bernaboi de Vicecomitibus Domini Mediolani. Et eo Anno die VIII. Martii dictus Dominus Leopoldus reversus est de Mediolano, & vênit Veronam, & rediit Austriam desponsata uxore, cum magno festo, & maximis donis sibi factis Mediolani, & in Verona. Eodem Anno die Sabbati XIV. Junii Dominus Rodulfus Dux Austriæ frater supradicti Leopoldi Veronam vênit cum CCC. equis, & duobus diebus ibi mansit honorificè receptus; & die sequenti versùs Mediolanum equitavit. Et Dominus Ambrosius filius naturalis Domini Bernabovis, & Dominus Feltrinus de Mantua Dominus Regii venerunt Veronam recipere ipsum Ducem. Eodem Anno die Dominico XV. Junii Jacobus à Leone interfectus fuit super viam Communis prope domum suam, & dejectus de equo, quem equitabat, multipliciter vulneratus. Eodem Anno die Dominico XX. mensis Julii Dominus Rodulphus supradictus Dux Austriæ in civitate Mediolani morte naturali decessit, cujus cadaver Veronam honorificè portatum fuit, & positum in Ecclesia Sancti Petri Archivolti ante Ecclesiam Cathedralem de Verona. Et Dominus Cansignorius de la Scala fecit fieri sibi maximum honorem cum Clero civitatis Veronæ, & toto Populo; deinde cadaver in Alemanniam fuit delatum. Eodem Anno die XVI. mensis Julii Aldrigetus filius quondam Domini Frederici de Castrobarco, qui comitatus fuerat præfatum Ducem, in civitate Mediolani morte decessit naturali, factus, & creatus miles ante obitum ejus; & ipsum Cadaver ibi fuit honorificè humatum. Eodem Anno die Jovis XVIII. Julii Dominus Laurentius da Ca Celso Dux Venetiarum creatus, morte naturali decessit. Eodem Anno 25. Julii Dominus Marcus da Ca Corner honorabilis Civis Venetiarum fuit creatus Dux Venetiarum. Eodem Anno die Lunæ XV. Septembris horâ serotinâ Dominus Luixius Abbas Monasterii Sanctæ Trinitatis de Verona factus fuit Abbas dicti Monasterii de Anno MCCCLXX., & die prædicto fuit gladio interfectus in prædicto Monasterio à quodam suo Monacho, qui vocabatur Domnus Thomaxius de Florentia, & totum Monasterium præfatum prædatum fuit à vicinis & circumstantibus.

MCCCLXVII. Indictione III. die Dominico 21. Septembris in Festo Sancti Matthæi Evangelistæ fuit magnus Terræmotus in Verona in ortu Solis; & post mediam horam iterum alius tremor hora Solis, ascendente Sole super Gradu Libræ, Luna existente XX. Gradu Sagittarii, Saturno II. Gradu Scorpionis, Jove 208. Marte 27. Gradu Scorpionis, Venere VII. Gradu Libræ, Mercurio XX. Gradu Virginis, & Capite II. Gradu Virginis. Eodem Anno die Sabbati VIII. intrante mense Octobris, Illustris & Magnificus Dominus Dominus Petrus Rex Cypri fecit suum reforcium, & maximum apparatum, & cum suis navibus profectus est cum maxima quantitate personarum & militum in Alexandriam versùs partes marinas, & ipsam Alexandriam intravit, & cepit, & ipsam deprædatus est, & expoliavit: quapropter omnes sunt ditati. Demum prædictus Rex XIII. prædicti mensis Soldanum cum maxima quantitate Saracenorum sentiens advenire, timens, abiit, combustâ priùs dictâ Terrâ Alexandriæ, ducens secum circa mille divites homines Alexandriæ. Tamdem in Sumciso applicuit, quæ est civitas dicti Regis, & ibi duobus diebus mansit; demum cum suis gentibus sospes & incolumis ad propria remeavit, ditatus multis bonis, & divitiis.

MCCCLXVIII. Indictione IV. Die Martis tertio Martii. Illustrissimus Dominus Joannes dictus Infans Rex Majolicæ, & Maritus Reginæ Joannæ Reginæ Apuliæ, applicuit Veronam honorifice receptus; sed die Veneris VI. Mar-

Martii abiit versùs Mediolanum, equitans cum centum equis. Eodem Anno & tempore inventus est quidam Fons de Rivo Sancti Georgii per cauones plumbeos subterraneos per Pontem petræ usque ad Aulam, & Viridarium Magnifici Domini Cansignorii de la Scala, deinde ad Capitellum Veronæ, & postmodum per diversa loca civitatis Veronæ.

MCCCLXXIV. Magnificus Dominus Cansignorius de la Scala morte naturali decessit. Qui Dominus Cansignorius ante mortem ejus fecit interfici Dominum Paulum Albuinum ejus fratrem, qui erat in carceribus in Pischeria per tres dies ante obitum ejus, ut filii ejus naturales, videlicet Dominus Bartholomæus, & Antonius fratres dominarentur in Verona. B Relaxati fuerunt de carceribus Cõmunis Veronæ omnes, qui carcerati erant pro tractatu Domini Pauli Albuini. Eodem Anno Magnificus Dominus Dominus Cansignorius de la Scala fecit fieri Pontem Navium, & Granaria à Canipa Milei, quæ sunt penes Portam Braidæ usque ad Turrim Paleæ, subtractâ Canipâ Milei, & Canipâ Rosioli, quæ ante fuerant ædificatæ. Die autem Jovis XIV. Octobris ante mortem Domini Cansignorii facti fuerunt Domini Generales civitatum Veronæ, & Vincentiæ &c. Domini Bartholomæus, & Antonius fratres de la Scala filii naturales de voluntate, & consensu totius Populi Veronensis super Capitello Communis Veronæ. Et Dominus Bartholomæus fecit interficere Dominum Antonium de la Scala ejus fratrem morte pessima. Et post paucum seu modicum spatium temporis Dominus Franciscus Novellus de Carraria accepit Veronam dicto Domino Bartholomæo. Et sic finivit Dominium illorum de la Scala, qui mutuò se interfecerunt &c. Et sic finis ipsorum est.

Explicit Tractatus.

Digitized by Google

MONACHI
PATAVINI
CHRONICON
DE REBUS GESTIS
IN LOMBARDIA PRÆCIPUÈ
ET MARCHIA TARVISINA
Ab Anno 1207. usque ad Annum 1270.

EX EDITIONE

FELICIS OSII;

NUNC VERO OPE MANUSCRIPTI CODICIS

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ

Emendatum & auctum.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN MONACHI PATAVINI CHRONICON PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

Christianus Urstisius in Civitate Basileensi Mathematicae Professor, Anno 1585. typis Wechelianis inter veteres Germaniae Historicos & hunc Italum primus edendum curavit. Acceperat ipse Chronici istius exemplar a Nobili viro Gotfrido a Raming, Germanicarum Antiquitatum indagatore diligentissimo. Unde autem is accepisset, silentio tegitur. Quum vero Felix Osius, vir summa eruditione conspicuus, Scriptores colligeret de vetustis Marchiae Tarvisinae rebus agentes, ipse quoque, Urstisiana editione, & insuper MSto Codice Patavino usus, alteram hujus Historiae editionem meditatus est, quae post ejus mortem dumtaxat, Anno scilicet 1636. una cum Mussati Historia Augusta prodiit Venetiis, addita in fine Mantissa ex vetusto Codice MSto. Anno tamdem 1670. Francofurti ad Moenum Jacobus Godefridus Seyler Typographus, ejusdem Historiae, & reliquorum Scriptorum ab Urstisio collectorum exemplar nova editione multiplicavit. Prodit nunc & in Sylloge nostra hoc Opus, dignum sane quod in omnium manibus versetur. Si Rolandinum excipias, nemo luculentius ac nitidius facta crudelissimi Eccelini, cujus aevo & hic Scriptor vixit, literis commendavit. Praeterea debemus illi brevem quoque eorum narrationem, quae per universam fere Marchiam & Lombardiam, immo & extra Italiam, iis contigere temporibus ab Anno 1207. ad 1270. & singula suis Annis alligata. Ingens autem in Historico candor, pietas, judicium. Res autem Principum Estensium eo studio persequitur, ut celeberrimam Familiam non parum illustret, & prae oculis semper habere videatur. Ac proinde Auctor Chronici Ferrariensis, sive ut olim appellabatur *Chronicae Veteris*, quod Opus in Collectione nostra legitur, non solum Patavino hoc Scriptore est usus, sed complura ex eo, ne mutatis quidem verbis, in suum Chronicon intulit. Quis vero Historiam hanc posteritati concinnarit, incertum, nullo Codice ejus nomen praeferente. Quod solum Urstisius subodoratus est, & jure merito sentiendum scripsit, fuit is Monachus Benedictinus in praeclarissimo Monasterio Sanctae Justinae Patavino. Nam quum in aliis locis de Coenobii Abbatibus agat, tum potissimum ad Annum 1236. haec habet: *Per idem tempus honorabilis Abbas* (Sanctae Justinae) *Arnaldus, fecit fieri Dormitorium NOSTRUM cum Capitulo & Cameris infra positis & adjacentibus, simulque Cameras Palatii cum Aula fecit optime restaurari.* Hinc factum, ut *Monachus Paduanus* appelletur hic Scriptor, cetera nobis ignotus. Fuit autem olim in more Monachis Benedictinis non paucis, propterea quod Humilitati studerent, in Libris a se compositis suum reticere nomen. Quamquam & hoc contingere nostro potuerit ex injuria temporum, aliisque fortuitis casibus.

Et haec quidem ego scripseram, quum Clarissimus & Doctissimus Vir *Joseph Antonius Saxius*, Ambrosianae Bibliothecae Praefectus, qui de me, & de Collectione ista bene mereri pergit, pro sua singulari humanitate, ac impenso publicae utilitatis studio, in animum induxit inquirere, num ex ditissimo MStorum promtuario, cui is praeest, aliquid educi posset, unde ornamentum simul atque praesidium ad novam hanc editionem accederet. Neque frustra quaesivit. Nam quum celeberrimus Ambrosianae Bibliothecae parens Fridericus Bonromaeus, S. R. E. Cardinalis, & Archiepiscopus Mediolanensis olim sibi conquisiisset egregiam syllogen MStorum Codicum, quam Johannes Vincentius Pinellus V. Cl. Patavii moriens dereliquerat, nihil fere est ad Patavinam Historiam spectans, quod Ambrosiana non servat. Illic ergo solertissimus Saxius Manuscriptum Codicem deprehendit, ubi hoc idem Chronicon sine Auctoris nomine legitur, quem cum Osii editione ope *Philippi Argelati* nostri diligenter contulit, mihique quid de eo ille sentiat suis literis patefecit, qua de causa, prout ab eo didici, monitum

hic

Digitized by Google

heic Lectorem volo. Codex ante annos trecentos exaratus videtur: praefixus est ei titulus *Chronica Italiae*: complectitur autem res gestas ab Anno 1207. ad Annum 1260. qua narratione absoluta Librum claudit subjecta formula *Deo gratias*. Proinde Saxio accuratissimo hujusmodi rerum aestimatori oborta suspicio est, duplicem Scriptorem sub unius *Monachi Patavini* nomine latere. Jam vides post Annum 1260. in editis plura haberi, quam in Ambrosiano MSto. Ad haec, instituta collatione editorum cum codem MSto, occurrunt illic interdum periodi, quae heic desiderantur; & alicubi aliter quam in Codice exarato res ipsae enarrantur. Praeterea non idem stilus Saxio ubique est visus: quae enim praecedunt, simplici potius oratione & sententiis ac phrasibus e Sacra Scriptura delibatis descripta videas: quae vero subsequuntur, majorem praeferunt elegantiam, & vix Scriptorem redolent in Sacrarum Scripturarum palaestra diu exercitatum. In hac autem Historia interseritur non semel mentio Monasterii Sanctae Justinae; at nullum de eo verbum in postremis Historiae Annis. Immo quum ad Annum 1269. nulla fiat mentio Jacobi Abbatis Sanctae Justinae, quem sui Monasterii jura pro munere suo tuentem Vicentini Cives barbarica crudelitate interfecere; & ne uno quidem verbo memoriae proditum fuerit, Jacobo eidem successisse in illius Coenobii regimine Odoricum, nepotem videlicet Arnaldi Abbatis, cujus singulares virtutes, mortemque, & miracula subsequuta Monachus Patavinus ad Annum 1256. descripserat: utique alium ab eodem Monacho Scriptorem excogitare fas est, qui post Annum 1260. Chronicon Patavinum usque ad finem, hoc est usque Annum 1270. continuarit.

Haec ad me non minori perspicacia quam benivolentia Clarissimus Saxius: cujus conjecturas & suspiciones (ita enim loqui amat vir modestissimus) nullus dubito, quin bene excipiat quilibet Criticae Artis peritus, & potissimum quod Ambrosianus Codex ad Annum 1260. consistat. Addo ego, *Chronici veteris Ferrariensis* supra memorati Auctorem Anonymum, qui circiter Annum 1390. Estensium ac Ferrarensium res literis consignabat, expilasse Chronicon ipsum Patavinum, de quo nunc agimus. Verum & ipse, ubi Annum 1260. narratione sua descripsit, jejunus subinde ac sterilis procedens, neque amplius eodem Chronico usus, satis prodit, exspirasse sibi ad illum Annum praesidium Monachi Patavini, & nihil ex ejus Chronico sibi superfuisse, quo suum infarciret. Quare liceat in posterum opinari, duplicem Scriptorem haberi sub uno *Monachi Patavini* nomine, quamquam mihi & reliquis liberum adhuc futurum sit, consuetum unum adhibere nomen, quum ejus Chronici laudandi occasio se se obtulerit.

MO-

Digitized by Google

MONACHI PATAVINI CHRONICON.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

EOrum, quæ ab initio Mundi facta sunt usque nunc, notitiam minimè haberemus, nisi proborum hominum diligentia Historias descripsisset, in quibus vitia, & scelera malorum hominum arguuntur; virtutes verò bonorum, & opera laudabilia commendantur. Historiographorum itaque vestigia pro nostro modulo imitantes, quædam, quæ nostris temporibus facta sunt in partibus Marchiæ, vel Lombardiæ, seu etiam extra fines Italiæ, in præsenti Opusculo decrevimus (1) sub compendio literis declarare, ut posteriores (2) hæc legentes præteritorum memoria instruantur, quid circa præsentia, vel futura eligere debeant, vel vitare. Sed cùm sit omnibus manifestum, quòd concordiâ parvæ res crescunt, discordiâ verò maximæ dilabuntur. Patet igitur, quòd concordia est totis viribus eligenda, & discordia modis omnibus est evitanda.

Qualiter Azo Marchio Estensis in Verona suos adversarios superavit.

ANno itaque Domini MCCVII. cùm Vir Illustris Azo Marchio Estensis de voluntate partium, Comitis videlicet S. Bonifacii, & Monticulorum, Civitatis Veronæ regimen suscepisset, & prudenter in suo regimine se haberet: Monticuli, favore Ezelini de Romano, qui vitam terminavit in hæretica pravitate, facta conjuratione contra eum Azonem Marchionem, de Verona ipsum subitò ejecerunt. At ille, utpote vir magnanimus, & astutus, tantum dedecus vindicare intendens, amicis suis undique congregatis, in manu valida ivit Veronam, parte Comitis Sancti Bonifacii præbente sibi auxilium & favorem. Ezelinus è contra, collecta multitudine bellatorum, in subsidium Monticulorum perrexit Veronam. Et factum est prœlium equestre maximum in Brayda Veronensi, in quo pars Marchionis, & Comitis adversarios strenuè superavit: Mantuani verò conducti pecunia, (3) cum Carrotio venerunt in auxilium Marchionis. Unde Monticuli cum omnibus adhærentibus, scilicet (4) nimio terrore perterriti, octavo die intrantis Septembris, noctu, Civitate dimissa, fugerunt, salvare personas solummodo cupientes. Hoc fuit initium malorum, non solùm prædictæ Civitatis, sed & Marchiæ Tervisinæ, & etiam Lombardiæ. (5) Ex tunc Marchio, & Comes Bonifacius toto tempore vitæ suæ Veronæ dominium habuerunt: Monticuli verò arcem Gardæ inexpugnabilem capientes, in ea se fortiter munierunt.

Qua-

(1) *MS. Ambr.* decernimus.
(2) *MS. Ambr.* posteri.
(3) *MS. Ambr. addit* communiter.
(4) *MS. Ambr.* adhærentibus sibi,
(5) *MS. Ambr.* Lombardiæ exterminium; ex tunc &c.

Digitized by Google

Qualiter Monticuli fuerunt capti.

ANno Domini MCCVIII. Monticuli viriliter Burgum Piscariæ intraverunt, & per districtum Veronæ frequentissimè discurrentes, incendiis & rapinis omnia devastabant. Tunc Marchio, & Comes cum exercitu magno Piscariam undique obsederunt, & tamdem captos Monticulos in compedibus posuerunt.

De Octone Imperatore coronato, & confestim excommunicato à Papa Innocentio Tertio.

ANno Domini MCCIX. Circa hæc tempora Octo Dux Saxoniæ in Regem Alemanniæ electus, descendit de Alemannia, & vênit in Lombardiam cum exercitu copioso. In cujus adventu terribili tremuit Italia nimio pavore concussa. De mandato itaque istius Monticuli sunt à vinculis absoluti. Iste in omnibus utebatur consilio Eccelini, & Salinguerræ: Marchionem verò, & ejus amicos habebat exosos. Perrexit igitur Romam, & apud Sanctum Petrum est à Papa Innocentio coronatus. Quo facto, exaltatum est cor ejus, & Summi Pontificis admonitionem sprevit pariter & mandatum. Papa verò Innocentius statim eum publicè anathematis vinculo innodavit: & ab illa hora ejus cœpit inclinari superbia, donec paulatim ad nihilum est redactus: & quanto fuit gradus altior, tanto casus gravior est sequutus.

De promotione Domni Arnaldi Abbatis.

EOdem Anno Domnus Stephanus Abbas Sanctæ Justinæ, in mense Madio, desiderio arctioris vitæ resignavit Abbatiæ, & in Venda vitam eremiticam duxit, ibique in pace quievit. Cui successit Abbas Arnaldus, religione laudabilis, & discretione compunctus, (6) & in universa morum honestate præclarus.

Qualiter Octo est à Rege Franciæ superatus.

ANno Domini MCCX. Reversus est Octo Imperator in Alemanniam excommunicationis vinculo innodatus: & congregato exercitu maximo perrexit adversùs Philippum Regem Francorum, cui associati sunt quidam Principes, Regis Franciæ proditores. Sed Francigenæ, suæ antiquæ memores probitatis, unanimiter contra inimicos impetum facientes, incredibilem de Imperatoris exercitu victoriam habuerunt. Causa autem hujus prœlii dicitur hæc fuisse, quia Imperator dicebat, Regem Franciæ liberaliter promisisse Civitatem sibi Parisius se daturum, si Octo umquam Romanum Imperium obtineret. Rex verò considerans, se incautè illam promissionem fecisse, decrevit potiùs tam arduam quæstionem belli esse judicio terminandam.

De ascensu Federici in Alemanniam, & de ejus electione in Imperatorem futurum, & Regem Alemanniæ.

ANno Domini MCCXI. Istis temporibus Fridericus adolescens, Rex Siciliæ, filius quondam Henrici Imperatoris, & Reginæ Constantiæ, quæ fuit filia Rogerii Regis Siciliæ, de mandato Magnifici Papæ Innocentii per Lombardiam cum auxilio Marchionis Estensis ascendit in Alemanniam confidenter. Quem ita gratissimè Prælati, & Principes Alemanniæ susceperunt, quòd pauci remanserunt de Principibus cum Octone. Tamdem ipsum in Regem Alemanniæ, & in futurum Imperatorem concorditer elegerunt.

De morte Marchionis Estensis.

ANno Domini MCCXII. sicut placuit ei, qui aufert spiritum Principum, Azo Marchio Estensis, & Comes Sancti Bonifacii, de hac luce, in mense Novembri, & in Civitate Veronæ, sub paucorum dierum spacio sunt subtracti. Unde potuit congruè dici de ipsis: *Gloriosi Principes terræ, quomodo se in vita sua dulciter dilexerunt, ita & in morte sunt minimè separati.* Reliquit autem Marchio Estensis duos filios, (a) Aldrevandinum jam adolescentem, & Azonem infantulum cum propria genitrice. Similiter Comes Sancti Bonifacii reliquit duos filios, Rizardum majorem, & minorem nomine Gulielmum. (7)

Qualiter Mediolanenses à Cremonensibus sunt devicti. (8)

ANno Domini MCCXIII. Mediolanenses, qui partem Octonis fovebant, cum exercitu infinito super districtum Cremonensium irruerunt. Quibus Cremonenses, qui exaltationem Principis Friderici summo desiderio affectabant, apud Castrum Leonem viriliter occurrerunt, incœptoque bello in die Pentecostes, Mediolanenses terga vertentes, militum, & peditum non modicam quantitatem simul cum Carrocio amiserunt. Ex illo itaque tempore fama Cremonensium est per populos divulgata: virtus etiam eorum, & audacia tanti triumphi est præconio plurimùm augmentata.

De obsidione Arcis Estensis.

EOdem Anno, (*) cùm Nobilis Marchio Aldrevandinus nollet Communitati Paduæ subjacere, Paduani Arcem Estensem cum machinis obsederunt. Videns autem Marchio Aldrevandinus, se non posse amicos suos, qui obsidebantur, commodè adjuvare, pariterque sciens, quòd durum est contra stimulum calcitrare, coactus juravit, sicut civis Communi Paduæ in omnibus obedire; & sic exercitus ad propria remeavit.

De pace partium Veronæ.

PEr idem tempus, cùm Monticuli sex annis, & duobus mensibus extra Veronam fuissent, Potestas Paduæ Marinus Zeno, & Paduani communiter compositionem inter ipsos, & partem Comitis tractaverunt, & circa Festum Beati Martini introduxerunt eos pacificè in Veronam.

De

(6) *MS. Ambr. pro* compunctus *habet* compositus.
(a) Aldubrandinum, Oldrandinum *alii*.
(7) *MS. Ambr.* nomine Veriliclinum.

(8) *Integrum hoc caput non legitur in MS. Ambr.*
(*) Anno D. MCCXIII. *in MS. Ambr.*

De repressione intempestivæ audaciæ Monticulorum.

ANno Domini MCCXIV. Monticuli non considerantes, quòd in omni negocio temporis est opportunitas observanda, intempestivè cœperunt contra partem Comitis calcitrare. Pars verò Comitis, expulsa Potestate communi, Pecorarium suum (9) in Potestatem constanter elegit, Virum utique sapientem, & politica scientia decoratum: Monticuli autem impares viribus se videntes, tunc temporis sub adversariis humiliter quieverunt.

De obsidione Turris Baybæ.

ANno Domini MCCXV. In mense Octobri, Paduani Turrem Baybæ (10) obsederunt: sed superveniente inundatione nimia pluviarum, obsidionem dimittere sunt compulsi, ibique jacturam in rebus, & personis non modicam sunt perpessi.

De morte Aldrevandini Marchionis Estensis.

EOdem tempore cùm Marchio Aldrevandinus, de Comitibus Celanæ, (11) qui partem Octonis fovebant, in Marchia Anconitana nobiliter triumphasset, in ipso fervore juventutis naturæ legibus satisfecit. Iste fuit ita magnanimus, quòd subiisset omne periculum pro gloria, & potentia obtinenda. Tunc remansit in honorabili domo Estensi (12) Azo frater ejus, puer parvulus, multis debitis, & angustiis oneratus.

Eodem etiam tempore in mense Novembri factum est Romæ Concilium Generale sub Papa Innocentio Tertio, viro magnifico & prudenti, cujus magnanimitas, & constantia super alios homines excellebat.

De origine Fratrum Prædicatorum, & Minorum. (13)

CIrca hæc tempora divina providentia produxit ad ortum de misericordiæ suæ thesauris duo magna luminaria, Ordinem videlicet Prædicatorum, & Fratrum Minorum, quos Deus in firmamento Ecclesiæ stabilivit, & per ipsorum doctrinam lucidam, & apertam, & honestæ conversationis splendorem, totum Mundum errorum tenebris involutum mirabiliter illustravit. Horum Ordinum præceptores fuerunt, Viri probatissimi, & multiplici decore virtutum plurimùm insigniti, Dominicus scilicet, & Franciscus, qui quasi duæ tubæ Moysi, dormientem Mundum in vitiis, & peccatis, terribili prædicationis clangore ad pugnam contra hostem triplicem excitarunt. In omnem quippe terram exivit sonus eorum, & usque ad fines orbis eorum verenda religio est brevi tempore dilatata. Unde tum consideratione vitæ sanctissimæ, multis miraculis approbatæ, tum intuitu doctrinæ cœlestis, qua corda hominum rigaverunt, meritò tam ab Ecclesia triumphante, quàm militante sunt in Sanctorum numero computati.

De obitu Innocentii Papæ, & Honorii electione.

ANno Domini MCCXVI. obiit Innocentius Papa Tertius apud Perusium, cui successit Honorius Papa Tertius.

De obsidione Damiatæ.

ANno Domini MCCXVII. In istis temporibus transivit mare Christianorum maxima multitudo, in subsidium Terræ Sanctæ: & habito prudentum consilio, Christiani cum navibus infinitis in manu valida intraverunt Ægyptum, & Damiatam munitissimam (14) Civitatem multo tempore viriliter obsederunt.

De collectione exercitus Saracenorum contra Christianos.

ANno Domini MCCXVIII. Cùm vidisset Soldanus Babylonis Christianos Damiatam instantissimè obsidere: protinus Reges Saracenorum de Syria & Arabia, & aliis Provinciis in suum auxilium convocavit, & exercitus Christianorum cœpit undique viriliter impugnare: excepto quòd iter fluminis eis non poterat prohibere. Regebat autem tunc Christianos Joannes Rex Hierosolymitanus, Vir strenuus (15) & forma præ filiis hominum speciosus, & Magister Pelagius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis.

De Victoria Damiatæ.

ANno Domini MCCXIX. Istis temporibus post longam, & laboriosam obsidionem exercitus Christianorum obtinuit Damiatam, quæ est in Ægypto super fluenta Nili, qui à Mose Geon in Genesi appellatur.

De Federico coronato Imperatore.

ANno Domini MCCXX. Federicus Secundus Rex Siciliæ, & Apuliæ, & Dux Sueviæ descendens de Alemannia ivit Romam, & ibi accepit coronam Imperii à Papa Honorio, in die Beatæ Cæciliæ: deinde in Regnum Apuliæ intravit. Interfectis, & expulsis rebellibus, ipsum sibi feliciter (16) subjugavit. Ipse de montibus Siciliæ per gravia bellorum pericula deposuit Saracenos, & transferens eos in Apuliam, fecit ipsos in civitate Nuceria communiter habitare.

Qualiter amissa est Damiata.

ANno Domini MCCXXI. Cùm exercitus Christianorum ad superiores partes Ægypti expugnandas transisset, inundatione Nili subitò est circumfusus. Cùmque Christiani nec procedere possent, nec redire valerent, aquis, & exercitu Saracenorum undique circumsepti, coacti sunt pro redemtione sua reddere Damiatam: dimissique à Saracenis, ad propria cum tristitia (17) sunt reversi. Porrò Ægyptii lætati sunt de profectione eorum, quòd timor eorum incubuerat super eos.

De

(9) *MS. Ambr.* Pecorarium suum Civem in Potestatem partium elegit &c.
(10) *MS. Ambr.* Bambæ.
(11) *MS. Ambr.* Cellaniæ.
(12) *MS. Ambr.* Dominio Estensi.
(13) *Caput hoc non reperitur in MS. Ambr.*
(14) *MS. Ambr.* invictissimam.
(15) *MS. Ambr.* vir strenuissimus.
(16) *MS. Ambr.* fideliter.
(17) *MS. Ambr.* cum tristitia maxima sunt &c.

Digitized by Google

De apparitione Cometæ, & obitu Ludovici Regis Franciæ.

ANno Domini MCCXXII. apparuit Cometa in mense Septembri. Tempore subsequenti obiit Lodoycus Rex Franciæ, qui multum pro Ecclesia laboravit contra Comitem Tholosanum fautorem Hæreticorum, & audacissimum defensorem: cui successit in Regno ejus filius Lodoycus.

De Terræmotu magno.

ANno Domini MCCXXIII. in die Natalis Domini, inter sextam, & horam nonam, per totam Italiam factus est maximus Terræmotus: sed super omnes Urbes Italiæ Civitas Brixiensis incredibiliter conquassata maximum damnum sustinuit in rebus, domibus, & personis.

De obsidione Ferrariæ.

(MS. Ambr.) *De Captione Comitis Rizardi Sancti Bonifacii per Salinguerram.*

ANno Domini MCCXXIV. Azo Marchio adolescens, & Rizardus Comes Sancti Bonifacii cum Veronensibus, & Mantuanis Salinguerram in Ferraria obsederunt. Sed quum ille (18) esset callidus, & astutus, Comiti sub compositionis specie intrare Ferrariam persuasit: capiensque ipsum, & omnes, qui secum erant ingressi, ab obsidione Ferrariam liberavit. Post modicum verò tempus facta compositione, Comes fuit à vinculis absolutus.

Qualiter Federicus habuit regimen Hierosolymitanum.

CIrca (19) hæc tempora, mortua Constantia Imperatrice, filia Regis Aragonum, de qua Regem Alemanniæ Henricum habuit, Imperator Federicus ipse Isabellam, filiam Joannis Regis Hierosolymitani, accepit uxorem: de qua genuit Conradum, quem dilexit tenerissimè super omnes: & sic Regnum Hierosolymitanum occasione hujus matrimonii est adeptus.

De proditoribus Veronæ, qui dicti sunt Quatuor viginti.

(MS. Ambr.) *De expulsione Comitis Sancti Bonifacii de Verona, & pacificatione.*

ANno Domini MCCXXV. multi Viri nobiles, & potentes ex parte Comitis Sancti Bonifacii, corrupti pecunia Salinguerræ, Monticulis adhærentes, virum clarissimum, Comitem scilicet Rizardum, cum sua parte de Verona subitò expulerunt. Et tunc primò pessimus Ecelinus, adjungens se prædictis, incœpit habere dominium in Verona. Mantuani verò (20) Comitem cum amicis suis sub protectione alarum suarum amicabiliter receperunt, ipsumque in prœliis modis omnibus adjuvabant. Tamdem post multorum malorum perpetrationem facta fuit compositio inter Comitem, & Adversarios, mediantibus Rectoribus Lombardiæ.

De primo adventu Federici in Lombardiam, postquam fuit coronatus.

ANno Domini MCCXXVI. cùm Federicus Imperator esset magnificatus divitiis, & gloria, & clarissima (21) copia filiorum super omnes Augustos à Carolo citra, qui fuerant ante eum, aspirare cœpit modis omnibus ad dominium Lombardiæ: & pacificè de Apulia vênit in Lombardiam, & tam Cremonæ, quàm etiam Ravennæ colloquium habuit cum amicis, volens amicabiliter Lombardorum animos mitigare. Sed Mediolanenses cum multis aliis Civitatibus in sua duritia permanserunt, ejus verba pro nihilo reputantes.

De Papa Gregorio, & Federico discordibus inter se.

ANno Domini MCCXXVII. Obiit Honorius Papa Tertius, cui successit Gregorius Nonus, Episcopus Ostiensis. Iste sub pœna excommunicationis Imperatori præcepit, ut pro recuperatione Terræ Sanctæ mare transiret, secundùm magnificentiam Imperatoriæ majestatis. Imperator autem de hoc negotio intromittere se nolebat: verumtamen, ne præceptum Apostolicum omnino spernere videretur, cum exercitu Galearum in Syriam navigavit, & taliter cum Soldano pepigit Babylonis, quòd ipse Hierosolymam, & quasdam alias Civitates reddidit Christianis.

Audiens itaque Papa Gregorius, quòd tam potentissimus Imperator ad modum pyratæ mare transisset, in quo tremendum nomen Romani Imperii apud barbaras nationes minui, & deprimi videbatur, eum excommunicationis vinculo annodavit: & mox misit exercitum in Apuliam, ut eam Ecclesiæ subjugaret. Quod audiens Imperator, velociter in Apuliam est reversus. Tamdem facta est concordia inter eos, & cessavit quassatio prœliorum (22).

Eodem anno Dominus Bonifacius Vidonis de Vizardo de Bononia Potestas Paduæ: & eo tempore fuit nix maxima per totum Mundum.

De venerabili Arnaldo Abbate Sanctæ Justinæ.

ANno Domini MCCXXVIII. Venerabilis Abbas Arnaldus fecit fieri fossatum, & induxit aquas fluvii, qui est (23) Sanctæ Justinæ, ibique fecit fieri optima molendina. Hoc fuit opus egregium, & à Fratribus Monasterii diligenter memoriæ commendandum.

De morte Jordani Episcopi Paduæ.

EOdem anno circa festum Sancti Prosdocimi, obiit Jordanus Episcopus Paduanus, cui successit Dominus Jacobus Archipresbyter Ecclesiæ majoris: vacavit autem Episcopatus aliquot mensibus.

De

(18) *MS. Ambr.* ille ad multum esset &c.
(19) *MS. Ambr.* Eodem anno circa hæc &c.
(20) *MS. Ambr.* Mantuani verò communiter cum amicis suis sub protectione sua ipsum amicabiliter &c.

(21) *MS. Ambr.* inclitissima.
(22) *Hoc loco claudit præsens caput MS. Ambr.*
(23) *MS. Ambr. addit* qui est juxta Monasterium Sanctæ Justinæ &c.

De morte Jacobi filii Dalesmanini.

PEr idem tempus mortuus est Jacobus, filius Dalesmanini, de cujus malitiosa calliditate timebant plurimùm Paduani, ne statum Paduæ perturbaret: sed ejus defectum fratres ipsius, & filii studiosissimè suppleverunt, cum (24) Ecelino lupo rapacissimo Paduam tradiderunt.

De victoriis Regum Hispaniæ contra Saracenos (25).

CIrca hæc tempora, clarissimi Reges Hispaniæ per diversa bellorum pericula, & infinitos labores, Saracenos de Hispaniæ finibus expulerunt. Nam fortissimus Rex Castellæ obtinuit Sibiliam nobilissimam Civitatem, quam Julius Cæsar dicitur condidisse, & Hispalim nominasse: & Cordubam, de qua Seneca moralis Philosophus, & insignis Poëta Lucanus originem habuerunt. Inclytus verò Rex Aragonum Valentiam, & Majoricam jure prœlii acquisivit. Saraceni autem de antiquis sedibus effugati, navigio in Africam transierunt. Tunc temporis potentia Regis Africæ, qui dicitur Mamolinus, non solùm est per Reges Hispaniæ diminuta; sed etiam per Vasallum ipsius, Regem scilicet Tunicii, qui contra eum viriliter rebellavit. Civitas autem Tunicii juxta unam paludem, de ruinis famosissimæ Carthaginis circa decem milliaria longè à Carthagine, quæ mari adjacet, est constructa.

De destructione Castri Gogii.

ANno Domini MCCXXIX. Paduani in mense Madio Castrum Gogii destruxerunt, & aliquantulum humiliaverunt superbiam Ecelini.

De captione Comitis Sancti Bonifacii.

ANno Domini MCCXXX. circa festum Sancti Petri, Rizardus Comes Sancti Bonifacii, cum omnibus majoribus suæ partis est captus à suis adversariis in Verona. Quod audiens Ecelinus, filius Ecelini Hæretici de Romano, concitus perrexit Veronam, ut adderet ignem camino, & inexorabilis discordiæ fomitem ministraret. Communiter verò Paduani miserunt Legatos civitatis delectos, & alios (26) Veronam, rogando Ecelinum, & partem suam, ut Comitem, & alios incarceratos à vinculis relaxarent. Sed ipsi hoc facere noluerunt. Unde Paduani, & Azo Marchio Estensis, qui super hoc negocio ferventissimus existebat, confœderati cum Mantuanis, cum exercitu maximo super (27) Veronenses equitaverunt: & in mense Septembri Portum, & Elegniacum destruxerunt. Tunc Salinguerra, & Ecelinus, & Comes de Tiraulo cum populo Veronensi, qui ad defensionem locorum venerant prædictorum, fugam arripientes Veronam quamcitiùs redierunt.

(24) *MS. Ambr.* cùm postmodum Ecelino veracissimo &c.
(25) *MS. Ambr. integrum hoc caput omittit.*
(26) *MS. Ambr.* miserunt Legatos Veronam, *interposita verba non habens.*
(27) *MS. Ambr.* super campos Veronenses &c.
(28) *Sequentia hujus capitis verba non leguntur in MS. Ambr.*
(*) Idem fuit in MCCCLX. Indictione octava,

A

De morte Beati Antonii Confessoris, & liberatione Comitis Sancti Bonifacii, & commotione Regis Henrici de Lombardia.

ANno Domini MCCXXXI. in mense Junii, migravit Beatus Antonius, de Ordine Fratrum Minorum, cujus sanctitas totam Italiam illustravit.

Eodem anno, in Septembri, mediantibus Rectoribus Lombardiæ, Comes cum sua parte est à vinculis, & de inimicorum manibus liberatus.

B Eodem etiam anno, ad petitionem Regis Henrici, filii Federici Imperatoris, Mediolanenses, & alii odientes Imperium, Legatos in Alemanniam direxerunt, & cum eo contra Imperatorem societatem firmissimam statuerunt. Concepit enim Rex dolorem, & peperit iniquitatem contra proprium Genitorem, ideo quia videbatur, quòd Imperator plus eo puerum Conradum diligeret & foveret.

Qualiter Imperator Federicus incarceravit filium suum.

ANno Domini MCCXXXII. Federicus Imperator in mense Martio, dum de Apulia vellet in Istriam navigare, impulsus vi ventorum, venit Venetias, & inde in Forum-julii transmeavit: ibique facta est compositio inter ipsum, & Ecelinum, in detrimentum Marchionis Estensis, & Comitis Sancti Bonifacii, & totius Marchiæ, & etiam Lombardiæ, sicut postea patuit per effectum. Ascendit autem in Alemanniam Imperator, & capto filio proprio, Rege scilicet Henrico, misit eum in Apuliam, ibique fecit ipsum usque ad diem mortis, sicut proditorem, in carcere custodiri: ideo quia confœderatus fuerat cum Lombardis (28) constituitque in loco ejus Conradum, quem tenerrimè diligebat.

D

De mirabili exaltatione Fratris Joannis.

ANno Domini MCCXXXIII. Frater Joannes de Ordine Prædicatorum in tanta reverentia est habitus ab omnibus Marchiæ, & etiam Lombardiæ, quòd ejus jussione Paduani, Veronenses, Brixienses, & Mantuani, cum carrociis, & aliarum Civitatum maxima multitudo in campanea Veronensi insimul pacificè convenerunt. Et ibidem in die Sancti Augustini sententias coram omnibus populis super quasdam quæstiones auctorizabiliter promulgavit. Sed citò ejus potentia expiravit: nam quasi post unum mensem quicquid ordinaverat, ad nihilum est redactum.

E

De Hyeme asperrima.

ANno Domini MCCXXXIV. fuit Hyems asperrima, & vineæ, ac ficus, & oliveta præ nimio frigore sunt extincta. (*)

De

quo tempore Dominus Carolus, natus olim Regis Johannis de Bohemia Imperator electus venit in Lombardiam, & in Marchiam Tarvisinam, post demum in Lombardiam, & deinde in Tusciam, & postea Romam ivit, & accepit coronam in festivitatibus Paschalis Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi dicti millesimi. *Ursus.*

Digitized by Google

De Regina Ungariæ.

ANno Domini MCCXXXV. Beatrix quondam Aldrevandini Marchionis Estensis filia, Andreæ Regi Ungariæ est matrimoniali fœdere copulata; quam Azo Marchio patruus ejus condecenti (29) apparatu, & honorabili societate ad tanti Regis præsentiam destinavit. (30) Hoc autem matrimonium filiis Regis, Belæ scilicet, & Collomanno displicuit vehementer: timebant enim, ne pater senex filios de juvencula generaret.

Eodem anno magnanimus Tixo de Campo Sancti Petri obiit, amicus intimus Marchionis, & inimicus constantissimus Ecelini.

De morte Episcopi Mantuani.

ANno Domini MCCXXXVI. Vir Nobilis & Venerabilis Guidotus Episcopus Mantuanus in Monasterio Sancti Andreæ, in diebus Rogationum, ab Avocatis (31) crudeliter est interfectus. Contra quos insurrexerunt Communiter Mantuani, & destructis eorum domibus & turribus, ipsos de Mantua cum suis fautoribus expulerunt. (32) At illi confugêre Veronam ad Ecelinum, qui erat refugium omnium pessimorum.

Per idem tempus honorabilis Abbas Arnaldus fecit fieri Dormitorium nostrum cum Capitulo, & Cameris infra positis, & adjacentibus, simulque Cameras Palatii cum aula fecit optimè restaurari.

(33) Comes autem Sancti Bonifacii, toto tempore guerræ, Mantuam viriliter gubernavit contra Imperatorem, & contra perfidum Ecelinum, & strenuè se gessit in omnibus, & constanter. Tunc Federicus Imperator in mense Augusti persuasione Cremonensium, & Ecelini, descendit de Alemannia cum exercitu copioso, vênitque Veronam, & vastatis Mantuanis, in Lombardiam pertransivit.

Qualiter Imperator cepit Vicentiam.

ANno Domini MCCXXXVI. prædicto, cùm Marchio, & Paduani Communiter Rivaltam, quæ est super Athesin, obsiderent, Ecelinus, & Veronenses miserunt pro Federico Imperatore, qui tunc erat in partibus Lombardiæ. Qui subitò veniens cum militia Theutonicorum, & Ecelinus cum populo Veronensi, impetuosè Vicentiam invaserunt; eamque capientes in festo Omnium Sanctorum, crudeliter combusserunt. Paduani verò nimio terrore perterriti, ad propria sunt reversi. Adepta itaque hac victoria, Imperator statim in Alemanniam est regressus, relictis in Marchia pro negotiis Imperii pertractandis Comite (*) Geveardo de Saxonia, & Comite Simeone Theatino (34).

De fuga Illustris Beatricis Reginæ Ungariæ.

HIs temporibus, mortuo Andrea Rege Ungariæ, & regnante Bela filio ejus pro eo, Imperator suos Legatos ad Regem Ungariæ destinavit. Tunc Beatrix Regina, cùm esset gravida, timore sui crudelis privigni, junxit se in reversione societati Imperialium Legatorum, induta veste virili: & sic deluso Rege, qui eam faciebat cum summa diligentia custodiri, in Alemanniam latenter confugit, peperitque ibi filium, quem Stephanum appellavit: quo nato, ad paternam domum protinus est reversa cum dulcissima sua prole.

Qualiter proditores tradiderunt Paduam Ecelino.

ANno Domini MCCXXXVII. cùm Civitas Paduana pacifico statu gauderet, & copia populi, & militia strenui, divitiis etiam, & gloria esset plurimùm decorata: pater proditionum, & scelerum, humani scilicet generis inimicus, misit in corda quorumdam Magistratuum, ut traderent eam Nunciis Imperatoris, & Ecelino de Romano, quem Paduani solebant detestari, & persequi veluti lupum. Malum igitur, quod corde conceperant, opere perpetrarunt, de lupo pastorem ovium subitò facientes, in suam, & patriæ suæ perniciem, & gravamen. Nam Ecelinum Paduæ inimicum in mense Februario venire fecerunt, & civitatem, & populum in ejus manibus crudelissimis tradiderunt. Tarvisini autem videntes, se quasi solos in Marchia remansisse, coacti se ac sua Ecelini dominio subdiderunt. Marchio etiam Estensis Imperatoris nunciis, amicorum destitutus auxilio (35), se subjecit. Postquam autem Ecelinus sub occasione Imperii obtinuit Paduæ dominatum, statim Optimates civitatis cum filiis suis in exilium destinavit: quos omnes postea tradidit nequissimo Principi Frederico: qui mittens eos in Apuliam, fecit eos in duris carceribus, & caveis (36) subterraneis custodiri, ubi ex magna parte miserabiliter perierunt. Domnum etiam Jordanum (**), quem Paduani quasi patrem Paduæ appellabant, perfidus Ecelinus in carcere alligavit.

Eodem etiam tempore Tyrannus videns Abbatem Sanctæ Justinæ tam nobilitate originis, quàm potentia benignitatis (37) suffultum, scientia & moribus decoratum, Deo & hominibus gratiosum, conatus est de ipsius captione tractare. Quod præcognoscens Abbas Ferrariam primò fugit, postmodum in Montem Silicem latuit, usque ad adventum Augusti. In mense itaque Septembri Imperator Federicus cum exercitu de Alemannia in Lombardiam descendit, cui occurrit Venerabilis Abbas apud Veronam, & ab ipso vultu alacri est receptus, & duobus mensibus cum decenti societate castra Cæsaris est sequutus (38), ad cujus

(29) *MS. Ambr.* cum diligenti apparatu &c.

(30) *Sequens periodus non reperitur in MS. Ambr.*

(31) *In MS. Ambr. super verbum* Advocatis *inscribuntur hæc duo eadem manu* illius Civibus.

(32) *MS. Ambr. post verbum* expulerunt, *confestim subjungit* Per idem tempus &c.

(33) *Prima hæc periodus omissa est à MS. Ambr.*

(*) *Alii hunc Comitem* Gebhardum *Suevum ajunt fuisse.* Osius. *MS. Ambr.* Gebcrardum.

(34) *MS. Ambr.* Simone Theastensi.

(35) *MS. Ambr. verba hæc* amicorum auxiliis destitutus, *non legit, quorum loco ponit* vilissimè.

(36) *MS. Ambr.* Cavernis.

(**) *Est hic ab alia manu*, Capilistium Forzatè.

(37) *MS. Ambr.* quàm potentia & dignitate suffultum.

(38) *Verba quæ sequuntur in hoc capite desunt in MS. Ambr.*

cujus præsentiam omnes Barones Marchiæ convenerunt; & de ipsorum consilio cœpit Imperator tractare de pace cum Mantuanis, ut ipsis subactis, faciliùs alios adversarios Imperii subjugaret.

Qualiter Imperator de Mediolanensibus triumphavit.

FActa igitur pace inter Imperatorem, & Mantuanos, & Comitem Sancti Bonifacii, qui Mantuam obtinebat, obsidio longa castri Sancti Bonifacii est soluta. Tunc Imperator cum exercitu maximo intravit districtum Brixiæ, destruendo omnia incendiis & rapinis. Tunc etiam Montem-Clarum nobilissimum locum subvertit. Mediolanenses verò amicis undique congregatis cum exercitu infinito in auxilio Brixiensium venientes, castra sua non longè ab exercitu Romani Principis posuerunt. *Sed quodam luctoso* (39) *fluviolo mediante bellum committere minimè potuerunt*. Cùm autem Mediolanenses reverterentur, nihil mali penitus suspicantes, Imperator cum militia subitò prævênit eos apud Curtem-Novam: & facto impetu contra ipsos, multos ex eis cepit, & plures occîdit. Carrocium quoque ipsorum, & Potestatem, filium scilicet Ducis Venetiarum, similiter apprehendit. Circa festum igitur Beati Andreæ Imperator prædictum triumphum de Mediolanensibus est adeptus. Tunc temporis Imperator in exercitu habuit Elephantem, ad quem videndum confluebant populi Lombardiæ.

De obsidione Brixiæ (*).

ANno Domini MCCXXXVIII. Comes Geveardus de Saxonia, nuncius Imperatoris, vênit Paduam, & pietate commotus super justis querelis Abbatis Sanctæ Justinæ, suum Monasterium Abbati restituit, removens inde custodes, & procuratores, quos ibi posuerat Ecelinus (40). Cùm & Mediolanenses pacem habere cum Imperatore conditionaliter postularent, Imperator noluit eos recipere, nisi omni conditione remota; & hac de causa in contumacia permanserunt. Unde Imperator ad debellandum eos exercitum præparavit; sed primò disposuit amicos eorum aggredi Brixienses. Et ita eodem anno Imperator obsedit Brixiam, à medio Julio usque ad festum Sancti Michaëlis: sed civibus viriliter se defendentibus, confusus inde recessit.

Istis temporibus Ecelinus, fugato de Marchiæ finibus Marchione, obsedit (41) Montagnanam, quam nullo modo potuit obtinere. Paulò post Marchio, reassumtis viribus, recuperavit Estem, & eam fortiter communivit.

De adventu Federici Imperatoris ad civitatem Paduæ.

ANno Domini MCCXXXIX. Circa conversionem Sancti Pauli vênit Paduam Imperator, fecitque residentiam in Monasterio Sanctæ Justinæ duobus mensibus, à Dominica Quinquagesimæ usque ad quindecim dies post Pascha. Tunc temporis admonitione præmissa, Papa Gregorius in Dominica Olivarum publicè ipsum Romæ excommunicationis vinculo innodavit (42). Summus namque Pontifex per experientiam cognoscebat, animum Imperatoris esse proclivem ad opprimendum Ecclesiam, si posset sibi subjicere Lombardiam. Unde statim post excommunicationem Virum prudentissimum, & constantem, Gregorium scilicet Sedis Apostolicæ tunc Notarium, Legatum Italiæ ordinavit. Qui veniens Mediolanum populi trepidantia corda refovit, & amicos dissolutos Mediolanensium exhortatione vivifica roborans, ad pugnandum pro libertate viriliter inflammavit. Et ne videretur verbo tenus tantùm alios ad pericula invitare, ipse personaliter, quousque vertebat se Imperator ad fideles Ecclesiæ impugnandos, se ipsum strenuè opponebat. Interea dum Imperator in prædicto Monasterio resideret, & Imperatrix filia Regis Angliæ Noëntæ mansionem haberet: memoratus Abbas curialitatis, & largitatis amator, Augustum donis gratissimis honoravit. Obtulit namque ei, *duo tapetia pretiosa, & solium cum suo apparatu, & scabello subpedaneo artificiosissimè insignito*, duo plaustra ita pretiosissimi vini, ac si esset de vineis Engaddi, XXX. modios hordei, & viginti quatuor plaustra fœni. Sturiones etiam maximos ei dedit, quos sibi fecit de partibus Ferrariæ apportari. His, & aliis donis, & exeniis tam Augustum, quàm Curiales frequentissimè honoravit.

Qualiter Guecilus de Camino, & Albricus de Romano rebellaverunt.

POst hæc, cùm adhuc Paduæ moraretur Imperator, in mense Madio Guecilus de Camino, & Albricus de Romano frater Ecelini confœderati, viriliter Tarvisium intraverunt: fugatoque Jacobo de Mora, qui tunc ibi pro Imperio præsidebat, rebelles contra tam metuendum Principem extiterunt. Sequebatur namque Imperator in omnibus consilium Ecelini, Marchioni, & aliis Principibus bona promittendo, & semper eis mala de consilio nequissimi deferendo. Cujus etiam maligna suggestione, obsidis nomine, accepit filium unicum Marchionis, & filiam unicam Albrici, quæ Marchionis filio erat matrimoniali vinculo copulata. Procurabat enim modis omnibus perfidus Ecelinus Marchionem, & ejus amicos repellere ab Imperatoris servitio, & mandato, ut Imperiali fretus auxilio, & favore, posset eos destruere penitus, & delere.

His diebus circa Pascha obiit Dominus Jacobus Episcopus Paduanus: vacavitque de facto Episcopatus XVII. annis.

Eodem anno in principio Junii fuit Eclipsis Solis.

Qua

(39) *MS. Ambr.* luruoso.

(*) Desiderantur hæc in MS. Patavino, quo usi fumus; extant verò in Ramingiano edito à Christiano Urstisio unà cum Illustribus Historicis Germaniæ, usque ad illa. *Cùm & Mediolanenses*. Osius.

(40) *Verba* posuerat Ecelinus, *usque ad illa*. Eodem anno obsedit Brixiam &c. *MS. Ambr. silet*.

(41) *MS. Ambr.* Ecelinus fugatus de finibus Marchiæ obsedit Montegnanam &c.

(42) *MS. Ambr.* à *verbo* vinculo innodavit, *usque ad illa*. Interea dum Imperator &c. *nihil habet*.

Digitized by Google

Qualiter Marchio, & omnes amici ejus rebellaverunt.

IN mense prædicto, postquam Marchio, & omnes amici sui viderunt animum Augusti inclinatum ad complendum omnia desideria Ecelini, exposuerunt se magno periculo, à mandatis Imperialibus penitus recedendo. Imperator autem relicto Tibaldo Francisco Potestate Paduæ, & Vicario totius Marchiæ, præcipiens ei, ut mandatis Ecelini in omnibus obediret, transivit in Lombardiam, & congregans exercitum, quædam castra Bononiensium devastavit: & his peractis, in Apuliam protinus properavit. Marchio autem expulsis custodibus Imperatoris recuperavit Arcem Estensem, Baonem, Cerrum, & per obsidionem obtinuit Calaonem. Et sic incœpta est guerra periculosa per Marchiam universam. Imperator de cetero in cunctis civitatibus Italiæ omnes amicos Marchionis Estensis, & Comitis Sancti Bonifacii cœpit habere exosos pariter & suspectos: partem verò Salinguerræ, & Ecelini ubique incœpit diligere, & amplecti.

De obsidione Ferrariæ, & ejus captione.

ANno Domini MCCXL. Circa conversionem S. Pauli, Cometa versùs Occidentem apparuit. In illis diebus etiam, cùm jam Vir magnanimus, Philippus scilicet Episcopus Ferrariensis, contra sapientissimum Salinguerram, qui dominabatur Ferrariæ, pro Ecclesia rebellasset, & Bragantinum, & Bondenum viriliter occupasset, Veneti cum exercitu magno, & Bononienses, & Mantuani, & multa militia Mediolanensium, cum Domino Gregorio de Montelongo, Sedis Apost. Legato, venerunt in auxilium Marchionis, & obsederunt Ferrariam, quam post menses quatuor sub quadam compositionis specie habuerunt. Nihilominus tamen Salinguerram captum Dux Jacobus Theupolus Venetias secum duxit, ubi usque ad diem mortis suæ fuit in carcere custoditus. Sequenti tempore in mense Augusto, audiens Imperator mortuum esse Paulum Traversarium, Dominum Ravennæ, amicum intimum Marchionis, exivit de Apulia (*) cum exercitu, & vênit, & obsedit Ravennam. Qua capta, accessit Faventiam, & eam obsedit octo mensibus cum instantia obstinata. Eodem anno Jacobus de Carraria captus est in Castro Agnæ à Tibaldo Francisco: in medio Augusto accepit sententiam capitalem. In sequenti mense Advocatus, captus in Castro Brentæ, similiter est à Tibaldo punitus.

De captione Faventiæ, & obitu Gregorii Papæ, & Imperio Tartarorum.

ANno Domini MCCXLI. Post longam obsidionem cepit Faventiam Imperator. In eadem æstate Pisani ceperunt duos Cardinales, & multos Prælatos, qui per mare Tyrrhenum in navibus Januensium pergebant Romam ad Summum Pontificem.

Non multo tempore post prædicta transacta, obiit Papa Gregorius Nonus, & vacavit Sedes Apostolica multis diebus: sed tamdem Papa Cœlestinus, Mediolanensis natione, fuit electus: qui post electionem vix decem & octo supervixit diebus.

Circa hæc tempora effera gens Tartarorum, gladio, incendiis, & rapinis totam Ungariam subitò devastavit. Tunc Rex Bela vix eorum manibus evasit, fugiens ad maritima Sclavoniæ festinanter.

De Papa Innocentio Quarto, & de superbia Federici Imperatoris, qui conabatur Ecclesiam subjugare.

ANno Domini MCCXLII. Cardinales post multa Concilia elegerunt Dominum Sinibaldum Cardinalem de Comitibus Lavaniæ, natione Januensem: qui appellatus est Innocentius Papa Quartus. Iste quæsivit ferè duobus annis habere pacem cum Imperatore, volens finem imponere tantis malis: sed cùm Imperator ferè totam Italiam possedisset, in superbiam elevatus, verba quidem blanda dicebat: sed Romanam Ecclesiam deprimere modis omnibus satagebat.

Superbiæ quippe spiritu inflammatus proponebat Ecclesiarum auferre jurisdictiones, & possessiones Villarum, & Castrorum, quibus erant ab Imperio prædotatæ: (43) & taliter volebat humiliare superbiam Clericorum. Et licet ipse versipellis esset plurimùm, & astutus: tamen, quia ex abundantia cordis os loquitur, istam sacrilegam voluntatem non poterat occultare. Unde contra se odium Prælatorum in toto Imperio non modicum excitavit.

In hoc anno, in mense Martio, populosa Montagnana est divino judicio concremata. Quod audiens Ecelinus, ipsam festinanter in manu valida occupavit.

De destructione Castri Sancti Bonifacii, & de prima audacia contra Nobiles, & potentes.

ANno Domini MCCXLIII. Galvano Lancea Vicario in Marchia existente, Castrum Sancti Bonifacii à Veronensibus est destructum. Sub eodem etiam Comes de Panico civis Veronensis est Paduæ decollatus; & multi viri nobiles, & præclari, accusati de proditione, Veronæ sunt ab Ecelino diversorum tormentorum generibus interfecti; & tunc primò Tyrannus assumsit majorem audaciam, ita Nobiles & potentes, sicut ignobiles & pauperes puniendi. (44)

Eodem Anno nobilissimum Castrum Ostiliæ à Mantuanis funditus est destructum.

Qualiter Innocentius Papa dimissâ Româ Januam navigavit.

ANno Domini MCCXLIV. Circa festum Sancti Joannis Baptistæ, magnanimus Innocentius Papa, videns se illudi ab Imperatore verbis, & promissionibus fraudolentis; scienseque esse scriptum, quòd ars deluditur arte: finxit se habere colloquium cum Augusto, & tunc latenter, & cautè apud Civitatem-Veterem, galêam intravit, & sic ad Januensem Urbem feliciter navigavit. Imperator

(*) *In margine*. Pro Papa. *Ossius*.
(43) *MS. Ambr.* prædonatæ.
(44) *MS. Ambr. pro* puniendi *legit* domandi.

rator hoc audiens, timens tanti viri sagacitatem, est non modicum conturbatus, Papa circa festum Sancti Lucæ per terras Comitis Sabaudiæ in Galliam pertransivit, figensque Sedem suam apud Lugdunum, statim misit per universum Orbem, ad convocandum Prælatos, & Principes ad Concilium Generale.

De Concilio Lugdunensi, & de sententia depositionis Federici Imperatoris data ab Innocentio Papa.

A Nno Domini MCCXLV. Circa festum Sancti Joannis Baptistæ, factum est Concilium maximum Lugduni, ad quod citatus Imperator personaliter ire contemsit. Unde propter contumaciam ejus, & innumerabilia mala, quæ fecerat contra Ecclesiam, Innocentius Papa residens in Concilio, de assensu, & Consilio Prælatorum, & totius Concilii protulit contra Federicum depositionis sententiam, justè pariter, & constanter. Forma itaque sententiæ prolatæ à Summo Pontifice ista fuit. *Volentes*, inquit Apostolicus, *Divinam sententiam præponere sententiæ nostræ, denunciamus Federicum à Deo excommunicatum, & depositum ab omni bonore Imperii, & Regni. Addentes verò sententiam nostram divinæ sententiæ, excommunicamus Federicum, & deponimus ab omni honore Imperii, atque Regni.*

De Imperiali colloquio Veronæ celebrato, & de Lantgravio Rege Alemanniæ constituto contra Federicum.

C Um prædicta fierent apud Lugdunum, Imperator veniens Veronam cum filio suo Conrado, & cum quibusdam suis Principibus Alemanniæ, & Baronibus Lombardiæ sibi faventibus, solemne colloquium celebravit. Quo facto, simulans se simul cum Conrado filio suo velle ad Concilium properare, ivit usque Taurinum; ubi primò audivit contra se depositionis sententiam promulgatam. Tunc reversus est Cremonam, ibique negocia Imperii ordinavit. Post hæc in Apuliam quamcitiùs est reversus, & Conradum in Alemanniam velociter destinavit.

Sagacissimus verò Innocentius Papa direxit in Alemanniam Nuncios, ad admonendum Principes, ut eligerent aliquem strenuum virum ad Imperium gubernandum. Tunc illi convenientes ad tantum negocium peragendum, elegerunt Virum Catholicum, strenuum, nobilem, sapientem, benignum, & constantem Lantgravium de Thuringia, Deo, & hominibus gratiosum. Ille autem electioni de se factæ assensum præbuit, constanter paratus, intuitu Divinæ Majestatis, omne periculum pro Ecclesia, & Republica sustinere: & sic contra Federicum potentissimum suscepit alacriter & audacter Regni Alemanniæ (45) diadema.

De Lantgravii Regis Alemanniæ victoria contra Conradum Federici filium.

A Nno Domini MCCXLVI. Lantgravius Rex Alemanniæ congregavit exercitum copiosum adversùs Conradum filium Federici. Cui ille in manu valida occurrit audacter. Inito igitur certamine, Conradus amissa multitudine militum, vix cum paucis evasit, quem nisi sceleratus (46) Dux Ungariæ suscepisset, immemor patris sui à Federico per assassinos interfecti, Lantgravius eum de Alemannia effugasset. In prædicto igitur prœlio, & aliis negociis Ecclesiæ in Theutonia pertractandis, Legatus Sedis Apostolicæ erat vir magnanimus, Philippus scilicet Episcopus Ferrariensis, cujus audacia, & sagacitas circumspecta tam in captione Ferrariæ, quàm in factis Alemanniæ potest ore omnium commendari. Iste namque pro Romana Ecclesia subire pericula, & labores minimè recusavit. Ipse sicut noster (47) Levita, dixit patri suo, & matri, *Nescio vos*, & fratribus suis similiter. Quia patrem, & matrem, & etiam parentelam contemsit, & capi ab Imperatore substinuit patienter, eligens in tantis angustiis Ecclesiæ, Deo, & Summo Pontifici potiùs obedire, quàm parentum carnalium amore à tramite recedere veritatis.

Qualiter Ecelinus cepit Abbatem Sanctæ Justinæ de Padua.

E Odem anno factum accidit lacrymosum, plenum compassione pariter, & dolore. Nam Ecelinus Satanæ minister, Diaboli carnifex, potator humani sanguinis, sitibundus inimicus Ecclesiæ, Hæreticorum refugium, malitiæ sedulus adinventor, manum misit ad desiderabile membrum Ecclesiæ, idest Abbatem Sanctæ Justinæ de Padua, capiendum: Virum utique justum, honestum, bonis moribus informatum, &, Clero & Populo attestante, plurimùm reverendum. In die igitur Sancti Briccii eum cum fratre carnali capi præcepit, ipsumque inclusit in carcere tenebroso, faciens eum, velut proditorem Imperii, cum diligentia custodiri.

Eodem tempore Albricus, & Nicolaus de Lendenaria, Viri nobiles & potentes, & sicut rosæ inter milites Marchiæ refulgentes, accusati de proditione, multis ab Ecelino afflicti tormentorum generibus defecerunt.

De morte Henrici de (*) Engna in Civitate Veronæ.

A Nno Domini MCCXLVII. In mense Februario, factum magnæ audaciæ accidit in Verona. Nam cùm Henricus de Engna, filius sororis nequissimi Ecelini, gereret prædictæ regimen Civitatis: quidam miles Veronensis, nomine Joannes de Scamarola (48), accusatus de proditione, ante Tribunal ejus, vinctis (49) pedibus assistebat. Cui cùm Henricus diceret; *Joannes, scias esse impossibile quòd evadas*: ille gladium de caliga latenter educens, irruit in eum (50), quem in capite graviter vulneravit, ita quòd vix diebus XV. su-

(45) *MS. Ambr. pro* diadema *legit* dominia.
(46) *MS. Ambr.* quem nisi sceleratus Dux Baiguerius suscepisset, immemor patris sui a Federico deposito interfecti, Lantgravius eum de Alemannia extirpasset. In prædicto &c.
(47) *MS. Ambr. pro* noster *legit* verus.
(*) De Ygna *Rolandino Lib. V. Cap. XX.* Ossius.
(48) *MS. Ambr.* Scanarola.
(49) *MS. Ambr.* vincitus compedibus assistebat.
(50) *MS. Ambr.* ipsumque &c.

Digitized by Google

supervixit. Tunc satellites Potestatis ipsum protinus occiderunt. O mira stupendaque audacia, & ore omnium divulganda! Quis enim non potuit meritò admirari (51), hominem vinctum, solum, armatis hominibus circumseptum, invasisse juvenem bellicosum, fortem, strenuum, & terribilem inimicis? Patet itaque illud proverbium esse verum, quòd, *qui vult mori, Regem potest occidere*.

De morte Lantgravii Regis.

HOc tempore Lantgravius Rex Alemanniæ diem clausit extremum: de cujus morte Ecclesia est turbata; Federicus verò plurimùm est erectus (52).

Qualiter capta est Parma.

EOdem anno, in mense Madio, vênit Federicus de Apulia in Lombardiam cum magno apparatu, pro quibusdam negociis peragendis, & disponendis, & perrexit versùs Taurinum, ubi dum moram faceret, bellicosus Encius ejus filius naturalis, cum exercitu Cremonensium ivit ad obsidendum quoddam Castrum Brixiæ, nomine Quincianum. Tunc habita opportunitate consanguinei Papæ Innocentii, & amici eorum, qui fuerunt de Parma expulsi, & Placentiæ residebant, subitò congregati in manu forti Parmam de assensu Populi in medio Junio intraverunt, & Potestate occiso, partem Federici inde protinus expulerunt. In quorum auxilium Dominus Gregorius de Monte-longo Legatus Sedis Apostolicæ cum Mediolanensibus & Placentinis, & Comes Sancti Bonifacii cum Mantuanis, Parmam velocissimè intraverunt, ipsamque, velociter munientes, ad defensionem se fortiter paraverunt. Quo audito Federicus cum exercitu infinito, & cum Ecelino, qui perrexerat in ejus auxilium, festinanter cum militia maxima (53) vênit, & castrametatus est juxta Parmam, faciensque ibi Civitatem, quam *Victoriam* appellavit, statuit se firmiter (54) nullo modo discessurum, nisi per mensem caperet Civitatem. Federico igitur impugnante, & Ecclesia cum suis fidelibus Parmam totis viribus defendente, tempus sex mensium est elapsum, & asperitate hyemis cogente, militia Civitatum ex utraque parte (55) est reversa. Federicus verò remansit in Victoria cum modica (56) quantitate exercitus, expectans futuram æstatem, & animo cupienti, in qua credebat, se Parmam sinè dubio expugnaturum: sed

Fallitur augurio spes bona sæpe suo.

Qualiter Victoria est capta à Parmensibus.

ANno Domini MCCXLVIII. Federico in Victoria residente, in medio Februario, Legatus & Parmenses, unito consilio, de Civitate unanimiter exiverunt, irruentesque in Victoriam, ipsam sinè mora ceperunt, captamque protinus cremaverunt. Federicus verò versùs Cremonam fugam arripiens, vix evasit, dimissis ibidem divitiis infinitis. Parmenses autem multis captis, & occisis de ipsius (57) exercitu, Carrocium etiam à Cremonensibus habuerunt.

De Regis Gulielmi electione.

CIrca hæc tempora Innocentius Papa negocia Ecclesiæ peragens vigilanter, Legatum in Alemanniam destinavit, citavitque Principes, ut eligerent in Regem virum aliquem idoneum, & potentem. Cujus præceptis protinus obsequentes, elegerunt Comitem Gulielmum (58) de Holandia in Regem, & futurum Imperatorem, Virum utique probum, & exercitum, militibus (59) decoratum.

Qualiter Ludovicus Rex Francorum mare transivit, & obtinuit Damiatam.

ANno Domini MCCXLIX. Lodoycus Rex Francorum, Cruce-signatus, mare transivit in subsidium Terræ Sanctæ, & cum magno exercitu, & infinita navium multitudine intravit terram Ægypti, Damiatam (quæ in Prophetis (60) *Memphis* vocatur) protinus reliquerunt: & ex tali modo eam habuit sinè gladio, & sagitta.

De Regis Encii captione.

EOdem anno, in principio Junii bellicosus Rex (*) Encius, filius Federici, captus est à Bononiensibus cum militia copiosa. Quapropter Bononienses sunt usque ad sidera elevati (61). Unde Mutinenses necessitate compulsi, se Bononiensium dominio subdiderunt.

In istis diebus tres filii Jacobi de Dalesmanino sunt capti ab Ecelino, & variis tormentis afflicti. Tamdem jussu ipsius in Platea Paduæ sunt crudeliter trucidati.

Eodem anno Federicus Castrum Montisfilicis, circa festum Sancti Joannis Baptistæ tradidit Ecelino. Decimo verò die, exeunte Septembri, Burgus Estensis traditus fuit ei, per quemdam sceleratum virum, nomine Vitalianum de Arelda. Arcem autem post mensem obtinuit, eam priùs cum multis machinis impugnando. Tamdem propter famem omnia Castra obtinuit Marchionis.

Qualiter Rex Franciæ Damiatam reddidit Saracenis.

ANno Domini MCCL. Circa Pascha Lodoycus Rex Francorum, cùm versùs (62) Babyloniam properaret, à Saracenis cum suo exercitu est conclusus: & cùm neque (63) redire valeret, Soldano se reddidit Babylonis, amisso priùs in bello Comite Roberto fratre suo, cum ma-

(51) *MS. Ambr.* admirari, audiendo hominem &c.
(52) *MS. Ambr.* est lætatus.
(53) *MS. Ambr.* cum militia Marchiana.
(54) *MS. Ambr.* se firmiter inde nullo &c.
(55) *MS. Ambr.* ex utraque parte ad propria est &c.
(56) *MS. Ambr.* cum non modica &c.
(57) *MS. Ambr.* de equitibus ipsius exercitus &c.
(58) *MS. Ambr.* Comitem Verisiolinum &c.
(59) *MS. Ambr.* exercitiis militaribus decoratum &c.
(60) *MS. Ambr.* quæ in primis Memphis vocabatur.
(*) *Al.* Henricus, *aliàs* Heintz. *Ojius*.
(61) *MS. Ambr. addit* & in Bononia in carceribus tenuerunt, in uno Palatio Rotundo, quod est prope domus illorum de Lambertinis, post Palatium Communis Bononiæ, donec à rebus humanis fuit exemptus, & sepultus est in Ecclesia Sancti Dominici prope Altare Magnum, ubi sunt Imagines sculptæ. Unde Mutinenses &c.
(62) *MS. Ambr.* cùm versùs Sum Babylonia &c.
(63) *MS. Ambr.* cùm neque procedere, neque redire valeret &c.

Digitized by Google

maxima militum quantitate. Rex itaque pro redemtione sua Damiatam reddidit Saracenis, dimissusque ab eis rediit in Syriam, & reædificatâ Cæsareâ Palestinæ, in Franciam est reversus cum ignominia suæ gentis, totiusque populi Christiani. Saraceni autem considerantes tam præterita, quàm futura, Damiatam funditus diruerunt (64), vel everterunt, ne de cetero esset occasio, & receptaculum prœliorum.

Qualiter Parmenses à Cremonensibus sunt devicti (65).

IN istis temporibus Cremonenses, amicis undique congregatis, equitaverunt in manu valida contra Parmam. Quibus Parmenses impares viribus, & numero, non longè à Civitate, audaciter quidem, sed minus providè occurrerunt. Sed (sicut vulgò solet dici, *paucos quidem valet Omnipotens adjuvare*; *sed frequentiùs multitudo vincere consuevit*:) Parmenses non potuere, à Domino non adjuti, inimicorum impetum sustinere: sed versùs Parmam velociter fugientes, amiserunt militum, & peditum simul cum Carrocio non minimam quantitatem.

Eodem anno, in festo Sancti Bartholomæi, Gulielmus de Campo Sancti Petri, jussu Ecelini, fuit in platea Paduæ crudeliter interfectus.

De morte Federici Imperatoris.

SUb prædicto annorum curriculo, potentissimus Federicus, in die Sanctæ Luciæ (66) vitam amisit in Apulia: descenditque ad Inferos, nihil secum deferens, nisi sacculum peccatorum.

De reversione Innocentii Papæ in Lombardiam.

ANno Domini MCCLI. Innocentius Papa post mortem Federici, factis Alemanniæ cum Prælatis, & Principibus (*) ordinatis, circa Pascha exiens de Lugduno, vênit ad Januensem civitatem, ubi omnes Magnates Lombardiæ, qui viam Ecclesiæ sectabantur, ei in reverentiam occurrerunt. Deinde vênit Mediolanum, & recuperata Laudensi civitate, transiens per Lombardiam, festinanter Perusium properavit.

Per idem tempus populus Placentinus, furore cœco contra suos milites concitatus, auxilium Cremonensium imploravit: & expulsis militibus, Obertum Palavicinum in suam perniciem elegit in Dominum, & Rectorem.

De Rege Conrado.

EOdem anno Conradus, filius Federici, descendens de Alemannia, vênit Veronam, & cum auxilio Ecelini, in mense Decembri, intravit in mare, in portu Texanæ, & navigans in Apuliam, eam cum Insula Siciliæ obtinuit, secundùm suæ beneplacitum voluntatis.

(64) *MS. Ambr.* Damiatam à fundamentis penitus everterunt.
(65) *MS. Ambr. Initium facit huic capiti iis verbis inferiùs legendis* eodem anno in Festo Sancti Bartholomæi &c. *superiora omittens.*
(66) *MS. Ambr.* in die Sanctæ Luciæ infirmitate maxima prægravatus lucem istius vitæ amisit &c.

De obitu Principis Rainaldi Marchionis.

PEr idem tempus mortuus est Rainaldus in Apulia, filius Marchionis Estensis, quem pro obside acceperat infelicissimus Federicus. Reliquit autem filium, & filias, quas habuit de quibusdam puellis (67) nobilibus de Apulia, dum in carcere satis curialiter teneretur. Marchio autem naturali amore inductus, fecit cautè filii sui dulcissimos fructus sibi de Apuliæ partibus apportari: & faciens ipsos fieri legitimos tam per Sedem Apostolicam, quàm per Regem Alemanniæ Gulielmum: puerum, cui nomen erat Obizo, qui patris imaginem tam in colore, quàm in membrorum dispositione manifestissimè exhibebat, omnium suorum bonorum constituit & declaravit heredem.

De Patriarcha Gregorio, & morte Comitis Sancti Bonifacii.

ANno Domini MCCLII. Dominus Gregorius de Montelongo, qui multis annis in Lombardia, fungens officio legationis, tam feliciter, quàm fideliter, & prudenter pro Romana Ecclesia laboravit, ordinatus Patriarcha Aquilejensis à Papa Innocentio, in mense Januario Forum-Julii est ingressus.

Sequenti mense, videlicet Februario, Ricardus Comes Sancti Bonifacii, (68) qui cùm permultum pro Ecclesia contra Federicum, & Ecelinum perfidum (**) laboravit, cùm esset Brixiæ, viam universæ carnis est ingressus. Reliquit autem unum filium parvulum, nomine Lodoycum. Brixienses verò non immemores ejus commendabilis probitatis, eum cum honore maximo sepeliri studiosissimè curarunt. In mense verò Madio filii, & nepotes nobilis Gulielmi de Carturio, post multa genera tormentorum, jussu Ecelini sunt Paduæ interfecti.

De sceleribus perfidi Ecelini de Romano.

(MS. Ambr.)
Ezerinus facit ubique suspectos interfici & mutilari.

IN hoc anno circa finem Augusti, Ecelinus humani generis inimicus, suggestione Dæmonum, & hominum malignorum, credens firmiter, contra se omnes milites, & electos populares Marchiæ conjurasse, extraxit mortiferum gladium irrevocabiliter de vagina, incipiensque à Carnarolo milite Veronensi, quem conjurationis principem asserebat, tam in Verona, quàm in Padua, Vicentia, & in tota Marchia inauditam stragem, & occisionem hominum perpetravit. Ubique luctus erat, ubique dolor, & tristitia, ubique dira mortis imago. Catervatim milites, & majores natu in foro gladiis necabantur: membra frustatim præcidebantur, & rursum collecta & imposita rogis, igne supposito cremabantur. Frater fratrem, consobrinus consobrinum, amicus ami-

(*) *Al.* ordinationibus. *Osius.*
(67) *MS. Ambr.* quos habuit de quadam puella nobili de Apulia &c.
(68) *MS. Ambr.* qui tum pro se, tum pro Ecclesia plurimùm contra &c.
(**) *Mel.* laborasset. *Osius.*

Digitized by Google

amicum tradebat ad mortem, & propriis manibus trucidabat. His sceleribus credebat quilibet, se obsequium præstare Tyranno. Et tamen isti, qui hoc faciebant, post paucos dies in similem mortis gladium, seu laqueum incidebant. Filii Nobilium, & aliorum civium oculis privabantur, & eorum genitalibus amputatis, includebantur in carceribus tenebrosis, ubi moriebantur famis horribili cruciatu. Matronæ nobiles, & delicatæ, & Virgines speciosæ, fame, peste, injuriis, & afflictionibus inauditis in custodiis tabescebant. Quotidie diversis generibus tormentorum indifferenter tam majores, quàm minores à carnificibus necabantur. Voces terribiles clamantium in tormentis die noctuque audiebantur de altis palatiis, quæ dolorem, & horrorem maximum hominibus inducebant. Nullus publicè audebat plorare super his malis, sed quilibet vitam, & victoriam, & si non corde, saltem verbis affectuosis, Ecelino nequissimo domino, affectabat. (69) Illum justum, illum bonum, illum sapientem, & amatorem status Marchiæ omnes adulatoriè conclamabant. Nec tamen ista dicentes, ferocitatem animi ejus poterant mitigare; sed erat (70) ei sicut Populus, sic Sacerdos: sicut Laicus, ita Religiosus: sicut senex, & imbecillis, ita puer adhuc balbutiendo in verba prorumpens. Nulli ætati, nulli sanctitati, (71) nulli probitati parcebat. Semper eodem vultu, eodem modo, eadem instantia nimiæ crudelitatis opera perpetrabat, & quasi semper à capite incipiens, quotidie sinè labore, sinè conscientiæ remorsione, magna tormenta, & inexcogitata corporibus hominum infligebat. Non remansit in tota Marchia progenies aliqua generosa, vel etiam popularis, quæ ab ipso vel ex toto, vel ex parte maxima non sit crudeliter lacerata. Milites ferè omnes sunt gladio, & aliis suppliciis interfecti: Studiosi mercatores, Judices sapientes, Prælati reverendi, Claustrales devoti, Canonici honorati, speciosi juvenes & strenui radicitus sunt deleti, substantiis eorum ablatis, & dispositis secundùm tyrannicam jussionem. Serpens insuper callidus, & astutus omnes pulchras domos, & fortes, & loca juxta portas, & pontes in Civitatibus constituta emere studiosissimè procurabat, & post paucos dies, vitam simul & precium venditoribus auferebat. Ipse bona Episcopatuum, Abbatiarum, Canonicatuum, & ferè omnium Ecclesiarum in suis sceleratis operibus consumebat. In diebus ejus cessavit prædicatio, obmutuit confessio peccatorum, & devotio Fidei est extincta. Visitare etiam sancta loca publicè homines non audebant: nam accusatores erant ab ipso in populo constituti, qui vigilanter & sollicitè observabant, ne quid in dicto vel facto, vel aliquo contra Tyrannum pestiferum tractaretur. Accusatus autem à talibus insidiatoribus, etiam de levissima culpa, protinus in (*) aculeo levabatur, totaque ejus familia captivitate perpetua damnabatur. Defensor nullus in angustiis apparebat; accusatorum verò erat numerus infinitus. Residere sub Ecelini tyrannide intolerabile, effugere impossibile videbatur: quia nequissimus Dæmon fossatis magnis districtum suum circumdederat, & super ipsa fecerat speculas, quas Marchiani *muras* (72) appellabant, in quibus erant die noctuque speculatores, qui nec intrare, nec exire aliquos permittebant. Si quis in fuga deprehensus fuisset, sinè audientia, oculis, vel pedibus, & manibus privabatur, nec aliqua eum poterat excusatio liberare. Talis erat status commorantium in Marchia: tale siquidem erat dominium Ecelini. De crudelitate itaque perfidi Ecelini pauca perstrinximus; nam exprimere ex toto ipsius malitiam vix posset facunda loquacitas Tullii, vel Maronis.

De carceribus perfidi Ecelini.

ANno Domini MCCLIII. Ecelinus nullas nisi sanguine fuso gaudens habere vias, tam in Verona, quàm in Marchia universa, vehementer iterum manum ad incarcerandum, & occidendum extendit, implevitque civitates, & castra multitudine captivorum, quos fame horribili affligebat. Præ famis autem, & sitis angustia (proh dolor!) quælibet immunda miseri comederunt, ac urinam cum aviditate inopinabili bibere cogebantur. Et no parvum impendere beneficium putabatur, qui urinæ suæ potum dignabatur sociis impertiri. Foetor etiam intolerabilis, & aër corruptus, calorque nimius, & tenebræ ita horribiles erant in carceribus Ecelini, quòd captivi vix poterant respirare. Multique his de causis spiritum exhalabant. Præterea tanta erat in his hominum miserabilium multitudo, quòd ita unus alium comprimebat, quòd nec jacere poterat aliquis, nec sedere: corporis verò debilitas nullo modo super pedes consistere permittebat. Clamor autem lugentium, & dicentium, Væ, Væ, ac percussiones manuum ita horridæ personabant, quòd non carceres manufacti, sed ergastula infernalia, & (**) pænè inflictus à Dæmonibus meritò putabantur: quia ibi nulla requies, nulla consolatio, nulla species (73) redemtionis à malis illatis, & imminentibus habebatur. Mors ibi summo desiderio quærebatur, ut finem imponeret tantis malis. Moriens enim in tali statu, vivente felicior credebatur. In mortis verò articulo constituti, confiteri cum Sacerdotibus, & rerum suarum disponendarum licentiam nullo modo poterant obtinere. Efferebantur itaque quotidie corpora extincta de carceribus tenebrosis, nec permittebant alium quem sepeliri, nisi priùs evidentissimè probaretur, quis esset, vel unde, qui beneficium debebat consequi sepulturæ. Et ex hoc custodes carcerum faciebant fieri publica instrumenta, ut indubitanter possent Tyranno sollicitè omnia inquirenti ostendere mortuorum numerum, & vivorum. Sed, quia longum esset singula scelera Tyranni nefandissimi enarrare, sufficiant hæc pauca de plurimis esse dicta: satisque sit, nos & in enormibus crudelitatibus non subtrahere veritatem, & in multis fastidium evitare.

(69) *MS. Ambr. non legit* affectabat, *sed* augurabant.

(70) *MS. Ambr.* sed erat indiferens, nam sive Populus, sive Sacerdos &c.

(71) *MS. Ambr.* nulli societati &c.

(*) *Fortè* equuleo. *Osius*.

(72) *MS. Ambr.* miras.

(**) *Fortè* pœnæ inflictæ. *Osius*. *MS. Ambr. idem habet*.

(73) *MS. Ambr.* nulla spes redemptionis &c.

Explicit Liber Primus.

IN-

INCIPIT SECUNDUS.

De morte Regis Conradi, & de introitu Papæ Innocentii in Apuliam, & de ejus morte.

ANno Domini MCCLIV. (1) Cùm Rex Conradus duobus annis Regnum Apuliæ tenuisset, die duodecimo, exeunte Madio, Regnum simul, & vitam amisit. Post cujus decessum Innocentius Papa in manu valida intràvit in Apuliam, & Sedem suam fixit apud Neapolim. Ad cujus præsentiam omnes Principes convenerunt, Manfredus etiam Princeps Tarenti, filius Federici, eidem subjectionem, & devotionem in omnibus proferentes. Cùm igitur caput Magnifici Innocentii Quarti nubes excedere videretur, sicut placuit ei, in cujus manibus sunt omnes fines terræ, & qui etiam altitudines montium contemplatur, decimo die intrantis Septembris (2), apud Neapolim naturæ legibus satisfecit: cui successit Alexander Quartus, qui priùs erat Episcopus Ostiensis.

Dum autem Magnificus Innocentius esset in mortis articulo (3), jamque illum versiculum frequenter repeteret: *Domine propter iniquitatem corripuisti hominem*: Manfredus naturalis filius Federici, impatiens contra Domnum Sedis Apostolicæ jam rebellis effectus, magnam stragem militum Ecclesiæ apud Foziam perpetravit. Audita igitur morte Innocentii, & substitutione Alexandri, cum majore audacia cœpit Ecclesiam in Apulia expugnare, vires ejus quotidie subvertendo. Cujus audacia ac sagacitate mirabili Apuli pavefacti, à devotione Romanæ Ecclesiæ discedentes, Principi humiliter adhærebant. Papa itaque Alexander, ordinatis Capitaneis cum militia infinita, qui deberent contumaciam, & processum Principis cohibere, exiens de Neapoli ad partes Campaniæ properavit. Manfredus autem opus incœptum consummare intendens, armis, muneribus, & ambagiis exercitum Ecclesiæ ita debilitare curavit, donec ipsum de Regno turpiter, & effœminatè coëgit exire: taliter quòd totius Regni paterni obtinuit principatum, in præjudicium Ecclesiæ & gravamen.

De transitu Venerabilis Arnaldi Abbatis Sanctæ Justinæ de Padua.

ANno Domini MCCLV. X. Februarii, cùm Vir devotissimus Abbas Arnaldus honestatis forma, religionis Monasticæ speculum, & exemplar, octo annos, & tres menses in carcere tenebroso, & in vinculis consummasset, circa septuagesimum vitæ suæ annum, die decimo intrantis Februarii, qui tunc fuit primus dies Quadragesimæ, apud (*) Aslum feliciter migravit ad Dominum. Imminente verò hora migrationis ejus, quæ fuit circa diluculum (sicut Fratres Minores viri devotissimi nobis fideliter retulerunt) multi in castris imminentibus constituti, viderunt manifestè ignea signa ab æthere descendisse, ad instar duarum ardentium facularum, quæ super carcerem ejus tamdiu steterunt, donec illa sancta, & Deo dilecta anima carnis vinculo est soluta. Significativa sanè, sicut firmiter arbitramur, illa duo signa fuerunt duplicis aureolæ (**), qua vir beatus est à Domino in cœlesti curia intèr Martyres, & Virgines coronatus. Corpore siquidem, & animo fuit Virgo, sicut Sacerdotes, quibus confitebatur, liquidò profitentur. Nam neque verbo, neque facto umquam dehonestavit in vitio lasciviæ sui animi puritatem. Martyr verò meritò potest dici, quòd patienter, & innocenter sustinuit longam carceris passionem. In ipsa autem carceris angustia constitutus, tam custodum, quàm se visitantium affectum, ita quadam lenitate mansuetudinis attrahebat, ut ab omnibus meritò amarêtur. Nam cùm in eodem anno, quo de hac vita erat exiturus, nullum proprium habuerit servientem, ab omnibus enim fuerat derelictus propter immanem rabiem sævientis Tyranni, qui præceperat, ne aliquis ei ad manducandum aliquid exhiberet, nisi panem atrum (4), & aquam brevem: nihilominus tamdem custodes carceris pietate commoti, omnia ei occultè humanitatis obsequia exhibebant. Ad tanti autem Viri venerabiles exequias celebrandas, in die obitus, convenit utriusque sexus non minima multitudo hominum, & cum reverentia, & honore corpus ejus sanctissimum ad Fratrum Minorum Ecclesiam deferentes, sepulturæ devotissimè tradiderunt. Multi verò tam viri, quàm mulieres pias lacrymas effundebant, reminiscentes viri Dei compassionem, & dulcedinem, & animi lenitatem: multique dicebant, ipsi esse potiùs congaudendum, quòd esset à tantis angustiis liberatus, & Paradisi gaudiis frueretur. Post quinquaginta verò dies ab ejus obitu, visum fuit Fratribus Minoribus, quòd ejus corpusculum in sepulcrum paratum decentiùs deberet transferri. Procuraverunt autem noctis silentio homines conductitios adhibere ad hoc negotium peragendum, extimantes corpus putridum, & penitus tabefactum odorem intolerabilem exhalare. Aperientes itaque loculum, quo pia membra tenebantur inclusa, & nulla putredinis, & corruptionis videntes vestigia, præter quamdam albedinem ad modum lanuginis circa palpebras oculorum, admirationem maximam habuerunt, & cunctos de domo ad hoc miraculum convocantes, unanimiter Deum laudaverunt, qui in Sanctis suis est mirabiliter gloriosus. Post hæc in sepulcro condigno parato Beati Viri corpus reverendissimè condiderunt.

De Tridentinis, qui rebellaverunt contra Ecelinum.

EOdem anno circa principium Aprilis, Tridentini gravissimum jugum tyrannidis Ecelini à suis cervicibus excusserunt. Ad quos opprimendos validum exercitum per Vallem Suganam festinanter direxit, qui multa castra, & villas

(1) *MS. Ambr.* X. exeunte Madio.
(2) *MS. Ambr.* Decembris.
(3) *MS. Ambr.* esset in mortis periculo constitutus, jamque &c.

(*) *Lege* Asilum, *quod est Oppidum Tarvisini agri.* Osius.
(**) *Al.* Laureolæ. *Osius.*
(4) *MS. Ambr.* arctum.

villas eorum tam incendiis, quàm rapinis crudeliter devastavit. Eodem tempore Ecelinum de Egna, filium sororis suæ, conjecit in vinculis, & Ciramontem suum fratrem variis tormentis, & fame peremit. Qui ergo fratri, & nepotibus non pepercit, non erat mirum, si super extraneis nulla misericordia movebatur (5).

De commotione Brixiæ.

ANno Domini MCCLVI. In mense Martio, instigante venenatissimo (6) colubro Ecelino, Brixia est civili discordia perturbata. Pars Ecclesiæ succubuit: pars verò Ecelini obtinuit dominatum. Tamen in hoc victores fuerunt astuti, quòd Tyrannum crudelissimum Civitatem ingredi minimè permiserunt, ad regimen Brixiæ Gufolinum (7) suum civem, patriæ amatorem protinus eligentes. Ecelino verò jam cum exercitu Montem-Clarum ingresso, persuaserunt redire Veronam, verbis, & promissionibus ejus ferocitatem animi, ad internecionem (*) super parati, sagaciter mitigantes.

Eodem anno Ecelinus, cui proprium erat numquam parcere, nec etiam misereri, Bontraversum suum socerum cum filiis suis cepit, & in carcere gravissimo famis cruciatu peremit. Si causa quæritur captionis? breviter respondemus: quia omnibus, quos volebat Tyrannus occidere, titulum proditionis generaliter opponebat.

Qualiter Legationis officium commissum est Venerabili Viro Philippo Archiepiscopo Ravennati.

CIrca hæc tempora, cùm inæstimabili crudelitate nequissimi Ecelini (ut hyperbolicè loquar) admiraretur Cœlum, turbaretur Terra, horreret Infernus, commoverentur Reges, & Principes nationum: Alexander Papa precibus Marchionis Estensis, & aliorum Magnatum Marchiæ inclinatus, qui contra tam efficacissimum inimicum auxilium Ecclesiæ implorabant, de consilio Cardinalium officium legationis Lombardiæ, & Marchiæ, nec non Romaniolæ commisit Viro magnifico, & prudenti, Domino scilicet Philippo Ravennati (8): injungens ei specialiter in mandatis, ut ad reprimendam contumaciam perfidi Ecelini, qui à bonæ memoriæ Papa Innocentio tamquam hæreticus fuerat condemnatus, deberet modis omnibus laborare. At Archiepiscopus contra hostem Ecclesiæ, invictum pariter, & astutum, onus legationis suscipiens, de clementia divina confisus, instanter cœpit cum amicis Ecclesiæ pertractare, qualiter insuperabilis tyrannidis Ecelini posset impetum cohibere. Sed multis hinc inde propositis in colloquiis Civitatum, in fine omnibus ferè impossibile videbatur, quòd aliquis posset Tyranno ita potenti, astuto, & ditissimo resistere, nisi divina gratia suffragante. Archiepiscopus itaque sciens, nihil esse impossibile apud Deum, ad misericordiam Dei dirigens oculos intellectus, constanter cœpit per se, & per alios Crucem

A Domini prædicare, admonens omnes orationibus, & gemitibus Domini clementiam exorare, ut ipse non diutiùs sustineret, quòd Ecclesiæ suæ perfidus hæreticus insultaret. Tunc multi, quorum corda gratia divina perfuderat, signum vivificæ Crucis devotissimè susceperunt, & ad deprehensionem Tyranni animos attollentes, divinum auxilium orationibus, obsecrationibus, & gemitibus inenarrabilibus quotidie postulabant.

Qualiter Ecelinus contra Mantuanos exercitum præparavit.

B INterea, dum hæc agerentur ex parte Legati humiliter & devotè, ex opposito superbissimus Ecelinus in arma furens, ad delendum Mantuanos cœpit cum summa instantia exercitum præparare. Præsentabantur equi, mensurabantur (9) clypei, loricæ, & galeæ producebantur. Tantus fuit numerus militum: pedites, & balistarii solicitè in campo Martio requisiti. Sagittæ, lanceæ, & gladii acuebantur: sunt etiam vexilla victricia renovata: clamorque maximus fiebat quotidie dicentium populorum: *Mantuam, Mantuam properemus: quia sola Mantua impedit Dominum nostrum totius habere dominium Lombardiæ.*

C *De Astrologis Ecelini, & de vastatione Mantuanorum.*

COnvocavit insuper ad se cœlestium corporum solicitus explorator Astrologos, & Divinos: præcipiens eis supputare menses, sidera contemplari, & signa Cœli consideratione acutissima perscrutari: ut indubitanter scire posset, quando erit tempus ad movendum exercitum opportunum. Tunc illi tam metuendi Principis imperiis obsequentes, diligenter investigaverunt Solis, Lunæque cursum, Planetarum motum, & signorum effectus: & artis peritia illustrati, diem, & horam, & punctum evidentissimè invenerunt, in quibus invictissimus Princeps de felici processu securus,
D adversùs Mantuanos iter arriperet (**) in instanti. At ille dictis eorum incumbens, in hora præfixa movit exercitum cum magnifico apparatu. In cujus auxilium vênit Ubertus Palavicinus, vir callidus, & astutus, cum Cremonensibus, Placentinis, & aliis Ecclesiæ inimicis. Et insimul congregati, quasi Leones rugientes ad prædam, districtum Mantuæ intraverunt, & omnia, quæ erant in agris succidendo, evellendo, & comburendo, usque ad lacus marginem, penitus destruxerunt. In istis angustiis Mantuanorum solus Marchio Estensis cum Ferrariensibus, & Bononiensibus in eorum auxilium est profectus.

E *Qualiter Legatus introivit in Marchiam per paludes, & de Padua gloriosissimè triumphavit.*

DUm igitur Ecelinus circa Mantuanorum destructionem insisteret vehementer, Legatus septiformis Spiritus gratia illustratus, sub pœna excommunicationis omnes Marchianos, qui

(5) *MS. Ambr.* nulla misericordia habita est ab eo.
(6) *MS. Ambr.* venenatissimo & rapacissimo Ecelino &c.
(7) *MS. Ambr.* Grifolinum.
(*) *Forte* semper. *Ojius. sic legit MS. Ambr.*

(8) *MS. Ambr.* Archiepiscopo Ravennati.
(9) *MS. Ambr. loco verbi* mensurabantur, *habet* ministrabantur.
(**) *Al.* Incunctanter. *Osius. quam lectionem sequitur MS. Ambr.*

Digitized by Google

qui effugerant dominium Ecelini, tam de Verona, quàm de Padua, Vicentia, & Tarvisio, omnesque Cruce-signatos insimul congregavit. Cui Venetorum reverenda Communitas balistariorum, & peditum, navium, & victualium contulit auxilium opportunum. Ferraria etiam in subsidium Legati quingentos pedites destinavit. Omnibus itaque apud turrim Baybæ congregatis, Legatus in nomine Domini nostri Jesu Christi, salubri & dulci allocutione eos confortans, intravit navem, & omnes idem facientes prospero cursu usque ad Corrigiolam pervenerunt. Quorum adventum (10) ut audivit Ansedisius Potestas Paduæ, statim præcepit omnes meatus claudi aquarum, ut deficiente aqua in alveo fluminis, naves eorum in sicco penitus remanerent. Et confestim cum militia, & populo undique collecto Plebem Sacci intravit, ibique disposuit inimicorum impetum cohibere. At illi Castro Conchadalbari expugnato, & combusto Burgo Capitis sylvæ, & etiam Bubulentæ, villas, & burgos circumstantes cœperunt plurimùm perturbare: omnesque illorum fortitudinem metuebant. Tunc Ansedisius admirans illorum audaciam, suorumque socordiam, dimissa Plebe Sacci, Paduam est reversus, intendens tantùm Civitatem solicitè custodire.

Legatus itaque, utpote vir in multis expertus, videns Potestatem præ timore nimio Terram opulentam, scilicet Plebem Sacci, vilissimè reliquisse: non fuit contentus tantùm Plebem strenuè occupasse; sed habito concilio sapientum disposuit usque Paduam cum exercitu properare. Summo igitur diluculo, die Lunæ duodecimo exeuntis Januarii (11), clangore tubarum exercitu excitato, armisque viriliter ab omnibus apprehensis, Legatus ante se deferre fecit almæ Crucis vexillum, quod sequuti sunt omnes: Omnes animo confidenti de cœlo auxilium postulantes. Et iter felicissimum arripientes omni suppellectili, præter arma in manibus (12), derelicta, per viam pontis Sancti Nicolai, circa horam sextam, Paduam velocissimè pervenerunt. Cùm autem ad portam pontis Curvi venissent, custodes de Turri, & de aggeribus burgorum jacula jacientes, illos ingredi fortiter prohibebant. Tunc strenui bellatores, mortis periculum contemnentes (13), manibus, & pedibus per aggerem superiùs ascenderunt; & sic de burgis Civitatis, fugientibus adversariis, gloriosam victoriam sunt adepti.

Tunc Legatus divino spiritu inflammatus, aspirare cœpit ad expugnationem tam clarissimæ Civitatis, fecitque die illa, nocteque sequenti Gattum firmissimum præparari, ad supponendum ignem in porta pontis, quæ dicitur Altinatus. Et quum jam Legatus nova haberet, Ecelinum cum exercitu in præcedenti Dominica aliquantulum à Mantua separatum, & ad redeundum Veronam paratum, festinanter die Martis, circa horam nonam, fecit Gattum versùs portam impelli, & ignem ad comburendum ipsam citissimè ministrari. Quo facto, divino suffragante (14) spiritu, porta cum domo imminente à flamma velociter est accensa. Tunc cœpit resonare clangor populorum cohortantium se ad pugnam, clangorque tubarum; Balisterii quoque fortes, & frequentes dirigebant sagittas contra illos, qui de muro jacula demittebant. Interiores itaque combustione portæ non modicum sunt perterriti, exteriores verò audaciores effecti, scalas muris undique apponentes, circa horam vespertinam, super Civitatis muros viriliter ascenderunt. Tunc Ansedisius videns captam esse ab adversariis Civitatem, cum militia fugam arripiens, per portam Sancti Joannis egressus, concitè Vicentiam properavit. Victores autem paucos occidentes, & quasi neminem capientes, spoliare Civitatem toto conamine sunt aggressi. Tunc aperti sunt carceres tenebrosi: rupta sunt vincula, & catenæ: hinc egrediuntur turbæ hominum moribundæ, inde procedunt matronæ nobiles, trepidæque puellæ, squallore, macieque confectæ. Exeunt postremo nobiles pueri excœcati pariter, & castrati, quorum miserandus aspectus ad piarum lacrymarum effusionem oculos intuentium provocabat. Nullus itaque viribus hominum attribuat victoriam tam fortissimæ Civitatis; sed soli Deo, qui est in suis perfectis operibus gloriosus: cujus mediante virtute, famelici saturatos, inermes armatos viriliter devicerunt.

Præter hæc tantam gratiam contulit virtus divina Legato, ut infra quatuor dies non (15) solùm Castrum Ecelini, quod erat in angulo Civitatis; sed etiam omnia Castra, quæ erant in Paduano districtu, tam in plano, quàm in montibus constituta, ei custodes Ecelini protinus reddidere, præter Castrum Montisfilicis, Castrumque inexpugnabile Calaonis. Fama fuit igitur istius victoriæ per universam Italiam divulgata: Ecclesia ex hoc est virtute roborata: Sacerdotes de Legati constantia glorificabantur, omnesque ipsum prædicabant laude dignum, qui hostem invictissimum vicit, & insuperabilem superavit. Ipse namque divina virtute suffultus, stultam esse sapientiam Salinguerræ in facto Ferrariæ comprobavit. Nunc verò in expugnatione Paduæ, astrologiam, & sortilegia Ecelini esse vanissima, luce clarius demonstravit.

De summa crudelitate Ecelini, cùm audivit Paduam esse captam.

Interea, dum hæc Paduæ feliciter agerentur, superbissimus Ecelinus à Mantuæ vastatione revertens, fluenta Mintii cum exercitu pertransibat. Et ecce occurrit ei velox nuncius veniens à Verona, qui occultè cum timore maximo ei captam esse Paduam ab adversariis nuntiavit. Tunc ille inæstimabili dolore, ac furore commotus, jussit exercitum festinanter fluvium pertransire; cursusque (16) deinde usque Veronam sinè intermissione aliqua agitari: sicque de duabus diætis unam conficiens, omnibus admirantibus, & festinationis causam ignorantibus, velociter Veronam pervênit, ubi fit omnibus manifestum, Paduam ad manus inimicorum penitus devenisse. Auditis his rumoribus, Paduani cœperunt inconsolabiliter lamentari: tum pro uxoribus, & filiis, & filiabus,

(10) *MS. Ambr.* quorum adventum timuerunt Paduani. Ansedisius &c.
(11) *MS. Ambr.* Junii.
(12) *MS. Ambr.* in navibus derelicta.
(13) *MS. Ambr.* contemnentes descendunt in aquam fluminis, & repetentes in navibus, pedibus per aggerem superiùs &c.
(14) *MS. Ambr.* sufflante.
(15) *MS. Ambr.* non remanserit unum solum &c.
(16) *MS. Ambr.* cursusque.

Digitized by Google

bus, & substantiis, de quorum statu in discrimine tanto erant incerti: tum quia videbant, se in manibus Tyranni crudelissimi constitutos. Tunc insatiabilis homicida, & draco venenosus addens afflictionem afflictis, (17) praeter aliquos sceleratos, praecepit capi omnes penitus Paduanos, quorum numerus ad duodecim millia hominum pertingebat, ipsosque compedibus alligatos includi fecit in carceribus tenebrosis: quos omnes fame, & aliis suppliciis miserabiliter interfecit. Iterum praecepit, quòd si aliquis Paduanus in fuga fuisset deprehensus, continuò manibus, & pedibus privaretur. Multi itaque tali poena puniti jacebant in agris, & viis prostrati. Ad quorum horrendos rugitus, validosque clamores nullus propter timorem Tyranni commotus misericordia flectebatur. Tunc etiam Ansedisium sororis suae filium, gravissimis catenis compedibus alligavit, imponens, (18) quia non bene Paduam custodivit. Sed crudelis, & impie Tiranne, cur Deo non attribuis Paduae captionem, contra quem nulla potest sapientia, & scientia praevalere? Non enim in multitudine bellatorum, & fatali constellatione, in quibus confidis, obtinetur victoria proeliorum; sed divinae voluntatis arbitrio omnia disponuntur. Saltem ad hoc credendum firmiter, ò pessime hominum, te inducat, quòd per populum contemtibilem, & egenum, quem pro nihilo reputabas, divino judicio subitò Paduam munitissimam amisisti, quod per anni spatium posse fieri minimè credidisses. Si tota consurrexisset contra te militia Gallicana, tu credebas inimicos ab ingressu Marchiae prohibere, fluvios desiccando: sed Dominus (19) in caput tuum convertit, eos siccis pedibus ad Paduana moenia perducendo. Desine itaque minister Satanae desine adversùs Mundi Opificem insanire, sciens, quòd durum est contra Omnipotentis stimulum calcitrare.

Post mensem autem à captione Paduae, cùm Civitas aquarum beneficio plurimùm indigeret, quia in districtu Vicentino Tyrannus fecerat claustra, ne versùs Paduam (20) emanarent, Legatus ad destruendum praedicta obstacula cum exercitu properavit. Quod quum audisset Potestas Vicentiae, occurrit eis audaciter cum militia Vicentina. Et inito certamine, Potestas, & multi cum eo Nobiles viri in proelio ceciderunt, omnesque alii turpiter sunt fugati; fractisque claustris aquarum, Legatus cum exercitu Paduam est reversus.

De seditione exercitus Legati.

POst haec circa introitum Augusti, Legatus cum magno exercitu versùs Vicentiam equitavit, pervenitque ad Burgum Custodiae, ubi est antrum mirabile ad videndum: ibique sunt exortae inter Principes contentiones, & quaestiones diversae (21). Principia fuerunt ista, quòd Bononienses, de quibus erat in exercitu tam militum, quàm peditum maxima multitudo, versi in seditionem dixerunt, se nolle ultra procedere: immo volebant ad propria remeare. Videns autem Legatus in exercitu esse dissensiones multimodas animorum, quas non poterat mitigare, Paduam protinus est reversus. Bononienses autem, qui cum magno fervore venerant in Marchiam ad Legatum, inventis frivolis occasionibus ignominiosè ad patriam redierunt.

Qualiter Ecelinus venit cum exercitu circa Paduam.

HIs cognitis Ecelinus audacior effectus, rursus in arma furens, ad recuperandam Paduam vesana mente aspirans, prece, & precio de totius Lombardiae finibus, ubi fautores habebat, militibus, peditibus, & balistariis congregatis, cum ingenti multitudine bellatorum contra Paduam est profectus. Cujus terribilem adventum Legatus, & Marchio cognoscentes, & ad pugnandum campestri proelio cum Tyranno impares viribus se videntes, fossatum circa burgos Paduae, à parte occidentali cum summa festinatione fieri praeceperunt, ad furentis Ecelini impetum cohibendum. Et concitè Venetias, Ferrariam, & Mantuam nuntios dirigentes, collegerunt in unum militum, & peditum non modicam quantitatem. Patriarcha autem Aquilejensis cum decenti societate in eorum venire auxilium festinavit. Castrametatus est autem Ecelinus cum valido exercitu juxta fossatum, direxitque frequenter suas acies copiosas ante moenia Civitatis, ut intrinsecos ad proelia provocaret. Sed ipsi cautè dimiserunt eum ad suum libitum insanire. Nam circa quinque millia hominum in suo exercitu dicitur habuisse; Legatus verò, & Marchio cum Praelatis, & Sacerdotibus, & Levitis numquam ad duo millia pervenerunt. Legatus autem vir constantissimus, ut ad Civitatis defensionem cives pavidos animaret, in Monasterio Sancti Benedicti, juxta fossatum, die noctuque suam constituit mansionem, aliis Principibus inter muros Paduae residentibus prae timore. Videns tamdem Tyrannus furibundus, se contra Civitatem non posse in aliquo praevalere, nec ad Montemsilicem sibi patere accessum, ubi Castrum fortissimum à suis custodibus tenebatur, Veronam, frustratus suo desiderio, est reversus: nec ausus est ultra fines Paduae cum exercitu introire: immo Paduani frequenter loca ei subdita viriliter impugnabant (22).

Tunc temporis, tertio die, intrante Augusto, Dominus Joannes Episcopus Paduanus, veniens à Romana Curia, ubi pastoralem promeruit dignitatem, à Clero, & Populo Paduano honorabiliter est susceptus, & à porta Prati usque ad majorem Ecclesiam processionaliter est deductus.

De reconciliatione Brixiae.

ANno Domini MCCLVII. Exhortatione pariter & praecepto Legati Sedis Apostolicae, Frater Henverardus de Ordine Praedicatorum, vir Venerabilis, & tam in Theologia, quàm Physica scientia plurimùm eruditus, Grifolinum Brixiae Potestatem, & alios Optimates ita dulci, & facunda eloquentia mitiga-

(17) *MS. Ambr.* afflictis, aliquos sceleratos praecepit capere penitus &c.
(18) *MS. Ambr. addit* ei.
(19) *MS. Ambr. addit* malitiam tuam.
(20) *MS. Ambr. addit* fluvius emanaret.
(21) *MS. Ambr.* sed praecipua fuit ista, quòd &c.
(22) *MS. Ambr. addit* Eodem anno primo die Augusti Dominus Jacobus in Sede Abbatiae Sanctae Justinae collocatus est ab Episcopo Adriensi: tertia verò die, intrante &c.

tigavit, quòd illi, qui de parte Ecclesiæ in prædicta Civitate fuerant vinculati, à vinculis absoluti, & suis sunt possessionibus restituti. Quo facto, Legatus exponens se magno periculo, propter insidias malignorum, latenter de Mantua cum paucis Brixiam est profectus, & ibidem aliquot diebus residens, ita suo dulci colloquio Brixiensium animos reconciliavit, quòd ipsi firmiter promisere, se more solito in devotione Ecclesiæ permansuros. Quod audientes Ecelinus, & Palavicinus Ecclesiæ inimici, frustrati spe sua, sunt non modicum conturbati.

Eodem anno Papienses primò, & Placentini secundò jugum Uberti Palavicini à suis cervicibus viriliter excusserunt. Nam, sicut Ecelinus in Marchia, ita ille super partem Federici in Civitatibus Lombardiæ tyrannidem exercebat.

Per idem tempus Castrum Montis-Silicis, & Castrum altissimum Calaonis reddita sunt Marchioni à custodibus Ecelini. Et sic ejus potentia de Paduano districtu est penitus exstirpata.

Sub præcedenti annorum curriculo, Albricus de Romano, qui per multos annos inexorabilem discordiam habuerat cum fratre suo Ecelino, Dei & hominum inimico, inventis quibusdam occasionibus ab Ecclesiæ devotione recedens, confœderatus est cum eodem. Civitatem autem Tarvisium in suam retinuit potestatem.

De discordia in electione Imperatoris.

CUm prædicta tam in Lombardia, quàm in Marchia gererentur, interfecto à Frisionibus in bello Rege Alemanniæ Gulielmo; convenerunt Principes ad electionem more solito faciendam. Cùm igitur tractarent de Principe idoneo eligendo, humani generis inimicus seminavit zizaniam inter eos. Nam quidam Comitem Rizardum, Fratrem Regis Angliæ, Regem Alemanniæ elegerunt: alii verò sua vota in Regem Castellæ penitus transtulerunt. Comes autem Rizardus ascendit in Alemanniam festinanter, & de assensu quorumdam Principum capiti suo Regni Alemanniæ diadema imponi curavit. Uterque verò electus suos Legatos ad Romanam Curiam destinavit, pro (23) consumatione à Summo Pontifice impetranda; sed Dominus Papa nolens in partem aliquam declinare, ne fortè pax Ecclesiæ turbaretur, de consilio Cardinalium, sub specie deliberandi, distulit super quæstione tantorum Principum definitivam sententiam promulgare.

Qualiter pars Ecclesiæ suos adversarios in Brixia superavit.

ANno Domini MCCLVIII. cùm multi clarissimi viri de Brixia exaltationem Sanctæ Matris Ecclesiæ affectantes, tyrannidem adversæ partis patienter per biennium tolerassent; tamdem sicuti viri strenui, & elati, se se periculo exponere potiùs elegerunt, quàm vehementissime (24) continuè cruciari. Timebant enim quotidie, ne à suis adversariis in manus perfidi Ecelini Brixia traderetur. Tunc latenter ad Legatum, & Marchionem, qui tunc erant Paduæ, pro exercitu ordinando contra pestiferum Ecelinum nuntios direxerunt: ipsos attentiùs exorantes, ut parati essent eis præstare subsidium in die præfixo, in quo suos disposuerat invadere inimicos. At illi eorum precibus libentissimè annuentes, in tempore assignato magnificè in eorum auxilio perrexerunt. Prædicti verò Fideles Ecclesiæ, ut potentes (25) viri, providi, & experti, timentes plurimùm, ne pars adversa eorum deprimeret audaciam per aliquam conjecturam, & habita occasione pessimum Ecelinum, & Palavicinum in suum auxilium convocaret: duobus diebus ante terminum constitutum, secundo scilicet die, exeunte Aprili, circa Solis occasum, arma subitò rapientes, more Leonum audaces, inimicos viriliter invaserunt, eosque per totam noctem fortiter expugnantes, ante horam tertiam diei sequentis, plenissimam de ipsis victoriam sunt adepti, & ferè omnes autores scelerum, Grifolinum etiam Potestatem Brixiæ capientes, omnes in vinculis conjecerunt. Comes itaque Sancti Bonifacii, egregiæ indolis adolescens, paternæ probitatis impiger imitator, audiens Brixienses esse sub armis, cum parte militiæ Mantuanæ in amicorum auxilio continuò est profectus. Post verò tres dies Legatus, & Marchio in manu valida Brixiam intraverunt, & ibidem tamdiu steterunt, donec omnia fuere disposita secundùm beneplacitum amicorum.

Hæc itaque audientes Ecelinus, & Palavicinus pariter tremuerunt. Expalluit eorum facies, & abiit intellectus, omnesque eorum fautores per totam Lombardiam capita in terram præ tristitia dejecerunt. Tota enim spes illorum, & desiderium erat Brixiam obtinere, quia per ipsam vires resumere, & inimicos deprimere, totiusque assequi sperabant dominium Lombardiæ. Dominus autem, secundùm Propheticum sermonem, signa faciens irrita Divinorum (26), & vertens Ariolos in furorem, Idolatriam Ecelini, & Palavicini, qui planetas, & signa cœli pro numine venerabantur, suæ potentiæ brachio prostravit pariter, & confudit. Non enim Omnipotens planetis (27) contulit deitatem, nec eorum motibus suam potentiam alligavit; sed in se retinuit plenitudinem potestatis. Reputandi ergo sunt fatui, & insani, qui totam spem suam in constellationibus posuerunt, & Creatorem omnium contra se non timent quotidie suis sceleribus provocare. Dominus igitur sit nobis adjutor, & non timebimus quid nobis faciant Mars, Jupiter, & Saturnus.

De commotione Cremæ.

(MS. Ambr.)
Crema se tradit Cremonensibus.

FActis itaque Brixiæ prosperè ordinatis, Legatus perrexit Mediolanum, ut sedaret Mediolanensium discordias cavillosas. Cùm igitur circa hoc plurimùm laboraret, magnum in-

(23) *MS. Ambr.* pro confirmatione.
(24) *MS. Ambr.* vehementissimo timore continuè &c. *cui cohæret etiam Codex Patavinus ab Osio citatus.*
(25) *MS. Ambr.* fideles Ecclesiæ utpote viri providi &c.
(26) *MS. Ambr.* Divinatorum.
(27) *MS. Ambr.* planetis cunctipotentiam contulit deitatis &c.

Digitized by Google

infortunium accidit Mediolanensibus, eorum exigentibus dissensionibus, & peccatis. Nam cùm per multorum annorum circumvolutiones Cremæ dominium habuissent, & propter hoc inter ipsos, & Cremonenses inexorabilis discordia exstitisset, ex qua multa millia hominum ex utraque parte, in diversis bellorum congressionibus perierunt: his tamen temporibus Crema taliter (28) est ad manus Cremonensium devoluta. Quidam namque potentes de Cremonensibus, (29) contra quosdam suos adversarios ex eodem Oppido zelo malitiæ concitati, Cremonenses, & Palavicinum in suum auxilium vocaverunt, & expulsa parte adversa, se simul cum patria Cremonensium dominio subdiderunt.

Qualiter Paduani Theutonicorum militiam superaverunt.

EOdem tempore, tertio scilicet die, Julio exeunte, Marchio,& militia Paduana (30) in Campestribus Baxiani, militiam Theutonicorum, soldum recipientium à perfido Ecelino, viriliter prostraverunt, magnamque prædam de ipsorum spoliis habuerunt. In istorum quippe impetuosa virtute Tyrannus maximè confidebat, quorum fretus auxilio & tutela, nefanda & inaudita scelera toto dominii sui tempore audacissimè perpetravit. Et quid mali non operatur auri fames penitus execranda? Isti enim probatissimi Theutonici, animarum suarum, & corporum stolidissimi venditores, ita erant Ecelini pecunia excœcati, quòd nec sententia excommunicationis (31) nec terrore non parcentium gladiorum avelli ab Ecelini horribili obsequio potuerunt. Unde à victoribus velut oves occisionis sunt meritò reputati.

Qualiter Januenses sunt à Venetis superati.

HIs temporibus cùm Januenses Venetorum animos graviter offendissent in Civitate Aconitana, quæ antiquitus Ptolemaida dicebatur, ubi communiter negotiatores dictarum Urbium habitabant: Veneti ulcisci suas injurias cupientes, & pro nihilo maris pericula, & expensarum magnitudinem reputantes, dummodo valerent se de adversariis vindicare, classem in manu valida in Syriam direxere: & tam navali prœlio, quàm campestri Januenses viriliter expugnantes, captis multis navibus eorum bellicis, & reliquis in fugam conversis, eversa simul turre munitissima, & in vastitate hostili cunctis eorum domibus desolatis, ipsos de civitate Aconitana penitus expulerunt.

Qualiter Ecelinus habuit Brixiam, & de captione Legati.

PRopter innumerabilium inundationem malorum, absorbentium intellectum, horret animus temporum nostrorum calamitates, & ruinas persequi seriatim. Viginti enim anni sunt, vel circa, quòd occasione Sedis Apostolicæ, ac Imperialis, (32) sanguis Italicus effunditur velut aqua, & contra Romanam Ecclesiam Tyrannorum perfidia debacchatur. Et nunc, cùm putabamus perniciosorum hominum potentiam aliquantulum diminutam, rursum prosperitate inopinabili confortati ad sidera extolluntur. Denique cùm Legatus cum exercitu Brixiensium, & militia Mantuana, Palavicino, & Cremonensibus occurrisset, qui suggestione perfidi Ecelini duo Castra Brixiæ invaserant, juxta flumen Olei constituta: tunc Ecelinus, qui usque in senectam & senium à malitia non cessavit, undique militiâ congregatâ, subitò de oppido Piscariæ, in noctis crepusculo, iter arripuit; in summo diluculo, die Veneris secundo, exeunte Augusto, transiens Oleum, exercitui Cremonensium se adjunxit.

Audiens autem Legatus vires hostium augmentatas, sed incrementi nesciens quantitatem, habito concilio sapientum, voluit in Castrum Gambaræ cum exercitu introire, & sic in tuto loco amicorum auxilium expectare. Sed vicit hoc salubre consilium temeritas multitudinis, obstinatè dicentis, potiùs esse dimicandum cum hostibus, quàm ad latibula divertendum. Ignorabant enim tam Legatus, quàm alii, (*) ut malè custodientes vias, per quas transire poterant inimici, Ecelinum cum universa militia Marchiana, in nocte præcedente personaliter advenisse. Dum igitur diversi diversa sentirent (nam fortissimos quoque milites subita bella conturbant) Ecelinus, & Palavicinus flumen Olei velociter transeuntes, contra fideles Ecclesiæ acies continuò direxerunt. Et tunc incœperunt acies Ecelini priùs absconditæ dilatari, & ejus vexilla mortifera recognosci. Cernentes igitur persequutores Ecclesiæ Legatum, & Brixienses comparatione sui habere militum paucitatem, sinè dilatione ipsorum exercitum terribiliter invaserunt. Tunc Brixienses inopinabilem inimicorum multitudinem intuentes, perterriti vehementer, in fugam protinus sunt conversi, captaque est ex eorum populo maxima multitudo, & (quod non sinè dolore dicimus vehementi) captus est Legatus, & cum eo Episcopus Veronensis, nec non Potestas Mantuæ, ac multi alii probi viri. Brixienses autem qui remanserant ad custodiam civitatis, & qui de castris ad urbem confugerant, timore subitaneo excœcati, sinè ictu gladii & sagittæ, sævissimo omnium Tyrannorum, Ecelino scilicet, & Palavicino Brixiam protinus tradiderunt. Multi verò Nobiles, & etiam populares, & Episcopus cum Clero civitate relicta fugerunt à facie inimici, salvare personas in tanto discrimine solummodo cupientes.

Porrò de tam subita Brixiæ amissione, & de captione Legati, viri constantissimi, & Fidei fervore accensi, qui assiduè pro Ecclesiæ libertate contra Tyrannorum rabiem, ab adolescentia usque ad senectutem exponendo se diversis periculis, laboravit, nonnulli plurimùm conturbati, cœperunt & conqueri vehementer, & mirari, quia divina providentia tanto tempore permittit Ecclesiam sic affligi, & impios validè prosperari. Sed absque dubio istas querelas parvitas fidei introducit. Cùm enim sciamus, Sanctissimum Josiam (33) à sagittariis Pharaonis, Petrum, Paulumque Ne-

(28) *MS. Ambr.* totaliter.
(29) *corrige ex MS. Ambr.* de Cremonensibus.
(30) *MS. Ambr.* militia Paduana & Brixiani militiam &c.
(31) *MS. Ambr.* quod nec excommunicationibus, nec promissionibus avelli &c.
(32) *MS. Ambr.* quod Ecclesiæ Apostolicæ, ac Imperialis Majestatis discordia, sanguis &c.
(*) *In alio*, utpote malè. *Osius*.
(33) *MS. Ambr. addit* occisum.

Digitized by Google

Neronis imperio interemtos, & (ut de hominibus taceamus) cùm Dei Filium cognoscamus Crucis ignominiam pertulisse, parvæ fidei à nobis sunt meritò existimandi, qui felices putant Tyrannos, & urbium subversores, quia prosperitate istius seculi, & delitiis perfruuntur: cùm continuus successus temporalium, æternæ damnationis esse indicium comprobetur. Sed & in præsenti legimus, maximos Tyrannorum miserabilem exitum habuisse. Nam Cyrus, post dominium Orientis, à Regina Scytharum legitur decollatus: veneno Babylonico Magnus periit Alexander, & Cæsar Senatorum gladiis est confossus. Et nunc non est manus Domini abbreviata, ut salvare nequeat servos suos: sed peccatis hominum exigentibus permittit aliquando ipsos (34) insanire, & Ecclesiam suam in tribulationum turbine fluctuare. Dimissis itaque dubitationibus de regimine Creatoris, jactemus nostrum in Domino cogitatum, qui post tempestatem tranquillum facit (*mare*), & post lacrymationem & fletum exultationem infundit.

Qualiter inter Cremonenses, & Ecelinum exorta est discordia.

ANno Domini MCCLIX. Postquam Brixia miserabiliter ab hostibus est subacta, Ecelinus impatiens consortis, nullum volens habere parem, Marchionem Palavicinum, & Cremonenses, quos habuerat socios, & in belli discrimine, & in tam excellenti victoria, à dominio captæ urbis paulatim exclusit; & sic ipse solus Brixiam, & ejus districtum obtinuit, præter castrum Urceorum, quod fideles Ecclesiæ viriliter defendebant. Tamdem Cremonenses multis injuriis ab eo sæpiùs stimulati, se cernentes delusos, & nullam utilitatem, ut sperabant, de tanta victoria consequutos, contra tyrannidem nequissimi Principis (35) sunt commoti: & persuadente Boxone de Doaria, Cive Cremonense nobili, & potenti, qui exosam habebat malitiam Ecelini, Marchio Palavicinus, & Cremonenses vehemens odium, quod quotidie conceperant contra hominem sceleratum, verbis, & factis evidentissimè ostendere incœperunt. Statimque deliberato consilio ad Marchionem Estensem, & Mantuanos Nuntios dirigentes, pacem, & societatem inter se firmissimam statuerunt, quòd unanimiter contra Tyrannum crudelissimum dimicarent, sibi invicem ardenti animo promittentes. Mediante autem insuper industria Boxonis de Doaria, qui vigilanti studio cogitabat, qualiter posset leonem indomitum & ferocissimum edomare, antiquissima illa, & inexorabilis discordia Mediolanensium, & Cremonensium est sedata: factaque fuit cum summo gaudio utriusque civitatis pax firmissima inter eos. Sciens namque prudentissimus Boxo, minimè tutum esse vicino serpente (36) domari, modis omnibus procurabat omnem viam, contrahendi amicitiam, & augmentandi vires * præcludere Ecelino. Sicque factum est Domino cooperante, qui novit investigabili modo electos (37) deprimere, & de luto fæcis erigere de salute propria desperantes, quòd pars maxima Lombardiæ corde voluntario adversùs inimicum Dei, & hominum conjuravit. Et meritò hoc à Domino est provisum, ut essent manus omnium contra eum, cujus manus impiæ genus hominum afflixerunt. Ipse namque turbavit terram, concussit regna, interfecit populos, & civitates plurimas desolavit. Nam quasi hortus voluptatis erat Marchia Tarvisina, priusquam ejus tyrannidi subderetur; sed postquam fuit ab eo afflicta, comparatione prioris status, videtur esse quasi eremi solitudo. Testantur hoc ruinæ civitatum, villarum pariter, & castrorum. Nec ei sufficere videbatur regionem sibi subditam dissipare; sed Legatos mittebat ad exteras nationes, ut contra Romanam Ecclesiam, & ejus fideles, Reges Orbis, & Principes concitaret. Nuntii namque ejus soliciti & veloces per diversas Provincias discurrebant: nunc ibant ad Curiam maximi Federici: nunc ad Principes Alemanniæ, ad seditionem, & discordiam excitandos: nunc ad Regem Ungariæ, pro amicitia obtinenda: nec non ad fortissimum Regem Castellæ pergebant, cui Regnum Italicum seminator discordiæ promittebat, ut, si fieri posset, totum Mundum adversùs Ecclesiam provocaret. Cor siquidem impiissimi Ecelini erat continuè quasi mare fervens, quod quiescere numquam potest. Nihil enim malè putabat esse actum, cùm aliquid superesset agendum. Unde modis omnibus assiduè cogitabat, cum instantia vehementi addere malum malo, & iniquitatem super iniquitatem apponere, quasi timens, ne tempus sibi deficeret, ad suas machinationes, & dolositates inopinabiles opere adimplendas. His ita breviter exactis (38), ad describendum tyrannidis exitum accedamus.

Qualiter captus fuit perfidus Ecelinus.

ANno Domini itaque revoluto (39), postquam Brixiam obtinuerat Ecelinus, circa principium Septembris, ipse congregavit exercitum copiosum, processitque de Brixia in manu valida, & castrametatus est in campestribus Urceorum, & omnia, quæ circa prædictum castrum in agris fuerant, devastavit. Quo audito, Cremonenses amicis undique convocatis, exiverunt (40) unanimiter contra eum, & juxta Suncinum castrum suum temptoria posuerunt. In quorum auxilio Mantuani, & Ferrarienses cum Marchione Estensi magnificè sunt profecti. Mediolanenses etiam contra lupum rapacissimum venire communiter promiserunt. Cùm ergo essent insimul congregati, cœperunt præparare se ad pontes super flumen Olei fabricandos, ut possent, venientibus Mediolanensibus, transire ad Tyrannum perfidum invadendum. Interea, dum hoc facere molirentur, Ecelinus, cui mille artes inerant, milleque modi nocendi, suis machinationibus, & persuasionibus fraudolentis quosdam Magnates Mediolani corruperat, suùm populum odientes, qui firmiter promiserunt ei suam tradere civitatem, & pro hujus rei securitate proprios etiam filios ipsi obsides tradiderunt. Quorum promissionibus incumbens Tyrannus, cupidus dominandi, cor suum in superbiam elevavit, quod erat ruinæ præsagium im-

(34) *MS. Ambr. non legit* ipsos *sed* impios.
(35) *MS. Ambr. addit* vehementissimè.
(36) *MS. Ambr.* cum vicino serpente dormire, modis &c.
(37) *MS. Ambr. Ossi interpretationi concors legit* elatos.
(38) *MS. Ambr.* exaratis.
(39) *MS. Ambr.* Anno Domini MCCLX.
(40) *MS. Ambr. addit* undique.

Digitized by Google

imminentis. Et de nocte consurgens de campestribus Urceorum jussit populum redire Brixiam festinanter. Ipse verò cum octo millibus hominum equestrium, in quibus erant tria millia electorum militum, velociter quasi Aquilæ volantes ad escam, per pontem Pallazoli flumen Olei pertransivit: veniensque ad Aduam fluvium, ipsum similiter incessu principali (41) transvadavit. Ibique occurrunt (42) patriæ proditores: quibus assumtis versùs Mediolanum ire cum summo gaudio minister Diaboli festinabat, à quo, peccatis exigentibus, sicut bos ad victimam ducebatur. Ipso itaque Mediolanum pergente, econtra Martinus de Laturo, (*) vir sapiens, & astutus, totius populi Mediolanensis Capitaneus, & defensor, de Mediolano cum exercitu erat egressus, & in Cremonensium auxilium veniebat. Præcurrens igitur nuntius, quem Bergomenses quidam amici Ecclesiæ direxerunt, nuntiavit Martino tremendum adventum fortissimi Ecelini. Qui cùm audisset, quòd crudelissimus prædo ad obtinendum Mediolanum cum exercitu adveniret, obstupuit vehementer, revertensque velocissimè, versùs Mediolanum (Domino faciente, sinè quo frustra vigilant, qui custodiunt Civitatem) pervênit ante pessimum Ecelinum. De Martini verò strenuissimi Viri subitaneo adventu exterriti sunt patriæ proditores. Alii verò cives tanti Viri præsentia roborati, ad resistendum Tyranno se viriliter paraverunt. Et sic dissipatum est consilium malignorum.

Videns itaque perditionis filius suas insidias denudatas, & aliter sibi, quàm existimaverat, accidisse: ad invadendum nobilissimum Burgum Modoitiæ se convertit. Sed Burgenses armis assumtis ipsum intrare minimè permiserunt. Castrum etiam Tritii voluit occupare: sed & inde penitus est repulsus. Burgum tamen dicti loci obtinuit, ipsumque crudeliter concremavit. Tamdem necessitate compulsus Vicum-Mercati intravit, ibique sævissimus prædo terrarum, suam infelicem constituit mansionem.

Cognoscentes igitur Cremonenses, & Mantuani, & eorum socii notissimum volatum temerarii Ecelini, unanimiter moventes castra, usque ad flumen Aduam ejus vestigia sunt sequuti: figentesque tentoria juxta locum, per quem transivit insatiabilis homicida, fecerunt cum summa diligentia pontes, & vada fluminis custodiri, ne aliquo modo serpens tortuosus posset absque periculo ad propria remeare. Mediolanenses etiam, ex alia parte validum exercitum congregantes, (43) in prœlium procedere disponebant. Sed hoc eorum animos ad bellandum promtissimos retrahebat, quòd Capitaneos, & Vavassores de crimine proditionis suspectos habebant. Quorum impetum Ecelinus plurimùm expavescens, maximè cùm videret se à proditoribus quotidie derelinqui, à Burgo, in quo erat conclusus, non permittebat suos milites longiùs evagari. Sed nec ibidem diutiùs poterat residere, ne, omnino deficientibus victualibus, famis angustia exercitus premeretur.

His ita se habentibus, conturbati sunt Nobiles Brixiæ: robustos Veronæ obtinuit tremor: obriguerunt omnes milites Ecelini, tam animosi Theutonici, quàm Latini. Tunc etiam terrefactus est corde Draco venenosus, cernens se ab inimicis undique coarctatum: nimioque timore territus, non erat ausus cum Mediolanensibus dimicare, ipsorum multitudinem pertimescens: sed versus ad Aduam, unde venerat, deliberato consilio direxit subitò iter suum. Sperabat namque unum de duobus, licèt inimici starent ex adverso, aut viam sibi gladiis aperire, aut fortè per medias acies bellatorum fugæ remedium invenire. Cùm igitur ad pontem Aduæ pervenisset, invênit ipsum ab adversariis occupatum: & dum ad expugnandum pontem suos fortiter hortaretur, quidam sagittam dirigens in incertum, eum in pede graviter vulneravit. Qua percussione plurimùm est turbatus, tum quòd inveteratus erat dierum malorum; tum quòd in tanto periculo constitutus, præ dolore vulneris non poterat limpidè cogitare, quid esset expediens, quid nocivum. Impugnatione itaque pontis dimissa, tremebundus homicida, magis cogitans de fugæ præsidio, quàm de acie ordinanda, festinanter ad vadum (44) fluminis properavit, ipsumque velociter, nullo impediente exercitu, pertransivit.

Tunc Marchio Palavicinus, & Nobilis Boxo de Dovaria cum Cremonensibus, similiter Illustris Marchio Estensis cum Mantuanis, & Ferrariensibus ipsum viriliter invaserunt, ejusque aciem fortissimam irrumpentes, terribilem leonem cum magno impetu rapuerunt. Electi autem milites ejus, multitudini adversariorum resistere non valentes, in fugam protinus sunt conversi, & sic manus hostium evaserunt. Auctores verò fugæ Brixienses dicuntur principaliter exstitisse. Multi autem capti sunt de ipsius exercitu, pauci verò gladio perierunt. Tunc revera exultaverunt victores captâ prædâ, quando electorum armorum, & equorum, & prædosæ (45) supellectilis spolia dividebant. Supremum verò, & inæstimabile gaudium erat cunctis, quòd carnifex Diaboli erat captus, qui nec viris grandævis, nec mulieribus, & prægnantibus, nec infantibus & balbutientibus umquam voluit misereri.

Postquàm autem rumor insonuit per exercitum, quòd captus erat perfidus Ecelinus: à vocibus clamantium populorum, à strepitu concurrentium equorum, & clangore tubarum terra tremere videbatur. Omnes quippe certatim currebant ad Diaboli monstrum, & Satanæ spectaculum intuendum. Ista itaque victoria triumphalis, à cunctis populis recolenda est die Sabbato, quarto exeunte Septembri, in quo festum Cosmæ, & Damiani Martyrum celebratur, propè fluvium Aduam est patrata. Ibi perierunt arma bellica Ecelini: ibi bellorum sæva tempestas, jubente Domino, conquievit. Tunc Omnipotens aures suæ ineffabilis misericordiæ inclinavit, ut audiret gemitus compeditorum, & filios interemtorum ab ergastulis liberaret. Piè (46) siquidem istam memorialem, in qua verè cœlorum cataractæ apertæ, & viscera misericordiæ Dei nostri largiter affluxerunt, debet omnis Italia, immo universi, qui Christiana professione censentur, meritò celebrare, in qua Dominus ope-

(41) *MS. Ambr. pro* principali *legit* præcipiti.
(42) *MS. Ambr. addit* ei
(*) *lege* DellaTurre. *Ossius, & ita in MS. Ambr.*
(43) *MS. Ambr. addit* adversùs eum.
(44) *MS. Ambr. loco verbi* fluminis Cassani.
(45) *MS. Ambr.* pretiosè.
(46) *MS. Ambr.* diem siquidem istam &c.

operatus est salutem in medio Lombardiæ, caput malorum cum suis satellitibus mirabiliter prosternendo. Tunc verè percussit Dominus detestabilem Philistæum, & abstulit opprobrium grandissimum de populo Christiano. Et licèt David prohibuerit, ne Saulis, & Jonathæ occisio annuntiaretur in Geth, & in compitis Ascalonis: causam tamen rationabilem assignavit, ne scilicet Philistinorum filiæ lætarentur, & augeretur cultus abominabilis Idolorum. Stragem tamen exercitus Ecelini securè audiat omnis terra, & plenitudo ejus, Insulæ & habitatores earum, ut Divinæ Majestatis potentia ubique ore omnium prædicetur: cui victoria ista est totaliter adscribenda, non viribus hominum, aut effectibus Planetarum. Quare non salvaverunt de tanto periculo Ecelinum Augures cœli, castra ejus sequentes, qui contemplabantur sidera, & supputabant menses, ut ei ventura certissimè nuntiarent; sed revera parcendum est eis, quia tam gravissimo prœlio imminente, adæquare Planetas, accipere Astrolabium, & studere in tabulis Astronomiæ minimè potuerunt: vel fortè in tam gravi discrimine pugnæ plus in equorum velocitate, quàm in planetarum auxilio confidebant. Et ne aliquis ignarus istius negocii valeat dicere in futuro, magistrum scelerum de talibus non curasse, tota Marchia in testimonium deducatur, quæ vidit in ejus Curia plures Astronomos magnificè honoratos: Magistrum scilicet Salionem Canonicum Paduanum, & Riprandinum Veronensem, Guidonem de Bonato Astronomum Forlivensem, Paulum etiam Saracenum cum barba prolixa, qui de Baldach vênit, à remotis videlicet finibus Orientis: qui tam origine, quàm aspectu & actu esse alter Balaam ariolus meritò videbatur.

De morte perfidi Ecelini.

CUm Ecelinus (ut prædictum est) in manus hostium incidisset, & esset in prœlio graviter vulneratus, Suncinum à Cremonensibus est deductus: ibique post paucos dies, cùm ferè septuaginta esset annorum; nullamque prolem haberet, deficiens mortuus est in pessima senectute. Et hac animadversione adeò est dignè punitus, ut in morte oblivisceretur sui, Sacramenta Ecclesiastica detestando, qui dum viveret, immemor fuit Dei. In prædicto verò Castro corpus ejus est traditum sepulturæ. (47) Ejus autem animam infelicem, onustam pondere peccatorum, Dæmones absque dubio rapuere, & eam in profundum Inferni, ubi est tumultus (48) tormentorum, & nulla redemtio, projecere. Iste fuit finis vitæ, ac tyrannidis Ecelini. Istæ verò fuerunt Civitates, super quas exercuit tyrannidem inauditam, Verona, Vicentia, Padua, Tarvisium, Feltrum, Tridentum, & Brixia. Omnia enim Castra Episcopatus Cenetensis suæ subdidit potestati. Padua verò, & Tridentum ante mortem ipsius ab ejus iniquis manibus evaserunt. Per triginta quatuor ferè annorum curriculum, excluso Comite Sancti Bonifacii cum suis amicis, Veronam obtinuit violenter (49) & eamdem Civitatis potentia exaltatus, excellentis Principis Federici amicitiam acquisivit; cujus fretus virtute, cunctam sibi Marchiam subjugavit. Ipsius quippe maligna instigatione Imperator potentissimus Federicus, cui præbuit iste Tyrannus introitum in Italiam per Veronam, violenter, concussis viribus totius Imperii, Lombardiam voluit obtinere. Cujus rei causâ inter Romanam Ecclesiam, & Imperium inexorabilis discordia est exorta, propter quam multa millia hominum in diversis Mundi partibus perierunt. Horum malorum caput, medium, & finis exstitit perfidus Ecelinus.

Qualiter post ruinam perfidi Ecelini facta est pax in Marchia universa.

FAma igitur prædictæ victoriæ per Urbes Italiæ decurrente, omnes populi de ruina Tyranni mirabiliter exultabant, divinæ virtutis potentiam collaudantes. Non fuit ita generalis lætitia, & commune tripudium à multis retro temporibus in Civitatibus Lombardiæ. Tunc Vicentini his rumoribus excitati, confestim suos cives, qui fugerant à facie terribilis Ecelini, & Paduæ residebant, ut redirent Vicentiam, rogaverunt: & sic omnes ad propria sunt reversi. Similiter Feltrensis Episcopus, & fideles Ecclesiæ cum eo ad suam Civitatem pacificè redierunt. Gens autem potentissima Venetorum, quam Divina Clementia fecit sæpissimè de suis hostibus triumphare, audiens Tyrannum horribilem corruisse, gavisa est vehementer: statimque assumtis Tarvisinis, qui effugerant rabiem Tyrannorum, Ecelini scilicet, & nequissimi Albrici, ad invadendum Tarvisium exercitum destinavit. Ecelinus namque toto tempore suæ tyrannidis, tumore superbiæ nimium excœcatus, frequenter Venetos multis injuriis lacessivit. Sed ipsi (50) viri astuti, & donis sapientiæ, ac prudentiæ præ cunctis populis Italiæ prædotati, tacitè dissimulando, tempus congruum expectabant, in quo possent Tyranno pro meritis respondere: & ipsorum expectatio non est suo desiderio defraudata. Ipsorum namque virtutis potentia, & consilio Padua est devicta, & postmodum ab impetu Ecelini viriliter est defensa.

Albricus itaque de Romano, fraternæ impietatis impiger imitator, impar quidem fratri ratione dominii, sed eidem in malitia coæqualis, audiens Ecelinum in suis malitiis comprehensum, obstupuit vehementer, & cum suis (51) (multorum malorum, quæ fecerat Tarvisinis, memor, quos crudeliter ejiciendo de Civitate bonis omnibus spoliavit, quosdam verò ipsorum ignominiosè suspendit, variisque modis occidit, alios autem cæsos gladio jacere fecit insepultos in medio platearum) non fuit ausus inimicorum expectare adventum: sed cum uxore, & filiis noctu Tarvisium dereliquit, & ad Castrum Sancti Zenonis confugiens (52) ibi, munitione loci confisus, suam arctissimam constituit mansionem. Hoc audito, Tar-

(47) *MS. Ambr.* sepulturæ, ibi sub porticu palatii versùs Ecclesiam Sanctæ Mariæ Plebis, & non in sacrato loco reconditum; ejus autem &c.
(48) *MS. Ambr. legit* cumulus, *sicut Osius auspicabatur*.
(49) *MS. Ambr.* & tantæ civitatis potentia exaltata excellentis Principis fidem & amicitiam &c.
(50) *MS. Ambr.* ipsi sicut viri astuti & docti sapientiæ &c.
(51) *MS. Ambr.* & cùm esset conscius multorum memor *infra positum non habens*.
(52) *MS. Ambr. addit* in quo erant Thesauri reconditi Ezerini, ibi &c.

Digitized by Google

Tarvisini simul cum exercitu Venetorum ad Civitatem protinus accesserunt, & à civibus suis gratanter, & pacificè sunt recepti. Omnia verò Castra Marchiæ, tam in planicie, quàm in montibus constituta, suis Civitatibus in brevi tempore reddita sunt à custodibus Ecelini. Ad ista namque omnia feliciter peragenda strenuè se gerebat tam populus, quàm militia Paduæ: pariterque præsentia, & persuasio Sanctissimi (53) Patris Gregorii Patriarchæ Aquilejensis, qui tunc erat Paduæ, maximum auxilium conferebat: cujus magnanimitatem, & prudentiam circumspectam in arduis negociis, summis periculis, tota Italia est experta. Veronenses autem cùm longo tempore fuissent crebris bellorum tempestatibus conquassati, habere pacem cum parte Comitis plurimùm affectabant. Unde audientes casum nefandissimi Ecelini, gavisi sunt vehementer, quòd erepti erant de tam gravissima, & longissima servitute. Accidit namque Veronensibus quod dicit Job, quòd, dum nimis timuerunt pruinam, irruit super eos nix; immo grando, & glacies infernalis: & dum quærerent equi fortitudinem declinare, in dentes leonis sævissimi incurrerunt. Horribilis enim Tyrannus, quem ipsi exaltaverant supra modum, ita crudeliter afflixit illam nobilissimam Civitatem, quòd vix in ea ullum Nobilem Militem dereliquit: Populum etiam ejus potentissimum gladio, fame, igni, diversisque suppliciis vehementer attrivit. Nam in una die ferè ducentos Veronenses fecit simul cum ipso carcere, igne circumposito, concremari. Post continua itaque supplicia, atque dolores, tamdem Veronenses cœlitus recepta desideratissima libertate, omni dilatione postposita, custodes Tyranni de munitionibus expulerunt, & apertis carceribus tenebrosis, cunctos captivos utriusque sexus protinus dimiserunt. Statimque ad Comitem Sancti Bonifacii, Mantuæ commorantem, & ad reliquos suos cives nuntios dirigentes, ut ad sua (54) redirent, eos amicabiliter hortabantur. At illi, post longum exilium natalis dulcedine soli perfrui cupientes, ad dilectam Civitatem lætanter & pacificè redierunt. Sublatâ namque de medio discordiæ (55) materiâ, in tota Marchia pax tranquilla, & dulcis concordia subitò est effecta. Sicque patuit per effectum, quòd solus filius perditionis pacem, & salutem omnium excludebat. Nam, ut suum dominium augmentaret pariter & firmaret, ubicumque poterat, studiosè venenum odii, & dissensionis inter populos effundebat. Suspecta quippe Tyranno erat dilatio (56) Caritatis: putabat enim non diu suum dominium permansurum, si cives invicem se amarent.

De qualitatibus terribilis Ecelini.

Congruum duximus in hoc Opusculo nefarii Ecelini breviter exprimere qualitates, ut ex Historiæ monumento etiam posteris, ad cavendum dolosam astutiam Tyrannorum, munimen, & subsidium præbeatur. Nam talium versutia, & calliditas detestanda sub præ-

A textu magnanimitatis (57) & probitatis in exordio suæ tyrannidis frequenter apud miseros populos occultantur: sed cùm potentiæ culmen fuerint assequuti, elati potestate, malitiam sibi insitam, quam palliaverant pro potentia obtinenda, affligendo subditos, manifestant. Istum quippe modum ad decipiendum miseros homines tenuit magister scelerum Ecelinus. Dum enim, sicut civis, in statu degeret militari, acer quidem erat in hostes: erga tamen amicos lenis, & tractabilis videbatur. In promissis quoque satis erat fidelis, in proposito stabilis, in verbis maturus, in consilio providus, & in omnibus factis suis miles egregius apparebat. B Sed postquam Marchiæ dominium est adeptus, statura corporis (quæ mediocris fuit) eadem permanente, repentè in virum alterum est mutatus. Nam in facie austerus est effectus. Talis namque apparebat in vultu, qualis erat in actu. In modo loquendi terribilis, in incessu superbus, solo intuitu homines deterrebat. Ab amore satis abstinuit mulierum: sed viros ab uxoribus separabat, & eos cum aliis de facto contrahere compellebat. Latrones odio habuit, & prædones, sed illorum supplebat officium, omnes indifferenter spoliando pariter, & mactando. Valde suspiciosus fuit: semper namque in deteriorem partem facta, & verba indifferentia C exponebat. Omnino fuit immisericors. Crudelitate namque superavit sævitiem omnium Tyrannorum. Inimicus erat pacis, & bellorum civilium sedulus excitator. Callidissimus exactor erat in pecunia congreganda: largus autem nummorū effusor, pro militibus congregandis, & potentia dilatanda. Spoliator fuit Ecclesiarum: Clericorum verò, & Religiosorum crudelissimus interfector. Prælaturas, & præbendas Ecclesiarum ad libitum suum, quibuscumque volebat, ac si esset summus Pontifex, conferebat. A fide namque Catholica fuit penitus alienus. Ob hoc, sicut perfidus hæreticus, ab Ecclesia est damnatus. Quinquaginta quinque (58) millia hominum ferè D ejus occasione, ac jussu, gladio, fame, & tormentis crudelissimè perierunt. Quamdam enim sitim, & famem se pati putabat, nisi carnes civium laniari, & sanguinem humanum videret profundi. Inter cetera verò sua nefanda facinora, quæ tot, & tanta fuerunt, quòd ad hoc homines ea pro fabulis reputabant (59): quia hominis modum excedere videbantur: hoc etiam voluit non deesse. Nam ipse, sicut hostis naturæ, humani generis propagationem voluit prohibere, castrando viros uxoratos, & infantes (proh pudor!) & etiam mulieres. Multis etiam fœminis nasum cum superioribus labiis, & ubera fecit crudeliter amputari: nihilo minus natos eorum E lactantes privavit lumine oculorum. Et, ne quis dicat, ipsum contra inimicos tantummodo talia perpetrasse; sciat quilibet, quòd numquam benignus, numquam fuit finaliter alicui mansuetus: sed cogitatio ejus semper circa internecionem hominum versabatur, & qualiter eos affligeret quotidie disponebat. Ad amaritudinem namque animos hominum perducebat diversimode, die noctuque vanis, & inu-

(53) *MS. Ambr. pro* sanctissimi *legit* sapientissimi.
(54) *MS. Ambr.* ut ad suam redirent patriam.
(55) *MS. Ambr.* sublato de medio discordiæ amatore in tota &c.
(56) *MS. Ambr.* dilectio.

(57) *MS. Ambr. pro* magnanimitatis, *legit* humanitatis.
(58) *MS. Ambr.* τὸ quinque *non habet*.
(59) *MS. Ambr.* videbantur, adhuc homines ea pro fabulis reputabunt.

Digitized by Google

inutilibus eos laboribus, & inauditis suppliciis affligendo. Nam palatia pulcherrima, & amplissima sibi fieri cum summa instantia faciebat, quasi semper esset victurus: in quibus tamen numquam voluit habitare: nec non castra, & turres in summis montibus, & Civitatibus construebat, ac si crederet, se ab inimicis quotidie obsideri. Hæc autem omnia ad ostentationem suæ potentiæ, & ad terrorem, & admirationem hominum faciebat, & ut famam sui nominis ita imprimeret in mentes singulorum, ut eam nulla valeret umquam oblivio abolere.

Qualiter Palavicinus obtinuit Brixiam, & de evasione Legati.

CUm post ruinam perfidi Ecelini cunctæ Civitates, quæ fuerant ejus subditæ dominationi, ad concordiam, & pacem rediissent, soli Brixienses in sua duritie remanserunt, partem extrinsecam redire ad propria minimè permittentes. Tunc Marchio Palavicinus, cupidus dominandi, sperans propter discordiam partium, se posse Brixiam obtinere, quasi amicabilis mediator utrique parti dolosis promissionibus, quòd eas ad concordiam reduceret, promisit. Cùm igitur post multas esset ambages dominium Brixiæ, peccatis Brixiensium exigentibus, assequutus, statim cœpit Ecelini vestigia imitari, partem ejus fovendo, & fideles Ecclesiæ intrare Civitatem nullatenus permittendo. Legatum etiam Romanæ Ecclesiæ, venerabilem virum Archiepiscopum Ravennatem, ab Ecelino in Brixia in vinculis derelictum, quasi heres malitiæ Ecelini, præcepit cum summa diligentia custodiri. Pro cujus liberatione Dominus Papa (60) solicitus vehementer tam Palavicino, quàm Brixiensibus literas destinavit. Sed ipsi Apostolica mandata pro nihilo reputantes, Legatum dimittere noluerunt. Legatus autem videns eorum animos obstinatos, habito suorum concilio servientium, quodam sero custodibus credentibus ipsum cum serviente in conclavi more solito fabulari; alligavit funem firmiter ad columnam, & emittens ipsum per fenestram alti palatii, in quo tenebatur inclusus, fune manibus apprehenso, illæsus ad terram descendit, & cùm extra Civitatem latenter exisset, super equum præparatum ascendens, uno tantùm contentus comite, versùs Mantuam fugam arripuit festinanter. Taliter vir magnanimus, Domino auxiliante, manus evasit hominum perfidorum.

(60) *MS. Ambr.* Dominus Papa Alexander IV.

Explicit Liber Secundus.

IN-

INCIPIT TERTIUS.

De obsidione, & interfectione infelicissimi Albrici.

ANno Domini MCCLX. cùm Albricus de Romano, ut prædictum est, morte perterritus Ecelini, Tarvisium dimisisset, & in fortissimum Castrum Sancti Zenonis cum militibus Theutonicis, & aliis suis fidelibus consedisset: Tarvisini, Paduani, & Vicentini simul ipsum instantissimè obsederunt, introitum, & exitum ei penitus prohibentes, & quatuor mensium obsidione peracta, obsessi milites, & alii populares gratiam invenire inimicorum in tanto periculo cupientes, primò Castrum, deinde turrem Castri munitissimam, & ipsum facinorosum cum uxore, & filiis, & filiabus in manus hostium tradiderunt. At illi non immemores ejus malitiæ detestandæ, absque mora eum cum uxore, ac sex filiis, & duabus filiabus, ut ejus facinora exigebant, morte crudelissima peremerunt. Iste quippe Tyrannus crudelitate ac malitia ita fuit Ecelino per omnia coæqualis, ut determinatè nequeat definiri, cui de duobus potissimùm crudelitatis, & impietatis palma valeat assignari. Et sanè Albricus præire fratrem in flagitiis videbatur, quia ejus insatiabilem libidinem Matronarum, & Virginum multitudo non potuit satiare. Quandocumque enim videbat matronas nobiles, & virgines speciosas, in earum concupiscentia exardescens, quamcitiùs poterat, eas ad suam deduci libidinem faciebat. Tantus verò metus Tyranni nequissimi milites, plebemque oppresserat Tarvisinam, ut nec etiam, quòd timebant, auderent ostendere manifestè: sed gemitibus, & suspiriis ferebant gravissimam servitutem, & timore mortis prohibebantur pro libertate aliquid cogitare. Cor quippe Albrici durum non minis cedebat, nec precibus movebatur: inverecundum erat ad turpia, inhumanum ad humana: in exigenda vindicta crudelitatem habens tygridis, & leonis. Nulla super afflictos misericordia movebatur, nec mulierum lamentis, nec fletibus parvulorum poterat emolliri. Et ut ejus maxima crudelitas breviter declaretur, unum de sceleribus Tyranni nefandissimi in medium deducatur, per quod valeat ejus summa nequitia recognosci. Dum quadam die suspendi quosdam milites præcepisset, antequam eorum guttura laqueis stringerentur, uxores eorum adesse præcepit ad tam horribile spectaculum intuendum: quarum capillos, cernentibus viris, fecit præcidi, vestesque jussit à mammillis inferiùs amputari, & incontinenti ante oculos miserabilium mulierum mandavit maritos earum in patibulo elevari. Quo facto, statim expulit miseras de Tarvisio sic turpiter denudatas, Venetiasque nullo præcedente ductore, coëgit quantocyus properare.

O infelix humana conditio, & nescia futurorum! quid in crastinum gloriaris, nesciens quid superventura pariat dies tibi, & ad quem finem rota fatorum volubilis te devolvet? Ecce in spacio undecim mensium duorum fratrum sidera tangentium, quibus ceteris circumspectis in magna parte Orbis de facili non possent similes inveniri, vita simul est, & potentia terminata. Ubi nunc est Ecelini superbia effrænata? ubi acies militum ordinatæ? ubi armatorum ei astantium multitudo? Ubi obscœna voluptas delicatissimi Albrici; quæ, dum esset ab ipso expleta, non satietatem, sed famem ei parere videbatur. Meritò, inquam, illud corpus lubricum, igne luxuriæ inflammatum, postquam gladiis est in frusta concisum, à populo Tarvisino in platea Civitatis est voraci flamma consumtum, & sic caruit sepultura. Quid prædictis Tyrannis profuit superbia? & divitiarum jactantia, quid contulit eis boni? Transierunt verò ista omnia tamquam umbra. Tota namque ipsorum progenies à victoribus radicitus est deleta: & lactanti parvulo, flavisque puellis ardens ira hostium non pepercit; & possessiones eorum amplissimæ sunt ad extraneos devolutæ. Pereat itaque cum sonitu Tyrannorum memoria: & Dominus vindicans sanguinem servorum suorum, quem crudeliter effuderunt, & aspiciens lacrymas viduarum, compatiensque gemitibus oppressorum, permanet in æternum. Legitur sanè, quòd Magi Pharaonis in signo tertio defecerunt: sic Domus nobilissima, & potentissima de Romano, arte diabolica nimium exaltata, in tertio gradu suæ altitudinis cecidit, & defecit; nec adjiciet, ut resurgat. Magna quippe fuit in Avo istorum, major in patre, maxima exstitit in duobus prædictis fratribus, & famosa. Sed quia negatum est summis diutiùs permanere, in illis cecidit, qui tumore inflati superbiæ numquam se casuros à culmine potentiæ cogitabant. Nullus igitur de sui status securitate præsumat.

De mirabili modo pœnitentiæ, qui habuit initium in Italia, & postea est diffusus per diversas Provincias Europæ.

SUb præcedenti annorum curriculo, cùm tota Italia multis esset flagitiis, & sceleribus inquinata, quædam subitanea compunctio, & à seculo inaudita, invasit primitus Perusinos, Romanos postmodum, deinde ferè Italiæ populos universos. In tantùm itaque timor Domini irruit super eos, quòd Nobiles pariter, & ignobiles, senes, & juvenes, infantes etiam quinque annorum, nudi per plateas Civitatum, opertis tantundem (1) pudendis, deposita verecundia, bini & bini processionaliter incedebant: singuli flagellum in manibus de corrigiis continentes, & cum gemitu, & ploratu se acriter super scapulis usque ad effusionem sanguinis verberantes; & effusis fontibus lacrymarum, ac si corporabilibus oculis ipsam Salvatoris cernerent passionem, (2) misericordiam Dei, & Genitricis ejus auxilium implorabant: suppliciter deprecantes, ut qui in innumeris pœnitentibus est placatus, & ipsis iniquitates proprias cognoscentibus parcere dignaretur. Non solùm itaque in die, verùm etiam in nocte cum cereis accensis, in hyeme asperrima, centeni, milleni, decem millia quoque per Civitates Ecclesias circuibant, & se ante altaria humiliter prosternebant,

(1) MS. Ambr. tantummodo.

(2) MS. Amb. cantu lacrimabili Domini misericordiæ.

bant, præcedentibus eos Sacerdotibus cum Crucibus, & Vexillis. Similiter in Villis, & Oppidis faciebant: ita quòd à vocibus clamantium ad Dominum resonare videbantur simul campestria, & montana.

Siluerunt tunc temporis omnia Musica instrumenta, & amatoriæ cantilenæ. Sola cantio pœnitentium lugubris audiebatur ubique, tam in Civitatibus, quàm in Villis; ad cujus flebilem modulationem corda saxea movebantur, (3) & obstinatorum oculi se à lacrymis non poterant continere. Mulieres quoque tantæ devotionis fuerunt minimè inexpertes, sed in cubiculis suis, non tantùm Populares, sed etiam Matronæ nobiles, & Virgines delicatæ cum omni honestate hæc eadem faciebant. Tunc ferè omnes discordes ad concordiam redierunt: Usurarii, & raptores malè ablata restituere festinabant; ceterique diversis criminibus involuti, peccata sua humiliter confitentes, se à suis vanitatibus corrigebant. Aperiebantur carceres, dimittebantur captivi, & exules redire ad propria sunt permissi. Tanta breviter opera sanctitatis & misericordiæ tam viri, quàm fœminæ ostendebant, ac si timerent, quòd divina potentia ipsos vellet igne cœlesti consumere, vel jactura terræ subitò absorbere, aut concutere vehementissimo terræmotu, seu aliis plagis, quibus divina Justitia se ulcisci de peccatoribus consuevit. Super ista verò pœnitentia repentina, quæ ultra etiam fines Italiæ per diversas Provincias est diffusa, non solùm viri mediocres, sed & sapientes non irrationabiliter mirabantur: cogitantes, unde tantus fervoris impetus proveniret: maximè cùm iste modus pœnitentiæ inauditus, non fuisset à Summo Pontifice institutus, qui tunc Anagniæ residebat: nec ab alicujus Prædicatoris, vel auctorabilis personæ industria, vel facundia persuasus, sed à simplicibus sumsit initium, quorum vestigia docti pariter, & indocti subitò sunt sequuti. Sed revera Spiritus Sancti gratia, quæ nescit tarda rerum molimina, immo repentè, ubi vult, spirat, corde unius hominis sui amoris igne succenso, exemplo illius ceteros inflammavit.

Quòd Princeps Manfredus, & Palavicinus prohibuere suos subjectos solemniter pœnitere.

PRinceps Manfredus naturalis filius Federici, qui Regnum Siciliæ, & Apuliæ usurpavit, & auctoritate propria capiti suo imposuit diadema, tam in præjudicium Romanæ Ecclesiæ, quàm gravamen, & oppressionem Conradini Ducis Sueviæ, filii Regis Conradi, inhibuit potenter per omnes partes opulentissimi sui Regni, ne aliquis tali schemate pœnitentiæ uteretur, crudelem mortem transgressoribus comminando. Timebat enim, ne sub forma hujus novitatis, processus posset suæ tyrannidis impediri. Promulgavit itaque hoc crudelitatis edictum, non solùm in Apulia, sed etiam in Marchia Anconitana, & in magna parte Thusciæ, quam sibi jure prœlii acquisivit. Extulerat siquidem cornu superbiæ prædicti Principis tam adversùs Deum, quàm adversùs homines, victoria triumphalis, quam de parte Ecclesiæ, quæ Florentiam obtinebat, incredibiliter est adeptus. Florentini namque, qui frequenter de suis triumphaverant inimicis, coram militia Principis, quam in auxilium Senensium destinaverat, cùm essent LXX. (*) millia bellatorum, eorum peccatis exigentibus, mirabiliter (4) corruerunt. Illi autem, qui de bello evadere potuerunt, nimio terrore perterriti Florentiam deserentes, ad quam occupandam inimicorum exercitus properabat, ad Lucanam Urbem se quantocyùs contulerunt. Taliter Princeps cum sua parte illam potentissimam obtinuit Civitatem, & cum ipsa pariter ferè sibi totam Thusciam subjugavit.

Marchio etiam Palavicinus, non segnis dicti Principis imitator, tam Cremonæ, quàm Brixiæ, vel Mediolani, ubicumque potuit suæ tyrannidis officium exercere, prohibuit terribiliter fieri solemnis pœnitentiæ laudabilem novitatem. Suspecta sunt quippe Tyrannis opera pietatis; tam (**) malè agentibus omnino sunt lucis opera odiosa. Formidabat enim Tyrannus astutus, ne ipse suum amitteret principatum, si cives divina gratia inspirati redirent ad concordiæ unitatem, & partem extrinsecam (5) revocarent. Gaudium siquidem & securitas Tyrannorum est discordia civium. Sicut piscis gaudet & discurrit in gurgite: ita ipsi in dissensionibus Civium delectantur. Non solùm autem duo prædicti Principes, iniquitatis filii, & magistri, renuerunt accipere disciplinam: sed etiam quidam alii, qui fideles Ecclesiæ videbantur, non cum tanta devotionis efficacia, ut debebant, donum cœlestis gratiæ perceperunt. Multi quippe videntur habere vocem Jacob humilem, & suavem: sed manus eorum hispidæ, & nocivæ manibus Esau esse similes comprobantur.

De bello, quod Ungariæ Rex, & Rex Bohemiæ pro Ducatu Austriæ, & Styriæ habuerunt.

CUm prædicta in partibus Italiæ gererentur, Bela Rex Ungariæ, viribus totius potentiæ suæ concussus, ad inimicandum contra Regem Bohemiæ consanguineum suum, se magnificè præparavit. Exorta namque fuerat contentio inter eos, propter Ducatum Austriæ, & Styriæ, quem Rex Bohemiæ dicebat ad se totaliter pertinere, quia neptem Ducis Austriæ duxerat in uxorem, ad quam erat (a) paternitas devoluta. Rex verò Ungariæ econtra rationem aliam proponebat. Denique cùm sola vexatio Tartarorum dare intellectum illi plenariè (6) debuisset, quorum nimis expertus fuerat rabiem metuendam: ipse tamen postposita sollicitudine, se ab imminenti eorum impetu defendendi, adversùs dictum Regem arma infeliciter arripuit triumphi gloriam habitura. Congregansque exercitum de diversis nationibus copiosum, in quo fuerant centum millia Equitum armatorum, castrametatus est juxta quemdam fluvium in extremis finibus Regni sui. Tunc Rex Bohemiæ, tam

(3) *MS. Ambr.* modulationem, non solùm corda sed etiam saxa movebantur.

(*) *Corrupta sanè lectio. Fortasse scribendum* XX. millia. *Muratorius*.
MS. Ambr. ultra LXX. millia.

(4) *MS. Ambr.* miserabiliter corruerunt, qui verò perierunt mala morte fuerunt plusquam decem millia; capti verò fuerunt septem millia. Illi autem &c.

(**) *MS. Ambr.* nam malè.

(5) *MS. Ambr. addit* ad propria.

(a) *In aliis*. Paterna hereditas. *Osius*. *MS. Ambr.* ad quam ipsa rationabiliter pertinebat.

(6) *MS. Ambr.* illi salutarem debuisset &c.

Digitized by Google

tam propria fretus virtute, quàm Principum Alemanniæ, qui maximum ei auxilium præbuerunt, processit illi obviam cum ingenti multitudine militum electorum, & ex opposito fixit castra super fluvium memoratum (7) multùm tamen minoris numeri erat militia Bohemorum, & Theutonicorum comparatione partis adversæ: sed non inferioris audaciæ, & virtutis. Cùm igitur ambo Reges in castris per aliquot dierum spatium permansissent, & mediante fluvio congrediendi copiam non haberent: tamdem quidam milites animosi ex utroque exercitu, quietis impatientes, prœlium commiserunt. Et in primo quidem congressu multi Nobiles ex parte Regis Bohemiæ ceciderunt, quorum ruina miserabilis valde accendit Regis animum ad vindictam de adversariis faciendam. Cùm igitur utraque pars fortiter dimicaret, multitudo Cumanorum, qui venerant in auxilium Regis Ungariæ, quorum erat confidentia in arcubus, & sagittis more Occidentalium nationum, non valens Theutonicorum, & Bohemorum præcipitem impetum sustinere, in fugam protinus est conversa. Ex Barbaris itaque, & Ungaris multi gladio sunt occisi; plurimi verò in flumine sunt submersi. Rex igitur Ungariæ videns suas acies dissipatas, armis projectis cum suo exercitu fugam accipit festinanter. Victores autem non destiterunt persequi fugientes, donec eorum castra, (*) refecta omnibus necessariis, intraverunt: ibique ultra modum spoliis hostium sunt ditati. Post damna itaque rerum, & immensam stragem exercitus, Rex Ungariæ per experientiam recognoscens, ita Reges, ut Populares vanitati, & diversis casibus subjacere, Legatos continuò ad hostes direxit, quæ pacis erant, humiliter postulando. Cujus petitioni Rex Bohemiæ, nec non Principes Alemanniæ, interpositis quibusdam conditionibus, assensum viriliter præbuerunt. Et sic inter illustres Reges, post alterna vulnera prœliorum, sunt pacis fœdera copulata.

De obitu Papæ Alexandri, & de electione Urbani.

Anno Domini MCCLXI. Cùm Summus Pontifex sex annis, & dimidio Romanam Ecclesiam gubernasset, die septimo exeunte Madio, vitæ suæ cursum in Civitate Viterbio pacificè terminavit. Iste toto tempore sui regiminis nullum constituit Cardinalem. Nam, cùm quidam de Cardinalibus ædificare Sion in sanguinibus affectarent, quidam verò vellent viros idoneos promovere: ipse, licèt haberet plenitudinem potestatis, timore tamen scandali, neutram partem voluit exaudire. Post ejus obitum Cardinales numero octo de Summo Pontifice eligendo magnam inter se discordiam tribus mensibus habuerunt. Tamdem septiformis Spiritus gratia illustrati, die tertio, exeunte Augusto, Reverendissimum Virum Patriarcham Hierosolymitanum, Gallicum natione, qui tunc temporis erat in Curia pro negociis Terræ Sanctæ, concorditer elegerunt, qui Urbanus Quartus mutato nomine est vocatus. Quarto mense sui Pontificatus, numerum Cardinalium ampliavit, præclaros viros vita & scientia insignitos ad tam Sanctum Collegium promovendo. De quorum numero Divina providentia faciente, exstitit benignissimus Dominus Simeon de Montesilice, Canonicus Paduanus, quem tam forma corporis, quàm nobilitate generis, & gratiosis moribus, & multiplici scientia Divina gratia decoravit.

Qualiter Veneti Constantinopolim amiserunt.

Circa hæc tempora quidam Græcus, nomine Palæologus (quod interpretatum Latina Lingua, dicitur vetus sermo) post mortem Vatacii, & filii ejus, per tyrannidem ferè totius Græciæ obtinuit Principatum. Iste in primo potentiæ suæ progressu Gulielmum Francigenam, Principem Bithyniæ, & Achajæ, sibi cum exercitu infeliciter occurrentem gravi prœlio superavit, ipsumque vivum capiens, in carcere tenebroso reclusit: sperans per ipsum totam terram, & Principatum ejus leviter obtinere. Hac igitur elevatus victoria Palæologus, aspirare cœpit ad Imperium Romaniæ, & diligentissimè cogitabat, qualiter Urbem Constantinopolim posset invadere, quam gens Catholica Venetorum sola cum infinitis expensis, periculo, & labore maximo defendebat. Credebat namque Palæologus firmiter, Constantinopoli acquisita, omnes maris Insulas, & Civitates in Terra firma constitutas, à Latinis, & Venetis maximè jure belli possessas, se breviter habiturum. Igitur cùm vehementer laboraret, ut propositum suum effectui manciparet, sciens vir callidus, & astutus, quia labor improbus omnia vincit, pariter & cognoscens, quòd pecuniæ obediunt omnia, maximèque homines necessariis indigentes, per idoneas personas, mediante pecunia, & promissionibus fraudulentis, corrupit quosdam impios homines in urbe Constantinopoli habitantes, qui firmiter promiserunt ei tempore opportuno tradere civitatem. Cùm igitur hæc omnia inter Palæologum, & proditores essent secretissimè ordinata, Potestas Venetorum de Imperatoris consensu, cum multitudine bellatorum bellicas naves ascendit, & ad damnificandum hostes versùs Mare Ponticum navigavit. Tunc patriæ crudelissimi proditores, videntes urbem defensoribus spoliatam, habita opportunitate, circa mediam noctem, die septimo, Julio exeunte, unius portæ occisis custodibus, militibus Palæologi gloriosæ urbis aditum præbuerunt, expletis quinquaginta octo annis, quòd eam viriliter invaserunt Francorum Principes, & Gens inclyta Venetorum. Cùm itaque Græci Constantinopolim sunt ingressi, sicut patres eorum famosissimam Trojam, ita ipsi urbem Regiam protinus succenderunt. Tunc Imperator Balduinus, cui capta urbe remanserat tantùm magni nominis umbra, milites, & populus civitatis tantæ multitudini resistere non valentes, cum parvulis, & mulieribus naves protinus ascendêre, & prospero cursu ad Insulam Nigropontis, dante Domino, pervenerunt. Verumtamen, propter nimiam hominum multitudinem, & victualium paucitatem, multi utriusque sexus oppressi diræ famis angustia, in navibus, antequam portum attingerent, perierunt.

Cùm audissent autem Januenses, æmuli Venetorum, quòd Palæologus Constantinopolim inva-

(7) *Hic desinit MS. Ambr. lectio addito in calce verbo* Deo gratias.

(*) *Al.* referta.

invasisset, alacres sunt effecti; statimque pacis fœdere violato, quod de mandato Summi Pontificis inter ipsos, & Venetos erat factum, societatem cum Palæologo contra Venetos statuerunt. Exinde Gens Venetorum, ut posset resistere tam efficacissimis inimicis, magnis laboribus, & expensis cœpit vehementer affligi. Oportebat namque ipsos classem cum multitudine bellatorum ad defensionem Insularum, quas tenebant, singulis annis in Græciam destinare. Licèt autem excelsum verticem exaltationis, de acquisitione Regiæ urbis, Græcia extulisset: tamen tanta erat in mari potentia Venetorum, quòd, nisi Januenses Græcis auxilium præbuissent, non sinè magno tremore in mare Jonio, vel Ægæo Venetorum exercitui tota Græcia occurrisset. Longè quippe sunt Græci ab illo florido statu, in quo decennali bello Trojana mœnia, in ultionem raptæ Helenæ, subverterunt: nec non à strenuitate, qua sub Alexandro invictissimo Rege Macedonum, Regibus Asiæ subjugatis, totius obtinuerunt Imperium Orientis. A Philosophiæ insuper disciplinis sunt nimium elongati, in quibus ita studiosi antiquitus exstiterunt, quòd in Artium Liberalium scientia cunctos populos excellebant. Sanè, postquam ab obedientia Romanæ Ecclesiæ recesserunt, multis sunt adversitatibus conquassati, multisque etiam existunt erroribus, & falsis opinionibus involuti. Unde, cùm sint tam morum probitate, quàm scientia, nec non disciplina Sanctæ Matris Ecclesiæ, quæ est caput & magistra fidelium omnium, denudati, meritò vilissimi, & abjecti à cunctis ferè gentibus reputantur. Nam, qui solebant Orientalium regionum imperium obtinere, facti sunt præda omnium circumstantium nationum. Quasi enim quælibet gens eorum spolia obtinuit, & Imperium laceravit. Nonne Sarraceni, & Turci, & aliæ Barbaræ nationes omnem regionem à flumine Euphrate citra; Syriam videlicet, & Ciliciam, Arabiam, & Ægyptum eorum Imperio abstulerunt? Novissimè autem temporibus nostris, eorum peccatis exigentibus, Francorum Principes, Veneti, & Lombardi capta Constantinopoli, & multis aliis eorum civitatibus, & Insulis expugnatis, de ipsorum spoliis plurimùm sunt ditati. Unde Græci ærumnarum suarum congeriem intuentes, gemendo possunt dicere: Quid, nisi præda sumus omnium populorum?

De Principis liberatione.

Temporibus istis Palæologus Gulielmum Principem Bithyniæ, & Achajæ, quem in bello ceperat, abire permisit, castro Malvasiæ, & quibusdam aliis locis munitissimis ab eo receptis. Princeps autem confœderatus cum Venetis terra marique Palæologum totis viribus impugnabat.

Qualiter filius Regis Ungariæ factus est Civis Ravennas.

Anno Domini, MCCLXII. In hoc tempore Illustris juvenis Stephanus, Magnifici Andreæ Regis Ungariæ, & Nobilis Reginæ Beatricis generosa propago, cùm diutiùs expectasset, in Curia Marchionis Estensis manendo, quòd frater suus Bela Rex Ungariæ ad misericordiam flecteretur, ut ei saltem aliquam particulam Regni latissimi assignaret, videns quòd nihil proficeret, memorato Rege in sua duritie permanente, duxit uxorem Traversariam, filiam Gulielmi, filii Pauli Traversarii, Civis Ravennatis nobilissimi, ad quam erat paterna hereditas devoluta. Fratris itaque perfidia impellente, nolentis habere in Regno consortem, compulsus est tanti Regis filius fœminam longè se minorem, licèt ditissimam, ducere in uxorem. Excusare autem Regem Belam tunc quidam conabantur, dicentes, quòd Rex benignè fratrem tractasset, nisi uxor ejus Astari, (*) Græcorum Principis filia, impedisset, quæ Regem à clementia modis, quibus poterat, assiduè retrahebat. Dicebat namque Regi præfata Regina Latini generis inimica: *Nequaquam filius Lombardæ simul cum filiis meis Regnum Ungariæ possidebit*. Et sic Rex nimis credulus hujuscemodi verbis uxoris, permansit in odio fraterno finaliter ostinatus. Sed tali excusatione minimè Regia Majestas ab iniquitatis infamia liberatur: immo verissimè potest dici, quòd Rex tam ditissimus in hac parte perniciosum crudelitatis exemplum in toto Orbe terrarum, cum periculo suæ animæ, & Regni discrimine, Regibus, & Principibus, & cunctis hominibus dereliquit, fratri suo unico, innocenti, victum, & vestitum crudeliter denegando, & Comitatus, & dignitates alias suis militibus, & cubiculariis largiendo. Unde sicut pro peccato Adæ, qui voci suæ obedivit uxoris plus, quàm divino præcepto, terra fuit in ejus opere maledicta: ita forsitan ob hanc prædicti Regis perfidiam, Divina Justitia faciente, quæ nullum reliquit piaculum impunitum, adversùs præfatum Regem duplex tribulatio consurrexit, Tartarorum videlicet, & Bohemorum, qui Regnum ejus gladiis, incendiis, & rapinis plurimùm vastaverunt. Nam, qui injustè alium deprædatur, justo Dei judicio tamdem incidit in manus alterius deprædatoris.

Qua de causa Obizo à Marchione ardentissimè amabatur.

Anno Domini MCCLXIII. Cùm Azo Illustris Marchio Estensis dolorem amarissimum, qui ex morte sui unigeniti filii acciderat, temperasset, tenens pro illo dulcissimum nepotem, divino munere sibi collatum, virginem nobilissimam, natione Januensem de progenie Magnifici Papæ Innocentii, prædicto suo nepoti tradidit in uxorem, cujus nuptias cum magna claritate Ferrariæ celebravit. Mirabantur plurimi tunc temporis, quòd Marchio, postposito Illustri Stephano filio suæ neptis, scilicet Reginæ Beatricis, & filiis naturalibus quamplurimis, ferventissimè amorem sui pectoris abundantiùs effuderit in nepotem. Sed revera hoc animum Marchionis ad nimium amorem pueri specialiter inclinavit, quia puer Obizo Rainaldum quærentibus exhibebat. Tam enim in moribus, quàm in facie relucebat in ipso sui nobilissimi genitoris imago.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.

Unde benignissimo Principi, quasi adhuc suus carissimus filius vivere videbatur, cùm ejus expressam cerneret imaginem in nepote. Oculi quip-

(*) Legendum videtur *Lascaris*; uxor enim Belæ Regis fuit *Maria Lascaris*, ut ostendit Du-cangius in Famil. Byzantin. *Muratorius*.

quippe Marchionis grato spectaculo dilectæ imaginis pascebantur: ita ut amore præsentis, absentis filii desiderium temperaret. Rivulus namque amoris præcipui, qui à corde Marchionis in Rainaldum, dum viveret, defluebat, ad irrigandum paternis beneficiis ejus clarissimam prolem totaliter inundavit. Obizo autem, egregiæ indolis puer, non ingratus Avo benignissimo existebat, à quo sciebat se eum summo studio, quasi de paterno pulvere suscitatum. Sed speculum suæ gratissimæ faciei Marchionis vultu sæpissimè repræsentans, ejus curas, & solicitudines minuebat. Illius namque pendebat in collo, & oculis, amplexibus, & colloquiis mellifluis dulcedinem amoris de ipsius pectore hauriebat. Et sic inter piissimum Avum, & dulcem Nepotem erat suavissimum, & frequens certamen amoris.

De beneficiis, quæ Deus misericorditer contulit Marchioni.

CUm Divinæ pietatis opera minimè sint celanda, quia ejus operatio nostra est instructio, decrevimus breviter persequi beneficia, quæ Dominus misericorditer contulit Marchioni, non solùm eum periculis liberando, quibus velut mole inundantium aquarum fuit undique circumfusus; sed etiam ipsum triumphare de hostibus evidentissimè faciendo, nec non inopinabile donum gratissimæ sobolis de fructu sui incarcerati filii, ipsi benignissimè largiendo. Iste siquidem amabilis Princeps, qui post decessum filii privatus filiorum munere putabatur, pro uno extincto filio duplicis prolis præmio est dotatus. Et ut divina erga ipsum clementia mirifica videretur, de terra hostili, scilicet de Apulia, gaudium insperatum (*) genere sobolis emanavit, unde amara mors dilecti filii sibi exstitit nuntiata. Noluit namque Dei clementia, quòd vir Catholicus, & multiplicis virtutis gratia decoratus, masculinæ prolis munere privaretur: sed ejus immensum desiderium adimplevit, reparando mirabiliter in nepote, quod in filio videbatur miserabiliter corruisse. Ille siquidem, qui de pulvere Phœnicis extincti alium Phœnicem mirabiliter reparat secundùm speciem, formamque prioris, effecit, ut de nobili Rainaldo in carcere custodito, & secundùm communem existimationem pro mortuo reputato, procederet inclyta proles, quæ verè posset dicere Marchioni: Respice in faciem nepotis tui, & vide, utrum sit in nepote, aut non, filii tui expressa imago.

Non solùm itaque divina bonitas hoc acceptabile donum contulit Marchioni, sed etiam illum multoties de maximis periculis liberavit, tam de manibus videlicet Magnifici Federici, qui totam ferè Marchiam Theutonicis, Saracenis, & Appulis adimplevit, ut ipsum, velut capitalem inimicum Imperii expugnaret, quàm de continuis insidiis Ecelini, & simultatibus Albrici, & astutiis callidi Salinguerræ. Isti namque unanimiter, quasi leones rugientes ad prædam, ipsum modis omnibus deglutire, ac penitus conterere conabantur. Quorum gravissimos impetus vir strenuus, Domino adjuvante, compescuit, calliditatis eorum evitavit insidias, & consilia nequissima dissipavit, in his omnibus servando animi constantiam, & à veritatis tramite nullatenus declinando. Licèt enim unicum ejus filium iniquus Imperator in carcere detineret, & tam ipsius dimissionem, quàm alia excellentia beneficia ipsi promitteret, ut sic illustrem virum à devotione Romanæ Ecclesiæ removeret, constantissimus Princeps, velut columna immobilis, & murus impenetrabilis, nec metu periculorum territus, nec Imperialium promissionum dulcedine delectatus, sed Deo se totum committens, obsequiis Ecclesiæ avelli non potuit: sed stabilis, & fidelis adjutor Ecclesiæ in tribulationibus, & angustiis usque ad finem permansit. Et ideo misericors Dominus meritò eum ab adversariis custodivit, & ipsum de intumescentis maris fluctibus ad portum salutis dirigens, de inimicis suis fortissimis fecit eum videre mirabilem ultionem. Vidit namque excellentissimum Federicum Imperiali honore privatum, astutum Salinguerram incarceratum, tumidum Ecelinum facta clava mactatum, & lubricum Albricum in conspectu suo horribiliter trucidatum. Isti siquidem iniquitatis Principes, quasi quatuor venti pestiferi, furentes in Catholicam Domum Estensem totis viribus irruerunt, ut eam funditus dissiparent: sed eorum impulsione non cecidit, quia Sanctæ Matri Ecclesiæ adhærebat, quæ super petram solidissimam est fundata. His itaque spirare desinentibus, statim est tranquillitas subsequuta, & sic habuit Marchio requiem à suis efficacissimis inimicis. Nullus igitur fidelis homo elevetur prosperis, nec frangatur adversis. Novit enim Dominus, quando vult superbos deprimere, & humiles exaltare.

De venerabili Virgine Beatrice, sorore Marchionis Estensis, quæ in monte Jemulæ requiescit.

ACcedit ad laudem nobilissimæ Domus Estensis, quòd non solùm est Illustrium virorum præclaris operibus decorata; sed etiam ex ipsa processit generosa propago insignium fœminarum, quæ carnis concupiscentiam simul cum Mundo vincentes, & de Mundi Principe viriliter triumphantes, ad Regna siderea, sicut piè creditur, feliciter pervenerunt. Prima quarum exstitit nobilissima Virgo re, ac nomine Beatrix, soror prædicti Marchionis, quæ, cùm esset mira pulchritudine corporis, & virtute multipliciter decorata, Mundum cum sua pompa contemsit: mortalem sponsum accipere recusavit, ad castos amplexus æterni sponsi, forma præ filiis hominum speciosi, cupiens pervenire. Hoc itaque sanctissimum propositum Virginis devotissimæ Illustris frater ejus, & amicorum turba, & multitudo nobilium matronarum, amore præsentium, immemores futurorum, nitebantur modis omnibus impedire, nunc Mundi gloriam, nunc nobilis sponsi connubium, & dulcissimæ prolis felicitatem castæ Virgini proponentes: pariterque suæ domus ruinam, amicorum tristitiam, & inimicorum gaudium ex tali mutatione consequi asserebant. His, & hujusmodi verbis ad decipiendum compositis, gloriosæ Virginis animum conabantur à bono proposito revocare. Sed Virgo prudentissima septiformis Spiritus gratia illustrata, quæ linguas infantium disertas efficit, eorum verba, quamdam habentia speciem veritatis, sed existentiam minimè, pro nihilo reputabat, & quòd soli

(*) In edito gratia.

A soli Deo serviendum esset, quia, quicquid aliud agitur in hac vita, amittitur, argumentis efficacissimis ostendebat. Propositum itaque, quod Virgo sapiens corde conceperat, fructuosis affectans operibus adimplere, ad montem, qui Jemula nuncupatur, ubi est Oratorium ad honorem Beati Joannis Baptistæ constructum, cum quibusdam aliis honestis Virginibus, eamdem cum ea intentionem habentibus, protinus convolavit: ibique in sancta conversatione indesinenter permanens, totam Italiam suæ sanctitatis causâ Dominus illustravit. Fama igitur longè, latèque de conversatione pretiosa Virginis discurrente, cœperunt multæ clarissimæ Virgines ex longinquis etiam partibus, quasi columbæ accipitrem fugientes, ad prædictum locum accedere, cupientes tantæ Virginis instrui disciplinis, & ejus sanctæ conversationis exemplis, & colloquiis devotissimis informari. De quarum siquidem adventu illustris Virgo divinæ majestati gratias referebat, lacrymosis precibus deprecans Creatorem, ut qui de diversis regionibus hujusmodi Virgines congregaverat, ad gloriam sui nominis & honorem, eas custodire in sanctæ religionis observantia dignaretur. De salubri itaque consilio prudentissimæ Virginis Beatricis, omnes prædictæ Virgines X. quamdam Desideratam sororem in Abbatissam elegerunt concorditer, quæ tam sanctissimo Collegio deberet viriliter providere. Sub cujus regimine cum quanta humilitate, obedientia, patientia, & charitate duxerit angelicam vitam Virgo devota in terris, nimium prolixum esset singula enarrare; sed, prout nobis sanctæ Virgines retulerunt, quæ hujus piissimæ Virginis meruerunt habere consortium, breviter dicimus, quòd tam verba, quàm facta Virginis gloriosæ erant discretione condita, honestate plena, bonitate conspicua, & Deo & hominibus gratiosa: ita quòd per mores honestos, & gestus corporis ordinatos, ac per ejus utiliter & piè prolata, ab omnibus credebatur, quòd Deus veraciter in ejus cordis thalamo habitaret. Cùmque multo tempore his prædictis, & aliis virtutibus refulgens Virgo clarissima in divinis obsequiis, & disciplinis regularibus permansisset, Rex sœlestis, qui ejus speciem concupivit, ejus anctissimam animam de vitæ præsentis ergastulo misericorditer liberavit, ut ornaret cœlestem curiam ejus beato consortio. Cujus radianti exemplo præsens Ecclesia exstitit mirificè illustrata. Sanctissimum autem corpus ejus in prædicto Cœnobio reverendo, in arca lapidea, est honorificè cum aromatibus collocatum, ubi in magna veneratione usque ad præsens tempus habetur.

De Illustri Beatrice filia Marchionis.

POst decessum venerabilis Virginis Beatricis plurimis elapsis annorum curriculis, altera Beatrix, præfati filia Marchionis, Virgo pulcherrima, omnium oculis gratiosa, divini amoris igne succensa, amitæ suæ vestigia cupiens pro viribus imitari, ornamentis depositis pretiosis, Religionis habitum intrepida mente suscepit. Quam cùm nobilissimus Pater ejus attemptasset à bono proposito revocare, Virgo constantissima donis cœlestis gratiæ illustrata, verba Patris, & aliorum, & omnem Mundi gloriam parvipendens, religionem laudabiliter incœptam, de virtute in virtutem quotidie procedendo, gloriosissimè decoravit, & in Monasterio Beati Antonii, quod ipsius causâ juxta Ferrariam est constructum, cœlibem vitam ducendo cum multis honestis Virginibus, illius exemplo ibidem ad gloriam Dei congregatis, de humani generis inimico viriliter triumphavit, vitæque cursum feliciter consummando, beatissimam animam suo reddidit Creatori. Istæ namque Virgines gloriosæ, quasi duæ olivæ fructuosa pietatis opera producentes, & quasi duo candelabra Virtutum exemplis radiantia circumquaque non minus Domum gloriosam, & laudabilem suis meritis reddiderunt, quàm ejus strenui Marchiones pro fama, & potentia dilatanda se variis periculis bellorum exponentes. Illorum enim corruptibiles triumphi, velut umbra, velociter transierunt: istarum verò beatitudo, honor, & gloria triumphalis nullo umquam termino finientur.

De obscuratione Solis.

SUb præcedenti cursu annorum, die quinto intrante Augusto, cùm esset Luna vigesima septima, fuit Eclipsis Solis ante horam aliquantulum Vespertinam.

De obitu nobilis Azonis Marchionis Estensis.

ANno Domini MCCLXIV. Cùm Illustris Azo Marchio Estensis de suis, & Ecclesiæ inimicis feliciter triumphasset, & Ferrariæ satis pacificè moraretur, sicut placuit omnium Creatori, qui vitæ, & mortis singulariter dominatur, invasit eum multiplex infirmitas corporalis. Cùmque viribus corporis destitutus, diem ultimum sibi cerneret imminere, providens Vir expertus, quòd status regionum solet in morte Principum permutari, amicos fideles fecit undique convocari, & carissimum Nepotem suum, quem in testamento heredem instituerat, eis affectuosissimè commendavit. Deinde sermonem dirigens ad Nepotem, prudenter eum monuit per viam incedere æquitatis: sapientum obedire consiliis: amicos rectè diligere: in omnibus strenuè se habere: & à Sanctæ Matris Ecclesiæ devotione nullatenus declinare. „ Hæc (inquit) monita mea salutifera, dilectissimè fili Obizo, observando, „ attestatione operum comprobabis, te verè „ processisse de genere Nobili Estensium Marchionum. Hunc si quidem modum egregium, ad quem custodiendum mea persuasio te inducit, tenuit Magnificus Pater meus, „ cujus probitatem & potentiam circumspectam non solùm Italia; sed etiam latitudo „ Romani Imperii est experta, à cujus vestigiis frater meus Aldrevandinus magnanimus „ non deviavit: sed in tantùm se, ac sua exposuit pro Domus nostræ gloria dilatanda, „ quòd etiam me ipsum adhuc infantulum de „ brachiis rapuit genitricis, ejus pias lacrymas parvipendens, & me simul cum toto „ patrimonio Florentinis fœneratoribus obligavit, à quibus accepit ad exercitum conducendum pecuniam, ut rebelles Ecclesiæ „ Romanæ in Marchia Anconitana, & in Apulia expugnaret, de quibus, divina gratia „ favente, strenuè triumphavit. Ego autem „ patris mei, ac fratris vestigia imitatione „ di-

„ digna pro viribus subsequutus, pro defensione Domus meæ, ac omnium amicorum; „ & pro Sanctæ Ecclesiæ Romanæ honore, „ quam conabatur iniquus Imperator in miserabilem redigere servitutem, me audacter „ exposui magnis laboribus, & periculis infinitis. Nec amor filii mei unigeniti me à „ proposito revocavit; sed communem utilitatem præferens speciali, expedire potiùs judicavi ipsum solùm periclitari, quàm oppressionem totius Ecclesiæ, & omnium amicorum mortem, & exterminium tolerare. „ Dominus autem, in quo fuit spes mea à juventute mea, & in quem jactavi semper „ meum cum fiducia cogitatum, me à periculis maximis liberavit, & mei cordis tristitiam misericorditer sublevando, mihi pro „ dilecto filio contra spem omnium, nepos „ dilectissimè, te donavit. Viriliter itaque „ age, fili mi, & cor tuum in Deo principaliter confortetur, consequenter etiam in auxilio fidelium amicorum: & sic eris in cunctis prosperè agens, & piissimus Dominus „ in te supplebit per gratiam, quod in tenera „ ætate nequiveris adimplere. Hæc itaque „ verba, quæ, cùm sospes eram solebam tibi, „ fili Obizo, prolixius enarrare, nunc breviter comprehendi, ut ista mea ultima commonitio menti tuæ altiùs imprimatur: ut „ cognoscas, quid post meum discessum vitare debeas, quid amplecti.

Igitur cum his, & aliis hujuscemodi dictis Catholicus Marchio, firmissima columna Ecclesiæ, ac turris fortitudinis contra faciem Tyrannorum, tutumque refugium, & dulce umbraculum amicorum, domestica negocia præcavens in futurum providè ordinasset, susceptis devotissimè Ecclesiasticis Sacramentis, die XIII. exeunte Februario, ætatis suæ quinquagesimo anno, in civitate Ferrariæ, nocte Dominicæ diei, viam est universæ carnis ingressus. Cujus corpus cum fletu, & planctu maximo in prædicta civitate est traditum sepulturæ, nihilque pertinens ad honorem tam Magnifici Principis fuit in pompa funeris prætermissum.

De apparitione Cometæ, & obitu Urbani Papæ, & electione Clementis Papæ.

IN sequenti æstate post prædicta, stella terribilis, quæ dicitur Cometa, cum magno fulgore apparuit, & in confinio Aquilonis, & Orientis habens principium sui ortus, versùs Occidentem suos minaces radios dirigebat. Cujus apparitio incœpit in Julio, duravitque usque ad principium mensis Octobris. Cursu itaque prædicti sideris consummato, Urbanus Papa Quartus, cùm tribus annis, & uno mense, & tribus diebus Beati Petri naviculam in fluctibus hujus procellosi seculi gubernasset, apud Parisius de medio est sublatus. Post cujus obitum quatuor mensibus, & quinque diebus elapsis, Cardinales Papam Clementem Quartum concorditer elegerunt.

De Rege Angliæ à Principibus suis capto.

TEmporibus istis nefandum præsumtionis scelus est in Regno Angliæ perpetratum. Principes namque Britanniæ facta conspiratione in Regem suum manus impias injecerunt, ipsumque simul cum filiis, & fratre suo Comite Rizardo in custodiam posuerunt. Fama itaque tanti facinoris cùm ad aures Summi Pontificis pervenisset, Legatum protinus à latere suo in Angliam destinavit. Sed & Lodoycus Rex Francorum tam naturali pietate, quàm precibus uxoris, quæ soror erat Reginæ Anglorum, super calamitate Regis Angliæ ad misericordiam inclinatus, pro compositione inter prædictum Regem, & Principes facienda magnificè laboravit. Qualiter autem inter prædictos Reges affinitas est contracta, breviter duximus declarandum.

Raymundus namque nobilis Comes Provinciæ masculum post se filium non reliquit; sed quatuor filias habuit generosas, quas elegantia formæ, ac morum grata suavitas ita reddidit gratiosas, quòd ad legitimos Illustrium Regum amplexus accedere meruerunt.

Quarum duæ Regi Franciæ, & ejus fratri Carolo sunt matrimoniali fœdere copulatæ: dictusque Carolus pro dote uxoris obtinuit Provinciæ Comitatum. Aliæ verò duæ Regi Angliæ, ac ejus fratri, Comiti scilicet Rizardo, conjugali vinculo sunt astrictæ. Et occasione illius affinitatis inter duo prædicta Regna quædam amicitia est exorta, quæ inter se antiquitus sæpe discordiam habuerunt.

De Saracenis, qui ex Africa in Hispaniam transierunt.

EOdem anno, de consilio pessimi Saraceni, Regis videlicet Granatæ, tributarii Regis Castellæ, maximus exercitus Saracenorum ex Africa in Hispaniam subitò transfretavit, multisque Christianis peremtis, loca plurima in finibus Hispaniæ occupavit. Ad quorum impetum reprimendum, Magnificus Rex Castellæ cum exercitu valido perrexit Sibiliam festinanter, commissoque frequenter prælio magnam de Saracenis multitudinem interfecit. Et quia varius est eventus bellorum, de Hispanis etiam plurimi ceciderunt.

De adventu Regis Caroli in Italiam.

ANno Domini MCCLXV. cùm per decennium Princeps Manfredus supra memoratus Romanam Ecclesiam, & ejus fideles per se, ac suos sequaces fermè in tota Italia graviter afflixisset: Summus Pontifex de consilio Cardinalium, Catholicum Principem Carolum, Comitem Provinciæ, fratrem videlicet Christianissimi Ludovici Regis Franciæ, & Alphonsi Illustrissimi Comitis Tholosani, ad suscipiendam coronam Regni Siciliæ exhortatoriis literis invitavit. At ille, utpote vir strenuus, & magnanimus, cupiens Ecclesiæ in tantis angustiis subvenire, & opulentissimi Regni dominium obtinere, assensum præbuit Apostolicæ voluntati, & ad aggrediendum tam arduum negotium incœpit se magnificè præparare. Eo etiam tempore Romani multis dissensionibus, & bellis civilibus conquassati, sperantes per tam potentem Virum in viam pacis, & semitas dirigi æquitatis, ipsum elegerunt in suum perpetuum Senatorem. Quod officium grataner excepit, & ad regimen Urbis Romanæ Vicarium suum cum cohorte militum protinus destinavit. Tunc temporis Mediolanenses cum amicis Ecclesiæ ad recipiendum Illustrem Comitem Carolum se viriliter præparaverunt. Econtra Cremonenses cum

A amicis suis, Manfredi corrupti pecunia, iter Romitis ad Urbem Romanam impedire modis omnibus conabantur. Comes autem perficiendi velociter opus incœptum desiderio inflammatus, sciens, quia mora trahit ad se periculum, & quia varietas temporum mutationem inducit aliquando animorum: cum electa manu militum de partibus Galliæ per mare Tyrrhenum ad Romanum portum pervênit: primo scilicet anno Pontificatus Beati Papæ Clementis. Ad cujus adventum Romani mirabiliter sunt gavisi, eique obviam unanimiter procedentes, ipsum in Urbem cum triumphali gloria, & honore Regio deduxerunt.

His auditis, Manfredus obstupuit vehementer, videns novum Regem gradatim ad perfectum venire, & res ei prosperè ad vota succedere: pariterque considerans magnum sibi periculum imminere, si robur exercitus venientis in ejus auxilium expectaret, cœpit modi omnibus nobilissimo Principi insidias præparare, solicitè procurando tam per assassinos, quàm per alios sceleratos, quibus dona præcipua promittebat, ut gladio, vel veneno auferret de medio Ecclesiæ defensorem. Sed quum videret frustra se insidiarum retia relaxare, suum devotum Principem Domino protegente: immensas acies militum in fines cœpit infundere Romanorum, ut importunitate ostentationis suæ potentiæ, Illustrem Regem ad prœlium provocaret. At Princeps circumspectus insidias Tyranni prudenter (a) videbat, & ejus insultus armis quandoque strenuè cohibebat. Habebat siquidem secum in Urbe Romana non magnam fidelium militum quantitatem. Non enim perfectè confidebat de militia Romanorum, quia plures illorum munera Tyranni accipere consueti, & ideo prudenter differebat in aperto campo cum paucis militibus occurrere infinitis, ne incautè se bellorum discrimini exponendo, sibi perniciem acquireret, & causam præberet hostibus triumphandi. Expectabat autem animo scienti exercitum sibi de Francia, & aliis Galliarum partibus repromissum. Quatuor itaque mensibus elapsis ab ejus ingressu in Italiam, sua nobilissima uxor cum multis ad Romanum portum applicuit, & inde in Urbem cum ingenti gloria est deducta. Post hæc in eodem anno exercitus magnus Francorum, habens introitum per Sabaudiam, in media hyeme transivit per mediam Lombardiam, Fidelibus Ecclesiæ victualia exercitui exhibentibus copiosè: inimicis verò non audentibus comparere. Et circa festum Nativitatis Domini ad Urbem Romanam pervênit, ubi eos Rex Carolus cum summo desiderio expectabat.

De Pace Brixiensium inter se.

His temporibus Brixienses pacem inter se fecerunt, & à dominio Marchionis Palavicini, & Cremonensium recedentes, Mediolanensibus, & Bergomensibus, & Mantuanis Ecclesiæ Fidelibus adhæserunt. Tunc Cremonenses munitissima Castra Brixiensium juxta flumen Olei constituta, scilicet Canetum, Pontem-Vicum, Quintianum, & Urceos, quæ in suam redegerant potestatem, suos in eis ponendo custodes, funditus subverterunt.

(a) *Fortè* vitabat. *Osius*.
(b) *Num* gesto? *Muratorius*.

Qualiter Rex Carolus Regnum Siciliæ obtinuit, & Manfredum occidit.

Anno Domini MCCLXVI. postquam Rex Carolus vidit se Francorum Principum, & Gallicanæ militiæ præsentia roboratum, movit exercitum suum ab Urbe Roma, & in manu forti arripuit iter ad Regnum Siciliæ obtinendum. Transivit itaque flumen Ceperani, & in primo impetu Civitatem Sancti Germani obtinuit, devictis millitibus Principis, & fugatis.

Eodem tempore quidam Magnates Apuliæ à Principe recedentes, Regi Carolo adhæserunt. Princeps autem Manfredus accepto gustu (b) audaciæ militiæ Gallicanæ, suorum quoque Magnatum inopinata inconstantia, doluit vehementer: statimque per universas partes Regni nuntios destinavit, præcipiendo, ut omnes milites, & viri bellatores, qui erant in locis opportunis ad custodiam constituti, protinus ad eum apud Capuam convenirent. Existimabat enim, se ibidem posse Regis impetum cohibere, maximè propter profunditatem fluvii secus Capuam commeantis. Rex autem movit procinctum versùs Capuam festinanter: sed cùm percepisset, quod juxta Capuam fluvius erat (c) innumerabilis, longè superiùs à Capua dictum fluvium pertransivit. Princeps autem cùm de Regis transitu cognovisset, videns se viribus imparem, nondum suo exercitu congregato, versùs Beneventum, dimissâ Capuâ, properavit. Habebat autem secum, præter milites Regni, Theutonicos, Cathelanos, Lombardos, Thuscos, & innumerabiles Saracenos. Nam quia manu larga thesauros auri & argenti militibus ad se confluentibus effundebat, viri bellicosi ad eum, tamquam ad Magnificum Principem, concurrebant, interdictum, & excommunicationem Ecclesiæ penitus contemnentes. Et quia Rectoris ad exemplum subditi componuntur, omnes, qui ejus parebant imperio, ita erant ipsius impiis operibus conformati, quod licèt Christiani nomine dicerentur, voluntate tamen, & opere censeri poterant Saraceni. Unde justo Dei judicio Tyrannus, & omnes impietati ejus faventes, in uno Campo simul sunt collecti, ut pariter punirentur, quos idem facinus, & intentio pestifera inquinabat.

Rex itaque Carolus, cùm audisset Principem de Capua recessisse, existimans eum fugere, insequutus est ejus vestigia, invenitque ipsum cum exercitu in planitie Beneventi ad prœliandum magnificè præparatum. Cùm igitur (d) mutatis aspectibus uterque exercitus cominus se vidisset, milites Principis cognoscentes Regis exercitum labore itineris fatigatum, cum clamore valido incœperunt Francigenas ad prœlium provocare. Rex itaque confestim suos Principes ad consilium provocavit, & cunctorum est judicio definitum, bellum esse minimè differendum, quod cum tanta clamoris importunitate adversarii postulabant. Ex belli namque dilatione duplex Regi videbatur accidere nocumentum, quod inde scilicet hostes audaciam assumebant, & quòd exercitus eorum quotidie augebatur. Tunc Rex providus diligenter suas acies præpara-

(c) *Fortè* invadabilis. *Osius*.
(d) *In al.* mutuis. *Osius*.

Digitized by Google

paravit: in cujus exercitu, præter Francigenas, erant multi milites Italici, Campanici, & Romani. Similiter & Princeps duxit suas acies ex adverso, ponens ex latere multitudinem Saracenorum, qui sagittis adversarios acriter stimularent. Cùmque primæ acies ex utraque parte ad prœlium processissent, & viriliter dimicarent, & hinc & inde multi caderent vulnerati, Rex de sublimi equo prospiciens, vidit milites suos ferè ab hostium multitudine superari. Tunc, Omnipotentis auxilio invocato, cum sua terribili acie irruit super hostes, quasi impetus tempestatis: Domino verò auxiliante, cui facile est in manibus paucorum concludere infinitas, acies Principis terga verterunt, & tanta multitudo de ipsius exercitu est prostrata, quòd campum celabant oculis corpora occisorum. Multi etiam Principes, & milites sunt capti; reliqui verò sunt in fugam conversi, amissa omni fiducia resistendi. Ibidem & ipse Princeps Manfredus occubuit hostium gladiis interfectus: cujus corpus in capite Pontis Beneventi Rex Carolus fecit honorificè sepeliri. Uxor autem ejus, quæ filia erat Cumani Magni Principis Græcorum, capta fuit, dum anxiè disponeret, audita morte mariti, cum suis filiis in Græciam transfretare. Et cùm fuisset hoc Regi Carolo nuntiatum, fecit eam simul cum filiis in quodam Castro recludi, & ibidem cum diligentia custodiri.

Post divulgationem itaque istius victoriæ triumphalis, Cremonenses ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ revertentes, Legatos Apostolici humiliter susceperunt, & durissimum Uberti Palavicini jugum à suis cervicibus excutientes, eum exire de finibus suis coëgerunt: & sic pars extrinseca Cremonensium ad propria est reversa. Tunc prædictus Tyrannus, qui habuerat dominium Cremonæ, Mediolani, Brixiæ, Placentiæ, Papiæ, ac Tortonæ, nec non Alexandriæ, secessit ad quædam Castra in Montibus constituta, ibique suam constituit mansionem.

Qualiter Rex Carolus rebelles in Thuscia expugnavit.

ANno Domini MCCLXVII. Rex Carolus, Regno subacto Siciliæ, vênit Viterbium ad revocandum (a) Papam Clementem, & ibidem est ab eo Vicarius Imperii constitutus. Cujus mandata cunctæ civitates Thusciæ humiliter receperunt. Pisani verò, & Senenses, Burgenses quoque Podii Bonici, præcepta Summi Pontificis, & Regis penitus contempserunt. Tunc contra prædictos rebelles Rex Catholicus movit procinctum, Senensium districtum vastavit, Castrum autem Podii Bonici, in quo de tota Thuscia inclusa erat militum rebellium multitudo, longa obsidione devicit. Post hæc Pisanos in sua duritie persistentes, in manu valida est aggressus, eorum portum succendit, turres evertit, & in mare projecit, omnesque fines Tyrannorum circumiens, Villas, Castra, & omnia eorum bona penitus dissipavit.

De adventu Conradini ex Alemannia.

CUm prædicta in partibus Thusciæ agerentur, Conradinus jam adolescens filius Regis Conradi, Romanorum, Pisanorum, Senensium, Papiensium, & Veronensium literis, & nuntiis excitatus, ad recuperandum paternum Regnum cœpit cordis desiderium ardentissimè applicare. Tunc Principes Alemanniæ, de quorum amicitia confidebat, ad colloquium convocavit: & post multa hinc & inde proposita est tamdem Majorum consilio definitum, quòd ipse sinè mora deberet in Italiam proficisci. Protinus egregius adolescens cum auxilio amicorum exercitum congregavit, descendensque de Alemannia vênit Veronam, comitantibus eum Duce Bavariæ avunculo suo, Comite de Tiraulo, qui matrem ipsius duxerat in uxorem. Mansit itaque Veronæ tribus mensibus, nihil viriliter agens, quia nec commodum amicis tulit, nec damnum intulit inimicis. In prædicto igitur spatio temporis, pro defectu pecuniæ venditis equis & armis, magna pars exercitus ad propria remeavit. Similiter Dux Bavariæ, ac Comes de Tiraulo, ipso relicto, ad sedes proprias sunt reversi.

Fama itaque de adventu Conradini in (b) Italiam discurrente, Saraceni habitantes in Nuceria rumore hujusmodi confortati, quia graviter Francorum dominium tolerabant, cœperunt contra Francigenas rebellare, regionem circa se positam crudeliter deprædantes. Accidit etiam Regi Carolo tunc temporis alia pestis bellica improvisa. Nam Fridericus juvenis animosus, frater Regis Castellæ, & Illustris Henrici Senatoris Romanorum, cum navali exercitu Siciliam introivit, & quædam loca munita, per tyrannidem occupavit. Eo verò tempore Rex in Thuscia rebelles fortiter impugnabat: & tempore illo uxor Regis apud Neapolim diem clausit extremum.

Qualiter Conradinus de Verona perrexit Papiam.

ANno Domini MCCLXVIII. Illustris Conradinus exiens de Verona cum electa manu militum, fluvium Mintianum (c), & Oleum transvadavit, & per districtum Cremonæ Papiam perrexit, nullo audente ipsius transitum impedire, licèt tota Lombardia, præter Veronam, & Papiam, favere Regi Carolo videretur. Cùmque in civitate Papiæ moram aliquot mensibus traxisset, tamdem cum auxilio Papiensium ad terras Marchionis Carreti transivit, ibique in mari Tyrrheno Pisanorum navibus præparatis, navem conscendit, & ad Pisanum portum prospero cursu pervênit. De isto itaque lubrico cursu nobilis Conradini homines mirabantur. Multi quoque ejus egressum, & progressum in depressionem Regis Caroli miris laudibus extollebant; sed Deus Omnipotens, qui usque in tertiam, & quartam generationem visitat iniquitatem patrum in filiis imitantibus malos patres, aliter, quàm putabant homines, de adolescentulo disponebat.

Qua-

(a) *Fort.* revisendum, *aut quod simile*. Murat.
(b) *In al.* Apuliam. *Ossius*.

(c) *Lege* Mintium. *Ossius*.

Digitized by Google

Qualiter Rex Carolus Conradinum, & Romanos gravi periculo superavit.

CUm igitur famæ testimonio Conradinum venisse Pisas fuisset per Italiam declaratum, de Lombardia, Thuscia, & aliis regionibus confluxit ad eum militum maxima multitudo, qui potentiam Regis Caroli deprimere, & Conradinum sublimare pro viribus affectabant. In illis diebus circa Pascha Rex, dimisso Marschalco cum militia in Thuscia, in Apuliam est reversus, & Saracenorum discursum, ædificatis circa Nuceriam munitionibus, coarctavit.

A

Post Regis itaque discessum insurrexit Conradinus contra Lucanos, eorum districtum vastavit, & Marschalcum sibi cum Regis militia occurrentem strenuè superavit.

B

Eodem tempore Illustris Henricus, frater Regis Castellæ, fungebatur in Urbe honore Senatoriæ dignitatis. Iste tanto superbiæ spiritu erat plenus, quòd etiam dominium fratris sui Regis Castellæ nullo modo poterat sustinere. Unde relictâ Hispaniâ, vagabundus per diversas Provincias discurrebat. Denique cùm in præcedenti tempore Romanam Curiam pro suis negotiis visitasset, Romani tunc eum in Senatorem communiter elegerunt. Licèt igitur iste consanguineus Regis Caroli esset, quia pater suus frater fuerat matris Regis: exortis tamen simultatibus inter eos, modis omnibus exaltationem Conradini, & Regis interitum procurabat. Consilio itaque istius acquisierat partem maximam Romanorum, odientium Regem hac de causa, quia thesauros argenti & auri manu largiflua eis minimè tribuebat. Quid plura? Senator igitur prædictus, & Romani Conradinum cum suo exercitu convocantes, ipsum in Urbem contra mandatum Summi Pontificis induxerunt. Firmata itaque conjuratione inter eos, unanimiter contra Regem Carolum prœliaturi egressi sunt ex Urbe, Conradinus cum suo exercitu, & Senator cum eo cum multitudine militum, & peditum Romanorum: & versùs Apuliam properantes castra non longè à civitate Aquilæ posuerunt. Rex autem in eorum occursum cum exercitu valido properavit, & nono die, exeunte Augusto in campo Palentino direxit triplicem aciem contra eos. Similiter adversarii de sua multitudine confidentes, contra Regem suas acies direxerunt: commissumque est bellum lacrymabile, & horrendum, in quo (proh dolor) multus ex utraque parte sanguis hominum est effusus. In primo namque belli congressu duæ Regis acies terribili hostium impetu sunt prostratæ pariter, & fugatæ, occiso crudeliter Marschalco, quem propter strenuitatem personæ, ac ornatum armorum esse Regem Carolum existimabant. Jamque milites Conradini, quasi securi de victoria ad invadendum saumerios, & detinenda occisorum spolia insistebant.

C

D

E

Rex autem Carolus, imminente tanto discrimine pugnæ, audire devotè Missæ Officium non omisit. Quo completo, videns militum suorum ruinam, ex intimo cordis affectu invocavit Dominum prodigia facientem, & Beatam Virginem, de cujus auxilio (sicut ipse postmodum est testatus) plurimùm confidebat, (*) exclamans voce vivifica, hortatus est militiam suam, dicens. „ O nobilis militia „ Franciæ, cui ab antiquis temporibus divina „ potentia contulit gratiam specialem triumphandi de inimicis Ecclesiæ, ac nominis „ Christiani: nunc incumbit vobis maxima „ causa, contra inimicos Ecclesiæ prœliandi, „ ut nostrorum nobilium prædecessorum vestigia imitantes, qui pro defensione Christianitatis pericula gravia pertulerunt, genti nostræ laudem & gloriam acquiramus; & si „ fortè à divina processerit voluntate, quòd „ in isto prœlio moriamur, non contristemur „ sicut illi, qui spem non habent, quia Cœlorum Regnum obtinebimus pro mercede. „ Si verò sicut strenui bellatores non degenerantes à nostrorum Majorum virtute, victoriam fuerimus consequuti, ex hoc subsequetur nos bellorum maxima merces, gloria scilicet triumphalis, & fama probitatis, „ longo tempore duratura.

Postquam his, & hujuscemodi verbis militum animos inflammavit, cum Regali acie terribiliter ordinata, more leonis ad nullius paventis occursum, cum impetu irruit super hostes, & ex eorum multitudine multa millia Virorum mira virtute prostravit, victricem manum suam Domino apponente: universos verò in præcipitem fugam convertit. Capta est autem magna militum multitudo, inter quos simul cum Senatore capti sunt plurimi Principes, & viri nobiles, & potentes. Proditores etiam quamplures capti sunt, qui Regem deseruerant, & adhæserant Conradino. Hos omnes transfugas regia severitas fecit subire sententiam capitalem. Conradinus verò fugiens, de bello quidem evasit; sed, dum de loco ad locum tremebundus transiret, deficiente sibi consilio evadendi, tamdem incidit in manus quorumdam Civium Romanorum, qui pro immensa pecuniæ quantitate ipsum Regi potentissimo tradiderunt. Rex autem excepit illum gaudens, ipsumque fecit cum summa diligentia custodiri. Paucis itaque diebus post bellum transactis, ingressus est Romam magnificus triumphator, & acclamante populo Romano suscepit lætanter Senatoriam dignitatem. Constituto itaque pro se in Urbe Vicario, & rebus prosperè ordinatis, in Apuliam est reversus: & post aliquot dies nobilem, & pulcherrimum Conradinum, & coætaneum ejus, Ducem scilicet Austriæ, qui venerat cum eo de Alemannia, jussit apud Neapolim publicè decollari.

Illis temporibus filia Ducis Burgundiæ præfato Regi est matrimoniali fœdere copulata.

Eodem etiam tempore Venerabilis Papa Clemens, cùm tribus annis, & novem mensibus, & viginti quatuor diebus Romanam Ecclesiam feliciter gubernasset, apud Viterbium migravit ad Dominum, die tertio, exeunte Novembri.

Eodem temporis curriculo, quarto scilicet die intrante Novembri, circa mediam noctem fuit maximus terræmotus.

Qualiter Saraceni cum Tartaris pugnaverunt, & qualiter Bethogar suum Dominum interfecit.

CUm prædicta fierent inter Christianos in partibus Occidentis, ferocissima gens Tartarorum, post victoriam Orientis, irruit super Sara-

(*) *Melius* & clamans. *Ojus*.

Saracenos, vastavitque Arabiam, Syriam, ac Palæstinam, nulli ætati parcentes usque ad fines Ægypti, occisis Soldanis Damasci, Alapii, & Camellæ. Tantus autem terror eorum circumstantes nationes invasit, quòd potentissimus Soldanus Iconii, & Rex Armeniæ minoris, & Princeps Antiochiæ multitudini eorum resistere non audentes, ipsorum se dominio subdiderunt, annuum tributum reddere promittentes. Solus igitur Soldanus Babylonis ad resistendum Tartaris se magnificè præparavit. Exivit itaque de Ægypto in manu valida, secum habens ferè CCC. millia equitum, & per desertum venit Gazaram, quæ est in finibus Palæstinæ: commisitque prælium cum Tartaris, qui remanserant in Syria, & eos viriliter superavit: nec destitit persequi fugientes, donec eos de Syria coëgit exire, & trans flumen Euphratem, unde venerant, remeare. Tunc Saraceni, qui à facie Tartarorum fugerant ad deserta, ad sedes proprias sunt reversi.

Post fugam itaque Tartarorum, cùm Soldanus reverteretur in Ægyptum cum exercitu, relictis militibus in munitionibus opportunis, & distaret diebus quatuor à Babylone, perrexit quadam die venatum. Et dum milites ejus venationis causa discurrerent huc & illuc, illustris quidam Princeps Soldani, nomine Bethogar, qui aspirabat ad regiam dignitatem, videns Soldanum cum paucis militibus remansisse, eum protinus cum suis satellitibus aggrediens, interfecit: statimque cum sua militia properans Babylonem, & ad Cairum, Babylonis Regnum obtinuit violenter, sibi resistentibus interfectis; habuitque sub sua potestate, præter Regnum Ægypti, Arabiam, & Syriam usque ad flumen Euphratem, in quibus Provinciis ante adventum Tartarorum plures Soldani solebant Regna ditissima possidere. His ita patratis, non fuit perfidus Bethogar contentus prædictarum dominio regionum; sed ad expugnandos Christianos totius potentiæ suæ vires concussit (a): congregansque exercitum copiosum, expugnavit Civitates Christianorum, & Castra fortissima Templariorum, & Hospitaliorum. Insuper gloriosam Civitatem Antiochiam instanter bellando abstulit Christianis: tantamque stragem fecit de Christianis, quanta non fuit perpetrata à tempore maximi Soldani. Ultra verò flumen Euphratem super Orientalia Regna Parthorum, Assyriorum, Persarum, & Medorum, & aliarum Provinciarum Tartari imperabant, interfectis Regibus, & Principibus, & subversis Urbibus, quæ sibi resistere conabantur. Nam & Civitatem Baldach inclytam & maximam invaserunt, quæ super Tigrim constituta est, de ruinis antiquissimæ Babylonis. In hac Calippus regnabat, quem reverebantur Saraceni, ut Romanum Pontificem Christiani. Hunc Tartari morte turpissima occiderunt, & cum eo Saracenorum multitudinem infinitam.

Qualiter Rex Carolus obtinuit Nuceriam.

ANno Domini MCCLXIX. post longam obsidionem Rex Carolus obtinuit Nuceriam rebellantem. Nam deficientibus victualibus Saraceni attenuati fame, Civitatem, & se ipsos Regis dominio tradiderunt. Rex autem evertit mœnia Civitatis; & Christianos rebelles, qui transfugerant ad Saracenos, & persuasione sua eos firmaverant in pertinacia rebellandi, gladio interfecit. Illam verò multitudinem infidelium Regalis providentia ita dividere procuravit, quòd audaciam resistendi penitus amiserunt. Quidam autem ex eis, errore infidelitatis relicto, Baptismi gratiam humiliter receperunt.

His etiam temporibus Pisani, & Senenses, frequenti hostium insultatione afflicti, se ac sua jugo Regalis potentiæ subdiderunt.

Quòd Principes Occidentis in Africam transierunt.

ANno Domini MCCLXX. post lacrymosam cladem Christianorum, in partibus transmarinis à Soldano Babylonis crudeliter perpetratam, cùm Romana esset Ecclesia, propter discordiam Cardinalium, tunc Pastoris regimine destituta: tamdem commati (b) Reges, & Principes Occidentis, Rex scilicet Franciæ Catholicus Ludoycus, Carolus Rex Navarræ, & filius Regis Angliæ inclytus Odoardus præparaverunt se magnificè ad transfretandum in subsidium Terræ Sanctæ. Communi itaque consilio primò aggrediendi Regem Tunitii ditissimum disponentes, cum exercitu valido, & multitudine navium copiosa in Africam transierunt. Cùmque Rex Franciæ primitus applicuisset ad munitum portum munitissimæ Carthaginis, quæ est portus Africæ, & Saracenorum præsidium singulare, viriliter Carthaginem expugnavit, occisis Saracenis pariter & fugatis. Post victoriam itaque Carthaginis, lues repentina ex corruptione aëris & aquarum exercitum Francorum invasit: multique Principes, & milites, & populares morbo disenteriæ perierunt. Unus etiam de filiis Regis tunc temporis lethali valetudine oppressus, de medio est sublatus. Post mortem itaque dilecti filii protinus Rex devotissimus disenteriæ morbo correptus, videns diem sibi ultimum imminere, negotiis Regni & exercitus congruè ordinatis, & effusis (c) precibus lacrymosis ad Dominum, cùm esset populo ibidem congregato sanctificator, & custos, viam est universæ carnis ingressus.

Post obitum benignissimi Regis, filius ejus Philippus, qui erat in castris cum Patre, Regni Franciæ obtinuit diadema: Rex autem Carolus post Regis obitum, Capitaneus exercitus constitutus est. Et Rex novus Illustris Philippus, & Rex Navarræ moventes à Carthagine, audaciter exercitum ante muros Tunicii produxerunt, Saracenis, qui de totius Africæ partibus convenerant in auxilium Civitatis, terga vertentibus, tentoriis & tuguriis in campo cum omni supellectile derelictis. Adhuc nondum cum exercitu suo advenerat clarissimus Odoardus. Rex autem Tunicensis considerans, multitudinem Africanorum nullo modo posse sustinere impetum populi Christiani, nimio timore perterritus, compositionem pacis à Regibus postulabat. Reges autem, tum propter difficultatem urbem munitissimam capiendi, tum propter pestilentiam mortalitatis, quæ vehementer exercitum affligebat, tale pa-

(a) *Fort.* congessit. *Murat.*
(b) *Lege* commoti. *Murat.*
(c) *In al.* precibus lachrymosis coram populo ibidem congregato sanctificatus viam est universæ carnis ingressus. *Osius.*

Digitized by Google

pactum cum Rege Tunicii pepigerunt: quòd ipse persolveret Regibus omnes transfretationis expensas, & tributum redderet Regi Carolo, & filiis suis, quòd ipse solebat persolvere magno Principi Federico. Super hoc additum est in pacto, quòd quamdiu erit bellum contra Saracenos in partibus transmarinis, dare stipendia tribus millibus militum teneatur. Rex itaque ditissimus hæc & alia, quæ Reges Christiani petierunt, facere compromisit, &, A apertis thesauris suis, opere protinus adimplevit.

Dum hæc agerentur, applicuit ad portum Carthaginis in classe maxima probissimus Odoardus. Postquam verò fuerunt pacis fœdera celebrata, exercitus in Siciliam remeavit: sed vento vehementi contrario existente, in portu Trapani naves plurimæ sunt confractæ, in quibus magna militum multitudo est submersa.

F I N I S.

Digitized by Google

MANTISSA

Adjecta vetustissimo MS. Chronico Monachi Paduani hoc Titulo

Quædam scitu digna de civitate Paduæ subsequuntur.

PAdua condita fuit ab Anthenore de Trojana stirpe, post Trojam eversam, & annis MCC. ante natum Dominum Nostrum Jesum Christum, & ante conditam Romam annis CCCCXL.

Post natum Christum capta fuit Padua ab Attila Hunnorum Rege, qui intravit Italiam cum quingentis millibus armatorum, anno Christi CCCCLV. Post adventum Gothorum, qui intraverunt in Italiam anno Christi CCCCXIII. & à condita Roma annis MCLXVI. cum eorum Rege Alaricho, & ipsam Provinciam igne & ferro vastatam reliquerant, spoliantes illam.

Propter Gothorum adventum Patavini territi, decreverunt Urbem portualem, & refugialem condere. Et anno Domini CCCCXXI. die XXV. Martii decreverunt illam construere circa ostia fluvii Præalti, ubi dicitur *Rivus-altus*, & tres Consules ad opus exequendum miserunt Paduani, quorum unus fuit Aldebertus Falereus, Secundus Thomas Candianus, Tertius Zeno Daulus. Consules missi anno CCCCXXIII. Lucianus Favilla, Maximus Luirus, Bugo Fufuscus. Deinde alii missi fuerunt, idest Marcus Aurelius, Andreas Clodius, Alboinus Maurus.

Et anno Christi CCCCXXII. miserunt magistros navium CXIV. & addiscentes CCCXXII. Deinde singulis annis mittebantur ex Padua ibidem Consules, usquequo civitas Venetiarum incœpit sibi eligere Ducem, quod fuit anno Christi CCCCLIX. & prima fundamenta Rivi alti facta fuerunt anno Christi CCCCXXI. die XXV. Martii, circa horam meridiei. Et anno Christi MCLXXI. propter maximam penuriam, & famem, frumentū venditum fuit soldis sexaginta pro quolibet stario.

Anno Christi MCLXXXVII. sepulcrum Domini Nostri Jesu Christi captum fuit per Soldanum, aliter Saladinum nominatum.

Anno Domini MCXCI. factus fuit pons Brentæ de Noventa, & Turris Comfreduli, & Stationes Correzarum, Conzariorum, & Merzariorum Communis Paduæ, & Peronum à fructibus, & Turris in Capite aggeris à Bazolo Marchione Capitis aggeris.

Anno Domini MCXCV. facta fuerunt mœnia circa Paduam à ponte S. Leonardi, usque ad Monasterium Sancti Benedicti. Et cœptus fuit similiter pons lapideus Omnium Sanctorum.

Aqua à Monte Silice cœpit venire in navigio anno Domini MCCIV.

Via, per quam itur ad Plebem Sacci, facta fuit & rectificata anno Domini MCCX. Aliter MCCXII.

Ordo Fratrum Prædicatorum confirmatus fuit in Curia Romana anno Domini MCCVI.

Navigium, per quod itur Venetias, factum fuit anno Domini MCCIX.

Porta Turrisellarum, & murus usque ad Sanctum Michaëlem factus fuit anno Domini MCCX.

Via de Bovolenta facta fuit anno Domini MCCXVI. Quo etiam anno emta fuit domus, in qua moratur Potestas Paduæ.

Molendina facta fuerunt an. Domini MCCXVII. & Pons de Cortarodulo.

Palatium magnum Communis Paduæ cœptum fuit anno Domini MCCXVIII. & completum fuit anno Domini MCCXIX.

Ecclesia Sanctæ Mariæ de Porcia cœpta fuit anno Domini MCCXIV.

Castrum Cittadellæ cœptum fuit anno Domini MCCXX.

Monasterium Sancti Joannis in Viridario cœptum fuit anno Domini MCCXXI. & eodem anno completum fuit Zironum Cittadellæ.

Anno Domini factum fuit navigium, per quod itur Montemsilicem, ubi prius erat nemus, quod vocabatur *Gadio*.

Sanctus Dominicus obiit Bononiæ MCCXXI. Et anno sequenti Studium Bononia translatum fuit Paduæ. Eodem anno terræmotus magnus fuit in die Nativitatis Domini, qui duravit per unam horam post Missarum solemnia, ex quo multa palatia corruerunt, & maximè in Brixia.

Monasterium de Cella fuit fundatum, & constructum per Beatum Franciscum, qui posuit primum lapidem anno Domini MCCXXV. Qui postea decessit anno sequenti, die IV. Octobris.

Fossatum juxta Monasterium Sanctæ Justinæ factum fuit anno Domini MCCXXVIII. per Venerabilem Abbatem Rainaldum.

Sanctus Antonius venit Paduam anno Domini MCCXXIX. Qui obiit in Monasterio de Cella die XIII. Junii MCCXXXI. Et canonizatus fuit anno sequenti de mense Maji in civitate Spoleti per Gregorium Pontificem Nonum. Sanctus Dominicus canonizatus fuit per eumdem Pontificem anno Domini MCCXXXIII.

Padua data fuit per Majus Consilium Comiti Gaboardo recipienti Imperatorio nomine, & Ecelino de Romano, uti Capitaneo, & Consiliario partis Imperii, anno Domini MCCXXXVII. die XXIV. Februarii.

Castrum Sancti Thomasii de Padua fuit cœptum ædificari anno Domini MCCXLII. per Ecelinum. Quo anno frumentum valuit soldos XX. & reputata fuit caristia magna.

Sancta Clara canonizata fuit à Papa Alexandro IV. in Anania anno Domini MCCLIV.

Murus à Sarasinesca incœptus fuit anno Domini MCCLX. die X. Novembris.

Murus circa Paduam à parte Occidentali factus fuit anno Domini MCCLXIII. ubi erant spaldi, & completus fuit totaliter anno Domini MCCLXX.

The-

A Thesaurus cum medaliis aureis inventus fuit in horto domus Dei de Padua, & malè distributus, quia partem inventores, & partem Episcopus, & partem Potestas habuit, reliquum quod fuit quarta pars, in emtionem prædiorum conversum anno Domini MCCLXXIV. & fuit valoris de libris XXX. mill.

Episcopus Tridentinus,& populus se subjecerunt Dominio Paduæ an. Domini MCCLXXVIII. Et missus fuit per Paduanos Potestas Dominus Marsilius Parthenopæo, ex quo orta est guerra inter Paduanos, & Veronenses.

Tridentina Civitas sublata fuit à dominio Paduæ per Episcopum, & Populum Tridentinum anno Domini MCCLXXIX. de mense B Augusti.

Domus Potestatis, sub qua stant Ferraroli, facta fuit anno Domini MCCLXXI.

Contra Clericos Paduanos, propter eorum insolentias, de quibus nulla fiebat justitia, fuit factum Statutum, quòd occidens Clericum condemnetur in uno denario grosso: & hoc anno Domini MCCLXXX I. propter quod Civitas Paduæ fuit à Papa Gregorio interdicta cum tota Diœcesi per dies Quadragesimæ.

Domus inter Turrim Rubeam, & Ferrarias facta fuit anno Domini MCCLXXXIV. super cujus sala fiebat majus Consilium.

Domus Antianorum Paduæ facta fuit an.Domini MCCLXXXVI. Pons Lapideus à Sancto Jo- C hanne factus fuit an.Domini MCCLXXXVI.

Termini Campaneæ Paduæ à palatio per duo milliaria fixi fuerunt de mense Julii. Et eodem anno inchoatus fuit lapideus pons Tadorum.

Statutum contra Clericos revocatum fuit, per interpositionem Fratris Bonaventuræ Ordinis Minorum, Archiepiscopi Ragusini, anno Domini MCCLXXXIX.

Æstimi, & datia in Padua fuerunt inchoati anno Domini MCCXCI. pro reficiendis domibus combustis in contrata Stringariorum, per quem ignem quarta pars Civitatis fuit combusta.

Castrum Baldum ædificatum fuit anno Domini D MCCXCII. contra voluntatem illorum de la Scala, & Marchionum Estensium, & completum fuit anno Domini MCCXCIII.

Ultra Thesinum, ubi dicitur Abbatia, Abbas dicti Monasterii investivit Commune Padua de quinque mansis terræ ex opposito Castri Baldi, & hoc fuit anno Domini MCCX[illegible]. cum pensione solvendi libram unam ceræ albæ singulo anno.

Abbatia, Venezæ, Burbuglium cum omnibus juribus, & jurisdictionibus datæ fuerunt per Marchiones Estenses Communi Paduæ anno Domini MCCXCIV. Et postea de anno MCCXCV. de mense Decembris, sub regimine Domini Fantoni de Rubeis, Commu- E ne Paduæ fecit Statutum, quòd super Pizonem fieret unus bonus pons, & ab utroque latere fluminis fieret una fortilicia, tamquam super Territorio Paduano.

Palatium Magnum Communis Paduæ fuit elevatum, & copertum plumbo anno Domini MCCCVI.

Lendenaria cum omni sua jurisdictione fuit data Communi Paduæ per Marchiones Estenses anno prædicto.

Rodigium emtum fuit à Paduanis anno Domini MCCCVIII. à Marchione Estensi pretio librarum decem millium.

Civitas Vicentiæ recessit à fide Paduanorum, à quibus regebatur, anno D. MCCCXI. die XVIII. Aprilis, quam in regimen receperunt Paduani.

Post mortem crudelissimi Ecelini anno Domini MCCLIX. qui eam occupaverat, Paduani relicto suo Potestate, quem eligebant, se submiserunt Imperatori Henrico de Lucemborch, & acceperunt Vicarium Imperatoris ad regimen anno Domini MCCCXI. de mense Augusti, qui postea recesserunt ab ejus obedientia, propter pacta non servata anno Domini MCCCXII. Propter quod idem Imperator in civitate Pisarum tulit sententiam contra Paduanos, & condemnavit illos in libris decem millibus. Quæ postea fuit restituta ad omnes honores, & jurisdictiones, & reliqua per Federicum Imperatorem anno Domini MCCCXX. ut patet in ipsius restitutione, quam vidi.

Consilium Paduæ elegit in Dominum D. Jacobum de Carraria propter metum Domini Canis de la Scala dominatoris Veronæ. qui tenebat Montemsilicem, Estem, & Montagnanam, & hoc fuit die VI. exeunte Julio anno D. MCCCXVIII.

Consilium Paduæ cum consensu Domini Jacobi de Carraria dedit dominium Paduæ Duci Austriæ Regi Romanorum, Comiti Goritiæ pro eo accipienti anno Domini MCCCXIX. & hoc propter bellum Domini Canis de la Scala. Quod sibi datum fuit in Bolzano die V. Januarii, ubi factum fuit parlamentum. Castrum Mirani captum fuit die XXI. Augusti MCCCXXV. per Philippum de Peraga.

Marsilius Grandis de Carraria, destitutus omni remedio subsidii, dedit Paduam Domino Cani de la Scala anno Domini MCCCXXVII. & Dominam Thadæam, filiam prædicti Domini Jacobi de Carraria priùs promissam in uxorem Domino Mastino de la Scala, quæ fuit Venetiis desponsata.

Marsilius prædictus habuit à Communi Paduæ dominium, & claves die III. Septembris, qui congregato Consilio declaravit, quòd volebat Paduam resignare Domino Cani, qui intravit Paduam per portam Savonarolæ die X. Septembris, & posuit sedem suam in Ecclesia Cathedrali, & sic sopitum fuit bellum, quod duraverat annis XVII. mensibus IV. & diebus XX. Sequenti die, convocato Populo in palatio, vexillum Paduæ datum fuit Domino Cani, & ipse constituit suum Vicarium in Padua dictum Dominum Marsilium, reponendo in ejus manibus vexillum prædictum.

Dominus Canis donavit ei bona illorum de Macharuffis, de Terradura, de Buglis, de Zuncho, de Alticlinis, aliquorum de Malitiis, & aliquorum aliorum, qui fuerunt rebelles, ita ut ipse plus haberet divitiarum, quàm reliquum Paduæ.

Padua data fuit in dominio Domini Marsilii prædicti propter multas guerras, & scandala Dominorum Alberti, & Mastini de la Scala, anno Domini MCCCXXXVII. die III. Augusti, & hoc fuit cum consilio Venetorum, & Florentinorum.

Dominus Marsilius prædictus existens in articulo mortis designavit dominium Paduæ Domino Ubertino de Carraria, quod laudatum fuit à Populo, & à Venetis, & Florentinis, cum quibus erat in liga.

Dominus Ubertinus prædictus fecit fieri castrum, videlicet Rocham Este anno Domini MCCCXXXIX. Quo anno facti fuerunt fulli omnium Sanctorum, & Laboreriæ pannorum lanæ, & papyri chartarum.

Palatium claustrale Domini Ubertini de Carraria fuit expletum anno Domini MCCCXLIII. & aliud inchoatum, & facti fuerunt aggeres Argulæ, & navigium Montagnanæ, per quod itur Este, & muri Paduæ spaldorum reparati fuerunt.

Raynerius de Forlivio, Doctor excellentissimus, fuit conductus ad legendum in Studio Paduano per Dominum Ubertinum prædictum cum salario ducatorum sexcentorum, anno Domini MCCCXXXIV. & Paduæ moritur, & sepultus est in Ecclesia Sancti Antonii.

Dominus Ubertinus moritur morbo virgæ anno Domini MCCCXLV. die XXIX. Maji, & reliquit successorem Dominum Marsilium de Carraria Papafaba, quem Jacobus de Carraria, Nepos ex Ubertino, interfecit in ejus contrata die VI. Maji.

Jacobus de Carraria prædictus cum suis posteris nobilitate donatus fuit à Venetis anno Domini MCCCXLVI. propter gentes, quas misit in auxilium Venetorum contra Jadram.

Corpus Beati Antonii fuit translatum in arca die quartodecimo Februarii MCCCXLIX. super quam Legatus Papæ Missam celebravit, existente Episcopo Aldrevaldino.

Jacobus de Carraria prædictus occiditur XIX. Decembris MCCCL. à Gulielmo Spurio filio Domini Jacobi Grandis de Carraria secum existente in prandio.

Consilium Paduæ dedit dominium Paduæ Domino Jacobino, & Francisco de Carraria, filio D. Jacobi, qui tenuerunt dominium usque ad annum MCCCLVI. die XIX. Julii. Quo die Dominus Franciscus, cœnans cum eo, impetum in eum fecit, & captum in Castro Montisfilicis posuit, ubi vitam finivit, & dominari solus cœpit. Qui postea potentia Comitis Virtutum Ducis Mediolani, & Venetorum privatus dominio, captus an. Domini MCCCXCIII. in carcere Mutinæ (*) obiit.

Franciscus de Carraria filius prædicti Francisci, post expulsionem Patris ex dominio, recuperavit Paduæ dominium intrando per subtus pontem Sancti Jacobi de mense Junii die XIX. mensibus XVIII. post expulsum Patrem ejus.

Franciscus de Carraria prædictus, capta Padua per dominium Venetorum die XVII. Novembris MCCCCV. Venetias ducitur in carcerem, & ibi finivit vitam suam.

Marsilius dicti Francisci filius, & Ubertinus frater stabant unus in civitate Mediolani; alter verò Florentiæ, qui Ubertinus venenatus ab uno nominato *Scanferlon*.

Marsilius verò ductus à consilio quorumdam improborum, qui meritas solverunt pœnas, decrevit dominium Paduæ clam intrare; sed, cognito negotio, captus fuit ad Furnos Vincentini districtus ab uno Vicentino, nominato *Cera*, qui secum habebat XXII. equos, & ductus Venetias decapitatus fuit, & alii juxta eorum opera habuerunt mercedem suam anno Domini MCCCCXXIV. die XXIV. Maji, remanente dominio Paduæ Dominis Venetis.

Alba turba apparuit in Civitate Paduæ anno Domini MCCCXCIX. quæ IV. diebus processionaliter incedebat cum Populo albis linteis vestito, quorum numerus numeratus fuit in prato Vallis XIII. millium sexcentorum, in quo numero fuit Dominus Franciscus de Carraria Junior prædictus, & Episcopus Paduanus. Et ab illo tempore cœperunt Fraternitates spirituales, quæ in processionibus induuntur, ut videmus usque hodie.

Titi Livii Patavini Clarissimi Historici ossa reperta sunt apud Ecclesiam Sanctæ Justinæ in Padua, in una capsa plumbea, quam sæpissimè vidi, & portata ad forum anno Domini MCCCCXIII. Ossa postea posita fuerunt in capsula plumbea, & reposita ad faciem Occidentalem Palatii Magni.

Franciscus Petrarcha Poëta fuit coronatus laurea corona in Capitolio Romæ per Magnificum Comitem de Anguillaria, & alios Senatores annis Dominicis mille trecentis & triginta uno, ætatis suæ anno XXXVII. die verò Sancto Paschæ, qui fuit octavo Aprilis, Pontificatus Sanctissimi Domini Nostri Papæ Joannis XXII. de Colonna anno XVI. sui Pontificatus. Et decessit postea anno Domini MCCCLXXIV. die XIX. Julii, ætatis suæ LXX. Et ossa ejus clauduntur marmoreo saxo, & in Castro Arquadæ quiescunt, in Euganeis montibus.

(*) *Scribendum Montiæ*, *Murat.*

F I N I S.

Digitized by Google

ANONYMI
VATICANI
HISTORIA SICULA
AB INGRESSU NORMANNORUM IN APULIAM
Usque ad Annum 1282.

ANTEA

A VIRO CLARISSIMO

JOHANNE BAPTISTA CARUSIO

EDITA,

Nunc rursus in Eruditorum commodum profertur.

Digitized by Google

IN ANONYMI VATICANI HISTORIAM SICULAM

MONITUM

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

QUae nunc legendam se praebet Historia Sicula, jam ante lucem viderat studio Cl. V. Johannis Baptistae Carusii, qui tenebris ereptam primus in Bibliothecae Siculae Tomo altero pag. 829. evulgavit. Quis ejus Auctor (si tamen unus est) & quo tempore vixerit, plane ignotum: mihi *Anonymum Vaticanum* appellare placuit, quod ex omnium celeberrima Vaticana Bibliotheca primum prodierit. Ad tempora autem Caroli I. Siciliae Regis, eique ereptae Siciliae a Petro Aragonum Rege narratio deducitur; sed non eodem pede ubique proceditur; nam res quidem prospere fortiterque gestas a prioribus Normannis in Apulia, atque Sicilia, ac praecipue a Roberto Guiscardo & Rogerio ejus fratre heic satis ad rem expressas videas; quae vero ab eorum excessu ad Annum usque 1282. subsequuta sunt, paucis lineis ita expediuntur, ut ne summis quidem labiis delibata fuisse videantur. Uno verbo, quando tot alios Scriptores rerum Sicularum, aequales, diligentissimos, & fusa oratione usos habemus, nihil sane caussae erat, Carusio ipso non diffitente, cur hujusmodi breviarium demum foret in scoenam educendum. Attamen ne quid, ut ille ait, Historiae Siculae amatoribus desideretur, addo nunc & ego, ne cui Historiam hanc jam ab eo editam alibi cum labore conquirere necesse sit, illam ad reliqua Historiae Italicae monumenta adjunctam volui.

JOHANNIS BAPTISTÆ CARUSII

MONITUM.

ANonymi Scriptoris istius notitia latuit Augustino Inveges; nullam enim in apparatu ad Annales Siculos ejus Auctoris mentionem habuit. Huius Opusculi cognitionem præbuit Illustrissimus Dominus Johannes Filingerius, Panormitanus, non minùs generis nobilitate, quàm eruditione clarissimus, SS. D. N. Clementis XI. Pont. Max. honorarius Cubicularius; Ejusque operâ diligentissimè ex Vaticana Bibliotheca exscriptum est. Exorditur Auctor Historiam à Nortmannis primùm armata manu in Italiam ingressis, & post ejectos Saracenos Siciliæ Dominis, eamque producit usque ad Vesperas Siciculas, & Petri Aragonensis adventum, anno 1282. & Seminaræ expugnationem. Omnia nimis compendiariè narrantur; Regumque Siculorum gesta vix summis digitis pertractata: Ideoque prætermittendam aliquis ejus editionem putasset. Attamen ne Siculæ Historiæ cupidis innotesceret, indeque Opusculum hoc desiderarent, in lucem prodit, tamquam Appendix, sive Breviarium Historiarum in hoc primo Volumine editarum. Exscriptum damus ex supradictæ Bibliothecæ Codice 6206. Variæ lectiones, & prætermissa ex alio Codice 4936. suppleta sunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

ANONYMI HISTORIA SICULA

A NORMANNIS AD PETRUM ARAGONENSEM.

Ex Codice Vaticano ſign. num. 6206. cum variantibus Lectionibus deſumtis ex alio Codice Vaticano ſign. n. 4936.

V. Fazell. Poſter. Decad. lib. 6.

FUit in partibus Normanniæ non longè à Civitate (1) Conſtanciæ miles quidam nomine (2) Tranchedus genere nobilis, & morum honeſtate præclarus. Eratque (3) uxor nobiliſſima Muriella nomine, nec minùs facie, quàm vitæ integritate formoſa. Horum ſanctiſſima converſatio cùm tota in perpetuum digna memoria, & laudis admiratione apud homines habebatur, iſtud tamen præ ceteris apud omnes Chriſtianæ Religionis cultores dignum celebri (4) percunctatione recenſetur, quod (5) Terra Normanniæ, cui maximè credendum eſt de hoc (6) generaliter, & ſinè aliqua contradictione, & refert, & teſtatur. (7) Scribitur, quòd numquam in ſua vita carnali commiſtione ſe cognoverunt, niſi priùs cum flexis genibus in terra, facta ad Dominum oratione, ut eis ſobolem dignam, & ſibi placituram præſtaret. Quorum juſtiſſimam petitionem, ſicuti (8) ipſe (9) per innumera deinde (10) oſtendit exempla, Dominum, qui juſta poſcentium vota non deſpicit, certum eſt exaudiſſe. Siquidem nati ſunt (11) ei quinque filii, quorum Primogenitus vocatus eſt Guilielmus, qui poſt (12) cognominatus eſt Ferrabrachia. Secundus (13) Decius. Tertius (14) Henfredus. Quartus Gauſridus. Quintus Serlo. Mortuâ verò (15) Moriellâ, duxit aliam genere inſignem, cujus nomen fuit (16) Freeſſenda, de hac autem genuit ſeptem filios, quorum primus fuit Robertus (17) Biſcardus. Secundus (18) Malgertus. Tertius Guilielmus. Quartus (19) Alvendus. Quintus (20) Vibertus. Sextus Tancredus. Septimus Rogerius, qui poſtea fuit Comes Siciliæ magnificus. Hos autem non ſinè admiranda Dei diſpenſatione duodenarium complentes numerum, (21) quippe Sanctiſſimos Apoſtolicæ Eccleſiæ futuros defenſores, & Saracenicæ pravitatis fortiſſimos extirpatores Pater (22) Tranchedus honeſtiſſima ſanctitate, qua & ipſe pollebat, informavit. Ut verò Gulielmus, & Drogus, qui priores natu habebantur in æta-

A te (23) idonea pervenerunt, multiplicatis in eis tam viribus corporis, quàm virtute animi, arma militaria à Patre ſuo acceperunt, & ab eodem honorificè, ut tales, & tanto viro geniti decebat, milites ordinati ſunt; Ex illo tempore probitatis illorum immenſitas; quæ adhuc ſuccreſcentibus annis, & patris diligenti commonitione elucеſcere, & per totam Normanniam famoſiſſima, atque laudabilis cœpit evagari. (24) Nec multò poſt ipſi nimiæ laudis avidi, cum eiſdem amplificandi nominis ulteriùs potiùs locus, quàm vires, aut ſtrenua animoſitas deficeret, quippe feliciſſimo, & glorioſiſſimo Comite Guilielmo Longoenſe in tranquilla pace temporis Nor-
B manniam obtinente, ne virtus eorum, aut fama per otium torpeſceret, & priori laudi ſuæ gloria nova non ſupervenerit, ſilentio obſcura haberetur, magis probitati ſuæ, quàm (25) patrio, aut parente (26) lachrimis conſulentes, (27) quibuſdam parentelæ ſuæ ex aliis probatiſſimis Viris, (28) quamplurimis ſibi aſſociatis, divina (29) ducente gratia, quæ de eis, & per eos mira, (30) & enarrabilia (31) futura eſſe præviderat, & multis, & magnis in via perpeſſis laboribus uſque in Apuliam devenerunt, & primùm cum Capuano Principe (32) non multo tempore commorati, relictâ ejuſdem avaritiæ ignaviâ, ad Gaymarum, Principem Salernitanorum profecti ſunt. Ille
C verò qui tunc temporis Capuanus Princeps terram ſuam violenter inquietabat, gaviſus de adventu eorum, ipſos honorificè, & cum maxima donorum munificentia retinuit. Quorum fideli, & audaciſſima protectione non mediocriter (33) adverſùs Capuanum Principem, qui priùs totam terram ſuam ſibi velle, ac poſſe eripere videbatur, ita in paucis diebus verſa fortuna coëgit, ut præmiſſa rogatione, & multa munerum oblatione, juxta voluntatem ſuam cum eo pacem pluribus Sacramentis innodatam firmaret.

(34) Conformata verò pace (35) inter Principem Salernitanum, & Capuanum, Salernitani,

D

(1) Conſtantia.
(2) Tanchredus.
(3) *addit* &.
(4) remuneratione.
(5) tota Ormannia.
(6) generaliter *deeſt*.
(7) Scilicet.
(8) ipſa.
(9) per *deeſt*.
(10) oſtendunt.
(11) eis.
(12) agnominatus.
(13) Drogus.
(14) Ninfridus.
(15) Muriella.
(16) Ficteſſcuda.
(17) Viſcardus.
(18) Malcherius.
(19) Alveredus.
(20) Umbertus.
(21) quippe Sanctiſſimos extirpatores *reliq. deſunt*.
(22) Tanchredus.
(23) ad eam idoneam.
(24) Nec multò *deſunt*.
(25) patriæ.
(26) lachrymas.
(27) quibus.
(28) complicibus.
(29) Duce.
(30) nimia.
(31) futura eſſe p. e. m. e. *deſunt*.
(32) ſub.
(33) adjuti.
(34) Confirmata.
(35) inter Principem S. e. C. *deſunt*.

Digitized by Google

tani, qui priùs Normannorum nomen ferè cœlestibus laudando coæquabant, eorumdem virtute, & audacia à sæva Capuanorum oppressione liberati, immutato animo (36) simul cum fortuna alienæ probitatis parùm sibi de propria (37) confidentes in (38) honore malorum hominum plurimique detrahendo cœperunt invidere. Quorum primus venenosa (39) detractio, quam privatis, & publicis consultationibus pusillanimitatem ipsius Principis (40) solicitando, ne diutiùs in Terra Normannos retinere auderet, effecerunt, quippe quos sapientes, & bello probatissimos ipse indubitanter esse cognoverat, ne si eorum ad hoc moveretur animus, Principatum sibi eriperent, suis non multum confidens (41) metuebat. In iisdem temporibus divina flagellatio, cujus occulta sunt (42) judicia, totam Apuliam, atque Calabriam Constantinopolitano Imperatori (43) non regnandas, sed lacerandas reliquerat; ad quorum liberationem Deo (44) miserante certum est Normannos advenisse; erat enim tanta, & tam miserabilis (45) utriusque gentis oppressio, quòd præter importabile onus servitii, & infinitos redditus, & tributa, quæ prædicto Tyranno ipsos oportebat solvere, non minùs Saracenis per singulos annos tributariæ pro redemptione suorum capitum indefensi à suis Græcis cogerentur reddere, vel sinè dubio mortem, aut captivitatem perpetuam sibi, & uxoribus suis, & liberis expectare. Et quia jam ad (46) tantam calamitatem res ipsa pervenerat, quòd necesse erat Imperatorem, vel Terras illas omnino Saracenis relinquere, vel acriùs, quàm (47) solitum erat ab eorumdem incursibus defensare, apud Regium Civitatem Calabriæ maximum exercitum Græcorum, & Longobardorum per Maniacum, quem ipse toti Apuliæ præfecerat, die (48) determinato jussit convenire. Ad quem locum cùm Princeps Salernitanus, sicut & alii Longobardi ex præcepto Imperatoris cum multitudine Militum (49) atque peditum convenisset, Normanni in quibus semper (50) confidebat animus virtutis suum nomen magis & magis extendere, nullo coacti imperio, sed (51) delendæ pravitatis Saracenicæ, & Sanctæ liberationis Ecclesiæ accensi desiderio, omnes unanimiter convenere.

Congregatis agminibus undique, & navibus (52) peractis, favente aura omnes in Siciliam non longè à civitate Messana applicuerunt, deinde assumptis armis, & juxta præceptum (53) Maniachi, qui in eodem (54) negotio vicem Imperatoris obtinebat, Legionibus ordinatis paulatim, uti mos est bellantium, ad civitatem cœperunt accedere. (55) Et contraria parte (56) Saraceni insolitam Græcorum audaciam, de quibus semper triumphaverant admirantes, & quòd numquam in terram suam nisi pro tributis asserendis, & pace (57) oranda venire præsumpsissent indignantes, parumque aut numero præ multitudine eorum perterriti, apertis portis, & ordinatis agminibus (58) ipsis festinant occurrere, atque uti exercitus ambo (59) conveniunt, ferociter ibi impugnatur. (60) Mox à principio fortuna Græcis (61) adversante, quæ nunquam eis in bello nisi rarissimè solita est prospera accidere, multique occisi fuerunt, jamque ipsi pœnè superati, fugam inire (62) parabant, cùm (63) Dominus Princeps Normannorum moræ longioris impatiens, ne aliquis casus superveniens datam sibi opportunitatem pugnandi eriperet, primùm socios ad audendum viriliter cohortatur, dato signo, (64) laxis habenis (65) inter ferocissimos hostes, tamquam leo inter feras velocissimus (66) duxit, quem sui Normanni nullo tardati timore cum festinatione maxima in uno glomerati agmine consequuntur, ibique dextra, & sinistra (67) more virorum audacissimè pugnando innumeras hostium catervas interficiunt. Sicque factum est, ut Saraceni feroces incursus Normannorum nequaquam diutiùs sustinentes, nullamque ulteriùs nisi infra muros salutem sibi expectantes, in fugam convertuntur, quos Guilielmus, & socii sui (68) plenam de iis victoriam habere cupientes, concitato cursu per apertas portas ((69) ut præceptum Maniachi, qui in eodem negotio vicem Imperatoris obtinebat, Legionibus ordinatis paulatim ultimò est bellatum, ad civitatem cœperunt accedentes,) quas non licuit claudere. Semper undique (70) feriendo comitantur, deinde Græcis, & Langobardis sequentibus; & Saracenis omnibus interfectis, præter eos, quos servitio retinere placuit, audaci (71) virtute Normannorum capta est civitas. (72) Capta verò urbe, & præsidiis in ea ordinatis, (73) pugnandi Maniacus cum exercitu suo apud Syragusiam (74) iter aggreditur, cui civitatem appropinquanti Syragusani obviam occurrerunt, & convenientibus utrinque exercitibus (75) maxima vi inter se tentatum est, Erat autem ex parte Saracenorum quidam vocatus (76) Archaydus, idem legis Doctor, vel Princeps, cui (77) tantæ vires, tantaque animositas inerat, quòd nullus Græcorum, vel Longobardorum ei (78) numquam (79) impunè occurrebat; cùmque jam multos occidisset, magnamque eorum partem, ceu lupus oves, in fugam convertisset, Guilielmus Ferabrachia, cujus virtus semper tendebat ad ardua, (80) damna suæ partis diutiùs non sustinens, (81) deducto (82) accitus in eum equo per hastam, quam ipse gestabat, (83) solita virtute per medium pectus illius contorsit, Itaque mortuo jam illo, in quo (84) tota salus civitatis nitebatur, casu subito conterriti Saraceni infra muros se recipiunt, & clausis portis, telis & lapidibus potiùs quam mucrone, vel lancea eminus se tuentur. Sed quia civitas natura loci,

(36) scilicet.
(37) conscientes.
(38) ore.
(39) *additur* non cessarat.
(40) sollicitudo.
(41) metuebat *deest*.
(42) *hic habet* metuebat *quod super deerat*.
(43) regendas.
(44) insistente.
(45) utriusque *deest*.
(46) tantùm calamitatis.
(47) solitus.
(48) decima.
(49) atque *deest*.
(50) fervebat.
(51) de laude.
(52) paratis.
(53) Maniaci.
(54) Regno.
(55) & *deest*.
(56) Saracenorum.
(57) ordinanda.
(58) in ipsis.
(59) convenerunt.
(60) moxque.
(61) adversatur.
(62) sperabant.
(63) Guilielmus.
(64) lassis.
(65) in confertissimos.
(66) devenit.
(67) more *deest*.
(68) planam.
(69) *quæ hac parenthesi inclusa sunt desunt & bene*.
(70) serviendo.
(71) ut tunc malè
(72) Capta verò *desunt*.
(73) pugnandi *deest*.
(74) tunc egreditur.
(75) maximum intus se certamen commissum est.
(76) Archadius.
(77) tantùm.
(78) unquam.
(79) in pugnam.
(80) damnum.
(81) reducto.
(82) acriter.
(83) solitam.
(84) tanta.

Digitized by Google

loci, & artificio, & defensoribus munita satis habebatur, Maniachus, ne plus eum ibi amittere, quàm prope lucrari contingeret, eâ relictâ versùs Trajanum agmen deducit. Erat autem Trajanum in supercilio (85) montis constitutum, tantoque naturaliter ex omni parte præcipitio munitum, quòd nullum gentis, quantumcumque foret, timeret accessum.

Ex tota (86) Sicilia plusquam (87) XV. millia Saracenorum, non causâ defendendi, sed contra Christianos pugnandi convenerant, quorum maxima pars cùm eos (88) adventare cognovisset, ipsis obviam processit. Normanni quorum audaciæ fortuna semper favebat, neque præ eorum multitudine, neque præ loci difficultate morati, acerrimè ipsis occurrunt, & sinè mora multis eorum interfectis alios infra mœnia retrudunt.

Cùm Normanni ita viriliter hostes fugarent, Græci, quibus (89) erat studium potiùs aliorum facta à longe (90) aspicere, quàm propria ostendendo se periculis objectare, maximam prædam (91) aliunde, quæ in partibus illis relicta sinè custode pascebat, nullo vetante ad castra deduxerunt, quam inter se dividentes partem nullam Normannis fecerunt. (92) Hic autem Maniachus ex perversissima intentione ita fieri præceperat, erat enim jam Normannorum probitas valde sibi formidosa; & quidquid de eis Salernitanus Princeps, dum secum morarentur, timuerat, idem sibi (93) ac Domino suo (94), non multum Græcorum probitati confidens, posse accidere verebatur. Hac de causa, & maximè ex invidia, quæ rarò à gente sua (95) removetur, impulsus, præ tantis (96) actorum meritis non minus, quàm mortem sibi fallaciter moliebatur. Putabat siquidem eos, quos ultra (97) mundum audaces, & semper ad vindicanda (98) paratos esse cognoverat, partibus prædæ sibi negatis, citò ad iracundiam, deinde ad minas posse provocari, sicque ex justa causa cum multitudine Græcorum armata illos paucos, & inermes ex improviso (99) detruncare. Misso itaque à Guilielmo quodam milite pro parte prædæ repetendæ, Maniachus non solùm partem non misit, sed ipsi Legato priùs verberibus afflicto in despectum Normannorum barbam propriis unguibus depilavit, quod apud Græcos pro summo (100) habetur opprobrio. Hoc Normannis audito ((1) quidnam concilii caperet diu incerto habuere) alii namque continuò arma sumere, & præ ulciscenda injuria mortem contemnere suadebant. (2) Alii autem, qui majori pollebant audacia, & quæ ex nimia festinatione solent accidere, subtiliùs prævidentes, ultionem differre, & sapienter ad præsens injuriam dissimulare, & monent, & præcipiunt. Tandem animis ad hoc (3) confortatis, insequente nocte relicto exercitu, & Maniacho nesciente, apud Messanam gressu expedito proficiscuntur, deinde transcurso Faro, postquam Calabriam intraverant; quantum de illata sibi injuria doluissent, prædationibus (4) infinitis, & castrorum, atque Urbium (5) subversione, & vinearum extirpatione, manifestè cœperunt ostendere, & sic terram Græcorum quocumque transitum faciebant modis omnibus vastando, pervenientes in Apuliam, Civitatem, quę dicitur Melfium ibidem constituere, ubi Guilielmum Ferabrachium, utpote hominem moribus omnibus præstantissimum, sibi ac civitati Comitem ac Dominum unanimiter elegerunt.

Cognito Græcis Normannos contra dignitatem sui Imperii non solùm civitatem in terra, quam suam esse dicebant constituisse, (6) verùm & ad totius Apuliæ dominationem animatos esse, congregato maximo exercitu apud Melfium festinant accedere, quibus accedentibus, priùs aliter quàm bello fortunam placuit tentare. Nuntiaverunt itaque Normannis, vel ipsi infra diem (7) tertium relictâ omnino Apuliâ, numquam ampliùs reversuri, ad terram suam securi (8) discendant, aut in crastino sinè dubio belli fortunam expectarent. Normanni verò responderunt plus (9) sibi ad præsens bellum, quàm fugam inhonestam placere, (10) ac Græcis (11) quamquam fama probitatis Normannorum maximum (12) timorem incuteret; (13) tamen (14) eorum paucitate, & (15) sua multitudine confisi, armis parant contendere. Sequenti ergo die Comes Guilielmus, ne diutiùs bellum protrahendo Græcis animus augeretur, paucis suorum ad custodiam in civitate relictis, (16) cæteros omnes milites, ac pedites armatos instructis ordinibus in quamdam planitiem prope hostium (17) agmina deducit, postea invocato Dei auxilio Græcis audacissimè occurrentes (18) à primo congressu eos in fugam converterunt, quos dum nimis acriter prosequuntur, multis gladio interfectis, maximam aliorum multitudinem fluvius (19) Clivetus, qui tunc fortè aquis abundabat, (20) submergit. Græcis itaque superatis, & tota Apulia timore concussa, (21) multitudo Longobardorum, & maximè illi, qui non multùm remoti à Melfio habitabant, seipsos, & civitates, & castra dominationi Normannorum (22) subdiderunt, quorum multi, quibus armorum doctrina potiùs, quàm vires, aut animus olim defuerat, postquam virtutem Normannorum (23) magnam imitari, quàm invidiare studuerunt, optimi milites, & eorum in suis acquisitionibus fidelissimi adjutores postea facti sunt. Mallebant etenim, ut sapientes, ipsorum probitate, & prudentia regi, & conservari, quàm sub Græcorum inertia quotidianis Saracenorum deprædationibus exponi. Postquam (24) belli eventu, & multiplici Normannorum acquisitione, Regi Constantinopolitano indubitanter relatum est, (25) ipsam infinitam multitudinem militum, atque peditum ex diversis partibus congregatam, per (26) Ducheonum Præfectum suum in Apu-

(85) montis altissimi.
(86) Sic lana.
(87) XX. millia.
(88) advenire.
(89) erat semper.
(90) prospicere.
(91) *aliàs* tum.
(92) Hoc.
(93) à.
(94) non *deest*.
(95) rumor malè.
(96) ac tot.
(97) modum.
(98) peritos.
(99) detractare.
(100) habebatur.
(1) *quæ parenthesi inclusa sunt desunt*.
(2) Alii autem, qui majorem sapientiam non tamen minori pollebant audacia.
(3) confirmatis.
(4) infestis.
(5) submersione.
(6) verùm & ad t. A. d. a. e. *desunt*.
(7) unum.
(8) pace discederent.
(9) eis.
(10) ut.
(11) quicquam.
(12) timorem *deest*.
(13) tantum.
(14) ipsorum Normannorum.
(15) eorum.
(16) certos bonos.
(17) contubernia.
(18) statim à.
(19) Johurrus.
(20) deglutivit & sorbuit.
(21) multi.
(22) se dederunt.
(23) magis.
(24) de belli.
(25) ipse inestimatam.
(26) Ducanum.

Apuliam transmisit; qui adjunctis sibi Longobardis illis, qui nondum parti Normannorum consenserant, usque (27) Melphim moram non fecerunt; illas autem, ut Melsium Comes Guilielmus advenisse cognovit, ne diuturniore mora (28) posset aliquid (29) innovari, licèt ipse tunc temporis quartanæ febris incendio molestaretur, cum armatis cuneis eis obvius à civitate descendit.

Cùmque jam more bellico pararet hostibus incurrere, febris, venturæ ejus gloriæ invida, quia tunc fortè & hora, & dies suæ accessionis advenerat, subitò eum corripiens, ferè omnino à viribus eum destituit, unde quoniam ad præsens bello interesse non poterat, primitus suos multùm in audaciam cohortatur, & bellicosissimum fratrem suum Drogum in loco suo constituens, juxta vicinum montem, unde sibi facilis erat gentis utriusque prospectus, ascendit: at Græci multùm de innumerabili suorum multitudine confisi, minùs molliter, quàm in superiori bello diu Normannis cœperunt resistere, ipsosque mutatis ordinibus undique circumveniendo, non mediocriter fatigare, quòd inclytus Comes à monte, ubi jacebat, prospiciens. indignansque, quòd sui tandiu (30) ad victoriam retardarent, fervore animi omnino febrilem superante calorem, equum (31) quàm velocissimè armatus conscendit, (32) & vocato Dei, de quo multùm (33) sperat auxilio, ad locum ubi maximus erat utriusque partis conflictus, rapidus tamquam (34) fluvius occurrit. & mox per sui præsentiam (35) multiplicata sociis audacia, & fortitudine de Cœlo eis adveniente, Græcorum multitudinem, in qua belli victoria speranda (36) non erat, (37) Ducheanoque (38) potenti dextra Comitis Guilielmi interfecto, in fugam coëgerunt. Græcis itaque secundò, egregia virtute Normannorum superatis, ferè tota Apulia partim (39) tracta. partim propria voluntate Guilielmo Comiti se subjiciebat; cujus gloriosissima fama jam fere per totius Mundi terminos elucescens, transmontanas partes, & præcipuè Normanniam, (40) referendo de suis successibus lætificaverat; fratresque suos omnes, duobus relictis, quorum ætas militiæ nondum conveniens erat, congregatis sibi consanguineorum, atque vicinorum probis quamplurimis, & viæ labore contempto in Apuliam ad se vocaverat, ipsisque civitates, & castra, & alia hæc omnia, prout quisque sibi dignus, & prævalens videbatur, larga manu distribuerat, diuque sub eo, & Normanni, & Longobardi beatè, & pacificè regebantur; cùm mors totius prosperitatis humanæ terminus inevitabilis, nullique unquam dignitati, aut potentiæ parcere consueta, egregium Comitem, militiæ (41) decus. (42) super hostibus triumphatorem, cui nulla virtus ad perfectionem deerat, (43) vita præsenti eripuit.

Mortuo Guilielmo, & sepulto honorificè, ut tantum decebat virum, frater suus (44) Drothus, qui post ipsum nativitate secundus habebatur, communi assensu Normannorum ad Consulatum (45) sublimatus est. Iste tempore suo, (46) & fraterna probitate in nullo degenerans, ejus acquisitioni multa, & maxima adjunxit; unde Longobardorum multi, quia semper in omni regione malorum, quàm bonorum majorem constat numerum esse, virtutibus, & prosperitati Normannorum invidentes, in (47) perniciem pluribus locis per Apuliam occultè conjurarunt, & quamvis de aliis nunc prætermittam, quoddam facinus, & detestabile, & propter sui magnitudinem in omni (48) ævo memorabile, quod apud (49) Montallium excogitatum, & perpetratum fuisse constat, placet mihi (50) efferre. Erat autem ibi quidam sævissimus proditor (51) Risus nomine, (52) totus ex vitiis compositus, & ut efficacior esset ad nocendum, Comitis Compater est effectus. Hic dum fortè venerabilis Comes nefandæ conjurationis ignarus, apud prædictum castrum cum paucis militibus moraretur, quamplures sceleris sui participes in Ecclesia quadam, ad quam Comes singulis diebus summo diluculo causa orationis solitus erat venire, armatos secum (53) occultè inclusit, & Comitem introeuntem Dominum suum & Compatrem, ignarum, & inermem propriis manibus à tergo lancea penetravit, & multiplicatis in eum sociorum ictibus subitò (54) interfecit, idemque factum est de paucis, qui cum Comite ingressi fuerant, reliqui verò post eos venientes subito timore (55) concussi, sub umbra adhuc vicinæ noctis ad diversas partes (56) effugerunt. Tali modo, & à talibus egregio Comite interfecto, Normanni ex diversis partibus Apuliæ congregati ad ultionem festinant, & priùs elevato in Consulatum Humfrido, qui cognomine (57) Abjerlandus vocabatur, Montelliam (58) circumdatam obsidione cinxerunt. De Riso tamen Principe conjurationis, & sceleris inventore, abscissis sibi singulis membris separatim per intervalla temporis, ut diu vivendo diu cruciaretur, supplicium sumptum est, ad ultimum amissis omnibus membris, adhuc vivens, terræ infoditur: cæteri verò solo suspendio nequitiæ pœnas dederunt; tandemque funesti proditores inde violenter extracti, non quantas meruerunt pœnas, sed scelere suo multo majores sustinuerunt. Ex eo tempore (59) Normannigenæ, post viri perfidiam, invidorum solertiùs quàm antea devitantes (60) odium quo poterant: & quia quo plus ad virtutem (61) nitebantur, tanto magìs ex antiqua consuetudine numerus eorum augebatur, Primates Apuliæ, (62) quibus Normannorum benignitas multas divitias, & (63) multissima castra relinquerat, non priùs (64) auri Romani Pontificis falsis pollicitationibus, & ipsi de Normannis maximum timorem (65) incutiendo, (66) neque eos omnino festinaret expellere, non minùs quam (67) excidium

(27) Melphium.
(28) contra.
(29) incurrere.
(30) adjutoriam.
(31) quam *deest*.
(32) invocato.
(33) sperabat.
(34) flumen.
(35) duplicata.
(36) non, *deest*.
(37) Ducanoque.
(38) potentissimo.
(39) coacta.
(40) referendo *deest*.
(41) Deus admirabile.
(42) semper.
(43) vitæ præsentis tribuit.
(44) Drogus *meliùs*.
(45) sublimatur.
(46) à.
(47) perniciem ipsorum.
(48) eventu.
(49) Montellum.
(50) referre.
(51) Risius.
(52) totis.
(53) occultè, *deest*.
(54) extitit interfectus.
(55) percussi.
(56) aufugerunt.
(57) Albelando.
(58) circumducta.
(59) Normanni genere.
(60) ut odii quibus poterant.
(61) intendebant.
(62) quod.
(63) munitissima.
(64) aures.
(65) injiciendo.
(66) nisi.
(67) exercitium,

Digitized by Google

A cidium Romano Imperio per eos esse venturum mentiendo, quievere sollicitare, quam ipsum cum maximo (68) Normannorum, & Theodonicorum (69) exercitu adversùs Normannos in Apulia adduxerunt. At Comes (70) imperterritus, ut primum de adventu eorum cognovit, (71) congregavit agmina, quanta habere potuit, in extremis Apuliæ finibus eis occurrens, multis (72) Normannorum, & Alemannis gladio interfectis, omnibus ipsum Leonem Papam, hoc autem erat ei nomen, cum paucis sibi relictis in castrum, quod Civitas appellatur, fugam arripere coëgit, quem ibi tandiu circumdata multitudine obsedit, quòd ejusdem castri habitatores, partim (73)
B timore necessariorum indigentia coacti, eum per muros, desuper emissum voluntate Comitis tradiderunt. Sed Comes Venerabilis pietate, & justitia effulgens, quæ numquam à genere suo (74) recesserunt, Deumque semper in actionibus suis proponens, quanta honorificentia, quantaque supplicationis devotione, etiam usque ad lachrymarum effusionem, ipse, & Normanni sui, & eum susceperunt, nec etiam illi quibus hoc præsentibus oculis licuit, præ magnitudine rei ad plenum verbo (75) non potuerunt explicare. Quibus Papa commotus, & de honestissima virtute Normannorum omnino, quàm quæ sibi à perfidis falsa relata fuerant certissimè intelligens, atque ut Pius, &
C Sanctissimus Pater discretè, (76) ut subtiliter utilitati Sanctæ Ecclesiæ prævidens, totam Apuliam, atque Calabriam à finibus (77) Guarnerii usque ad Farum Comiti Humfredo, & suis Successoribus, nequaquam coactus in aliquo, sed sola spontanea voluntate, & suorum communi consilio Cardinalium regendas, semperque possidendas permisit, & non solùm cum eo pacem perpetuam (78) fœdavit, verùm, & ipsum Romanæ Matris Ecclesiæ signiferum, & defensorem ordinavit, (79) quæ sapienter, atque ex paterno affectu constat fecisse, & tali modo prædictas terras à præsentibus, & futuris calamitatibus liberasse. Pro certo enim habebat, tunc demum humanas res beatas fore,
D si à tantis, ac talibus viris universam regi Monarchiam contigisset.

His peractis Romanus Pontifex multa, & pretiosa munera, quæ sibi, & omnibus suis benignitas Comitis largè distribuerat secum deferens, ad Romanam Sedem regressus est. Comes verò cum suis Normannis Melfium (80) revertens, scilicet & Longobardorum maxima (81) cura, duos fratres suos Malgerium, & Guilielmum eodem Patre genitos, eademque morum honestate conspicuos, Consules ordinavit; & Malgerio Capitaniam, Guilielmo Terram illam, quæ Principatus dicitur, distribuit; sed Malgerius post paucos annos moriens Consulatum suum fratri suo Guilielmo
E reliquit, (82) quem postea Guilielmus Gaufrido fratri suo dedit.

Cùm Comes (83) *Humfridus tranquilla pace regebat*
Apuliam, (84) *Valligracenses* (85) *in arte premebat.*
Optimus ille Ducum, Normannæ gloria gentis,
Miles militiæ decus, exemplum probitatis,
Viribus expertus validis animoque Robertus
Biscardus, cunctis animosior, atque secundus
Nulli, quem solum timuit super omnia Mundus
Totus, & audacem stupuit Mars ipse, sagacem
Pallas, facundum Cyllenius, optima cujus,
Ut breviter brevibus (86) *possit compræhendere verbis,*
Nec primum similem potuit, nec habere sequentem,
Regibus exceptis, eadem quos (87) *dixit origo,*
(*Per quos*(88)*diluerit fæx,& pagana caligo.*) (*)

Hic jam Sanctum-Marcum firmaverat, & Petro (89) Cyrreno in vinculis posito (90) Brisimanum possidebat. (91) Cusentinos omnes, & multos alios in partibus illis servire sibi coëgerat. Jamque mortuo Humfredo venerabili Consule dominationi totius Apuliæ successerat, & Rogerio fratri suo, qui postea Siciliam acquisivit, de ultra montes (**) partes servandas, aliasque dextera, & sinistra acquirendas commiserat: cùm (92) suggerente invidia inter duos fratres, ubi minime decebat, maxima orta est dissensio, & ad tantum malum perducta, ut se invicem nimis acriter inquietando famæ penitus, & dignitatis suæ obliti, (93) cœpta suæ acquisitionis postponerent, & magis iræ, quàm rationi, aut consilio amicorum concedentes. Græcis eorum infestissimis inimicis lætandi occasionem, ((94) per quos diluitur fœtum, & pagana caligo) præberent. Quæ res inde maximè videtur mihi sumpsisse initium, quia tanta in utroque viro erat magnanimitas, quòd alter nullo modo sibi parem habere volebat, alter plurimùm sibi confidens, super se majorem esse nesciebat. Nec credendum est avaritiæ venenum inter tantos viros potuisse aliunde discordiam seminare. Contigit igitur, quòd utroque damnis alterius graviter insistente: Græci etiam quasi in audaciam permoti, intempestæ noctis silentio (95) Nicastrum cœperunt interfectis LX. Normannis ibidem ad civitatem servandam constitutis, quæ res maximè ambos fratres, causâ celerius & uberiùs ulciscendi (96) illatum dedecus, ad concordiam provocavit. Concordati igitur, & diviso inter se (97) Anchetolio, usque ad Regium Calabriam, & concesso (98) Rogerio ut castrum in monte Meliti firmaret, & reddita (99) Scylla civitate Roberto Biscardo, quam Rogerius diu eo invito tenuerat, iterum à Nicastra expulerunt. Quo facto Biscardus in Apuliam rediens, in eodem anno copiosam hominum congregavit multitudinem, (100) atque junctoque sibi fidelissimo fratre suo cum gente quan-

(68) Romanorum.
(69) ad expellendos.
(70) perterritos.
(71) congregatis agminibus.
(72) Romanorum.
(73) timore Normannorum partim.
(74) recepit.
(75) non, *deest*.
(76) ac.
(77) Gameni.
(78) desideravit, seu fœderavit.
(79) quem.
(80) revertens congregata sibi utriusque gentis Normannorum scilicet, & Longobardorum.
(81) cura, *fortè* copia.
(82) quem postea Gaufrido fratri suo dedit, & dimisit.
(83) Unfridus.
(84) Vallegratenses.
(85) marte.
(86) possim.
(87) duxit.
(88) diluitur *vid. infr.*
(*) *Additur in alio Cod. sequ. Versus, qui habetur infr.*
(89) Catheno.
(90) Bisimanum.
(91) Cosentinosque.
(**) alter venienti Cosentiam, & Marturanum, & vicatacentes partes serviendas aliasque d e. s. a. c.
(92) surgente.
(93) serie.
(94) desiderantur in altero Cod. *vid. sup.*
(95) in crastino malè.
(96) in altum Deus.
(97) Athelolio.
(98) Regno.
(99) Ascala.
(100) adjuntoque.

quantamque potuit congregare, usque (1) Regium perveniens, eam, licèt natura, & arte viisque armatis munitissimam, non dubitavit, obsidere. Sed Cives, & si fama Normanni nominis jam ferè per totum Orbem divulgata (2) eos terruerat, tamen de fortitudine civitatis suæ non parum confidentes, & à Rege Constantinopolitano frustra venturum sibi auxilium expectantes, diu (3) seditionem protraxerunt, tandem verò longa obsidione, & quotidianis (4) insultibus fatigati, (5) viribus atque animis jam penè languescentibus, & spe auxilii omnino evacuata, voluntati Normannorum, & se, civitatem suam (6) tradiderunt. Dedita Urbe, & Biscardo in Ducem solemniter elevato, post Legum statuta, & præsidia ibidem ordinata, ipse cum parte exercitus (7) reversus est: cæteri verò excellentissimum Comitem Rogerium, cujus animus semper in ardua tendebat, ultra Farum in Siciliam secuti sunt, qui apud Messanam applicantes, sola prædatione, & multa hominum interfectione contenti in Calabriam redierunt, in iisdem temporibus (8) Bentadus cum Domino Cathaniæ, cui nomen (9) Bothum erat, pro interfecto ab eodem sororis suæ marito graves inimicitias exercens, eumque inquietando maxima parte suæ terræ fecerat expertem, cujus potentiæ quibus (10) Barthum per se minimè resistere poterat, pro implorando auxilio ad Comitem Rogerium transfretavit, promissoque ei, quoniam in acquisitione totius Siciliæ opibus, viris fideliter adjuvaret, atque castris, atque hoc Sacramentis, qualia fuit apud gentes (11) confirmato, (12) Venerabilis Comes ea, in quibus agendis (13) animus suus non mediocriter exæstuaverat, at rogatus, & adjutus more prudentis agere non recusat; congregatis Cohortibus suis in Siciliam juxta locum, qui dicitur tres (14) lacus, applicuit, quo Messanæ habitatoribus cognito, armis assumptis nocturno tempore eum secuti sunt, illisque ademptis, unus Messanensium, ut erat stolidissimæ audaciæ, dolore interfecti fratris adhuc ejus animo imperante, & (15) Senecani oblitus proverbii, quia in judicando criminosa est celeritas; dum Bithumen ante omnia quærit occidere, infelix impari virtute in operibus, armis sine lorica, & clypeo, ut mos erat illius gentis inertiæ, tamquam cervus leoni, Comiti Rogerio incautus occurrit, quem Comes accepto ense suscipiens, & quasi de hoc, quòd ei occurrere præsumpsisset indignans, mirabile dictu, fide tamen plenum, una percussione, per ambo latera inter pectus & renes dimidiavit, & superiori parte humi cadente, reliquam partem effrænis (16) sonipes per campi aperta dissportavit: quod factum æterna memoria dignissimum, omnibus ante illa tempora incognitum, nostris audaciam, aliisque timorem multiplicavit, statimque omnibus in fugam conversis, & juxta maximam partem gladio interfectis; laudabilis Comes victoriam adeptus relicto Bithumine apud Cathaniam ad debellandos Siculos, in Calabriam (17) convertitur.

Eodem anno Dux gloriosissimus Biscardus, unà & frater suus Rogerius, paratis (18) manibus in Siciliam devenientes contra Messanenses pugnaverunt, & iis devictis bellico (19) insultu Civitatem pariter ceperunt. Urbe capta, & ad voluntatem eorum ordinata, paucis diebus ibidem (20) commorantes, apud castrum Joannis iter arripiunt.

Quibus (21) Venthavetus cum multis Arabicis, & Africanis, præter eos, quos de Sicilia habuerat milites, obviam (22) procedens, contra eos armis parat decertare. Erat autem ejus exercitus quindena complens millia, & noster exercitus inter pedites, & milites septingentos (23) tunc Christianos obtinebat, qui quoniam non in multitudine victoriam belli esse, sed de Cœlo fortitudinem advenire, jam dudum sepe in simili negotio (24) experti fuerant, in duas acies divisi juxta flumen (25) Gadentum multitudini Saracenorum occurrunt, moraque omni remota, nostris (26) consueto more dextra, & sinistra viriliter insistentibus, tandem multis eorum, & paucis nostrorum interfectis, sicut fuit Dei voluntas hostes Christi in fugam conversi sunt, quos Normanni cum summa audacia persequentes, decem millia gladio trucidarunt, cæteri quinque infra castrum Joannis fugiendo vitam servavere. Nostri itaque adepti victoriam & multa præda onerati juxta (27) Calotachibech, quia ibi optimi erant fontes, somno, & cibo se reficiunt, in crastino præda generaliter omnibus distributa. Comes Rogerius ad deprædandas Agrigentinas partes proficiscitur, unde maximam prædam reducens, totam fratri suo dividendam commisit; deinde ambo castra sua moventes castellum, quod Sancti Marci appellatur constituère.

Et constituto ibidem, & apud Messanam relictis optimis defensoribus, & Bithumine (28) ad intendendum in Terra, in Calabriam regressi sunt, qui una sola nocte apud Regium morati, Dux in Apuliam, Comes Mellitum proficiscitur. Nec multò (29) post Comes (30) Rogerius quinquaginta militibus congregatis Saracenici avidus exercitii, in Siciliam revertitur; factisque multis per diversa loca deprædationibus, cùm ad (31) Tratatum perveniret, Græci ejusdem loci habitatores, sibi jam (32) de virtute illius, & audacia cognito, quod inviti facturi essent, sponte sua se (33) in civitatem suam dominationi illius subdiderunt, ubi Nativitate Domini celebrata solemniter, & audito quoniam Legati sui de Normannia quæsitam sibi uxorem adduxerant, Mellitum veniens, cum dilecta sibi (34) nupta Regio apparatu nuptias celebravit. Erat autem (35) Jucta nobilissimis orta natalibus, facie pulcherrima, moribusque honestis informata. Celebratis nuptiis (36) postquam Pistrelium Bithuminis auxilio cœperat, ad Ducem Robertum pro parte illa Calabriæ, quam sibi promiserat repetendam tendit in Apuliam, quem post-

(1) Regiam.
(2) eos valdè.
(3) deditionem.
(4) assultis.
(5) viribusque animi.
(6) dederunt.
(7) reversus seu proversus est.
(8) Berganetus.
(9) Bitumen.
(10) Bitumen.
(11) confirmatis.
(12) Venerandus.
(13) dudum animus.
(14) latus.
(15) Senecæ.
(16) hostes.
(17) revertitur.
(18) navibus.
(19) assaltu.
(20) commorati.
(21) Bertaneus.
(22) prætendens.
(23) tantum.
(24) extiterunt.
(25) Gaudentum.
(26) consuetudo.
(27) Calatafabet.
(28) ad inquietandum iterum.
(29) post, *deest*.
(30) Rogerius decente.
(31) Trajanum.
(32) idem vertunt.
(33) &.
(34) juncta.
(35) juncta.
(36) postquam rediens in Siciliam.

Digitized by Google

(37) postquam solummodo inefficacibus promissis tempus producere cognovit, remissâ viâ apud Mellitum, & optimis militibus coadunatis, alio modo quàm pace Calabriam cum fratre suo parat dividere. Sed Dux invictissimus, ne longiori mora aliquid sibi ad malum mutaretur, paucis diebus congregato maximo exercitu Mellitum festinat obsidere: itaque illo Urbe appropinquante, Comes (38) imperterritus, qui in nullo negotio fortunam sibi adversantem cognoverat, armatis cunctis per apertam portam pugnaturus ei obviam procedit. Igitur utrisque convenientibus, jamdiu alii aliis viriliter, & impetuosè, ut mos est militum, occurrerunt, & fugando sæpe, atque iterum fugiendo solâ virtutem ostendendi gratiâ, non nocendi, pari adhuc fortuna certaverant, cùm (39) Henaldus frater advenisset, miles, ferè omnium, qui convenerant, probatissimus, lancea cujusdam sibi occurrentis (40) loricam penetrante interfectus (41) occubuit. Et quia ipse omnibus, & præcipuè Normannis utriusque partis notus, & valde dilectus fuerat, mors ejus tam suos, quàm hostes, & maximè ipsum Ducem, atque Comitem ad lachrymandum provocans, certamen sinè dubio adhuc aliquid simile commissurum (42) diremit, (43) dimisso itaque certamine, Comes & sui maximo fletu miserandum corpus infra mœnia deferentes, piè illud, atque honorificè, (44) ut tantum, ac talem decebat militem, sepelierunt. Dux verò Biscardus, licèt mors (45) Henlandi valde displicuerit, & Normanni sui non parum de fraterna discordia conquerentes pacem quærendam, & deinde reditum persuadent, ipse tamen nihil incœptum volens imperfectum relinquere, duobus castellis ligneis compositis civitatem ex utraque parte, ideſt sursum, & deorsum obsedit, nec priùs inde recedere, quàm fratrem famæ aut siti coactum in vinculis habere intendit.

Dum sibi fratres, nominis ac dignitatis sui obliti, graviter adeò minitarentur, Bithumine de Cathania, qui parti Normannorum in Sicilia (46) favebat, sub deditionis nomine ab habitatoribus cujusdam castri, cujus nomen Ancilion dicebatur, proditus, & interfectus fuit: neque idcirco Geratiani præ morte illius, qui maximum Normannis præstare videbatur auxilium, neque pro Mileti obsidionem dimiserunt, (47) quando apud Mellitum Comiti Rogerio literæ pro proditione sui castri mitterentur. Unde magnanimus Comes suorum (48) fidelium satis confidens, centeno eum (49) sequente milite, aliis verò ad custodiam relictis, festino itinere in Siciliam tendit, & Giracium spontanea voluntate Græcorum ibidem habitantium redditum, & Sacramentis innodatum gaudens, & lætus accepit. Quo Duce audito, ipse de utroque Comitis absentia, & castri deditione vehementer iratus, dimissis ad obsidionem militibus, quotquot fuerunt necessarii, aliisque secum deductis, remota omni mora (50) finem insequitur. Sperabat & ipse cui nil arduum, nihilque difficile videbatur, aut vi, aut ingenio, quo multùm ipse prævalebat, in eodem infra castrum (51) vel extra capiendo se fortunam invenire. Quod Dei disponente gratia in contrariam postea partem sibi relapsum est. Comes namque Mellitanis suis subveniendi avidus, statim post castri deditionem per aliam viam Duci non obvians, Mellitum reversus est, Dux verò ubi ad præsens capiendi fratrem spem omnino amiserat, ne in tanto labore nihil fecisse (52) videretur, vel diceretur, ad castrum quoquo modo capiendum animum intendit, sed quoniam natura, artificioque, & defensoribus adeò munitum erat, quòd neque bellica manu, neque ullis machinis posse capi videbatur, alio modo placuit sibi fortunam tentare. Militari ergo habitu deposito, Græcum se Monachum simulare non contemnens, solus, & inermis diuturno itinere inimicum sibi (53) Gerachium ausus est ascendere. Erat autem in eoque castro Græcus quidam nomine Basiliscus, genere & opibus præpotens, cum quo Dux, quoniam, & amorem, & notitiam habuerat, circumspecta, & explorata civitate, tandem ad domum illius, ut eum de quæsito negotio consuleret, pervênit; qui dum satis hilari vultu, & honorificè ab eodem susciperetur, à quodam ejus servo compertus, (54) intimæ continuò revelatus fuit. Nec mora, rustici undique civitatis convenientes, armati omnes insimul domum Basilisci impetuosè irrumpunt, quorum subita accessione ipse conterritus, fugiendo ad Ecclesiam ab eisdem compræhensus, & crudeliter occisus est, uxoremque ipsius, & si immerita videri poterat, indigno tamen eam supplicio cruciarunt. Quod nisi Divina Clementia immodicæ Ducis audaciæ pepercisset, in eadem hora ab eisdem rusticis turpiter, & sinè omni honore Vir tantus occubuisset. Ipsi ergo omnes non minus quàm mortem uno ore promittentes, ligatum & bene custoditum, nihil ejus Majestati deferentes, in carcere posuerunt. Hæc ubi militibus ejus qui cum eo castrum obsederant, cognita fuerunt, plorantes, & omnino quidnam consilii caperent ignorantes, cum summa festinatione per unum militem, quid de Domino suo apud Gerachium minus contigerat, nuntiaverunt Rogerio, qui fraterna pietate motus, & quod erga se non satis justè egerat penitus postponens, deductis secum militibus, & suis & illis, quos apud Mellitum Dux in obsidione reliquerat, ad liberandum fratrem in Siciliam festinabat, positis itaque extra civitatem tentoriis, Geratiorum illos, quos potentiores sibi seu prudentiores esse cognoverat, ad se convocatos cum eisdem talibus verbis usus est: Quoniam fidelitatem, quam nullo cogente, sed sola sponte oblatam vestra mihi dilectio promiserat, præclaro opere, & famosissimo manifestare studuistis, ideo universorum conditioni, & vobis filiis, & amicis meis fidelissimis grates defero debitas, & in omni vita referre, ac retribuere conabor. Hostem enim meum quamvis fratrem, tamen omnium, quos usque ad hæc tempora habui, infestissimum, eorum quæ strenuè acquisiveram raptorem avidissimum, cujus avaritiæ totus Orbis vix posset sufficere, sanguinis mei super omnia sitientem, vobis ipsis perpetuum exi-

(37) per partes.
(38) tamen perterritus.
(39) Ernaldus.
(40) lacerat.
(41) occurrit.
(42) direxit.
(43) commisso.
(44) ut tanti, & talis militis.
(45) Ernaldi.
(46) fovebat.
(47) quia.
(48) fidelitati.
(49) frequente.
(50) fratrem.
(51) vel extra *desunt*.
(52) videretur vel *deest*.
(53) Geratium.
(54) vicinæ.

exilium manifestè & occultè machinantem, fidelis vestra prudentia cepit, ligavit, atque ut dignum erat sua nequitia in carcere posuit, cruciandum usque ad adventum meum reservavit: præclare quidem omnia; ex quo uno opere quot, & quanta mihi in vobis commoda perveniant, licèt sint manifesta, præ magnitudine tamen relatu sunt difficilia, primùm siquidem Mellitum civitatem meam, quam injustè obsederat, liberastis ab obsidione, terram, quam mihi penitus auferre parabat, liberam, atque quietam mihi restituistis; mihi vitam, vobis libertatem, opes reservando, summam gloriam, summum honorem ab hominibus, à Deo, & à meipso maximam retributionem, à multis amicitias, & à nullo inimicitias pro tali facto meruistis. Ipse namque, omnino à nostris moribus degenerans, nulli amicus, omnibus, & suis odiosus, neminem, qui de suo malo doleat invênit. Præterea milites sui, quorum fretus auxilio in tantam superbiam efferebatur, læti de ejus infortunio, me, quem sibi inimicissimum cognoverant, Ducem elegerunt, de quo si dubitetis, licèt ut hoc ab eis præsentibus inquiratis: quare agite, ipsum, quæ mihi (55) minatus fuerat sinè dubio passurum, festinando in præsentiam meam adducite, parva enim, aut nulla mihi esse supplicia viderentur, quæcumque ejus iniquitas me non vidente pateretur. Quod autem de Basilisco, & ejus uxore absente me fecistis, nequaquam mihi displicet. Iste verò, qui in multis multos offendit, multis præsentibus diversis tormentorum generibus puniendus est; neque enim lex ulla justior esse videtur quàm truces artifices arte perire sua. Hæc ubi piissimus Comes coram (56) gentibus, longè aliter in animo habens, captando eorum benevolentiam, protulerat. ipsi multum de ejus commendatione & promissis congaudentes, confestim Ducem in præsentiam ejus adducunt, quem Comes fusis lachrymis præ gaudio suscipiens cum magna veneratione, tamquam Dominum, & fratrem dilectissimum, secum in Calabriam reduxit. Ex eo tempore Dux fraternam concordiam omnibus in vita sua habitis (57) anteferens (58) alteram partem Siciliæ, atque Calabriæ possidendam, alteram custodiendam Sanctissimo Comiti fratri suo permisit. Ipso deinde in Apuliam proficiscente, Comes cum uxore sua in Siciliam regreditur, cùmque apud (59) Tranquinum per aliquot dies moraretur, quodam die ipso apud (60) Gitosiam causa prædationis pergente, Trajanenses communicato consilio, Comitissam cum paucis relictam, à Civitate tentarunt expellere. Qui tota die pugnando (61) plus quàm nihil profecerant, (62) immodicam fossam inter Consulare Palatium, & reliquam partem civitatis, Consulis adventum metuentes, tota nocte fabricaverunt; sed adveniente Comite, ubi multoties inter se debellando graviter, neque Græci civitatem reddere volebant, neque Comes eam relinquere volebat. Jam multis diebus consumptis, & nostris (63) hyemis frigore, & ciborum indigentia vehementer (64) acetis, contigit Deo volente, ut Græcis quadam nocte dormientibus, invictissimus Comes explorata (65) continentia, & civitatem, & (66) Turrim, quæ in ea erat fortissima, custodibus interfectis caperet, & sic victoriam obtinuit, & die crastina Glotinum, & alios, qui principes conjurationis fuerant, suspendium, & alias pœnas scelere suo dignas coëgerit sustinere. In eodem anno, Comite adhuc Trajani (67) immorante, Castri-Joannenses quingentos probatos milites Africanorum, atque Arabicorum pro expellendis Normannis infra mœnia sua receperunt; quorum Comes audito adventu, illuc cum militibus suis (68) profectus est, cùmque adhuc à Castro illo duobus (69) adhuc milliariis distaret, missis triginta electis militibus, quibus (70) Seilonem nepotem suum Serlonis fratris filium præfecit, ut de prope portas prædam adducendo illi indignantes eos persequerentur. Ipse omni bellorum industria (71) edoctus, in nemorosa vallecula prope viam, per quam redituri erant, cum aliis, quos secum retinuerat se occultando remansit, & jam collectâ prædâ Saraceni nostris insistentes ultra prædictam Vallem fugaverant, cùm magnanimus Comes, invocato summa (72) voce Dei auxilio, hoc enim semper fuit signum Normannorum in bellis incipiendis, (73) ejus terga viriliter aggrediens, Serlone jam cum suis revertente, omnibus ibidem interfectis, certissimo experimento docuit, quàm stultum, quàm miserum sit Africanos, sive Arabicos Normannis in prœlio (74) occurrere. His, & similibus Normannorum successibus licèt Saraceni valde (75) attoniti redderentur, tamen Dominum contra suam nequitiam pugnare penitus ignorantes, & in persecutione Christianorum magnum se Deo præstare obsequium arbitrantes, congregatis ergo triginta millibus equitum, & peditibus infinitis, numerositate sua Normannorum paucitatem tentarunt extirpare.

Tanta ergo congregatione in audaciam elevati, pugnandique locum invenire cupientes, apud Teranum causa illud obsidendi (76) iter expediunt. Jamque ipsis non longè à castro illo juxta (77) fluvium (78) hospitatis, de adventu eorum Comiti nuntiatum est, qui misso Serlone clarissimo nepote cum triginta militibus, ut Ceramensium animos confortaret, se illuc in crastinum promisit venturum. At magnanimus Serlo, probitatem generis nisi propria effulgeret parum sibi (79) attinere reputans, aliquid dignum memoria, quod propriæ laudi (80) adscriberetur ante adventum Consulis perpetrare festinat. Mane itaque facto sequentis diei cum triginta sociis suis armatis à Castro descendens, de divino confisus auxilio, hostilem exercitum ausus est invadere, statimque omnes subito timore percussi, seu quia ipsum Comitem cum multis ex improviso forsitan advenisse putabant, seu quæ certissima res est, divina sic favente potentia cujus est, & dare, aut auferre victoriam, tamquam maximus contra eos (81) pugnaret exercitus, in fugam conversi sunt; quos nostri virili audacia insequentes, postquam multa occisione fatigati fue-

(55) in jure.
(56) Geracinis.
(57) *alter Cod.* auferens, *& in margine manu Zocagni*: præferens.
(58) alteram Siciliam, atque Calabriam.
(59) Trajanum.
(60) Metrosim.
(61) postquam.
(62) modicam.
(63) hyemali.
(64) corruptis.
(65) eorum contumacia.
(66) Terram.
(67) morante.
(68) provectus.
(69) ferè.
(70) Serlonem, *ita semper*.
(71) eductus.
(72) nocte.
(73) eos à tergo.
(74) concurrere.
(75) accorati.
(76) tunc experientur.
(77) flumen.
(78) hospitalis.
(79) amictere.
(80) attribueretur.
(81) pugnatores.

Digitized by Google

fuerunt, per castra eorum revertentes, spoliisque pretiosioribus onerati, infra castrum se recipiunt. Eadem die Comes sicut promiserat, centeno (82) milite comitatus, apud (83) Ceramum accepit. (84) At Saraceni postquam nostris revertentibus fugati residerunt, undique collecti, & multis aliunde venientibus multo plures quàm (85) priùs in (86) castra redire, tantaque illorum (87) videbatur multitudo, ac si (88) tota gentilitas ex diversis partibus Orbis convenisset, quantam nec ipse Comes, nec aliquis suorum se vidisse recordabatur. Nocte ergo transacta, & Sole jam tertiam partem (89) sui (90) curriculi ascendente, Comes invictissimus, ne propter hostium multitudinem suis (91) cor languesceret, convocatos illos hujusmodi oratione confirmare intendit.,: Utrum in multitudine exercitus sit belli victoria, an de Cœlo victoria tantùm veniat, neminem vestrûm credo ambigere. Licèt (92) sibi ad præsens veterum exempla prætermittam, quod vestra retinet memoria, in multis, & gravissimis bellis, quibus hìc, & ultra Farum, Deo jubente, lætam semper victoriam habuimus, numquam nisi pauci contra multos certavimus, istudque (93) certissima fide, & (94) inconcussa credendum est, Deum universitatis auctorem posse dare, vel auferre victoriam: qui quoniam quæcumque multorum, eadem & paucorum (95) operatione, vel etiam nullo ministrante sine dubio potest efficere, nequaquam dubitandum est nobis, qui pio affectu ejusdem servitio insistimus, cum paucis tentare, quod cum (96) infinitis nullatenus possemus impetrare. Quare, o fortissimi milites, remota omni inertia securi de triumpho viriliter ad pugnam accedamus, si enim hodie, quod minimè dubito, tantam hostium multitudinem ex diversis partibus congregatam superare poterimus, parum nobis in Sicilia deinceps erit insudandum; in fuga siquidem, quod Deus omnino à genere nostro prohibeat, nulla salus est speranda, quam si omni summo opprobrio, & maximè vitæ nostræ periculo inire tentaremus, certè neque hostium undique circumfusa multitudo, neque ipsa locorum asperitas nos (97) impunè tentavisse pateretur. Si verò vobis hìc turpiter inclusis, nullaque (98) alia auxilia expectantibus, dum magis, magisque eorum exercitus augeatur, pugnam differre placuerit, cibariorum indigentia istud omnino prohibet, solo enim ferro salus cum victoria nobis hodie quærenda est. His, & similibus postquam suorum animum ad pugnandum satis animaverit, omnibus uno ore ejus persuasioni assentientibus, ipsos protinus armari jubet, deinde ex omni suorum numero duas tantùm acies instruens, elevatis signis paulatim de monte in vallem pugnaturus descendit. Quem ubi hostes armata manu contra (99) aciem suam (100) convenerunt accedere, læti de oblata pugna, circumductis undique manipulis, ne fugiendo posset evadere, eum includere (1) festinantes; sed nostris nil tale cogitantibus, cùm jam dato signo ex præcepto Consulis eis pararent (2) occurrere, in prima acie, quam Seilo magnanimus ducebat, miles quidam incognitus cum niveo equo, & niveis armis, & albo vexillo crucem habente rubeam, statura immensa, facie admodum reverendus, cum nostris visus est incedere: qui (3) summo impetu in confertissimos hostes prorumpens, mirabilis ipse mirabiliter eos perturbare videbatur, quod nostri cernentes, in eis ultra modum audacia, atque viribus augmentatis, celsa voce Dei auxilium invocando, omnique tarditate remota, viriliter hostibus incurrendo ipsum insequuntur. E contrario Saraceni virtute, atque animis omnino destituti, jamque Panormitano (4) Archadio, quem mala sua fortuna illuc deduxerat, lancea gloriosissimi Comitis interfecto, projectis armis in sola fuga montis inducias requirunt. Sed Christicolæ non priùs ipsos funestè occidendo persequi dimiserunt, priusquam XX. millium animas in solis militibus ad visenda tartara coëgerunt. Reliqui verò quibus fortuna, & (5) res superveniens pepercit, fugiendo fastigia montis (6) ascendentes, nocte illa vitam lugubrem sinè somno, & cibis duxerunt. Normanni verò multa (7) interfectione fatigati, cum gaudio tamen ad (8) tentoria recurrentes, prædâ æqualiter inter se divisâ, artus labore (9) inanitos cibis & quiete reficiunt. In crastinum verò ad montem ubi hostes reliquerant summo mane venientes, aliis eorum gladio interfectis, alios in Calabriam, atque Apuliam (10) vendentes transmiserunt; Trajano taliter obsidione liberato, venerandus Comes apud Agrigentum cum ducentis militibus iter expediens, cùm infinitam prædam à partibus illis reduceret, septingenti milites Arabici à civitate progrediuntur occultè per compendiosam viam nostrorum, illos, qui prædam ducebant, inter duos montes, ubi via erat arcta, & cavernosa, & nostris ibidem transitus, pervenerunt. Cùmque illi in latere utriusque montis supra viam se occultarent, Comite cum majori parte equitum retro à longe veniente, & jam illis, qui prædam ducebant in prædictas cavernas introëuntibus, repentino clamore, atque jactu lapidum, & telorum creberrimo nostris armigeris interfectis, alios fugientes montem ascendere coëgerunt. At Comes audito clamore, cursu celeri superveniens, vix suos à monte, in quem fugerat revocare poterat, tandemque omnes hostes viriliter insequens, excussâ prædâ satis lætam de iis habuit victoriam. Quia ibidem (11) Gualterus de Cullejo miles optimus, nimis audacter hostibus incurrendo interfectus est. Post paucos dies dum Comes à Panormitanis partibus prædam reducendo magnam remearet, ex improviso maxima hostium multitudo superveniens sinistro omine bellum cum Normannis ausa est incipere, quos nostri adeò omnes in ore gladii posuerunt, quòd nec etiam unus, qui miserabilem eorum fortunam Panormi renuntiaret, (12) aliquis superfuit.

In

(82) militari.
(83) Teranum.
(84) de Saracenis plusquam.
(85) priùs *deest*.
(86) Castro.
(87) videbatur esse.
(88) intra.
(89) ipsius.
(90) circuli.
(91) animus.
(92) enim.
(93) certissimum.
(94) concussa.
(95) oratione.
(96) infeceritis.
(97) in pugna.
(98) aliunde.
(99) spem.
(100) cognoverunt.
(1) festinavit.
(2) incurrere.
(3) sumpto.
(4) Arraido.
(5) non.
(6) ascendendo.
(7) multos interfecerunt.
(8) tentoria hostium.
(9) inanimatos.
(10) vendendos.
(11) Gauterus de Simello.
(12) aliquis superfuit *desunt*.

In iisdem temporibus Dux Apuliæ Biscardus Agellum in Calabria obsedit, qui tandem (13) Agelli feroces ejus insultus diutiùs non sustinentes se dederunt, interfectis ibi Rogerio (14) osculant, & Guiberto ejusdem Rogerii nepote, viris bello probatissimis, quorum corpora apud Sanctam Euphemiam sepulta sunt. Dedito Agello, Dux magnanimus, mens cujus, numquam in audendis, & (15) perpetrandis majoribus hæsitabat, Normannis, atque Lombardis per Apuliam, atque Calabriam publico edicto universaliter congregatis, Barum civitatem maximam natura,& arte,& viribus bellantibus munitam omnino ante illa tempora Latinæ subjectionis ignaram,super omnia Normanni nominis invidam, undique, & terra, & mari (16) fraterno confidens auxilio non dubitavit assidere. Ipso igitur (17) circumducto exercitu, Civibus à Terra omnino (18) egressis prohibente gloriosissimo fratre suo (19) Mellicanorum Consule navali prælio non mediocriter ipsos urgente, ut faciliùs alter alteri laborantium bello posset conferre subsidium, & utroque latere civitatis à terra usque ad naves funibus, vineisque suppositis geminum pontem placuit ædificare. Barenses, & si virtus egregia Normannorum super omnia sibi formidabilis esset, tamen quia penitus timorem dissimulare, & spem capiendæ civitatis hostibus imminere (20) nolebant, quidquid auri, & argenti, seu pretiosarum rerum possidebant, die primo, quo nostri ad obsidionem venerant, in Cytharis, aliorumque Instrumentorum Musicorum generibus modulantes, super propugnacula murorum videnda hostibus exponebant. Sed Dux omnium, quos terra sustinebat prudentissimus, cognitâ eorum astutiâ, non (21) ideo nisi magis ac magis ad civitatem expugnandam animum intendit. Brevi itaque spatio ligneis turribus, aliisque machinis diversorum generum compositis, omni die terrifico insultu muros hostiles non cessat concutere. Cives ex diversa parte, & jactu lapidum, atque telorum creberrimo, & vinearum oppositione satis audacter in principio Civitatem suam nituntur propugnare: neque tamen umquam, sicut in tali casu solet contingere, præsumebant apertis portis equestri, sive pedestri agmine cum Normannis (22) manum conferere. (23) Sed ubi Ducem doctissimum præter spem suam in (24) expugnatione vident persistere, quod multitudine sua posse facere diffidebant, per manus unius dolosè, atque latenter tentaverunt efficere. Noctis (25) ergo optimè silentio, cùm Dux in tentorio cum militibus cœnaret, Barensis quidam, cui ingens avaritia perniciosa præstabat audaciam, pactâ sibi pecuniâ jaculum in manu accipiens, solus è Civitate progreditur, cùmque per Castra ambulando, si quibus obviabat, nomen, & causam dissimulando (26) uvæ, tandem cùm ad Ducis tentoria perveniret, quasi unus ex ministrantibus esset, introgrediens, jaculum, quod occultè deferebat, in aspectum Ducis contorquere præsumpsit, quod Dei miseratio a persona sua avertens, vestem incisam corpus illæsum servavit. Immisso jaculo perfidus ille veloci saltu in fugam prosiliens, noctis umbra sibi favente capi non potuit. Dux itaque tam repentino facto stupefactus, tantamque perfidiam licuisse Barensibus indignans, ut deinceps eorum fraudes, & insidias posset vitare faciliùs, domum sibi lapideam in castris brevi tempore jubet ædificare. Tempore illo quidam (27) Agereces nomine sub Diogene Imperatore Græcorum Civitatem Barensem (28) triennio transacto custodiebat, quam postquam vidit neque dolis, neque viribus, quas apud se præsentes habebant ab oppugnatione Normannorum posse liberari, Legatos Constantinopolim pro implorando auxilio (29) mittit, qui euntes, & cum navibus multis viris, & dapibus oneratis redeuntes, postquam usque Durachium pervenerunt, (30) Gerolinus quidam Normannigena Dux Corinthiorum, quem Imperator navibus in Apuliam ituris persecerat, eos cum literis hujusmodi Barum præmisit.

Gerolinus Dux Corinthiorum Archerio Duci Barensium salutem.

Pro certo habeas me cum magno subsidio in quarta sive citiùs ad te venturum, quare monitum te facio, ut nocte illa ignes, atque lucernas plurimas, ne fortè à retro cursu deviemus, super muros Civitatis vestræ facias accendere. Nos verò iterum, ut de nobis certiorem habeas fiduciam, in navibus nostris lucernas accensas habebimus.

Barenses in nocte illa, qua venturum sibi audierant subsidium, cum cantibus, & musicis instrumentis insolitam agentes lætitiam, faces, atque ardentes cereos mœnibus suis suppofuerunt, quod nostri cernentes, nec sinè causa tam repentè talia fieri arbitrantes, rem ut futura erat non penitus ignotam habuere. Armatis itaque navibus Venerandus Comes Rogerius, ut primùm naves Græcorum accensis luminibus, quasi stellas cognovit accedere, tranquillo cursu eis obviam progrediens, similem lucernam per unamquamque navium jubet accendere, deinde paulatim, & sinè tumultu hostili navigio se immiscens, ipse subito clamore dato signo aggrediendi primus omnium (31) Gerolini navem ingreditur, ipsumque captum, atque ligatum sociis servandum reliquit. Idem ferè de omnibus aliis actum est. Barenses ubi se frustra à Græcis expectasse auxilium viderunt, versâ in luctum lætitiâ, in crastino Duci suam Civitatem reddiderunt. Baro dedito, & navali exercitu apud Ydrontum congregato, Dux, & Comes in Siciliam ad expugnationem Panormi profecti sunt.

Erat autem Panormum civitas dives, & populosa, totius Siciliæ caput, & principalis Sedes Tyrannorum, magisque opere, quàm natura munita, juxta mare deliciosa planitie non longe à (32) Pelero monte, longo circuitu sita, nullius bonæ rei indigens, præterquam, quòd Christiani nominis erat aliena. Circumsedentibus ergo eam ex altera parte Ducis, ex altera parte Comitis exercitibus, navibusque omnino maris iter prohibentibus, omni die graviter utrinque pugnabatur; tantaque inerat Civibus audacia, quòd plurimùm de sua multitudine, & Civitatis fortitudine con-

(13) Agellani.
(14) extoblant.
(15) appetendis.
(16) superno.
(17) circumdata.
(18) egressum.
(19) Blistanorum.
(20) volebant.
(21) imò quasi.
(22) contendere.
(23) licèt.
(24) pugnatione.
(25) igitur opportuno.
(26) viæ.
(27) Argerione.
(28) triennio *deest*.
(29) mittit *deest*.
(30) Gocchelinus.
(31) Gothelini.
(32) Peloro *malè*, *l.* Pelegrino.

confidentes, nostris, licèt acerrimè invadentibus, portas claudere dedignarentur. Contigit itaque die una, dum quidam Arabicus miles audacissimus, qui jam de nostris multos interfecerat aliquem sibi in portam occurrentem expectaret armatus, quòd unus Normannigena, Ducis atque Comitis nepos strenuæ animositatis equum acriter urgens per medium pectus illius lanceam acriter contorsit, & cùm hoste interfecto ad socios redire festinaret, porta subitò clausa, & præsens hostium congeries reditum sibi per eamdem viam prohibuit. Mox ipse impiger per medios hostes, quàm velocissimè longum iter arripiens, (33) tamen per appositam partem sævos insequentium manus Christo ducente illæsus evasit; quem ad socios pro morte ipsius sperata lachrymantes redeuntem, ipsi quasi redivivum admirantes deosculari non cessant. Quadam alia die Normannis partem illam Civitatis, quam Comes obsederat acerrimè cum multimoda oppugnatione aggredientibus, cùm Cives universaliùs solito ad defensionem ejus partis convenissent, Dux omnium sapientissimus, cui ab astutia nomen inerat, ex alia parte cum trecentis militibus viriliter aggrediendo portas frangit, & maximam partem Civitatis usque ad interiores muros occupat, & retinet. Quo audito, ne collecti in unum Cives viribus retro Ducem expellere præsumerent, Comes ad eumdem locum cum parte sui exercitus se transtulit. In crastino autem Cives, cùm nullo modo virtuti Normannorum se posse resistere viderent, communicato consilio, missis, & remissis utrinque Nuntiis, & pactionibus, quales adhuc in eadem Urbe tenentur, conformatis, Panormum Urbem Regiam totius Regni Dominam, atque Metropolim Duci, atque Comiti Fratribus, & viris invictissimis regendam, & possidendam tradiderunt. Qui, ne Cives immutato animo, & temeritatis legibus aliquando bella de integro auderent, ad removendam injuriarum licentiam, duo fortissima Castra, alterum juxta mare, alterum in loco, qui dicitur (34) Galea, brevi tempore constituerunt. Demum verò, quia in eadem Civitate ad sacrificandum Idolis composita ingens, atque pulcherrima ædificiis habebatur, expulsis Idolis in honorem Dei Geenitricis, ac semper Virginis Gloriosæ Mariæ, Archiepiscopali Sede ibidem constituta, consecrari fecerunt. In iis peragendis dum fratres invictissimi adhuc Panormi morarentur, Seilo eorum nepos clarissimus apud Ceramum probitati suæ confidendo, Saracenorum insidias omnino superare non poterat. Quadam enim die quidam Castri-Joannis notus sibi, & (35) familiaris inimicus, tamquam plurimum de ipsius utilitate curaret septem Arabicos milites tantùm pro præda ante Ceramum equitaturos ei nuntiavit; & cùm (36) facta mandatis fidem adhiberet, ipsum (37) audacter cum paucis (38) insequentibus multitudo hostium occultè in subsidio collocata, sociis, jam amissis, & equo deficiente, vicinam rupem coëgit ascendere, unde securus à tergo, tamquam aper inter latrones sævissimus, quotquot sibi occurrere præsumebant, impunè accessisse non permittebat. Cùmque jam multis virili dextra ejus interfectis, tota multitudo in eum circumfusa convenisset, missis eminus jaculis corpus ejus in mille locis perforatum, tandem (39) felicem animam ejus exhalare coëgerunt: & tunc accedentes, quia animositatem à corde procedere audierunt, aperto corpore, cor illius, quod ferè omnium audacissimum fuisse cognoverant, per singulos divisum sibi incorporare festinaverunt: Caput verò abscissum ad Regem suum nomine Tervernum pro magno munere, & valde placituro transmiserunt. In iisdem temporibus Gisolfius Salernitanorum Princeps cum Amalfitanis bellum habebat, cujus erat (40) causa Pater suus in obsidione (41) Amalfi interfectus. Hi postquam viribus propriis ejus oppressioni nequeunt resistere, Duci Biscardo se, & Civitatem suam regendos, & defendendos committunt; qui quatuor Castellis in vicinis Collibus ædificatis, postquam Gisolfus pacem cum eo intemeratam servare non voluit, non ampliùs cum Du.... quæ erat soror Principis retinente, congregato exercitu Salernum obsedit; tandemque ipsius diuturna obsidione, & victualium penuria vehementer coacti, (42) Abealardus nepos Ducis, filius Comitis (43) Biscardi, qui in auxilio Salernitanorum, quoniam (44) duo (45) minitabantur, à Principe intro receptus fuerat, postquam tempus deditionis instare videt, (46) montano itinere hostilia castra apud Sanctam Severinam, quæ est in Calabria, cum paucis profectus est. Post cujus recessum Princeps omnium auxilio destitutus, civitatem suam reddere non distulit. In eodem anno Dux apud (47) Rogerium Comitem Hermannum fratrem (48) Abealardi, quia pacem suam turbare nitebatur cepit, & apud Mellitum (49) incarcerandum transmisit, pro cujus liberatione (50) Abealardus, castrum quod eo invito possidebat Duci reddidit. Tali inter eos habita pactione, quia quàm citiùs Dux Gargantum visitaret, fratrem suum à carcere liberaret, jamque aliquot mensibus transactis (51) Humano nondum liberato, (52) Abealardo, prout fraternus amor suadebat, moras juratæ pactionis increpanti Dux respondit, se neque infra annos septem Gargantum esse perrecturum, neque priùs Humanum esse liberandum. Tali responsione (53) Abealardus vehementer in iram accensus, castrum, quod in Apulia rupes S. Agathæ nuncupatur, ingrediens, Terram Ducis viriliter inquietare non cessabat. Sed Duce illuc ad obsidionem veniente, missis, & remissis utrinque pacificatoribus, castrum Duci redditur, & Humanus à carcere liberatur. Quo facto utrique fratres ad Regem Constantinopolim se transferentes, postquam ipsum ad pugnandum contra Ducem nequeunt impellere, nimium dolorem causam mortis dicuntur habuisse. Nondum eodem anno (54) finito, Africani apud (55) Vicotrum in Calabriam navali exercitu venientes, senibus interfectis, aliorum partem pro pretio reddiderunt, partem verò in Africam ad Regem suum deferentes,

(33) accipiens tandem.
(34) Galga.
(35) familiaribus.
(36) fraternam.
(37) nimis audacem.
(38) insequentem.
(39) felicem animam e.e. c. e. t. a. q *desunt*.
(40) causa talis quòd.
(41) Amalfi ab eisdem.
(42) Abornandus.
(43) Humfredi.
(44) Duci.
(45) invitabatur.
(46) nocturno.
(47) Cannas.
(48) Abachardi.
(49) incarceratum.
(50) Abachardus.
(51) Hermanno.
(52) Alvelardo.
(53) Alvelardus.
(54) firmato.
(55) Africam.

tes, augmentato navigio apud Macariam in ſecundo anno iter habuere, & violenter navibus portum introgreſſi, civitate depredata, Caſtellum, quod in ea Comes conſtruxerat, per octo dies non ceſſant oppugnare; ſed qui infra erant audaciſſimè ipſis reſiſtentes, à prima die applicationis (56) eorum ad Comitem Legatum unum, qui talia nuntiaret, transmiſerunt: quo ex improviſo cum ſuis Normannis accedente, abſque mora Saraceni ferè omnes interfecti ſunt, pauci verò ad naves; & deinde in Africam fugiendo, non ſatìs (57) lætos rumores de ſociis in patriam retulere. Habitâ victoriâ Comes apud Mellitum per Cathaniam proficiſcens, Hugonem de (58) Brachio generum ſuum, quem Dominum Cathaniæ præfecerat, nulla admonitione Saracenorum inſidias, & maximè Syracuſanorum vitare jubet. Quo recedente Hugo immodicæ ſuæ audaciæ magìs, quàm prudentiſſimi Comitis perſuaſioni acquieſcens, vocato ſibi in auxilium Jordano egregio milite, & Comitis filio, Syracuſanos ad pugnam non ceſſat invitare. Quadam ergo die (59) Benervetus eorum Princeps, congregata multitudine, non longè à Cathania in Valle ſe abſcondens, triginta electos milites ante civitatem pro extrahendis civibus delegavit. Quibus Hugoni, & Jordano compertis, miſſis poſt eos ſtatim ad faciendam moram triginta aliis militibus, ipſi deinde glomerato agmine, & tardiori greſſu prodeuntes, ultra hoſtium inſidias ſiniſtro omine proſequi non dimiſerunt, ex tunc (60) Bennieto cum multitudine à tergo eis inſiſtente. Hugo ſtatim à primo (61) concurſu occiditur: Jordanus verò hoſtiles manus cum paucis vix evadere potuit. Triginta, qui in primo agmine hoſtes inſecuti fuerant, apud (62) Patmonum per divortia fugiendo vitam ſibi ſervavere. Hæc (63) ubi venerando Comiti relata ſunt, ipſe multum de interfectione ſuorum (64) dolens, caſtrum quoddam opulentiſſimum, quod in partibus Syracuſiæ (65) Bervento (66) ſonuebat feſtinat (67) invadere. Cujus ſumma audacia, & virtute inſuperata, fractis mœnibus, & contritis quoſcumque ibi viros pugnæ idoneos invenerat, omnes nemine excepto mortem (68) ſubire coëgit. Mulieres verò, ac pueros (69) vendentes in Calabriam tranſmiſit, deinde cum exercitu ſuo per totam Vallem (70) nocte progrediens, ſegetes omnes comburendo, & falcibus reſecando devaſtavit, unde in ſequenti anno per totam Siciliam fames acerba (71) pervênit. His expletis Comes, & Jordanus filius ejus apud Trabulum caſtra promoventes, ipſum circumſedendo oppugnare intendunt. Erat autem Campus juxta Trabulum in longitudinem porrectus, ferè undique à mare colluſtratus; (72) huc Trabulenſes, quoniam ad (73) alia prohibente exercitu ſibi tranſitus non patebat, omni die boves, & pecora ſua paſcenda deducebant. Quod ubi Jordanus, paternæ probitatis imitator magnanimus comperit, centeno comitante milite, clam patre ſuo nocte illuc navigando cum ſociis ſuis in umbroſa Valle (74) latitabat; & jam Phœbo primam diei horam terminante, paſtores longè à caſtro greges infinitos ad paſcendum (75) compulerant, & egreſſis à Valle militibus, decem ſolummodo, ne tota multitudo apparens Cives mœnibus incluſos (76) retineret, paſtoralis clamor ferè univerſos Trabulenſes ad (77) fugandos hoſtes, & greges retinendos veloci itinere compellit. Jamque primi ſequentibus aliis uſque ad noſtros (78) decem pervenerat, cùm Jordanus, & cæteri omnes à Valle progredientes, hoſtibus, & civitati ſe interponendo, unumquemque, aut repugnantem interficiunt, aut ligatum cum gregibus ad naves, & inde ad (79) caſtra reducunt. Quo facto cæteri, qui in civitate remanſerunt, ultra diem illum deditionem non differunt, Comite à Trabulo revertente, Caſtrinovenſes idem faciunt.

Poſt ſuperatam omnino Apuliam, atque Calabriam, cùm admirabilis Ducis Biſcardi magnanimitas exercendæ virtutis ulteriùs loci opportunitatem non habens, in acquiſitione Conſtantinopolitani Imperii, non deficientibus (80) & honeſtis cauſis, miro modo affectatur. Altera cauſarum erat, quòd Græcorum gens infideliſſima debitam Romanæ Eccleſiæ obedientiam exhibere contemnebat; altera erat injuria, quam (81) ſibi turpiter, & perfidè intulerat ulciſcenda. Contigerat namque, (82) Michaële Græcorum Imperium ſapienter gubernante, cùm ſuper omnia egregiam virtutem Normannorum ſibi poſſe fieri nocituram prævideret, perpetuam cum illis pacem voluit fœderare; modiſque ergo quibus potuit filiam Ducis filio ſuo primogenito dare perquiſivit. Quo impetrato, Græci non ſolùm Normannigenæ, verùm & totius Latinæ gentis ſemper execrabiles (83) inimici, invidia Dominum ſuum Michaëlem, (84) (peſſimum ſcelus) à Sede Regia (85) expulit longè à Conſtantinopoli & Monachum fieri (86) coëgit, filiumque ejus, qui etiam ſimul cum uxore in Palatio fuerat coronatus, ne ſi in filia Ducis, & Latina muliere filios procrearet, Normannis, & omnibus aliis Latinis in Regnum ſuum (87) ingreſſus pateret, (88) erimithaverunt, uxorem verò ejus clauſam tenuerunt. Timebant enim, quòd ſi illa, quæ (89) ſemel apud illos coronam geſtaverat ad patrem ſuum rediens alicui probo, & forti viro nuberet, ille ex conſueto jure Græcorum Imperium ſibi vellet acquirere. Præter hoc Græcus quidam (90) pater veneno, & arte ſimulatoria non mediocriter inſtructus, Michaëlem ſe eſſe, & fortè perfidus ſuorum manus evaſiſſe mentiendo, pro implorando in ſui Regni reſtitutionem auxilio (91) probari dedictionem, ad Ducem noſtrum ſe contulerat, quem Dux omnium ſibi (92) contemporaneorum prudentiſſimus, licèt & multorum judicio men-

(56) eorumdem.
(57) lætos *deeſt*.
(58) Brachia.
(59) Benevenutus.
(60) Benevenuto.
(61) congreſſu.
(62) Patrinonium.
(63) Hugoni.
(64) condolens.
(65) Benerto.
(66) ſervabat.
(67) evadere.
(68) ſubire *deeſt*.
(69) vendendos.
(70) noti.
(71) ſupervenit.
(72) hunc.
(73) alia loca.
(74) delitius.
(75) contulerant.
(76) retineret *deeſt*.
(77) imitandos.
(78) autem.
(79) in Caſtro.
(80) juſtis &.
(81) ſic.
(82) Michaele *deeſt*.
(83) inimici antiquiùs eis imperante.
(84) potiſſimum *in margine alia manu*: per ſummum.
(85) expulſum.
(86) coegerunt.
(87) ingreſſus liberior.
(88) eunuchaverunt.
(89) ferè.
(90) Patriæ.
(91) poſt banditionem.
(92) eam Francorum,

mendacia sibi proferre non dubitaret, quia tamen hujusmodi (93) commentum sibi apud Græcos in deditionem castrorum perutile (94) futurum esse putabat, secum honorificè, tamquam suis mendaciis fidem adhiberet per duos annos retinuit. Talibus de causis, (95) & admiranda Ducis audacia justitiam suam corroborans, post Ducatus sui pacificam ordinationem, anno ab Incarnatione Domini MXC. navalem exercitum apud (96) Ydiotum congregavit, cujus partem pro exploranda Græcorum continentia, & si sors tulisset castri, aut civitatis alicujus occupationem trans fretum delegata. Illi euntes, & nihil proficiendo redeuntes, se magnam Græcorum multitudinem in Insula Corphoë invenisse, minimè tamen eam posse Duci resistere retulerunt. Tunc sinè mora cum exercitu suo Dux paratas naves ingrediens, favente aura, brevi tempore ad hostilem terram Græcorum juxta (97) Ericho applicuerunt. Quædam verò navium, vento (98) cogente, apud (99) Bausum cursum tenuere; sed (100) postea ipsis ad Ducem revertentibus, & Cassiople, & (1) Corphoë aliisque civitatibus, & castris Ducis potentiæ solo timore subjugatis, usque (2) Libaniam ventum est. Tunc primùm Græci Normannis frustra resistere tentaverant, Duce verò paratis machinis (3) ibi semel insultum faciente, nihil ampliùs morantes, & se, & civitatem suam dominationi ejus subdiderunt, similiter, & qui vicinum castrum habitabant faciunt, & deinde nostri Dorachium venientes, positis extra tentoriis, ipsum circumsedendo viriliter omni die (4) oppugnare non cessant: è contrario Cives multa lapidum, atque telorum immissione, civitatem suam, in quantum eis naturalis permittebat inertia, defensare intendebant, & quod viribus, atque animis eorum deficiebat, (5) numerus, situsque loci, & Civitatis munitio supplebat.

Jam de hostili adventu Normannorum, & terrifica ipsorum ad quemcumque locum venerant oppugnatione (6) allecti, Constantinopolitano Regi diversis nuntiis indubitanter relato, ipse innumeras acies sui Imperii ad resistendum eis congregaverat: jamque (7) Veneti multa (8) largitione munerum, & majoribus promissis ad auxilium ejus convocati, usque Durachium navigaverant. Sed Dux, cujus potentia nihil remissum, nihilque prorsus (9) inexploratum relinquebat, eis à (10) latè cognitis partem suorum contra eos pugnaturam ante (11) portum Ysdroti præmisit, quibus more solito bellum audacter incipientibus, (12) Veneti postquam (13) feroces eorum ingressus non (14) valerent sustinere, terga vertentes, usque in crastinum pro pace (15) cum nostris fœderanda inducias requirunt, nostri datis utrinque induciis ad castra redeunt. Sed Veneti, & frequenti Græcorum cohabitatione, & (16) assumptis convicus satis in (17) fallaciam instructi, tota nocte naves suas lapidibus, & telis, & acutis sudibus muniendo supra (18) malos earum lignea (19) propugnacula (20) machinaverunt, in (21) crastino pro confirmanda pace (22) promissa ad eas (23) immittere, non solùm ipsi pacem denegant, sed contumeliosè minas ingerunt. Nocte ergo sequenti Durachianos sibi adjungentes, Luna, & vento faventibus, contra nos certamen (24) inituri maris iter expediebant. Quorum cognito accessu, (25) protinus obviam eis navigantes, (26) audacter cum ipsis bellum incipiunt. Tandemque una Venetorum navi cum omnibus submersa, aliis versis in fugam, bellum dimittitur. Veniente autem diluculo, cùm (27) nostri armigeri ad remota loca pro efferendis victualibus iter haberent, à supercilio montis in Valle prospicientes, armatam hostium multitudinem infinitam, ac si totus Orbis convenisset, Alexio eos ducente, viderunt accedere; (28) qui summa festinatione ad castra redeuntes, rem uti cognoverant Duci invictissimo retulere. Sed ille, cujus animositatis experientia (29) tot plena successibus, nihil arduum, nihilque formidabile reputabat, ne fortè suorum aliqui tanta multitudine perterriti spem salutis in fugam ponendo, minus (30) audacter contra hostes decertarent, naves suas extractas ab æquore animato igne jussit omnes illico concremare. O admiranda (31) prudentis audacia, o sapiens, & memorando semper (32) animo Ducis (33) providentia! Ne casu aliquo consuetam sibi victoriam posset amittere, id quod eam in bello frequentiùs timidis solet auferre, spem fugiendi videlicet, (34) omnino ab exercitu suo festinavit (35) removere. Crematis navibus, & spe salutis tantummodo ad pugnandum viriliter confirmata, cùm Alexius fortè adhuc duobus milliariis à nostrorum exercitu remotus jam castra posuisset, quia maxima pars diei præcesserat, (36) Dux noster tamen, & ordinatione suarum rerum, & hostium exploratione intentus, licèt jam venturam sibi palmam lætus conciperet animus, tamen usque in crastinum cum hostibus pugnare distulit, & nocte præsenti ipse cum Beamundo filio suo (37) excubandi vices suscipiens, mane facto, & Missis devotè celebratis, & priùs peccatorum confessione, & Dominica Eucharistia reverenter ab omnibus accepta, suos ante dignitatis suæ præsentiam convocatos (38) diligenti exhortatione in virilem audaciam confirmat. Demum ex præcepto ipsius, armatis omnibus, & aciebus ordinatis, tranquillo itinere apud hostilia castra eos triumphaturus deducit. At ex alia parte Alexius Legiones suas multipliciter instruens, Anglicos suos, quos viribus, atque animis Græcis præstare cognoverat, in prima acie collocat, cæteros verò ubi alii aliis in pugnando prævalebant,

(93) comeatum.
(94) facturum.
(95) & *deest*.
(96) Idrontum.
(97) Corinthum.
(98) cogerant.
(99) Vesosam.
(100) priùs ea.
(1) Corphot.
(2) Lavenonia.
(3) ubi.
(4) expugnare.
(5) numerus situsque l. c. C. m. s. *desunt*.
(6) Alexio.
(7) Venetici, *ita semper*.
(8) *corruptè* largione.
(9) in exemplum exploratum.
(10) longè.
(11) ante in introitu Portus.
(12) Venetici.
(13) post.
(14) valent.
(15) confœderanda.
(16) assuetis commerciis satis &c.
(17) fallacibus.
(18) molas.
(19) propugnanda.
(20) machinatione.
(21) crastiuo Duce verò pro &c.
(22) promissa *deest*.
(23) immittente.
(24) intueri.
(25) protinus *deest*.
(26) audacissimè.
(27) nostrorum.
(28) quòd.
(29) tota.
(30) accuratè.
(31) prudentia prudentis.
(32) animosi.
(33) facundia.
(34) animo.
(35) rumor.
(36) duxerunt contra ordinationem suam &c.
(37) excubandus.
(38) diligentem exercitationem.

Digitized by Google

bant, (39) alios in dextra parte, alios in sinistra, alios in medio, alios in postremo agmine curare jubet; sed ipse, quamvelocissimo equo invectus, jam præ timore congelato sibi animo, inter postrema agmina, sibi prævidens qualis futura esset fortuna Anglicorum prospiciebat. Postquam exercitus ambo convenerant, datis signis utrimque bellum violenter incipitur, Anglici in principio cum bipennibus suis fortiter feriendo, primis nostrorum incursibus audacissimè resistunt; sed quia neque clypeis, neque lorica utebantur, postquam Dux insuperabilis cum sua acie tamquam (40) leo, & audaciam multiplicavit, ipsis oppositis clypeis (41) mucronibus, atque lanceis eos per latera transfigendo multos eorum interficiebat. Cùmque jam superatis Anglicis, Ducis magnanimitas per media hostium agmina ad locum ubi Alexius trepidabat festinaret, ille audito terrifico nomine Biscardi, quo totus sibi aër resonare videbatur, (42) urgendo corrui pedem, quamvelocissimè in fugam convertitur. Idem facit totus exercitus, (43) quos diu nostri persequendo aliis in vinculis positis, (44) alios innumerabiles interficiunt. Erat autem in campis illis Ecclesia quædam S. Nicolai, ad quam tanta multitudo victorum (45) confugerat. quòd etiam secus tectum ascendentes, fractis trabibus ipsam ruere coëgerint, & quotquot infra, & superiùs continebantur suffocare coëgerint. Postquam Dux adeptâ victoriæ lætitiâ fugientem Alexium manus suas videt evasisse, suos ulteriùs persequi prohibet. Inde ad castra hostium redeundo, ex (46) intemato ipsius præcepto, quòd (47) quicumque (48) tentorium seu pauper, seu dives contingebat illud idem cum rebus intra (49) repertis quietè possidebat. Hoc tamen solùm generaliter omnibus (50) edictum fuit, ut prima vita Alexii tentoria soli Duci (51) Victori gloriosò contingerent. Nocte illa & sequenti die (52) triumphantibus gaudiis solemnibus ibidem celebratis, omnibusque divitibus Græcorum spoliis abundanter locupletatis; (53) sollemnia, ut securus in eisdem partibus hyemare, & Durachianos ad deditionem cogere posset, in colle uno juxta (54) unum fluvium, castrum quoddam fortissimum, quod postea mons Biscardi appellatum est, brevi tempore constituit. Cùmque diu in oppugnatione Durachii persisterent, quidam Veneticus negotiator, Dominicus nomine, Græcorum familiaris amicus, turrim quamdam, quæ in civitate erat fortissima, custodiebat. Cum eo Dux noster nocte una secretum habens colloquium, ut infra turrim milites suos armatos clam reciperet, pactâ sibi pecuniâ impetravit. Quibus receptis, & vexillo clarissimi Ducis superiùs elevato, Cives non mediocriter terrore percussi, ultra triduum deditionem (55) differunt in urbe dedita, & (56) fourmento de Rossano ibidem ad custodiam deputato, Dux infatigabilis ad (57) Casteriam expugnandam exercitum suum deducit. In hac civitate Alexius, quia pusillanimitati Græcorum diffidebat, trecentos Anglicos ad defensionem posuerat, qui Duce ad obsidionem veniente, cùm se minus ad protegendum paratos esse ostenderent, ubi paratis hostibus diversorum generum machinis plus facto, quàm verbis opus esse compererant, immutato animo pariter omnes, & Græci, & Anglici, ipsos, & civitatem Ducis voluntati subjiciunt: quibus benigna ejus liberalitas, sicut & alios omnes, quos in Græcia subjugaverat, eadem liberalitate possessiones, quas sub Alexio tenuerant habendas permisit; unde jam ipse in tanta amicorum amicitia devenerat, quòd multæ urbes, & castra munitissima absque ulla oppugnatione sponte sua ejus dominationi se subjiciebant.

Anno quo Ducis Biscardi magnanimitas Castoriam oppugnavit, Henricus Imperator Theotonicus Orbis Papam Romæ in turre Crescentii reclusum obsedit, & Romani plus livori suo, & avaritiæ, quàm Apostolicæ Institutioni Ecclesiasticæ unionis servandæ consulentes, Gilbertum Ravennensem Episcopum ponere in Sede Apostolica præsumserant. Ob hæc nuntianda Legatus quidam Romanus ad Ducem Biscardum transfretaverat ex parte Gregorii, festinum ab eo implorans auxilium. Quo rem sibi referente, Dux noster fidelitatis constantia plenissimus, anxius non mediocriter habebatur. Dubitabat siquidem ea, quæ tanto labore acquisiverat, tam recenter alieno regimini intus Græcorum multiplices dolos relinquere; at contra ipse sibi, & suæ fidei puritate prorsus alienum videbatur in tanta necessitate Domino suo roganti non subvenire. Boamundo ergo filio suo, in regendis terra, & exercitu præfecto, una sola nave contentus Ydrontum festinus applicuit; inde missis per omnem Ducatum suum expedite literis, ubique generale edictum habebatur, ut quicumque milites, seu pedites armis deferendis erant idonei, remota omni mora Ducem gloriosum apud Romam sequerentur. Universis itaque Normannis, atque Longobardis inescusabiliter apud Campaniæ fines convenientibus, cùm jam ad locum unde Roma videri poterat perventum fuisset, admiranda Ducis integritas, cujus nec audacia, nec providentia animositatem unquam minuebat, ordinatis aciebus, & semper ad pugnandum paratis, tranquillo gressu agmina conducebat: sperabat enim sine dubio Alemannos cum (58) Normannis collectis in unum viriliter sibi obvios cum armis esse processuros, nec tamen idcirco minus audacter incœptum peragebat. At Romanus Imperator, ubi de hostili ejus accessu per exploratores indubitanter cognoverat, (59) Normannorum levitate cum insuperabili Ducis fortuna non parum incutiente timore, expeditè urbem relinquendo, quæ incomparabili Biscardi probitate audierat, manifestiùs præsens experiri non curabat. Jam fugientibus Alemannis, Dux noster cum exercitu suo appropinquans, mœnibus violenter dirutis, Romam ingressus fuerat, & Romanis victis, Papam Gregorium à Turre Crescentii, summa exercituum audacia, ad Papalem Sedem Laterani reduxerat, cùm Cives tanta & impunè licuisse indignantes, die tertia ex improviso Ducem egregium frustra

(39) alios in dextera p. a. i. f. *desunt*.
(40) Leo sævissimus occurrens suis, & vires, & audaciam m.
(41) inde cronibus.
(42) urgente cornipede, in quem.
(43) quos diu n. p. *desunt*.
(44) aliorum.
(45) conjunxerat.
(46) intemerato.
(47) cuicumque.
(48) ipsorum.
(49) receptis.
(50) adjectum.
(51) invicto, &.
(52) triumphalibus.
(53) Ducis solertia.
(54) Deurinam.
(55) non differunt.
(56) frumento.
(57) Castoriam.
(58) *Fortè* Romanis.
(59) *meliùs* Romanorum.

Digitized by Google

A ſtra bello tentaverunt ſuperare. Dux namque
impiger ſuis feſtinando in arma convocatis,
modo ſolito viriliter eis reſiſtens, per diverſa
loca Civitatis miſcere jubet incendia, quibus
intenti Romani, noſtrorum aggreſſibus minimè
poſſunt reſiſtere. Ipſis ergo ſuperatis, &
Civitate in magna ſui parte colliſa, eadem die
Legatos ad Dominum Papam, & ad Ducem
inviƈtiſſimum pro pace oranda miſerunt, quia
vix vioque vollirate multiplici Sacramentorum
innodatione fœdata; Papa tamen liberalitatem
ſuam ſibi à fideliſſimo Duce ſuo reſtitutam, (60) Normannorum inconſtantia metuens
eam recenter amiƈtere, cum triumphali eodem
Duce noſtro in Apuliam iter habuit. Dum
B fugiente Henrico Alemannorum Rege Dux
Normannigena tanto apud Romam triumpho
potiretur, (61) Boamundus proles ejuſdem clariſſima, Civitatem quandam apud Græcos Arſen
nomine (62) circumduƈta obſidione viriliter
oppugnabat, ad cujus liberationem cùm
Alexius (63) Tancredi Ducis abſentia invitatus,
cum innumera gente acceſſiſſet, Boamundus
miles egregius, plurimùmque in ſe paternæ
(64) probitatis retinens, reliƈta obſidione
cum inſtruƈtis agminibus obviam ei pugnaturus
(65) cucurrit, belloque inito, & Græcis
conſueto more fugientibus, læta ſuper eiſdem
viƈtoria potitus eſt, ſicque faƈtum eſt,
ut eadem, & (66) ſingulari die, geminos
C Mundi ferè totius Imperatores ditiſſimos, &
potentiſſimos Dux Biſcardus, & (67) Boramundus
Dux filius ejus, (68) alter in Græcia,
ſuperarent. Quod de aliis contigiſſe numquam
apud hiſtorias reperitur. Reliƈto apud
Beneventum Apoſtolico, Dux inſuperabilis cùm
militaris animus numquam poterat (69) geſtaret,
ad Terram Græcorum jam ex maxima
parte ſuam feſtinus remeavit; cujus ſolemnis
reditus ingentem ſuis lætitiam, Alexio verò
timorem anxium, atque mœſtitiam generavit.
In hyeme illa multas Urbes, & Caſtra numquam
deinceps (70) Alexio ſibi occurrente,
expugnando acquiſivit. (71) Sed æſtate veniente
cùm jam prope Conſtantinopolim ſolo
D itinere trium dierum remotus acquirendo perveniſſet,
cùm jam Alexius bis ſuperatus Imperium
potiùs omnino relinquere, quàm pugnam
denuo tentare decreviſſet: Cùmque jam
dies, Civitas Conſtantini nihil aliud erga
ipſum quàm deditionem cogitaret, XII. Kal.
Auguſti, Sole movente Leonem, mors ſemper
lætorum invida, Ducem inviƈtiſſimum,
ſingularem militiæ leonem, totius Mundi terrorem,
& futurum dominatorem, cujus clypeus
numquam declinavit in bello, vicit, domuit,
(72) tenuit, ſuperavit, vitam ſimul, &
Imperium ejus terminavit.

Anno, quo apud Ydrontum congregatis navibus
Dux admirabilis Græcorum deduxit exercitum,
E Venerandus Comes Rogerius XXII.
extra compoſitis (73) Travirmenium obſedit,
cùmque die uno de Caſtro Caſtris ad Caſtrum,
uno ſolo Comitatus milite, cui nomen (74)
Caſaldus pro ordinandis rebus equitaret, Saraceni,
qui prope viam inter denſitatem veprium
latuerant, eis ex improviſo curtellis incurrentes
fideliſſimum, (75) Cauſaldum, hoſtibus,
& Comiti ſe interponentem, interfecerunt.
Comes, qui ſolus, & inermis contra
multos armatos pugnare non ſufficiebat, vix
eorum inſidias potuit evadere. Tandem ipſi
longa obſidione, & neceſſariorum indigentia
coaƈti, Civitatem (76) obſeſſam Comiti reddiderunt.
Dedita Taurimenia, & Comite in
Calabriam redeunte, (77) Paganus, quem
ipſe Cuſtodem Cathaniæ præfecerat, magna
corruptus avaritia, Beneto multa ſibi danti, &
compromittenti, cum ſumma fraude tradere
Cathaniam non erubuit. Quo audito Jordanus
filius Comitis illuc feſtinabat, quem ſecuti
ſunt Robertus de (78) Surdavalle, miles egregius
Normannigena, & Helias, qui priùs
fuerat Saracenus, ſed (79) tunc Fide Catholicus,
& gentilis gentis extirpator magnanimus,
(80) uſum militiæ juxta morem Normannorum,
(81) cuilibet eleƈtus. Hic poſtea in partibus
Caſtri-Joannis à Saracenis comprehenſus,
quia (82) ipſum negare noluit, ab eiſdem
minutiſſimè (83) trucidatus, vitæ integritatem
cum Chriſto ſuſcipere promeruit.
His cum Jordano Cathaniam venientibus, Benevertus
ingenti ſuorum multitudine (84) elevatus,
apertis portis hoſtiliter extra Civitatem
occurrit. Sed noſtri quibus ex diuturno
uſu pugnandi, & proſperis ſucceſſibus jam
nulla multitudo formidabilis habebatur, glomeratis
agminibus, hoſtes quàm audaciſſimè
aggrediuntur, & dum Jordanus jam multis virili
ejus dextra cadentibus ſibi inter cæteros
Beneverto quærit occurrere, Benevertus ſolius
Jordani occurſum, tamquam cervus leonem,
per agmina fugiendo quærit effugere.
Quod quia multùm fortuna ſuis adverſante
diutiùs in apertis campis ſibi non (85) jacebat,
infra muros ſe recepit, ſuis idem facientibus,
portæ clauduntur, multi quibus introire
non licuit à noſtris interfeƈti ſunt. Hoſtibus
infra mœnia receptis, Jordanus priùs recedere,
quàm Civitate potiri recuſat. Ipſo ergo
tamquam cum maximo exercitu eum circumſedente,
Benevertus neque ſuorum viribus,
neque Civitati ſatis confidens, in noƈte proxima
Paganum proditorem ſecum ducendo
apud Syraguſiam refugit, ubi eum quaſi ex
merito promiſſa repetentem, Syraguſani pro
munere ſibi mortem non promiſſam, tamen
ſceleri ſuo debitam intulerunt. Inſequenti
tempore Benevertus multa rabie in perſecutione
Chriſtianorum inſaniens, apud (86) Incotrum
noƈturno (87) tempore navibus deduƈtis
ipſum funditus evertit, ſenibus, & laƈtantibus
utriuſque ſexus univerſaliter interfeƈtis,
alios in captivitatem duxit: inde remiſſo
itinere prope Regiam Eccleſiam quandam
in honorem S. Nicolai, & aliam in honorem
S. (88) Gregorii conſecratam furibundus
devaſtavit, deinde apud Squillacium navigando,
deſtruƈto ibidem quodam Cœnobio,
Sanƈtimoniales mulieres, quæ in eodem habebantur,
turpia, & inhoneſta à ſuis prædonibus
pati violenter coëgit, quas redeundo
ſe-

(60) Romanorum.
(61) Vagamundus.
(62) circumdata.
(63) *addit* horrenda.
(64) bonitatis.
(65) occurrit.
(66) ſingula.
(67) Vagamundus.
(68) alter Romæ, alter in Græcia.
(69) *addit* quieſcere.
(70) Alexi, ſibi occurrerunt *reliq. deſunt*.
(71) Sed æſtate *deſunt*.
(72) terruit.
(73) Tauromenia.
(74) Anſaldus.
(75) Anſaldum.
(76) obſeſſam *deeſt*.
(77) Pagonus.
(78) Sordavallis.
(79) nunc.
(80) verſum.
(81) curialiter edoƈtus.
(82) Chriſtum.
(83) detruncatus.
(84) in ſuperbiam elevatus.
(85) licebat.
(86) Nicoteram.
(87) itinere.
(88) Georgii.

Digitized by Google

secum apud Syragusiam captivavit. His auditis Venerandus Comes (89) pius Fundator Ecclesiæ, & Defensor egregius, ipsis pauperibus compatiendo lachrymas non retinens, oratione, & jejuniis trium in hebdomada dierum, & multa eleemosynarum largitione per 40. dies Omnipotenti Deo ultori scelerum justissimo non cessat supplicare; demum congregatis undique auxiliis, & multitudine navium parata, ipse per mare, Jordanus per terram, apud Syragusiam direxerunt exercitum, tantaque (90) miraculi aperitione Dominus hæc pia vota Consulis exaudisse certificare dignatus est, quòd demissis velis nulloque remigante, & penitus cessante aura, recto, & veloci cursu naves ad optatum locum advenere. Quod pius Comes, & cæteri considerantes, securi de victoria grates Deo debitas cum laudibus referunt. Navibus, & Jordano apud Rasalinum convenientibus ex præcepto Comitis, quidam Philippus nomine fidelis ejus, Latina, & Saracenica lingua eruditus, loqui cum XII. sibi electis sociis pro exploranda Syragusanorum continentia, usque infra portum Civitatis parva devectus navicella in noctis silentium navigavit, qui rediens ad Consulem Benervetum navale bellum parantem, & sinè dubio pugnaturum nuntiavit. Tali rumore Consul, & Normanni sui magnam agentes lætitiam, Dominum in primis collaudando. ad celebrandum Divini ordinem officii Capellanos invitat. Quo expleto, & post peccatorum Confessionem, (91) Dominico Corpore ab omnibus reverenter recepto, Comes Jordanum in agendis rebus, & Urbe obsidenda docet, instruit, & ne priusquam navale bellum omnino finiatur, insultum facere præsumat, & monet, atque præcipit. Deinde Jordano cum ordinatis aciebus Civitatem appropinquante, ipse paratis, quæ paranda erant, vela dari vento, & ad hostilem Syragusiam cursum jubet expedire. Manè quodam die Lunæ, navibus suis cum Benerveto convenientibus, navale prœlium utrinque audacter horrificè telorum, & lapidum emissione inchoatur. Sed quoniam nostri (92) in arcu, & balista, quorum nec usus, nec doctrina hostibus inerat, abundabant, multos eorum (93) impunè vulnerabant, quod Benervetus super omnia damna suis inferre (94) prospiciens, dum adhuc pugnæ fortuna in incerto habebatur, (95) manum priùs conferre accelerat. Itaque celeri navigatione in aspectum Consulis cursum expediens, navem ejus quibusdam uncis ferreis, quos secum detulerat occupare, aut diruptam, etiam undis submergere parabat, quem magnanimus Comes totis (96) invicendo viribus, (97) gemina licèt indutum lorica, per medium pectus lancea transfigens, (98) extracto ense in hostilem navem persequitur. Sed Benervetus, jam sibi mutato animo præ omnibus eum volens effugere, dum infelicem animam, quam jam plenè amiserat in proximam sociorum navem saliendo quærit retinere, pressus pondere loricarum, (99) decidendo sub undis eam cogitur relinquere. Quo facto suos statim in fugam conversos nostri audacissimè ense alios detruncando (100) persequuntur. (1) At adeptâ victoriæ lætitiâ, Comes priusquam ad litus velit descendere, Benervetum quæsitum, & à fundo maris extractum capite detruncare, & per unum cujus vitæ pepercerat caput ad Africanum Regem deferri jubet. At Syracusani licèt Benervetis, & aliorum interitus maximam ejus desolationem attulisset, tamen multitudini Siculorum, quæ plurima in (2) eorumdem convenerat auxilio, & civitatis suæ munitioni confidentes, constanti animo deditionem facere recusant, & ut Comiti animum morandi diutiùs ad obsidionem minuerent, Christianos omnes, qui apud ipsos captivi tenebantur, liberos abire permiserunt. Sed Comes, cujus probitatis constantia nihil unquam honestè inceptum nisi peractum relinquere volebat, non priùs inde recedere, quàm civitate potiri affirmando, perseverat igitur eam hostiliter circumsedendo, & omni die diversis machinarum generibus viriliter expugnando, magìs atque magìs vires, atque animos Civibus minuebat. Jamque illis penitus imminutis, & cibariorum cogente indigentia uxore Benerveti nocte apud Nothum oppidum cum filio suo fugiente, Syragusani, qui totiens Christianorum sanguinem effunderant, ulteriùs deditionem protrahere non festinant. Post deditam Syragusiam Comes iterum congregato exercitu Agrigentum obsessum XXV. die Julii expugnavit, ubi cùm Deo ita disponente uxorem Castri-Joannis Tyranni, qui Hamus dicebatur, cum pueris suis inventam apprehenderet, absque ulla læsione cum honore maximo, & (3) nostrorum afficientia, custodiri præcepit. Quod factum marito ejus indubitanter relatum, ipsum non solummodo ad Castri-Joannis deditionem, verumetiam ad Christianæ Fidei conversionem plurimùm animavit. Post paucos ergo dies rebus sibi, & pactionibus cum Comite nostro per fideles nuntios ordinatis, & die constituto Comite ad (4) determinatum locum cum (5) militibus accedente, ipse simulans ad remota loca se esse iturum pro perquirendis, quorum auxilio Normannorum viribus posset resistere; dum quasi nescius ad locum ubi Comes transitum ipsius expectabat cum paucis pervenisset, Consul eum velut captivum honorificè secum apud Agrigentum deduxit. De captione hujus (6) Castrum-Joannis audito, habitatores ulteriùs deditionem non differunt, quibus ita (7) potitis, Hamo & uxore sua, & pueris, & plurima parte familiæ, sponte sua relicto veteri errore Baptismatis fonte sacro innovatis, & deinde in Calabriam, ubi prope (8) Melfium provida Consulis benignitas terram eis, & redditus largita est delegatis, Comes cum exercitu suo Buceimam accedens eam expugnavit. Eodem anno apud (9) Tranum cum Papa Urbano colloquium celebravit; post cujus recessum cùm ipse ad Nothi expugnationem extremos labores Siciliæ præpararet, uxor Benerveti cum filio suo, & quibusdam sibi familiaribus nocte ad mare, & deinde in Africam ad Regem (10) Tevinium profugiens; idem oppidum absque ullo belli ho-

(89) primus.
(90) mirabili apertione animi.
(91) directo corde.
(92) murdi.
(93) in pugna.
(94) præcipiens.
(95) manus proprias.
(96) evidando, *meliùs* hoste invadendo.
(97) gemina *deest*.
(98) primùm.
(99) deridendo.
(100) alios manibus equore submergendo.
(1) adjecta.
(2) eodem.
(3) neccessariorum affluentia.
(4) destinatum.
(5) militibus centum.
(6) apud Castrum.
(7) pactis.
(8) Miletum.
(9) Trajanum.
(10) Teuminium.

Digitized by Google

(11) honore sibi possidendum reliquit.

Post debellatam egregia virtute Comitis ad plenum Siciliam, & eadem in tranquilla pace ordinata, (12) Creraborgi uxore illius defuncta, duxit alteram à nobilissimo sanguine Caroli Magni ducentem prosapiam in partibus Lombardiæ oriundam, & studiosè à Parentibus enutritam, & honestis moribus informatam, cujus nomen fuit (13) Aëles Mabissa. Hæc autem habuit duas sorores pulcherrimas, quas Comes duobus filiis suis, majorem Ruffrido, minorem Jordano, non satis dextro omine desponsavit. Goffridus namque post pauca tempora à gravissima & incurabili ægritudine præventus, adhuc vivente uxore claustrum soli Deo militare disposuit; at Jordanum neque genus, neque probitas, neque honestissima morum elegantia diu in præsenti vita servare potuere. Hic apud Syragusiam, ubi Pater suus ipsum Principem constituerat, febre acuta superveniente defunctus, in (14) Messana apud Ecclesiam S. Nicolai sepultus est. Post sanctissimus Comes occulto Dei judicio penitus à virili prole orbatus, fusa ad Deum prece in spe sobolis procreandæ uxorem (15) suam cognovit, (16) in eaque filios, & filias generavit. Qui usque ad senectutem honestissimam (17) agens vitam, plurimum in ædificatione Ecclesiarum intentus, easque, prout (18) insolita ipsius posteritas adhuc & regit, & conservat, per totam terram suam copiosè ditando, & juxta (19) Gallietum religiosè, atque decenter ordinando, pius orphanorum protector, & munificus pauperum Christi sublevator extitit. Cùmque his, & similibus proficiendo semper in melius, honestæ Sanctitatis exemplum cunctis existeret, tandem necessaria humanæ conditionis lege naturalem in eo dissolutionem operante, (20) illam illustrem animam tanta collustratione, vel meritorum collegio, ante conspectum Divinæ Majestatis expirando delegavit, corpusque ejus apud Mellitum in Ecclesia, quam ipse fundaverat honorificè, ut tantum virum decebat, sepultum est.

(21) Post hunc Simon, filiorum primogenitus, regimen Consulare accepit: qui per paucos vivens annos, graves ab Apulis irritationes sustinuit.

Huic successit ille hominum maximus (22) à Deo dilectus, & benedictus unicus leo, & pacis fundamentum Rogerius, Mundi admiratió, virtutum omnium splendor, & præ Regibus (23) hæres sapiens, & immensus (24) omnia priùs (25) tamen Comes, postea (26) Dei nutu, tum incomparabili ejus scientia operante dignus, feroces Apuliæ, & Capuæ Principatus, ad ultimum Rex Siciliæ, Tripolis Africæ potentissimus, fines suos longè, latèque multiplici terrarum acquisitione ampliavit; ((27) ad cujus laudes, & gesta probitatis singulariter referenda, quoniam Ciceronis eloquentiam insufficientem fuisse reputo, ego qui ferè nullus sum, tantæ gravitatis onus mihi adhuc incognitum in præsenti temptare formido.)

(28) Post mortem Comitis Rogerii, prout continetur in Chronica, successit Rogerius sibi filius suus, sub Gubernatione Georgii Admirati existentis in Civitate Panormi, & dominabatur per totum Regnum Italiæ. Tunc Papa sciens Rogerium, qui remanserat ad succedendum in Regno, esse parvulum, misit navigium contra eum, & vênit Romam: Sentiens autem Georgius Admiratus, quòd Papa paraverat exercitum per mare, & per terram, contra eum bellum paravit, in quo bello maritimo Georgius debellavit navigium Papæ. Rogerius verò vênit cum suo exercitu in Apuliam, & obsedit civitatem Venusiæ, in qua erat Papa cum toto Collegio, ubi facientibus Venusinis, Papam, & Collegium totum captivum detinuit, qui ad cor rediens, & pœnitentia ductus ipse Rogerius liberavit Pontificem, & sibi cum magna reverentia, & cordis contritione cum corrigia in collo tamquam Sanctissimo veniam misericorditer postulavit, ac etiam sui milites fecerunt; Tunc verò Sanctissimus Pontifex videns contritionem Comitis Rogerii, & suorum, eis tamquam misericors Pater gratiosè pepercit, & faciens cum suo Collegio consistorium in Venusio in Regem Siciliæ Rogerium diademate coronavit.

Eodem tempore Rex Alamanniæ insurgens contra Ecclesiam Romanam vênit, & non permittebat Papam Romam ingredi, & tunc Rogerius Rex unà cum Pontifice secum suum exercitum ducens ivit Romam, & Regem Alemanniæ manu potenti, & extenso brachio debellavit, & Summum Pontificem in sua Sede restituit, demum vênit Panormum, ibique defunctus est, & ibidem sepultus relinquens in successorem suum legitimum Guilielmum Malum, qui sua Tyrannide totam Ecclesiam, & Dei Populum destruebat; de quo Guilielmo pessimo natus est Guilielmus Bonus, qui multas Ecclesias ad Dei, & Sanctorum honorem construxit, videlicet Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Monriale, & quamplures alias prout in sua Chronica continetur. Necnon dimisit unam filiam nomine Constantiam in Monasterio Sanctæ Mariæ de Panormo claudam, in visu obliquam, & ob causam hanc extiterat in Monasterio posita; qui quidem bonus Rex Guilielmus habuit in uxorem filiam Regis Angliæ, quam numquam carnaliter cognovit, & ultimo post ejus mortem virgo permansit, qui postquam mortuus est, cum patre suo Panormi sepultus est.

Illo verò tempore Principes Alemanniæ Imperatorem fecerunt Henricum, qui veniens Romam per Papam Imperii coronam accepit, & in uxorem Constantiam Monialem, quæ steterat in Monasterio per annos XL. cui Henrico quodam tempore per Calabriam transeunti apud Neocastrum Abbas Joachim eruditissimus dixit per Spiritum Prophetiæ, quòd uxor sua gravida erat, quæ adhuc gravedinem nullam ventris sentiens, de dæmone erat prægnans. Tunc Henricus fecit coram se Joachim accersiri, ut ei indicaret; quare dixerat Reginam Constantiam Dæmonem parituram, qui respondit ei, dixit quòd filius suus nasciturus debebat mori excommunicatus, & ideo qui extra Communionem

(11) errore.
(12) Creborgii.
(13) Aclesi Marchissa, *melius* Adelem, Adelaydem, Adelasiam.
(14) Mexana.
(15) Dominam Adelaxiã.
(16) & ex ea.
(17) degens.
(18) inclyta.
(19) Gallantum.
(20) illam illustrem animam virtutum collustratione, ac meritorum agmine insignitam, ad desiderata beator. collegia.
(21) *integra hæc periodus deest.*
(22) & plusquam homo justitiæ unicus Leo.
(23) hæres sapiens a terræ
(24) qui.
(25) tantùm.
(26) Dei nutu, tum Dei imitator.
(27) *omnia parenthesibus comprehensa desunt.*
(28) *Huc usque Cod. 6206. sequentia ex Codic. 4936. descripta sunt.*

nem Ecclesiæ est positus, & moritur sinè Ecclesiæ Sacramentis, rectè dici potest Dæmonis filius, & sic fuit, prout experientia temporum manifestat. De qua Regina Constantia propter nimiam senectutem spem fœcunditatis, seu prolis omnis amiserat præcipuè Romana Ecclesia, ipsa verò postmodum temporis peperit filium nomine Federicum, & volens tam Regnicolas, quàm Romanam Ecclesiam de sua fœcunditate certificari, Papa, quia anus erat jam effecta, & tale quod difficile ad credendum, se per diversas civitates Imperii, & Regni contulit Siciliæ famosissimas, ostendendo cunctis hoc non credentibus nudas mammas, sive mammillas lacte plenas, quod quidem factum cuncti crediderunt Dei fore miraculum abjicientes incredulitatem concipiendi, quam de ipsa habuerant a cordibus suis totaliter. Sentiens autem hoc Papa, quòd Regina in sobole erat fœcunda, Henrico viro Constantiæ concessit Imperium, quod tranquilla pace nullo tempore obtinuit, & possedit.

Natus verò Federicus de Constantia fuit Rex Italiæ, & demum Romanorum extitit Imperator, ipsoque regnante Soldanus Babiloniæ Nuntios sibi misit, ut ei nuntiaret, qua erat causa, quare Christiani eum cum exercitu continuè molestabant, qui Federicus ad eum Nuntium suum transmisit D. Corradum de Amicis cum infinitis donis, cui D. Corrado suadebat Soldanus, ut ejus manus reverenter osculari deberet, & ei multa munera exhiberet, cui numquam voluit consentire, imò penitus denegavit, qui Soldanus callidè ipsum Dominum Corradum volens suæ voluntati devotum reddere fieri facit atrium parvum, in quo nullus nisi flexis genibus posset adire, & serio pavimentum tappetis Cruce-signatis sternere fecit, & fecit ipsum vocari coram se tamquam Nuntium Imperatoris, ad cujus dictum intravit, sed non prout credebat reverenter introivit, imò retro vestigio, seu retrorsum atrium ad ipsum introivit Soldanum, cui Corrado quidam Turchimannus Soldani dixit, quare tuis conculcas pedibus Domini Crucem, qui respondit, unam Christum habuisse bonam, & Sanctam, alias verò Cruces, quas meis pedibus conculco latronum sunt, & non Christi, sicque in ultimis cum magnis donis Corradus prædictus ad Imperatorem revertitur. Legatio ejus propter quam ipse Nuntius iverat ad Soldanum fuit, ut ad hoc quòd cessaret à molestia Christianorum Sepulchrum Domini Nostri Jesu Christi destrueret, qui Soldanus per suos subjectos mandavit, quòd ipsum destrueretur Sepulchrum, & volentes Saraceni destruere, favilla ignis ardentissimi de Sepulchro exiit, & arsit per circuitum aquas, terras, mare, & omnia ferè per dietas septuaginta. Deinde Federicus reversus in Alemanniam, & post descendit Bononiam, quæ rebellata est sibi, & accepit filium Imperatoris Federici captivum, & in carcere mortuus est. Barones verò Regni consilium inierunt, ut Federicum Imperatorem occiderent, & euntes se locaverunt in Thuscia, quorum conspirationem per Comitissam Casertæ Imperator sentiens, eos capere voluit, & ipsi fugierunt ad Terram Capacii, se contra ipsum fortiter munientes, quos Imperator Federicus obsedit, & sibi ultimò se tradiderunt captivos, quorum quidam per eum capite truncati sunt, quidam cœcati, quidam diversis pœnarum generibus interemti sunt; Et post modicum tempus vênit Imperator in Apuliam, & ivit venatum cum suis falconibus in quodam Casale, ubi intus quadam Ecclesia sub Imagine Virginis defloravit quandam mulierem, ob quod scelus passus est dysenteriam, & deportatus est in Florentia, Princeps verò Manfredus Tarentinus naturalis suus habito consilio cum quodam Secretario, cossino supposito faciei eum suffocavit, & mortuus est. Post mortem ipsius vênit Corradus de Alemannia ad vocationem quorumdam Baronum Regni, & Coronam accepit in civitate Panormi; cui dedit Manfredus ad bibendum ut moreretur lapidem adamantem, & misit viscera sua, & mortuus est, qui Manfredus contra voluntatem Ecclesiæ Regnum accepit, & regnavit modico tempore. Papa autem sciens & Cardinales miserunt ad Comitem Provinciæ Carolum filium Regis Franciæ, ut veniret ad Regnum Ecclesiæ suscipiendum, qui veniens cum Baronibus Regni, qui positi erant ob timorem Manfredi in exilium, contra ipsum dimicavit Manfredum juxta Beneventum in planitie, quæ dicitur Rosech, quem vita, & Regno privavit. Postea Carolus Rex regnavit in Regno Siciliæ in pace tranquilla, deinde vênit Corradinus filius Regis Corradi de Alemannia cum D. Henrico de Hispania fratre Regis Hispaniæ, & commisit bellum cum eo in campum, qui dicitur Seruccula, qui convictus extitit à Carolo, & captus in loco dicto Astore in maritima, & cum eo capti fuerunt Dux Sterlich, Comes Girardus de Pisis, Comes Galventus, & Galioth filius ejus; scientes autem Barones Regni quamplures, scilicet de Terra Ydront, & de Calabria, quòd Corradinus venerat, se rebellaverunt contra Carolum, & posuerunt in castro dicto...... quos Rex Carolus post victoriam obtentam de Corradino vita privavit. Postmodum Rex Carolus Corradinum, & omnes alios, quos in bello ceperat, decollari in civitate Neapolitana jussit: in locum autem, quo victoriam habuit Rex Carolus de Corradino, quandam Ecclesiam construxit ad honorem Beatæ Virginis, quæ dicitur Sancta Maria de Victoria, in qua Cappellani Gallici in Divinis continuè administrant.

Postea Rex Carolus paravit armatam contra Romaniam cum suis Baronibus cum magno exercitu navibus, & galêis, & uscerijs, istoque medio tempore contra eum se rebellavit Sicilia, & primùm Panormum, & postquam fuit rebellata Sicilia Rex Carolus vênit Brundusium cum armata sua, & ivit postea Regium, & eum invênit rebellem, & transiens Messanam obsedit eam, & stetit apud Monasterium Roccæ Maduri, ubi fecit quamplures milites, & postea recepit, & vênit Regnum suum sinè triumpho. D. Comes Sancti Severini, & D. Comes Petrus de Catanzario stantes Nicotare vênit D. Rogerius de Lauria, & combussit Tyrritas, & Uscerios, quos reperit apud Nicotarem, & fugierunt relictis terra, & eorum armesis. Dictus D. Petrus de Aragonia vênit de Sicilia apud Seminariam; & accepit eam furcitè, & omnes, quos invênit ibidem Barones, crudeliter trucidavit.

FINIS.

Digitized by Google

SALLÆ,
SIVE
SABÆ MALASPINÆ
RERUM SICULARUM
LIBRI VI.

Ab anno Christi MCCL. usque ad annum MCCLXXVI.

Antea Editi

A CLARISSIMO VIRO

STEPHANO BALUZIO

Tomo Sexto Miscellaneorum p. 197.

Digitized by Google

IN SALLAE SIVE SABAE MALASPINAE LIBROS RERUM SICULARUM PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

ILlustris *Malaspinarum* Familia quot titulis remotioris antiquitatis fruatur, quantaque olim potentia floruerit, cujus partem non contemnendam adhuc tuetur, jam ostendi in Antiquit. Estens. Part. V. & luculentius aliquando demonstrandum spero per Nobilem egregiumque Virum Josephum Malaspinam ex Marchionibus Sanctae Margaritae, nunc Abbatem Commendatarium Sancti Martiani Derthonensis, cujus eruditio nihil intentatum reliquit, ut in majori lumine antiquissimam gentem suam collocaret. Fuerunt in illa, qui non armis solum, sed & Literarum studio famam sibi peperere. Et quidem prae ceteris habemus *Ricordanum Malaspinam*, qui Historiam Florentinam Italico sermone nobis dedit, ab illius Urbis, ut ipse ait, aedificatione perductam ad sua usque tempora, hoc est ad Annum 1281. & per *Jaccbettum* ejus ex Francisco fratre Nepotem continuatam ad Annum usque 1286. & rursus infra Collectioni huic addendam. En alterum ejusdem Familiae Historicum, nempe *Sallam Malaspinam*, sive, ut Carusius suspicatur, neque immerito, *Sabam Malaspinam*, qui eisdem fere temporibus ac Ricordanus, Res Siculas literis mandavit, scilicet ab Anno Christi 1250. usque ad Annum 1276. quo Johannis XXI. Romani Pontificis electionem factam fuisse tradit. Nos ipse Auctor monuit in exordio Operis, se *Decanum Militensem, & Domni Papae Scriptorem* fuisse. Tum Lib. VI. narrat, Augustam Civitatem Siciliae Anno 1268. a Gallis expugnatam, atque ex habitatoribus vix paucos fugientes se navi commisisse, quam deinde pelagus absorbuit. Tum subdit: *Ego frequenter utrique* (scilicet morti aut ensis, aut naufragii) *vicinus, & expertus utriusque pericula, per ejus gratiae misericordiam, qui cuncta creata conservat, usque nunc per discrimina multa infelicitatis evasi*. Quae verba hominem indicare videntur, quem memoratus casus navis absorptae involverit, sed clementissimus Deus postremo ac instanti fato eripuerit.

Novit Sriptorem hunc Odericus Raynaldus, ejusque varias lacinias in suos Annales Ecclesiasticos intulit; ejus tamen ignoravit nomen, quum perpetuo ipsum appellat *Sicularum Rerum Auctorem Anonymum*. Sed bene cessit quod haec Historia in manus quoque incidit Clarifs. Viri Stephani Baluzii, cujus curam in edendis veterum monumentis nulla umquam aetas reticebit. Eam ergo, nomine detecto *Sallae Malaspinae* Auctoris, evulgavit Anno 1713. in Lib. VI. Miscellaneorum pag. 197. sed minime integram; desiderantur enim in calce multa, quae optandum est, ut aliquis tamdem meliore Codice usus reparet, ac luce donet. Ego qualem possum, rursus Italis nostris in hac Collectione trado, gratam profecto singulis Historiae amatoribus futuram, tum quod magnos rerum eventus complectatur, tum etiam quod Auctorem habeat gravem, atque eorum quae scribit sat peritum; Scriptorem denique Italicum, & de Italiae Rebus summa cum dignitate agentem, si eloquentiam & stilum excipias, quem dum floridum praestare cupit, horridum interdum atque ex nimio fuco deformem, molestumque legenti facit. Utinam tales multos haberemus: de ignorantiae seculis vix conquerendi locus superesset.

Supra vero in Praefatione ad *Nicolai Jamsillae*, (sive Anonymi Chronicon de Reb. gestis Friderici II. Imperatoris) monui, ejusdem Chronici alteram partem

ab

Digitized by Google

ab Anno videlicet 1258. usque ad 1265. non a praelaudato Jamsilla fuisse profectam, sed quidem a Malaspina nostro, cujus Chronicon olim nescio quis expilatum Jamsillae narrationi adtexuit. Nunc autem duplex me causa impellit ad exhibendam iterum Lectoribus Sallae ipsius Historiam. Prima est, quod vix dimidium Malaspinae Historiae complectitur nuper memorata Historia de Rebus gestis Friderici. Excluso enim Libro primo, & facto exordio a Libro secundo, narratio perducitur ad priora tantum Capitula Libri quarti, ceteris Libri illius Capitulis dimissis, & Libro quinto & sexto pariter omissis. Altera est, quod illa etiam pars, quae Jamsillae Chronico subjuncta legendam se praebet, ita interpolata est, demtis nempe, additis, atque mutatis compluribus, ut ibi primum suum parentem vix interdum agnoscas. Nimirum interpolator, Ghibellinorum factioni dicatus, Malaspinam, qui plane cum Guelphis sentiebat, obtorto ut ita dicam collo in suam sententiam trahere conatus est, ejus videlicet sermone, pro ut sibi placuit, ad studia Ghibellinorum translato, & plerumque illius oratione breviata. Quare probare non potui, & certe mihi statutum est minime sequi consilium Clarifs. Viri Johannis Baptistae Carusii, qui Tom. II. Biblioth. Siculae Historicae pag. 675. Anonymum Ughellianum de Rebus Friderici II. recudere instituit (videlicet, uti jam monui, Chronicon Jamsillae, & partem Malaspinianae Historiae, jam ab Ughellio editæ, & supra a me recusæ) tum iis adjecit continuationem ejusdem Malaspinae, e Baluzio petitam, sed dimissis omnino tribus prioribus Malaspinae Libris, & parte Quarti, quasi haec jam superflua forent habentibus Chronicon ab Ughellio evulgatum. Verum, si quidquam sapio, prorsus Eruditorum interest, tum Historiam habere Jamsillae, Sabae Malaspinae Chronico interpolato conjunctam, tum integrum ipsius Malaspinae foetum, qualis ex ejus calamo prodiit. Nimis enim distat a decurtato Ughelliano, sive Carusiano, Malaspina Baluzianus integer. Quamquam quid plura? Lector ipse continuo intelliget, necessitatis fuisse, non voluptatis, haec ita componere. Sed jam Malaspina ipse loquatur.

SALLÆ

Digitized by Google

SALLÆ, SIVE SABÆ MALASPINÆ RERUM SICULARUM HISTORIA

Sex Libris comprehensa.

INCIPIT LIBER PRIMUS.

HOnorabili cœtui & reverendæ universitati Officialium Curię Domini Papæ ac metuendorum virorum Procuratorum in audientia Sallas Malaspina Decanus Militensis ejusdem Domini Papæ Scriptor cum promptitudine serviendi se totum. Opus transmitto vobis, quod forsan magis posteris, quàm modernis erit ad aliquod oblectamen, in eo quòd nuper, ne segnis otiositas præsentis vacationis indictæ lubricum quid sub silentio pariat, & quæ antiqui hostis sunt arma pro hebetibus animabus illudendis & captivandis contra quietum spiritum muniant sedulum humani generis inimicum, volui seriosè opportuna otia voluntariis levare laboribus & pigritantis de more sensum, qui plerunque levibus oneribus expergiscitur, dictationis eloquio experiri. Cùmque non semper eorum, quæ dicuntur, terminus quærat laudem, sed nec colonum excitatum ad operas culturæ virentis gloria refocillet, nemo improbè credat linguam & calamum tam citò ad laudis gloriam licentiatos, ut currant, sed ut quædam gesta Regum Siciliæ memorata recenseant, & memoriæ recensita commendent. Placuit ergo sinè verbosæ digressionis anfractibus à primis Manfredi natalibus usque ad tempora Karoli filii Ludovici Catholici Regis Franciæ gesta retexere, nec ambages inserere, aut incredibilia immiscere, sed vera, vel similia, quæ aut vidi, aut videre potui, vel audivi communibus divulgata sermonibus stilo prosaico sub ordine contexta narrare. Hæc quidem esto forsitan usquequaque non prosint pro eo quòd non semper ex dictis quibuslibet profectus exquiritur, sique etiam superstites non delectet, aut non alliciat animos modernorum, ex eo videlicet, quòd eorum fortassis adhuc tanquam recentium memoriam retinent, sequentium tamen, oriendorumve posteritas aliquid sibi, quod delectet inveniet in legendo. Consuevit enim ratio naturalis vestigare in rememoratione præterita, & antiqua digna veneratione præcolere vestigata. In assumpti ergo præsentis operis auxilium non deos alienos, aut antiquos superos invoco, ut assistant, sed illius primordialiter omnipotentiam Trinitatis peto suppliciter assistricem, quam unit absque divisione Divinitas, & trinus complet numerus Personarum; flagito etiam & vos mihi fore propitios & exhibitores favoris, quorum volo ut in opere sit laus & gloria, & non mihi, & quibus sum ego minimus, nec dignus vocari socius, sed singulorum servitor, quibus & subes-

ſubeſſe volo, & ſubjici, & placere, cùm eorum cujuslibet non ſufficiam calciamentorum ſolvere cingulum, aut veſtimentorum fimbriam contrectare. Parcite adhuc, quæſo, defectibus, & tales mei operis eſtote precor interpretes, ut ſub veſtri promotione conſilii non pereat, vel negligatur res perquiſita laboribus, ſed perenni memoria obſervetur.

CAPUT PRIMUM.

OLim de ſemine Frederici Lombardi quadam parturiente Manfredum, prona hominum ad credendum quæque relata tenet opinio, quòd formæ geminæ mulierum ſuper Tuſciam in aëre nubigero comparuerunt humanis obtutibus, pendentes ut nebula ſuper terram, quarum nomina vox magni tonitrui quaſi rauca concavitate crepitantis veriſimiliter confundebat. Sed non vanè hominum conjiciunt intellectus alteram, ſecundùm quod diſcerni potuit, vocari poſſe Gebelliam, alteram verò Guelfam. Eæ, ut ajunt, junctis brachiis invicem colluctantes alterna corpora mutuò perurgebant, & dum ab Auroræ rutilo, uſquequo Sol tenuit in medio axe iter, durante duello manuali pugna concertant, nunc illa deſubtus ignominioſè depellitur, nunc eadem rediviva compulſu alteram premens pedibus victorioſa eminet & læta triumphat. Modò illa videtur reſupino corpore ruere, modò hæc eadem facie accenſa reſultans caput gaudet ſecundæ conterere frequentium inculcatione pugnorum. Sicque variatur utriuſque victoria, & mutuus denuo nutat aſcenſus, neutra diu ſubeſt alteri conculcata, & altera alteri prælata viciſſim in eminentiori ſtat modicum. Evaneſcunt alternatim metus & gloria victricis, & victæ, ac alterius aſcenſus & caſus habet ſubſiſtentiam momentalem. Et adeò videntur victoriæ vices æquæ, quòd qui vidit colluctationes, hujus impulſus & repulſus alternos pari potuit dinumeratione metiri. Sed licèt prædictus Manfredus, tanquam ex damnato coitu derivatus, defectum natalium patiatur, nobilis tamen naturæ decus utriuſque parentis, qua ortus ejus eſſe meruerat generoſus, maculam ferè defectus hujus expiabat; ac decor tantus erat infantis, quòd non ex ancilla ſecundùm carnem, ſed per repromiſſionem allegoricè natus videbatur ex libera; creſcenſque forma præſtabili, & continua bonitatis recipiens incrementa, meruit accuratè ab Auguſto tractari, & cuſtodiri pariter ſicut filius legitimus diligendus. Profecit nimirum in liberalibus artibus, ac virtute magna & moribus magnificatus eſt inter Nobiles, tanquam ſummis fuiſſet gymnaſiis eruditus. Incomparabilem emit ſedulo labore ſcientiam, & morum erudimenta non ſegnis attenta ſollicitudine comparavit. Hunc jam adultum perſona dotibuſque perſonæ grandævum Fredericus ejus genitor, antequam fieret anathema, priùs quàm eſſet etiam irrefragabili depoſitione percuſſus, filiis præferens eum, tandem principatu Tarentino donavit, in quo nomen & decus Principis ſtudebat laudabiliter promereri. Traditque ſibi uxorem nobilem mulierem natam Amedei Comitis Sabaudiæ, nomine Beatricem.

CAP. II.

POſtquam verò coruſcationes ſuas Sedes Apoſtolica coruſcavit, ut diſſiparet Cæſarem, omneſque vitis ejus palmites obtruncaret, ac miſit ſagittas præpetes cum maledictionis ſuæ violentia, ut perenniter totam poſteritatem Cæſaream conturbaret, cordibus Frederici, totiuſque familiæ variis contra Eccleſiam inebriatis erroribus, erynnis ſæva, quæ eſt furia infernalis, cum ſororibus baccatrix irrepſit, eumque antiqua ſerpentis latiùs momordit aſtutia, & propenſiùs fraus diabolica circumvênit. Ideò enim præconcepto veneno, & fermento ſolitæ malitiæ ac nequitiæ totam infecit Italiam, quòd votis ubique omnium diviſis in partes, quicunque in terra propria poterat aliquid, neceſſariò de parte Imperii, aut de parte nominatim Eccleſiæ cenſebatur. Diviſionis igitur error per univerſã Italiam cœpit paulatim ſuccreſcere, & partium vitioſa diſſenſio in qualibet adeò provincia inolevit, quòd ſub Gibellinitatis, pallio ſub favore partis Imperii cœca pullulabat hæreſis & fœda infidelitas germinabat. Et ſi quando ſaltus harum vulpium & cavernas ſagax religioſorum induſtria per Sedem Apoſtolicam contra hujuſmodi peſſimos Chriſtianos electa volebat induſtrioſè perquirere, ipſarumque veſtigia perſcrutari, nonnulli credentes, & pravitatis tam inſanæ fautores, aut latitantia tantæ iniquitatis germina inoffenſa favebant, aut compertam frequenter ſub latebris & ambulantem ſub tenebris & umbra mortis ſuperſtitioſitatis hujuſmodi nequitiam defendebant, ſicque ſinè cujuſquam repreſſionis obice undique ſuos errores diſſeminabant Hæretici & diffundebant impunè venena. Verùm ut ars præcipitii de ſuo triumpharet actore, Dominus Innocentius Papa IV. in Generali Concilio apud Lugdunum contra Fredericum Imperatorem, penes quem nulla ſalutis proficiebant conſilia, nec conatus Apoſtolici ſtudii proderat, tanta erat ejus execrabilis pertinacia pravitatis, juſtæ damnationis ſententiam eodem approbante Concilio promulgavit. Innocentio verò Italiam repetente, & mandante contra Fredericum prædicari publicè verbum Crucis, Fredericum prædictum apud quoddam caſtrum, quod Florentinum dicitur prope Luceriam Sarracenorum mors inopinata momordit, & omnes ejus ſemitas ſive diverſoria in arto concludens, lubrica ejus veſtigia decurtavit. Sed auditu mirabile! Iſte Cæſar, qui fuerat in Orbe Monarcha, & per univerſa Mundi climata glorioſiùs cœperat venerari, credens fortaſſis ſuam cum ſuperis per artis experientiam mathematicæ coæquare naturam, qui mores ante lapſum erroris cum magnis æquarat, ſtuduit rerum opiniones ſollicita curioſitate perquirere, ac profundè cœleſtia perſcrutari; ſicque dum ſubtili indagatione naturalia veſtigabat, Aſtrologos & Nigromanticos adeò venerabatur & Aruſpices, quòd eorum divinationibus & auſpiciis Frederici velociſſima cogitatio ad ſimilitudinem venti motu celeri denuo vagabatur. Cùmque hujuſmodi Aruſpices dixiſſent ſe arte ſortilega comperiſſe, quòd Fredericus debebat ſub flore marceſcere, per eorundem interpretationes Fredericus prædictus deſiderans fieri contra naturam corporis immortalis, Florentiam, & Florentinum in Campania quantum po-

potuit evitavit. Sed dum frustra locum mortis evitat, qui nec tempus prævidere, nec mortis terminum fugere poterat, quantalibet adjectione remedii lapsus est in laqueum improvisum, qui omnem finaliter illaqueat creaturam.

CAP. III.

POstmodum autem, licèt regnum Siciliæ foret ad dispositionem Ecclesiæ Romanæ, cujus juris & proprietatis extitit, liberè devolutum, Rex Corradus ejusdem Frederici filius regnum ipsum occupans, eo, non tanquam alieno, sed velut re patrimoniali, quam sibi credebat ex paterna successione competere, cœpit uti. Et dum inter hæc civitas Neapolitana, quam reddit amœnus loci situs & civium copiosa multitudo nobilium super omnes Terræ-Laboris metropoles generosam, non immemor sententiæ depositionis & irrefragabilis privationis edicti contra Fredericum & successores suos per Sedem Apostolicam promulgatæ, Corradum prædictum recipere tanquam Ecclesiæ devota contemneret, ac in hujusmodi proposito inviolabiliter perduraret, spectans denuo sibi per Sedem Apostolicam potenti subsidio subveniri, angustata per mare ingenti navigio & per terram exercitu copioso, tamdiu Corrado prædicto parêre aggressi resistentia recusavit, quandiu defensoribus victualia duraverunt; quibus omnino deficientibus, aliquandiu ad carnes morticinas animalium hebetum, quas palatus naturaliter aspernatur humanus, necnon ad herbas neglectibiles, quibus vix brutum pascitur animal, urticas videlicet, atque malvas, frondesque ficuum & aliorum arborum ora famelica converterunt. Iis autem postmodum cum longa terræ vastatione consumptis, nullum civitati prædictæ Sede Apostolica destinante subsidium, urgenti jugo colla necessariò fatigata submisit, antiquis mœnibus & muris altissimis funditus interdum propter hujusmodi pertinaciam desolata. Tandem idem Corradus in regno prædicto plenum per violentiam & per amicitiam etiam sinè obice principatum cœpit in olla paternæ nequitiæ veneno ebulliente fervescere, ac succedens vitiosè vitio genitoris, complices & fautores quondam Cæsaris studuit excitare sepultos, & factos jam hebetes perdito capite contra redivivam Ecclesiam provocare, totamque partem Gebellinam adeò nisus est diversorum subsidiorum fovere vigore, ac relevare qui ceciderant penè superbos, quòd nec in patrimonio Ecclesiæ absque persecutionis duræ jaculis Summus Pontifex morari tutè valebat, nec apud Italicos pro publicæ salutis emolumento aliquid exercere. Unde Dominus Innocentius prædictus videns ex tempestatis tantæ procella sentinam Apostolicæ naviculæ aqua amaritudinis plenam, Perusium naufragus usque perrexit; ibique, Rege Corrado agente in Apulia, morabatur. Sanè Manfredo in fraterna gratia persistente, quem nondum suæ sortis fortuna tetigerat, sed necdum excogitatæ in fratrem fraudis fomite revelato, Corradus prædictus in regali pompa deliciis affluens cum eodem Manfredo multisque Proceribus Alamannis, & regni Baronibus, & Nobilibus aliis in pacis tranquillitate saluberrima regni temperatione perfruitur, oculorum in rerum varietate grata speculatione depascitur, sonoris delectatur auditibus, & harmonicis delectationibus inæstimabili modulatione pacatur, suavissimis jocundatur odoribus, & epulatione gustui necessaria delinitur. Favet Manfredo affectione fraterna, & eum honorat adeò, ac si ambos unus uterus peperisset. Manfredus enim respectivè lucifer dici poterat in tota posteritate Cæsarea, tum quia præstabili forma decorus, & literaturæ dotibus redimitus alios meritis excellebat, tum etiam, quia se industriosè omnibus reddebat amabilem, & Baronum sensus blandimentis noverat placibilibus demulcere, & ceterorum se moribus conformare.

CAP. IV.

SEd jam benivolentiæ omnium placibilitatis studio coaptatus, fraternæ factus impatiens dignitatis, cœpit intrinsecus latentis invidiæ nutrire fomenta, & livoris occulti fervorem præalti cordis magnitudine, machinationis igne supposito, detractionis flamma & oblocutricis murmurationis pruna succendere ac fovere, ita quòd fraterna nulla consideratione hujus fuit invidia quando primi Urbis muri fraterno sanguine maduerunt, sed nec alia, quæ insidiata est fratri offerenti manipulum pinguiorem. Nihilominus tamen Manfredus fratri quantum poterat grato famulari nitebatur obsequio, & obsequiositatis sedulo studio complacere, ita quòd quotiescunque Corradus equitare volebat, Manfredus promptus & agilis currebat ad scansilem seu streugam, ac modis aliis famulatus fratri tanquam præcellenti adulari didicerat & blandiri, hac consideratione commonitus quòd cùm semper cresceret in gratia & amore majorum, potissimè illorum de regno, cavebat sibi vehementer, ne frater in eum manus sævas extenderet, & occultè, vel per fraudem, vel dolum, aut publicè per potentiam mortem ejus crudeliter intentaret. Corradus enim non advertens, quòd in actorem sui consuevit fraus conversa plerumque redire, pluries dixerat in propatulo verba ista. *Princeps iste adeò se nobis obsequiosum exhibet, & se adeò reddit gratum, sicque nostræ novit voluntati blandiri, quòd eum nec offendere possumus, nec aliquod præsumimus facere sibi malum*. Postremò Rex Corradus in Apulia juxta montes focarios prope Melfiam & Venusium cum infinito exercitu castrametatus existens in campis, quatenus Terram aliquam obsideret, dies suos in solatio transcurrebat, convenientibus ibi cum ipso ferè omnibus regni Baronibus; inter quos Manfredus cum pulchra militum comitiva convênit, cui similis nulla loco convenerat in eodem: Corradus itaque in tentorio suo in campis sub autumnali tempore febrili cœpit accessione gravari. Et cùm febres hujus temporis consueverint esse longævæ, ac ægrotantem diu sub invalitudinis labore tenere frequenter, idem Corradus convalescentiæ metas attingens, recidivabat regiminis per errorem. Custodiebatur exactâ diligentiâ, ne qua manus medicinis aut comestibilibus posset opponere aliquid nocivum; & ne sorbile aliquid lurida possent aconita fœdare, quamplures fuerant rerum prægustatores quarumlibet deputati, ita quòd per gustum non poterat veneno palatus infici nec venter. Verùm dum in longum protrahitur ægritudo, nonnulli Manfredi complices magis ardebant ipsum per viam aliquam toxicare. Et volentes Manfredo adulari fallaciter invicem su-

Digitized by Google

susurrabant. Et alii in tantum demissos susurros comprimebant in vocem, quòd Manfredus, vel audiebat, vel debebat audire. O, ajunt, *utinam Rex de invasione præsentis infirmitatis occumbat. Velit Deus, quòd nunquam de cætero convalescat, sed protinus moriatur. Nam Manfredum inungeremus in Regem, qui est longè dignior, quàm Corradus. Iste diligeret nobiles, iste remuneraret obsequia. Est enim liberalior & humanior tota posteritate Cæsarea. Unde firmiter sua industria & magnanimitate totum sibi subigeret Orbem terræ.* Audiens sanè Manfredus quæ fallax Baronum regni susurrabat opinio, in necem fraternam plus solito aspirabat. Sicque quidam Salernitanus physicus, qui erat ad curam Corradi, quem Manfredus pluries ad dilectionis suæ gratiam verborum humilium blandimentis illexerat, fuit instantissimè per Manfredum & quosdam suos amatores inveteratos diebus malis sub sigillo pœnitentiæ requisitus, ut cùm per gustum Corradus venenari non posset, aliam excogitaret fraudis viam, per quam idem Corradus omnino mortis discrimini traderetur. Salernitanus igitur prædictus, ut fertur, tritum adamantem cum pulvere dyagridii in aqua clysteris immiscuit, & illa ventrem stipticum intrinsecus irrigavit. Adamas enim violentissimè fertur esse nec sinè ponderositatis fortitudine penetrando fortia quæque frangens. Dyagridium verò, quod aliàs dicitur Scamonea, resolvit omne quod tangit. Sicque violentia utriusque Corradus prædictus emisit laniata particulariter viscera per secessum, corporis & animæ fœdere dissoluto. Constituit tamen Bajulum in regno pro suo unigenito Corradino quendam Marchionem de Alemannia consanguineum uxoris suæ: quæ cùm esset de stipite Frederici de Stupha in Alemannia, remanserat cum Corradino filio suo nondum pubere.

Manfredus verò, cui favebant utplurimùm regnicolæ Comites & Lombardi, attendens quòd multitudo Nobilium Theutonicorum, qui cum Corrado fuerant, adhærebat Bajulo Corradini, cùm nonnulli & Barones ex hujusmodi multitudine ipsi Corradino tum per paternam, tum per maternam lineam attinerent, qui dabant operam ad conservationem regni, ut in eo posset Corradinus suo tempore dominari, & considerans etiam, quòd ut regnaret nondum venerat hora ejus, non est tunc ausus quod conceperat aggredi, & quod desideraverat attentare, sed in odium Theutonicorum excogitavit se beneplacitis Apostolicæ Sedis adeò coaptare, adeò se humiliter Ecclesiæ Romanæ committere gremio, quòd enervaret omnino vires consanguineorum nepotis in regno, & eorum potentiam cum favore ipsius Ecclesiæ annullaret. Perveniente inter hæc rumore de obitu Corradi ad Dominum Innocentium, qui Perusii residens tanquam infra murorum ambitum circumseptus undique inimicis, cùm jam factus in suo statu perplexus quòd inde se in fugam accingeret, ubi se numerus hostium brevior ingerebat, statim novi gaudii lætitia nova respersus, versùs regnum dietis continuatis accessit, & Anagniæ aliquandiu substitit, expectans certos de regnicolarum conversione recipere Nuntios, per quos sibi regnicolis è vicino jam posito civitates & loca regni signa devotionis & fidei debeant demonstrare. Eo igitur Anagniæ cum tota Curia sub expectato tranquillitatis tempore respirante, Manfredus, Marchio, Bajulus regni, & nonnullæ Communitates & Barones parituri præcisè mandatis Summi Pontificis cum innumera multitudine accesserunt. Marchio verò in manibus Domini Papæ bajulatui & Corradini tutelæ cessit in totum, sed gratiæ Sedis Apostolicæ absentem recommendavit infantulum, eum & totam hereditatem suam protectioni Romanæ Ecclesiæ supponendo, & rogando suppliciter, quòd innocens infans non puniatur de avita & paterna malitia, nec de eorum excessibus pœnam reportet per eosdem contra Ecclesiam perpetratis. Dominus verò Innocentius omnes venientes ad gratiam Apostolicæ benignitatis brachiis apertis admisit, omniumque studebat animos quadam paterna mansuetudine demulcere. Manfredus sanè, qui propriis meritis electorum regni consortium videbatur æquare, immo cunctorum mores excellere, omnesque præire in spiritu & virtute paterna, ante omnia meruit à sententia excommunicationis, qua tenebatur, absolvi. Et quia omnia facta Cæsaris annullarat Ecclesia, & successionem damnaverat filiorum, dictus Manfredus absque nova Sedis Apostolicæ concessione non poterat Principatum Tarentinum licitè retinere, unde benignitas Ecclesiæ, quæ devotos & humiles promovere propensius consuevit, non obstante sententia depositionis Frederici & natorum à successione privationis, ratificavit & confirmavit dicto Principi omnem donationem sibi factam per patrem ante suam depositionem prædictam, concessitque sibi honorem montis Sancti Angeli, & eum in Apulia Capitaneum pro Ecclesia stabilivit. Repetit ergo Manfredus Apuliam grandibus ab Ecclesiæ liberalitate beneficiis honoratus. Qui licet quantum ad communem opinionem in suscepto capitaneæ officio nomen Ecclesiæ profiteretur, & opere, & verbo se Officialem Ecclesiæ appellaret, nihilominus tamen Apulorum corda, quæ mobili semper rotatione vertuntur, ad devotionem & amicitiam suam, quantum poterat attrahebat, in amore Sarracenorum de Luceria, qui judicia Fidelium Ecclesiæ mente semper dubia formidabant, potissimè se involvens, quorum voluntates in sui nominis devotione roborare toto, non desestudii, laboravit affectu. Hic adeò gratiosus crescebat in oculis Apulorum, quòd nonnulli dicebant eo audiente frequenter: *Nolumus alium Regem, nec alterius dominium, nisi istius Principis affectamus. Iste & nullus alius Rex proculdubio noster erit. Deus conservet eum pro libertate nostra. Non enim nobis competit Clericorum dominium: sufficiant Ecclesiæ Romanæ spiritualia; Principi autem nato Imperatoris temporalia libera derelinquat.*

CAP. V.

Interea Dominus Innocentius quendam de genere suo Capitaneum præmittit Neapolim. Ipse verò apud Sanctum Germanum cum Curia tota venit, ibique per Comites & Barones, qui sibi obviam tanquam regni Domino occurrebant, reverenter & venerabiliter extitit visitatus. Cum quibusdam Baronibus quidam de majoribus ex iis nomine B. de Augione convenerat, qui vivente Corrado de ortu Manfredi, ejusque defectu in contumeliosa improperia contumeliosè proruperat. Contra hunc sanè Manfredus habens animum con-

conturbatum inimicitiæ jaculum, quo eum opportunitate captata posset offendere, denuo gestabat occultum. Occurrens ergo Manfredus Summo Pontifici prælibato quadam vice prope Sanctum Germanum B. de Augione prædictum inermem habuit obvium, ut volebat, & opprobriorum non immemor, sed ex eorum memoria cordis dolore tactus intrinsecus, suis illico imperavit armigeris quòd in dictũ B. irruerent gladiis, eumq; ignominiosè tractarent. Occubuit ergo Manfredinorum gladiis nobilis memoratus; & Manfredus judicium formidans Ecclesiæ in hac parte fugit Acerras. Dominus verò Innocentius accessit usque Neapolim; ibique fuit ex Manfredi parte diversorum tractatuum sollicitatus instantiis, & quòd sub certis pactis Manfredum ad sua mandata reciperet requisitus. Sed quia excessus gravitas magna erat, tam ratione occisi, qui erat de Primatibus regni unus, tum etiam ratione ejus. quòd in conspectu Romani Papæ fuerat tantum maleficium perpetratum, nec non quia si facti tam gravis enormitas non sortiretur mediã justitiã pœnam suam, magnæ turbationis scandalum inter regni Majores, quibus ferè omnibus dictus B. consanguinitatis, vel affinitatis linea attinebat, oriri poterat & moveri, Dominus Innocentius præfatum Manfredum sub conditione vel pacto recipere noluit ad mandata, sed in hoc semper proposito firmabatur, ut Manfredus prædictus Marescalli sui mandata præcisè faceret, ac de commisso facinore juri parêret omnino. Tractatus & tractus hinc inde fuit eximius. Sed Manfredus judicium fugiens, noluit stare juri. Dubitabat enim se sinè pactis Marescalli Papæ committere potestati. Cùmque Manfredus non posset in Terra-Laboris tutè propter Ecclesiæ potentiam remanere, animusque suus semper ad grandia tenderet, qui nec ad humile flecti poterat, nec in humili remanere didicerat, in Apuliam sua continuavit effugia. Ubi cùm nulla civitas vellet ipsum contra Ecclesiam receptare, nec posset etiam tutus in aliqua remanere, quia sunt imbecillia corda ferè omnium Apulorum, consultè petiit Sarracenorum tutamina, quorum audaciam formidolosa illorum de Ducatu Apuliæ consuevit segnities formidare. Fuit ergo per eos in Luceria receptatus, & Frederici veneratus ut heres. Cùm enim Sarraceni, potissimè qui sunt in civitate prædicta, Imperiales esse dicantur, quippe aliàs de ritus more abhorrent Ecclesiam, quæ consuevit, & debet eos exacto sollicitudinis studio persequi, & omnino delere, cogitare meritò poterant, quòd si regnum, sicut credebatur, ad manus Ecclesiæ pervenisset, vastasset eorum in Apulia proculdubio incolatum, & eos tanquam proditionis filios dispersisset. Et ideo causam nimium exquisitè quærebant, qua se qualitercunque possent ab Ecclesiæ potestate subducere, & se sub alicujus dissimulatæ fictionis colore alterius subjicere ditioni. Postquam igitur Manfredus contra Ecclesiam erecto inobedientiæ & rebellionis calcaneo se pervertit, & sua cum Sarracenis fœdera roboravit, nonnulla loca & quamplures Nobiles Apulos ad se convertit, aut spontaneos, aut coactos. Dominus enim Innocentius, qui tam contra eundem Manfredum, quàm contra receptatores & complures ejus exercitum indixerat, per contradam morte præventus, votum Ecclesiæ adimplere non potuit; sicque eo mortis morsibus apud Neapolim expirante, Sedis Apostolicæ propositum expiravit. Dilatat ergo Manfredus sicut infernus os suum, & dilatat suas per Apuliam phylaterias, Barones & terras callida seductione sollicitat. Volat audax aquila, quæ nondum ætate plenè cœperat adulta pennescere, & rapaces ungulas assuefacit ad prædas, suarumque alarum robore Apuliam totam concutit, quarum jam sentiebat strepitum principatus.

Sed mira illius potentia, cujus dextera Beatum Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, quæ licèt permittat Ecclesiam temporalibus aliquando turbationibus affici, & ventosis quassari plerunque procellis, ejus tamen naufragium omnino non patitur, adeò tunc fratrũ corda cita cōcordia unoq; conciliavit affectu, quòd sinè magnæ moræ præter morem dispendio Dominum R. Ostiensem Episcopum natione Campanum, oriundum de quodam castro, quod Genua dicitur, Anagninæ Diœcesis, in Summum Pontificem concorditer assumpserunt. Et ut nova de more nominis impositio sequeretur beatitudinis tantæ fastigia, ipsum nomen ad literam æquaret sua interpretatione præcellentiæ tantæ omen, vocari meruit Alexander. Hic namque post assumptionem suam ductus saniori consilio, volens anchoram regendæ naviculæ in tuti portus statione locare, & rudentem mandatorum suorum ad terram firmam extendere, ut per hoc suo & Ecclesiæ discrimini præcaveret, quod propter volubilitatem illorum de regno, & frequentem variationem votorum poterat in regno non immeritò formidare, amotis à quibusdam officiis Lombardis, & eorum Campanis loco præfectis, Anagniam retrocessit. Interea verò Dominum Octavianum de Ubaldinis Sanctæ Mariæ in Via-lata Diaconum Cardinalem constituit in regno Legatum, cui prædicandi contra Manfredum & Saracenos publicè verbum Crucis plenam tradidit auctoritate Sedis Apostolicæ potestatem. Congregavit ergo Dominus Octavianus gentes innumeras, & copiosum exercitum apud Fogiam congregavit, cujus major & melior pars Thusci dicebantur, qui maximè obtentu Cardinalis ejusdem signo Crucis assumpto convenerant, & stipendiis, etiamq; nummis receptis, ut non propriis expendiis in Ecclesiæ Romanæ servitiis militarent. Campani quoque cum iis, quos sub ejusdem stipendiis in regnum destinaverat Dominus Alexander. Cùm ergo exercitus pomposus Ecclesiæ in magna bellatorum multitudine totam contratam Fogiæ complevisset, & crederetur omnino quòd posset ac deberet juxta Luceriam obsidionis validæ castra firmare, Manfredus, qui omnino gentibus inæqualis & viribus impar erat, associatis sibi Sarracenis, Theutonicis, & regnicolis quibusdam suis complicibus, juxta Fogiam posuit se in campis; & discrimina nondum bellorum expertus, eos imbellis quodammodo obsidione paucorum militum circumdedit, à quibus debebat & poterat obsideri. Verùm quidam Comites & Nobiles Thusci & Campani, qui erant agminibus exercitus præsidentes, dum attenderent Manfredinos viribus & numero pauciores, ardebant inire bellum, & cum propinquis hostibus concertare. Immo extranea inter se furiæ concitatione fremebant præ nimio affectu confligendi, & pugnam attentandi cum adversariis manualẽ. Sed jussu Cardinalis, qui conflictum animo dete-

deteftabatur & verbo, accenfas magnanimitatibus in adverfarios voluntates prohibentur contra tantam hoftium audaciam experiri. Demum verò finè pugna, prævalentibus hoftibus fola fortunali præfumptionis audacia, quæ contra Ecclefiafticos vigoris cotidie plus habebat, Cardinalis prædictus fponte vertit terga Manfredo, & Apuliâ derelictâ, ufque Beneventum fugâ continuatâ perrexit. Manfredus verò infequebatur denuo è veftigio fugientes. Sed eo appropinquante finibus Beneventi, Cardinalis fugam refumpfit versùs Aliphium properando. Cùm enim arma non fedeant humeris Clericorum, nec expediebat, nec tutum erat, quòd præferretur in tanto negotio Cardinalis gentibus bellicofis, & quòd præeffet exercitui bellatori. Clericus quidem nec fe poteft ad pugnam, nec alios animare, cujus exercitium liber eft tantùm. Et ideo imprudenter capitaniæ recipit præfidium, & minùs providè fibi militia regenda committitur. Quòd fi quandoque talibus, quorum ufus fpiritualia & iis annexa cenfentur, fubjiciatur regendus exercitus, non eft mirum fi fub eorum Magiftratu multitudo fiat debilis induftriis animationis vocibus non adjuta, & tanquam exanimis & imbecillitate regentis occumbat & corruat paucitati. Verùm adhuc habet relatio plurimorum & quorundam divulgata opinio, quòd quando Manfredus Romanam Curiam vifitavit, Dominus Octavianus propter pura merita, quibus Manfredus alios præcellebat, in ejus adeò exarfit amorem, quòd pro eodem ardua ftuduiffet liberaliter exercere. Unde afferitur quòd illius amoris inftantia, quem in eo conceperat, & dilectionis etiam inftigatus, quam Domus Cardinalis prædicti ad Fredericum habuerat, cui fub Gibellinitatis nomine quantum poterat adhærebat, idem Cardinalis ftatum Manfredi affectans ad fublime tranfcendere, fibi ceffit in regno, & cùm potuiffet, proculdubio feliciter habuiffet triumphum, fi congregationem tantam fidelium cum gente Manfredi permififfet pariter commifceri, regnum demum & fines regni Manfredo fpontanea liberalitate dimifit, rediitque in Campaniam quafi victus. Manfredus fanè, ut de ejus generofitate, quæ per fuperiora patet, jam calamus conquiefcat, fuit in fui ftatu benignus, cujus forma decora eum benignum neceffariò demonftrabat. Fuit etiam virtuofus. Nam moribus & fcientia decorare ftuduit animum antequam eum regni cupîdo perverteret ac orbaret; fuitque magnanimus. Quod evidenter apparet ex eo quòd tantum negotium eft aggreffus. Nec minùs fe familiaribus exhibuit gratiofum, qui gratiarum erat in fe dotibus circumfultus. Unde tot perfonæ fuæ meritis propenfatis, ut fertur, Dominus Octavianus volens ardua præfumere pro eodem, caufam dedit propter quam, exercitu Ecclefiæ cedente Manfredo, Manfredus ipfe totius regni Dominus remaneret. Sed ut cedat opinio veritati, fanius eft credere quòd idem Cardinalis potiùs ex fui exercitus debilitate diffifus, attendens fuorum armatorum numero femper detrahi, exercitum verò Manfredi continuè adaugeri, dimiffo regno, cum incolumitate fuorum cefserit Manfredinis, quàm fimulatâ fugâ, ut Manfredi conditionem erigeret, regno abfcefserit fraudulenter. Iniquum eft enim quod aliena vi conftat impofitum trahere ad delictum, & quòd homini vitio deputetur quod ejus voluntate non regitur, ac illud periclitanti quis imputet unde evadere rarò detur.

Manfredus igitur ex tam amicæ profperitatis arrifu, affluentibus undique commodis, lætabatur. Sed cùm ejus tanta profperitas recens efset, nec haberet Corradino fuperftite colorem aliquem, fub cujus faltem fictitio tegumento afsumptum ad dominandum toti regno animum occultaret, fe tutorem nepotis fui Corradini effe confixit, & hereditatis fuæ legitimum protectorē. Prætendens igitur fibi, quo nullus de genere paterno fupererat propinquus Corradino, hujus tutelæ curam ineffe, ac protectionis ejufdem onera fuis fcapulis imminere, Siciliam,& Calabriam, regnumque totum, cujus incolas ut cogitationes conceptas .... explicaret quando poffet femper agitat motu arundineo nobilitas naturalis, fub alarum fuarum invalefcenti jugiter principatu finè difpendio bellicofo & abfque fumptuofo labore conclufit. Nondum enim dolum quem fub tenebrofis fraudibus geftabat interiùs, & quem ftudebat providè tegere fub coloratæ imagine fpeciei, fimulata pietas propalarat, fed mentita Corradini protectione tutoria univerfa deludens, ut regnicolarum corda fragilia concitaret ad defideria promifforum libertatis & munerum, inderentur (*) præmia promittebat. Verùm totius jam difficultatis in regno cacumine deplanato, fumptâ inhumaniter audaciâ malignandi, non fervavit poftmodum congruentiam nec modum, fed totam regni nobilitatem, tyrannide furibunda depreffit. Et dum in eo temperantia mediatrix denuo prophanam carnis fufpicabatur offenfam, nec ejus delectationes illicitas nec voluptates fervidas potuit refrænare, nec moderata dominatio adversùs libidinem alios non rectos impetus animi compefcere potuit nec motus ejus. Namque invalefcente fævitia, fanguinis atrocitas, & libidinis incentivum jam eidem adimere cœperant quicquid ftudiofus virtutibus compararat, & à fe ipfo priore vita & moribus diffidens, virumque mutatus in alterum, univerfos regni magnates in quorum animis Ecclefiaftica fervere devotio credebatur,aut perpetuo relegavit exilio, aut horribilibus mortis pœnis,tum per infidias clandeftinas maceravit, tum aliis fævis & apertis debacchationibus interemit. Sed nec pepercit illis qui erga factum infantis zelo pietatis accenfi & eum in Alemannia feliciter vivere,ipfumque regni fore legitimum fucceflorem quoquo modo prætendere videbantur. Hos enim non folùm infra regni fines, fed etiam ubicunque ufque perfequi ad fata exitialia nifus fuit. Nam Comitem Petrum de Calabria, virum olim in curia Corradi & Frederici etiam præpotentem, qui Corradini aliquandiu cœperat adminiftrari tutelam, apud Terracinenfem civitatem exilio profugum, per quendam Petrum de Caftellionata civem Salernitanum Domicellum & familiarem ejufdem Comitis procuravit interfici, & fratrem ipfius Comitis, Jordanum Rubeum nomine, oculorum amiffione confecit. Civem verò prædictum confugientem ad eum nece fui domini tam crudeliter perpetrata militiæ cingulo decoravit. Deinde per totum regnum mandavit edictum generale proponi quòd nullus Corradinum de cetero nominaret, fed Manfredum ipfum omnes regni prædicarent heredem & hereditatis paternæ pariter fucceflorem, & qui contra faceret effet fibi meritò proditione fufpectus, & ut fuus proditor puniretur. Sicque frequenter fecit literas in perfonis aliquorum Nobilium de Alemannia fabri-

(*) *fortè* indefinenter.

bricari, quarum simulata relatio præteritum proximè obitum mentiebatur infantis: quas literas tanquam certissima nuntiantes faciebat denuo in civitatibus divulgari. Cùm autem erronea regnicolarum credulitas fictam mortem Corradini supponeret esse veram, totamq; regni Nobilitatem sæva tyrannidis astutia momordisset, immo diris excidiorum faucibus sorbuisset Comitatus, Baronias,& feuda exulum & occisorum,Lombardis quampluribus,quorum quosdam extrema paupertas devehebat in regnum,nonnullos verò proscriptos à propriis partialis dissensio impellebat, liberaliter distribuit & dispersit. Sed non mansit propterea ejus justitia in æternum. Advocavit etiam hujus largificæ dispersionis in sortem quosdam de Sicilia de domo illorum de Malecta, & alios quamplures de regno, quos nova devotio, vel actus pestifer & nefandus sibi gratos & familiares effecerat, ab ejusdem liberalitatis participio non exclusit. Verùm Lombardi, præcipuè sub consanguinitatis & affinitatis imagine, ultronei ad Manfredum elationis assumptæ fastigio gloriantem, in paupertatis habitu confluebant. Sed dum civitates & loca Thusciæ & Lombardiæ, quæ Frederico & Corrado jam mortuis viribus tepescebant, & quas felix fortuna Manfredi sola fama calefecerat, à remotis per nuntios & literas ipsi Manfredo signa fidelitatis & devotionis offerrent, & contra viciniam inimicam ab eo militum subsidia flagitarent, Manfredus ipse non ad subveniendum exteris, nec ad offendendum loca extra regnum intendere voluit, sed curiosè cœpit de coronatione sua indefessæ sollicitudinis studio cogitare. Hæc enim erat curarum cura, quæ ferventer suo pectori inhærebat, & arduo cogitatu fluctuantem in successionibus placidis spiritum coartabat. Interea verò Domino Alexandro Anagniæ commorante, cùm jam per universa Mundi climata firmiter crederetur, quòd Manfredi felicitas odiosa nimiùm facta esset Ecclesiæ, ac infesta, ex parte Corradini agentis sub annis in Alemannia pubertatis, duo nobiles Alemanni, quorum unus Croccus, alter Bonscianus vocabatur, ad ejusdem Domini Alexandri præsentiam imploraturi pro Corradino veniam hereditatis avitæ mittuntur. Ecclesia namque tunc, pro eo quòd Manfredus eidem plurimùm reddiderat se ingratum, & ejus beneficia minimè recognoscens, eam privignali odio cœperat lacessere, regnum Siciliæ fideli cuiquam potenti pro ipsius Manfredi exterminio concessisset. Sanè de fine prædictorum Crocci & Bonsciani libenter ulteriora non dicerem, ne forsitan patrium crimen detegam, quod deceret mente silentiosa, currente ad reliqua calamo, pertransire. Sed ordo accurrentium rerum instat ut labia parata sermonibus, quæ subsequentium series cupit esse rectiloqua, concivium notoria scelera veridica locutione depingant, ne fortè major vero volans ad longinquos, ut plurimùm infamia referatur. Erat igitur Romæ quidam nobilis de Domo Surdorum, nomine Raulus. Hic profectò more Romano magnanimus & strenuus putabatur. Sed cùm jam ferè sibi tota proprietatis substantia defecisset, eum aliena sequi necessariò oportebat. Plus enim præter Romanum morem in suis voluptatibus expendebat, quàm possent bonorum suorum redditus sustinere. Fuerat quippe sub multa lubricæ delectationis libertate nutritus, & ex eo maximè quòd nepos erat Domini Richardi de Aniballis Sancti Angeli Diaconi Cardinalis, cujus industria penè in Urbe sibi vendicaverat inter omnes nobiles primatiam. Luxuriabat excessibus, & ex avunculi potentia sumpto vigore vitam agebat protinus dissolutam. Hunc autem Manfredus, qui eum audierat fore præsumptuosum pariter & audacem, postquam multos de Urbe nobiles pro interficiendis dictis nuntiis Corradini ad ampla præmia invitarat, excitavit contra eosdem nuntios pollicitatione solemni magna munera offerendo. Memoratis ergo nuntiis versùs Anagniam ad Dominum Alexandrum prosequentibus iter suum, prælibatus Raulus inter Castrum Molariæ, & Silvam Algiari, quorum tenementa & districtus dicti Domini Richardi, & nullius alterius existebant, eosdem nuntios invasione subita intercepit inermes, quibus aliàs Romæ spoponderat liberaliter auxilium personale. Croccus ergo improviso Rauli gladio periit, & Bonscianus fuit lethaliter vulneratus. Sicque factum Corradini cum Ecclesia nuntiorum impedimento suspensum, deficientibus tractatoribus & internuntiis, ulteriùs non processit. Raulus adhuc maleficus, qui sub tempore pacis dictis nobilibus Alemannis cladem tantæ crudelitatis intulerat, ad recipiendum pretium sanguinis versùs Manfredum diffugio continuato perrexit. Cui Manfredus in remunerationem ejus quod sub suorum egerat audenter obedientia mandatorum, Comitatum tradidit Catacensem. Sed nec ipsum, nec alios, quos ad Comitatuum excellentiam evocaverat, potuit per vexillum, ut moris est, de ipsis Comitatibus investire, cùm nondum unctionem & coronam recepisset. Indicit ergo diem coronationis suæ, quam apud civitatem Panormitanam Regum Siciliæ sequens vestigia promulgaverat celebrandam. Ad cujus tantæ celebritatis honorem non solùm nobiles, sed Archiepiscopos, & Episcopos, aliosque Prælatos, & viros famosos è regno jussit die ac loco præfixis absque ullo excusationis suffugio congregari. Demum adveniente die coronationis indictæ magnates omnes apud Panormum cum Manfredo unanimes convenerunt. Sed de Prælatis quidam promptè, minùs tamen providè, ad coronationem prædictam maturis gressibus properarunt, alii prætensâ excusationis causâ in propriis Ecclesiis substiterunt. Nonnulli verò iter veniendi Panormum continuaverunt usque Messanam, qui aut lentè aut pedetentim pergebant ut fieret coronatio sinè eis, aut in aliquo loco de Sicilia, confingentes se fatigatos in itinere ac defectos, quæsita requie remanebant. Aliqui verò in die coronationis hujusmodi simulabant Panormi alicujus mole discrasiæ se gravatos, ut saltem Missam coronationis & horam unctionis Regiæ evitarent. Ac quilibet Prælatus regni, secundùm quod magis minùsve conscientiosus erat & devotus Ecclesiæ, se solemnitatis illius obsequiis remissiùs aut promptiùs ingerebat. In Ecclesia tandem Panormitana, quam Regum Siciliæ porphyrea & anabastrica monumenta materia & arte pretiosa decorant, in Regem Siciliæ per quosdam Præsules Manfredus inungitur, & per regni Barones assistentes Prælatis Regali diademate coronatur. In testimonium autem unctionis & coronationis hujusmodi jussit chirographum confici rethorico stilo contextum sub sigillis & subscriptionibus Præsulum & Baronum qui solemnitatis illius festiva gaudia fuerant comitati.

Explicit Liber Primus.

IN-

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

A Dignitatis regiæ celebriter honore suscepto novus Rex partes Apuliæ feliciter repetit. Et cùm ubique per regnum seditio tumultuosa quiesceret, & spes jam probabilis quietis gratæ delitias propinaret, generale colloquium Baronum celebravit, multis ibi per eum decoratis honore militiæ, & nonnullis per investituram vexilli ad Comitatus excellentiam sublevatis. Post hæc solemnem Curiam apud Fogiam, universis citra portum Rosseti Nobilibus & locorum Nuntiis convocatis indixit; ubi, ad honoris regii clarificanda fastigia, tam de conservatione justitiæ, quàm de aliis publici boni compendiis statutis utilibus publicatis, de diversis partibus diversorum generum gaudia festiva conveniunt, ludentium choros, & agmina distinctio purpurata lætificat. Quamplures ibi regenerantur honore militiæ, nonnulli magnificantur excellentium fascibus dignitatum. dies totus solemniter agitur; & post diei cursum flammificis facibus hinc inde lucentibus, ponderosa ceræ coacervata compagine, in agone ludentium convertitur nox in diem. Ne autem quietis & pacis longis laboribus quæsita compendia occasio potentatus exterioris infringeret, Rex Manfredus curas exercituales aggrediens, cum magnifico, & præpotenti exercitu versùs regni confinia consilio deliberato procedit. Erat in extremis regni partibus olim Rege Corrado favente civitas Aquilæ in odium Baronum de illa contrata per ipsorum Villanos de novo constructa, in qua de diversis Castrorum circumadjacentium incolis, non absque quamplurium exprovincialium jactura Nobilium, & prædictorum Baronum, rusticorum adunata congeries in tantam jam multitudinem populosa concreverat, quòd de suarum virium temeritate superbiens, se vicinis exhibebat horribilem, & dominantis in regno dominio suis operibus indevotam, quin potiùs velut pars universo non congruens, generalibus regni statutis reputabat indecens colla submittere, & singulares sibi vivendi formulas conficere præsumebat. Sperabat enim in præsumtæ libertatis statu contra eorum Dominos Apostolicæ Sedis auxilio confoveri. Et ideo contra Manfredum, etiam post suæ coronationis tempora pertinax in rebellione jam facta, sub velamine devotionis Ecclesiæ Regi parère pertinaciter contemnebat. Ad rusticorum, inquam, domandam proterviam, & per hæc restituenda læsis quampluribus jura sua, Manfredus victoriosus accingitur. Sed antequam civitatis mœnibus ejus se vicinaret exercitus, tamquam populorum difformibus erecta particulis maceria ruinosa dispergitur, & dum volare super vicinos nititur aquila, plumis nudata solo deprimitur, universis habitatoribus, quibus tutelæ veniam in personis & rebus clementia regalis indulsit, subitò vacuata deseritur, & quæ dudum plena populo stare nesciebat, in combustionem & cibum ignis illico tradita sola sedet. Eâ sic itaque redactâ in nihilum, Rex Manfredus in Apuliam exercitu dissoluto revertitur, ut membra bellicis fatigata laboribus quietis gratæ dulcedine, placidisque solatiis restauraret.

CAP. II.

Interea Regis Manfredi animum Imperialis sanguinis fastigiis conjunctum, & à primis naturæ vestibulis assuefactum desiderare magnalia, de remotis partibus honoris & gloriæ cupîdo sollicitat, aut semper plus appetens noxius appetitus, quo humana quies atteritur, & bonum libertatis pulcherrimæ sugillatur, inducit eum, ut plura cupiat, quo plus habet. Nam cùm posset ejus affectibus tam nobilis regni blandiri possessio, & copiosa tantarum rerum opulentia delectare, ad curas negotiorum Italiæ, ubi quondam dignitatis paternæ præfulsit auctoritas, mentis suæ dirigit intellectum. Qui utinam Terras Ecclesiæ non vexasset. Extendit enim potentiæ suæ robur ad Ligures, fimbrias dilatat ad Thuscos, & vicinitate suarum virium miserabiles concutit Marchianos. Per universas namque provincias de antiqua & erronea consuetudine à temporibus Frederici votis hominum divisis in partes, remanserat in Liguria Ubertus Marchio Palavicinus, vir utique prudens & nobilis, quamquam Gebellinus & partis Ecclesiæ persecutor. Qui propter fidem Imperialem, & sua servitia Cæsari quondam impensa, de Frederici munificentia beneficia multa receperat, & Augusti, quoad vixit, ac posterorum suorum honorem promta cordis affectione zelabat. Remanserat etiam in Thuscia pars Gebellinorum, & civitas Senensis præcipuè, quæ cum tempore senescens Gebellinitatis in fide, semper erga Imperatorem, & hæredes suos in servitiis innumeris, & devota manebat, ac econtrario Sedi Apostolicæ indevota. Erat quoque in Marchia Anconitana partium obstinata dissensio, quæ, dum hæc unum, illa verò aliud appetunt, inter se rediviva semper altercatione concertant. Ab istarum itaque regionum partibus tam ob fidem Imperii, quam erga Fredericum habuisse prætendunt, tam ad ultionem injuriarum, quam de suorum hostium depressione concipiunt, Rex Manfredus instanter requiritur. Offertur sibi per nuntios eorum antiqua devotio, & vires auxiliares ipsius ad regionum earumdem regimina postulantur. Favet iis inter diversa consilia Regis affectus, ut successorem se paternæ dilectionis exhibeat, & ne oblatæ sibi victoriæ gloriam negligenter abnuere videatur, ad provincias ipsas vires suas porrigit in suorum subsidia devotorum. Habita itaque deliberatione consilii, prædictum Marchionem, Palavicinum in Lombardia Capitaneum, & Magistrum Gebellinorum statuit, Jordanum de Anglano consanguineum suum, cui Comitatum Sancti Severini concesserat, exulante Rogerio Comite Comitatus ejusdem, transmisit in Thusciam, Percivallum de Oria affinem & familiarem suum in Marchiam, generales loco sui Vicarios destinavit, deputata eorum cuilibet equitum quantitate non modica, quibus

bus stipendia menstrua providit assiduè de ærarii sui sumtibus eroganda. Sub horumque Vicariorum manibus & arduis Præfecturis cœpit continuè Regis honor augeri, & Ecclesiæ injuria crescere, ac Guelphorum depressio augmentari. Crescebat etiam favor Gebellinorum, & Regis ejusdem, & rumores prosperi successivè de singulis cor Regis exhilarant, & potentiæ suæ vires illustrant. In Marchia namque cùm sola civitas Camerinensis aliquamdiu dicto Principallo parère pertinaciter recusasset, ac per districtum suum, quem collium & montium inaccessibilium, quoad equites prærupta convallant, Theutonicorum, & Sarracenorum agmina frequenter currentia per contratam graviter offendisset, tandem assumto in Potestatem quodam nobili de Camerinensi districtu nomine Raynerio Hugolini, qui à popularibus civitatis ejusdem dispendiosè aliquando fuerat provocatus, Percivallum prædictum cum tota ejus militia civitas ipsa recepit. Verùm incolæ, qui & Percivallum, & Nobiles vicinos offensis innumeris non expaverant lacessere, illico post Theutonicorum ingressum plurimùm expavescere, forsitan meritò, incœperunt. Et dum Vicarius Regis prædictus quosdam archipopolares, & protorusticos ad se vocari fecisset, qui tam deformis populi ductores & capita dicebantur, modò ille, modò alius, secundùm quod credebat se quis magis dictum Vicarium & vicinos Nobiles offendisse, interdum omnes subitâ fugâ succincti, velut examen apum, quod valido vento dispergitur, civitate relicta, per diversa convallium loca, & montium cacumina disperguntur. Hanc itaque civitatem, quam solam populus suus sponte dimiserat, dictus Percivallus redegit protinus in ruinam. In Lombardia quoque sub Marchione prædicto magnificentiæ regiæ viribus ampliatis, sic ejus arrisit prospera fortuna successibus, quòd in eodem quoque loco, ubi olim Parmensis audacia imperialia castra combusserat, ignominiosæ cladis exitia amissione carrocii, & expugnationis validæ pertulit detrimenta. Sicque vindicatâ viriliter injuriâ patris à filio, locus ille, qui nominatus nominatione Victoriæ visus fuerat Imperatori illusisse, grandem Regi prædicto de hostibus gloriam victoriæ reservavit. Civitates etiam Cremonæ, Papiæ, Placentiæ, Brixiæ, & plures aliæ sibi reverenter obediunt, & nomen ejus ultra quàm credi posset triumphabiliter exaltatur.

CAP. III.

Sub ejus quoque felicitate fortunæ cecidit pestifer ille tyrannus Azolinus de Romangia quolibet severo crudelior; cujus impietatis rigidæ, severitatis horridæ, & vindictæ inexorabilis acta describere longum per se tempus exigerent, magnique complexu voluminis indigerent. Sed primò necessarium videretur pectus armare duritia, quàm rebus tam asperis, tam nefandis, tam tristibus apponere calamum, vel auditorum animos applicare. Hic siquidem ab Imperatore Frederico ditatus & promotus in altum, cujus nutibus tota ferè Tarvisina Marchia serviebat, post infinita, & inusitata pœnarum genera, quorum narrari potest à posteris nefandæ crudelitatis exemplum, jam Regi Manfredo devotionis solitæ signa non exhibens, dum collectis undique viribus contra Mediolanenses infestis auguriis processisset, prope Castrum Cassani, in manibus Cremonensium, qui sub præsidatu Marchionis prædicti in auxilium Mediolanensium potenter exierant, prope flumen Adæ miserabiliter incidit, ubi lethaliter vulneratus, ductusque Sintinum (*), morti succubuit qui raptor fuerat vitæ meliorum.

CAP. IV.

Eodem quoque tempore civitas Florentina cum parte Guelforum non minùs vitiis, quàm delitiis affluens sic superstitiosa jam cœperat tam multitudine populi, quàm superbiæ vento plena consurgere, quòd de suarum virium temeritate lasciviens, & de elati spiritus superfluitate confidens, dedignabatur parificare se aliis, quæ suppeditare sibi vicinos multipliciter satagebat; ac in tantam jam venerat arrogantiæ inflaturam, quòd aliquando cogitare non metuit usque ad Romanos sui alas extendere potentatus. Hujusmodi itaque temeritas actibus fastuosis incumbens, nec futuros eventus debita circumspectione præmeditans, suis omnibus fautorum suorum, & complicum viribus congregatis, ad obsidionem civitatis Senensis, commorante ibi memorato Jordano Comite cum stipendiariis regiis, viriliter attentavit accedere; factâque ibi morâ, quam voluit, & usque ad civitatis ejusdem mœnia depopulatione peracta, exercitu dissoluto recessit. Cùmque post modicum temporis Florentinorum ipsorum audacia cum Lucensibus, Placentinis, Pistoriensibus, & aliis complicibus suis de Thuscia, quos in contumaciam suam non minùs coactos, quàm spontaneos attrahebant, cum exercitu numeroso, qui armatorum triginta millia continebat, ad muniendum Castrum Montis-Alcini victualibus, & aliis opportunis, quod Florentini prædicti tunc in eorum potestate tenebant, per territorium Senarum prope civitatem eamdem ad duo ferè milliaria superbè procederent, qui per aliam tutiorem viam illuc indemnes accedere potuissent, contigit quòd dictus Jordanus Comes cum Theutonicis secum morantibus, & Senensibus populis cum parte Gebellinorum sub felicibus Regis auspiciis in Florentinos eosdem, & fautores eorum viriliter irruentes, ipsos commissis hinc inde conflictibus expugnarunt. In cujus expugnationis eventu sic Florentinorum potentia deflorata commarcuit, quòd ex eis eorumque complicibus, præter occisos gladio, quorum non fuit numerus præfinitus, captivorum solummodo, quos Senensis carcer astrinxit, quindecim millia & ultra numero computantur. Versi sunt, inquam, subitò dies solemnitatis ejus in luctum, fallia in opprobrium, honores in nihilum, ita quòd eorum superstitione deposita, qui dum in honore essent non intellexerunt, jam sumentes à vexationis jaculis intellectum, Regis Manfredi mandata devotè suscipiunt. Igitur Regina Beatrice naturæ debitum persolvente, Rex cum Vatazo viro in Græcia magnifico & illustri habens de parentela tractatum, tandem M. filiam ejusdem Vatazi, puellam jam nubilem, in annis tamen juvenilibus illustrem & pruden-

(*) *Lege* Soncinum.

dentem, suis nuptiis adoptavit, ex qua postmodum filios suscepit & filias, ex quibus nonnisi una filia supervixit.

CAP. V.

A Medio autem tempore, Papali Curia morante Viterbii, ibique Alexandro IV. Summo Pontifice viam universæ carnis ingresso, dum Collegium Cardinalium, in quibus velut in montibus sanctis Ecclesiæ fundamenta sunt posita, habere inciperet de Pastoris substitutione tractatum, & inter eos vertiginis spiritu, & invidiæ livore suffuso, non possent in aliquem de gremio convenire, contigit quòd Hierosolymitanus Patriarcha natione Burgundus, qui tunc ad Curiam ipsam pro Ecclesiæ suæ negotiis promovendis accesserat, concorditer est ad apicem Apostolicæ dignitatis assumtus. Sic itaque factus de petitore concessor, de subdito dominus, de filio pater patrum, Urbanus IV. meruit nominari. Cùmque post hæc viderentur jam omnia Regni negotia sic firmiter sic tutè disposita, ut ex nullo videretur angulo dubitandum, Rex Manfredus deliberato consilio Fredericum Malecta Comitem Bizani consanguineum suum cum quadam quantitate Theutonicorum ad gubernandam Siciliam Capitaneum destinavit. Qui dum in partibus illis contingentia quælibet prudenter & cautè disponeret, dum se versùs montem Trapani, de cujus habitatoribus aliquid fortè contrarium fama referente præsenserat, se cum sua familia vicinaret, ac moraretur in campis, accidit, quòd descendentibus ad eumdem Comitem decem viris ex incolis dictæ Terræ, qui pro parte totius universitatis verba devotionis offerrent, cùm ex longa, sed vitiosa potiùs consuetudine, nullius Officialis ad montem incolæ libenter paterentur ascensum, dum Comes ipse familiaris inimicitiæ, qua nulla pestis occurrit proclivior ad nocendum, præcavere non posset insidias, quidam insolens, juvenis nomine Goblus, natione Theutonicus, qui Marchionis Bertholdi familiaris & intimus quondam fuerat, quem etiam dictus Comes Comestabulum Theutonicorum ex confidentia multa præfecerat, & in familiarium negotiorum consortium admittebat, nacta tunc forsitan occasione, qua posset præconceptum malitiæ suæ votum in actum producere, proditoria temeritate tentatus, cum quibusdam sequacibus suis in eumdem Comitem sub tentorii velo jacentem inopinatus insiliit, ipsumque temerarius interemit. De cujus obitu cùm rumor veniret in publicum, homicida prædictus & complices ejus ad montis ejusdem excelsa unà cum prædictis nunciis confugerunt, frustra credentes inter eos commissi facinoris invenire tutelam. Sicque montis ejusdem habitatoribus in suæ rebellionis malignitate detectis, ne scelus hujusmodi remaneret inultum, & montis perversitas in sua ulteriùs obstinatione persisteret, Fredericus Lancea Comes Squillacii, qui insolentias regionis ejusdem ab experto calcare prænoverat, de beneplacito Regis Manfredi Capitaneus in Sicilia subrogatur. Qui sub fortuna regia viribus instauratis, perurgens obsidionis instantiâ superbiam montis ejusdem, per extremæ desolationis & exhabitationis excidium potenter edomuit, & ejusdem facinoris patratores cruenti supplicii, qua dignè meruerant, cæde confecit. De cujus minutis incolis jussit Rex construi civitatem novam, quæ vocatur Regalis prope Bonreparium, in loco videlicet, ubi veteris civitatis Apollinis vestigia subsistebant.

CAP. VI.

Jam totâ Siciliâ in pacis reformatione dispositâ, & Frederico prædicto domesticis restituto solatiis, Richardus Filaugerius Comes Marsici ad ejusdem regimen deliberatione provida destinatur. Dum autem Richardus idem officii sui partes impleret, & Rex Manfredus in Apulia feliciter ageret, credens sic omnia in Regno disposita, ut ex nulla timeri posset parte turbatio, novus & inopinatus in Siciliæ partibus ignaviæ morbus invaluit, & erroris mirabilis stupor irrepsit. Dum enim quidam pauper, Johannes de Cocleria nomine, infimæ conditionis, & abjectæ fortunæ mole depressus, ac inopiæ squallore mendicus per civitates & loca cotidianum sibi victum ostiatim quærendo discurreret, ex concordibus forsitan vultus & ætatis indiciis, per quæ fallax opinio in uno eodemque subjecto diversas plerumque formas similitudinis conformitate mentitur, audivit pauper ab aliquibus obviis, qui eleemosynarum sibi suffragia porrigebant, Imperatori præmortuo se fore consimilem. Cùmque videret in opinantium ore verba crebrescere, mutavit repentè mendicus animum, & quæsitus eatenus super iis, responsa negativa dissimulabat, quatenus verisimilia faciat quæ dicuntur. Oritur ex ejus negatione suspicio, & cùm nitatur hominis appetitus in vetitum, eo magis insurgebat de ipsius ambiguitate credulitas, quo major inficientia tradebatur. Jam rumor de verbo in verbum mutua confabulatione dispergitur. Discedit pauper à frequentia hominum, barbam nutrit; & ut concepta liberiùs valeat fabricare mendacia, loca petit vicina silvestria, firmat in monte Gibellio, qui aliàs Æthna dicitur, dolosè latibulum, & imperiales sibi mores & verba, quæ veritas & natura non dabant, adultera fictione componit. Jam falsus per Siciliam rumor increbuit. Visitatur pauper in tenebris, honoratur plus solito, & rerum victualium, quarum pressus priùs inopia fuerat, copiosa per aliquos opportunitate fulcitur. Adhuc plures exules, quos perfidiæ aut invidiæ macula de naturalibus Terris vicinis ejecerat, & in nemoribus latitabant, præcipuè Bartholomæus de Mileto, & fratres nepotes quondam veteris Petri de Calabria Comitis apud Tarracenam peremti, ad simulacrum audito rumore concurrunt, falsitatis causas explorant, quæsitas inveniunt, & velut qui fluminis impetu prolabentes apprehensâ jam stipulâ turgidas credunt undas evadere, adhæserunt exules monstro mendacii, & quas solus fortè formare non poterat, jam plures falsi sibi additi fomites falsas roborant fictiones. Ecce jam plenum falsitate portentum, Imperatorem intitulant, colunt ut præsidem, reverentur ut dominum. Et ut securiora dent incrementa principiis, excelsum montem Conturbii, quem olim exhabitari fecerat Imperator, pro tutiori statione conscendunt; per quos Imperiali sigillo vitiosè conflato sub consueto titulo Cæsaris literas per diversas partes Imperator phantasticus subdola formatione conscribit. Et ut faciliùs audientium animos novæ fraudis adinven-

ventione corrumperet, indicat se olim habitu simulato ac Divinæ permissionis oraculo ad expianda delicta nonum annum in peregrinationis exercitio peregisse. Sicque plures regni civitates & Nobiles de fidelitate sollicitat, & sub isto colore requirere non formidat. Hoc quippe fraudis & erroris involucro multa confinia loca Siciliæ callida machinatione corrupta, necnon & remota etiam, nisi necessarium prævenisset antidotum, surrepens morbus occiduus infecisset, cùm essent quamplures, quos ad credendum simplicitas incauta conduceret, & nonnulli, quos, si super hoc scientia certa non falleret, simulantes se tamen nescire quod noverant, ad aliorum sequelam violatâ jam mentis contra Regem Manfredum invidiâ trahebantur. Cùmque super hoc Regis ejusdem aures relatio inopinata perstreperet, & ad longinquas quoque provincias figmenti hujus novitas pervenisset, ad subvertendum idolum, & cultores ejus dictus Richardus Præses Provinciæ instanter accingitur. Et cùm ad summitatem montis ipsius, in quo æmulorum Domini Regis jam quantitas convenerat, tum ex præruptis saxosæ rupis objectibus, tum ex viarum artissimis intervallis, sibi & suis impugnare volentibus facilis non pateret ascensus, obsidionem ibi satis urgente exercitu congregato firmavit, inclusosque coërcuit, ut nulla victualium quantitas, quibus miseram regere possent inediam ad eos more solito portaretur. Cùm autem nimis esset inelegans, nec etiam regia fortuna permitteret, ut ejusdem rei perniciosa temeritas, quæ turpe nimis habuerat in sui fictione principium, non absque multorum jactura concresceret, & horridi figmenti convicium ulteriùs transiret inultum, contigit quòd dum senex ille versutus apud Castrum-Johannis cum suorum comitiva sequacium per devia fruteta procederet, & honorificè fuisset à civibus in illa vana pompositate receptus, dum frustrà crederet suis tempus in antea servire versutiis, dictus R. Comes illuc cum suorum equitum comitiva procedens, conspirantibus contra senem prædictum postmodum tanto errore detecto Guillelmo Malacocina, & Andrea de Bartholucio habitatoribus castri prædicti, conflictu cum hostibus violento præhabito, præfatos senem & complices ejus ibidem prudenter & strenuè intercipi procuravit. De quorum captionis eventu Rege consulto, licèt in spectaculum servari res opprobriosa potuerit, quia tamen dignus non erat vitæ residuo qui tam sibi, quàm pluribus aliis fuerat causa mortis, pœnas dignè sortitur, quas justè meruerat, furcarum patibulo suspensus interiit, & sequaces suos numero undecim, quos figmenti participes, & officiorum jam assumtorum collegas habuerat, ejusdem supplicii non dimisit expertes. Ad hæc Rex Manfredus firmato consilio post supplicia prædictorum partes Siciliæ personaliter repetit, ut provinciam ipsam ab omni contagio perversitatis expurget, & in statu pacifico suæ præsentiæ visitatione confoveat. Veniensque Messanam, ante omnia prædictos Guillelmum & Andream, quorum proditione Imperator ille phantasticus & sui collegæ capti fuerant in conflictu, ultimo supplicio, priùs oculis avulsis, affecit, ut eis de cetero perniciosæ proditionis innata nequitia, quam ferè uno eodemque tempore tam contra honorem Regis, quàm postea contra præfatum senem miserabilem exercuerant, non prosit ad tutamina personarum. Apud Panormum verò multa Regi, & varia donaria præsentantur. Sed in uno exenio potissimè hominum admirabantur obtutus; Henricus enim de Albe vir dives agri & auri, ac abundans pecoribus in villa Mazariæ centum mulos singulos singulis insidentibus centum sclavis in suæ naturalis nigredinis deformitate formosis Regi Manfredo pro devotionis & fidelitatis pignore præsentavit. Sic igitur regione ipsa disposita, Rex Manfredus ad consueta solatia lacus pensulis, quæ copiosa venationis habilitas, originalium fontium amœna frigiditas, & placidi situs numerosa temperies grata reddunt, æstate succedente revertitur. Dumque toto jam Regno in statu tranquillo salubriter stabilito Regem ipsum de remotis & exteris, ad quæ jam suarum virium habenas extenderat, studium debitæ curiositatis accingeret, parentelam cum Rege Aragonum, tractatu hinc inde per Nuntios præmisso, primordio contrahit, & filiam suam Constantiam, quam ex prima consorte sua Beatrice filia quondam A. Comitis Sabaudiæ, Imperatore vivente, susceperat, Domino Petro primogenito dicti Regis Aragonum solemni matrimonio copulavit.

CAP. VII.

Post hæc Rex ipse Manfredus, quem Papalis Curia, etsi per se calcare non valeat, diffamare propter ingratitudinem meritò lacessita contendit, cui temporis etiam, & rerum eventus invidiæ zelum cotidie sua crescente felicitate concumulant, citatur ad præsentiam Domini Urbani Summi Pontificis, citatione videlicet publica, ut est moris, quæ alloquio tantùm Papalis prædicationis expressa & inscripta cedulis affixis præ foribus majoris Ecclesiæ Urbis-Veteris, ubi tunc Sedes Apostolica morabatur, ad eumdem Regem nec literarum, nec Nuntii alicujus, cùm non consueverit hoc Ecclesia facere, visione pervênit. Cùmque nollet Rex ipse super hoc de arrogantiæ, seu contumaciæ culpa videri culpabilis, quem Papalis Curia temporis opportunitate captata satagebat in quantum poterat & debebat infamiæ nota lacessere, Nuntios suos ad Sedem Apostolicam consulta deliberatione præmisit. Et quia jam Ecclesia tractatum cum Karolo, filio Regis Franciæ, Provinciæ Comite per idoneos Nuntios de concedendo sibi Regnum habuerat, Rex Manfredus credens præcavere futura, præter mores, quibus erat imbutus ab ipsis cunabulis, se humilians, per nominatos Nuntios fecit Summo Pontifici supplicari, ut ex quo ipse Rex personaliter jubebatur accedere, de securo & habili loco, in quo cum familia & gente sua posset commodè juxta suæ dignitatis exigentiam hospitari, benignè sibi Pater Apostolicus provideret. Paravit tamen se Rex ipse magnificè, ut, si expediret, non solùm curiales, sed & posset terrigenas, casu accidente, viribus superare, ac usque ad regni confinia cum maxima equitum, & peditum comitiva processit, considerans quòd ex vicinitate locorum poterat habiliùs super iis Nuntiorum expectare responsa, & ibi de ulteriori processu, vel mora quod sibi meliùs expediret consulta deliberatione pensare. Cùmque non deceret Ecclesiam quæ processerant de labiis Summi Pon-

Pontificis irritare, qui cum Comite Provinciæ concessionis Regni oblatione præambula, cui super hoc non expediebat illudi, solemnem per Nuntios faciebat teneri tractatum, excusantium prædictorum allegationes pro Rege, idem Summus Pontifex non admisit; quia dum Ecclesia voluit, idemque Rex potuit Sedi se reconciliare prædictæ, consilio & suasione quorumdam Comitum, quos ipse Rex bonis Nobilium exulum non jure præfecerat, quibus exulibus restitui per Regem integrè bona sua inter alia pacta Ecclesia contendebat, Rex prædictus ipsius Ecclesiæ beneplacita parvipendit, nec annuit postulatis. Cùm autem postmodum visus est velle sub exquisitis cum omni diligentia pactis Sedis ejusdem se subjicere voluntati, ejus humilitatem tunc repudiavit Ecclesia, quæ se sibi tempore congruo humiliare nequivit. Sicque ipsum Regem, quem novorum Comitum reddebant non recta consilia pertinacem, tamquam jam præscitum ad malum Summus Pontifex excommunicationis vinculo innodavit. Cùm igitur super hoc nihil sibi devotio simulata prodesset, quem de cetero nitebatur Ecclesia omni, qua posset, impugnatione concutere, repetit Rex fremens contra Ecclesiam partes Apuliæ sic ligatus, ut circa alia negotiorum suorum studia, & circa demoliendam Ecclesiam curas liberiùs suæ provisionis impendat.

CAP. VIII.

Interea Corradus de Antiochia Comes Albæ, Regis ejusdem nepos, qui pro Capitaneo fuerat destinatus in Marchiam, dum ad castrum Monticuli habitatorum copia, & montuosi situs eminentia communitum sub confidentia solita, & spe securitatis accederet, fuit ibi cum aliquibus familiaribus suis per incolas loci subita & inopinata proditione detentus. In cujus subsidium ad mandatum Regis magno & præpotenti exercitu congregato, Galvanus Lancea Comes Principatus & Fundorum, Marescallus Regni, socer ejusdem Corradi, cujus cordis intrinseca gravi captio violenta pupugerat, pluribus aliis Comitibus, aliisque Regni Nobilibus sociatus accessit, sicque per eum juxta castrum Monticuli exercitus obsidione firmata, & ingenti depopulatione peracta, ibique protractâ morâ usque ad urgentissimam hyemis instantiam tempestatis, dimissâ quoque in Macerata magnâ equitum comitivâ ad impugnationem Monticuli, & captis quampluribus ipsius regionis Nobilibus, qui factionis ejusdem capita dicebantur, dictus Calvanus, & alii de comitiva sua, soluto exercitu, cùm castrum ipsum habere non posset, nec mora sua esset ulteriùs utilis, revertuntur. Contigit autem, quòd idem Corradus, quem proditores sui ante depopulationis illatæ dispendia liberare noluerunt, procurante solertia quorumdam devotorum suorum, qui circa ejus custodiam assistebant, somno vinoque sepultis excubiis, intempestæ noctis silentio de carcere compeditus evasit, & fugientibus custodibus cum eodem, restitutus est beneficio libertatis.

CAP. IX.

Dum Regi prædicto undique ad votum universa succederent, Dominus Ricardus de Aniballis Sancti Angeli Diaconus Cardinalis, natione Romanus, nescitur quo spiritu ductus, quave intentione commotus, indefessæ sollicitudinis studio vehementer instabat, quòd prædictus Comes Provinciæ negotium regni contra Regem eumdem mora qualibet aggrederetur abjecta, offerens magna de suo peculio pro expensis dicti Comitis mutuare. Sed in eo mirari quis poterat, quòd cùm tota domus Cardinalis ejusdem nomen Gebellinitatis ab antiquo sortita Regi jam dicto studeret sincera devotione placere, idem Cardinalis, quo animo discute Lector, adventum præfati Comitis procurabat, quasi suorum venaretur excidia, quorum periculosa dispendia sub ejusdem Comitis secutura felicitate prævidere poterat & tueri. Hujus igitur Cardinalis pars Guelfa Urbis sedulum, vel potiùs subdolum præsentiens studium, exclusis pro majori parte Nobilibus Gebellinis ab Urbe, de quorum numero quidam ipsius Cardinalis nepotes erant, procuraverunt sagaciter, & providè ordinarunt, quòd populus Urbis, quem ex hoc in illud exilis quandoque versat occasio, quique frequenter consuevit illius modicæ libertatis reliquias, quas in eum proscripta veterum transfudit auctoritas prodigaliter ac impudicè distrahere, prædictum Provinciæ Comitem elegerunt in Dominum, & Senatorem Urbis perpetuum vocarunt. Hunc etiam Comitem dictus Summus Pontifex, ut habeat operarium, per quem temporalem gladium seculariter exerceat, non absque Gebellinorum jactura multorum, Regi prædicto procurabat opponere. Nam frequenter eidem Comiti Regni Siciliæ, cujus ipse Rex pacifica, licèt violenta possessione gaudebat, certas per Apostolica scripta, & per Nuntios etiam direxerat sponsiones.

CAP. X.

Interea dictus Karolus ad requisitionem, & instantiam Guelforum de Urbe Vicarium suum misit ad regnum Romanorum, qui civitatem ipsam in ipsius absentia regat & dirigat loco sui. Cùm autem Vicarius ipse rector in Urbe præesset, & Nobilibus, quos ejectos invenerat, civitatis ipsius introitum denegaret, nobilis quidam Urbis Proconsul nomine Petrus de Vico, qui in maritimæ partibus Urbi vicinis, & alibi per districtum Urbis plura castra tenebat, & qui Regi Manfredo jam dudum ex zelo devotionis inhæserat, guerram cum quibusdam adversariis suis, & specialiter cum Pandulfo Comite Anguillariæ cotidianis conflictibus agitabat. Hujus autem Comitis pater multùm fuerat Imperatori Frederico devotus, quandiu Fredericus ipse in Ecclesiæ gratia perstitit. Sed hic Comes paternam devotionem non sequens quoad Regis prædicti personam, quem Frederici legitimum non reputabat heredem, cùm adhuc Corradinus Corradi filius superesset, Regi Manfredo præfato consideratione Sedis Apostolicæ, cui totus adhærebat, signa reverentiæ, per quæ fortè multa vitasset dispendia, non ostendit. Illis quoque diebus Jordanus Comes prædictus exercebat in Marchia pro parte Regis officium Vicariæ, & cum agminibus illorum Theutonicorum, qui secum contra Florentinos fuerant, conflictu habito, cum eisdem potenter in obsidione Monticuli existebat. Post paucos autem dies ad petitionem, & instantiam dicti Petri provisio

visio regia, quæ Gebellinis proximis & remotis opportuna de more porrigere suffragia nitebatur, quamdam quantitatem ex prædictis Theutonicis sub capitanea cujusdam nobilis familiaris sui, nomine Francisci Trigisii (*alibi, & infra dicti* Trevisii) in ejusdem Petri subsidium destinavit. Cùm autem dictus Petrus tam gentis illius auxilio, quàm partis suæ favore confisus, contra hostes suos animum roboraffet, civitatem Sutrinam, cujus idem Petrus majorem partem tunc habere videbatur, violenter intravit, eamque dominio regio subdidit, ac fidelitatis fecit juramenta præstare. Medio autem tempore Rex, intermissis solatiis suis, profectus est in Terram-Laboris ut de negotiis spectantibus ad pacificum statum Regni, tam de resistendo viriliter Comiti Provinciæ, si veniendi per eum, sicut communis tenebat opinio, casus incideret, quàm de obstando quibuslibet aliis, qui Regni vellent turbare quietem, deliberationis debitæ consilio provideret. Generali ergo propterea apud Neapolim celebrato colloquio Comitum, & Baronum, aliorumque Regni Nobilium animos & vires examinat, & servitium, quod eorum quilibet debet & posset, singulari discussione requirit, jam notatis singulorum servitiis, & Feudatariis omnibus apparatis, provida deliberatione statuit, ut Percivallus de Oria familiaris & affinis Regis ad partes Ducatus cum magna militum & arceriorum quantitate procedat.

CAP. XI.

INterea Vicarius Urbis, Populusque Romanus pro recuperanda civitate Sutrina communiter exeunt, & cùm civitatis mœnibus appropinquant, priusquam ad impugnationis & conflictus signa perveniant, civitatem ipsam propter subitam revolutionem civium, quorum magna pars erat Guelfa, quæ statim Romanis venientibus contra Theutonicos vigoris sumsit audaciam, ad manus suas, & Urbis dominium revocarunt, exeuntibus exinde per fugæ subsidium dicto Petro, & aliis de comitiva sua, qui non potuerunt sic omnes illæsi discedere, quin plures ex Theutonicis fuissent equis spoliati, & armis, & quin plures ex eis in Sutrinorum manibus remansissent. Deinde castrum Vici, quod est ejusdem Petri, ad quod Theutonici se receptaverant, cum eodem Populus Romanus urgenti obsidione circumdat, & machinis, caveis, aliisque impugnationis modis valida perurget instantia & molestat. Cùmque Rege Manfredo morante Capuæ, hæc omnia ad ipsius notitiam pervenissent, mutato consilio incontinenti memoratum Percivallum de Oria, qui versùs partes Ducatus gressus direxerat, cum exercitu suo versùs Vicum in ejusdem Petri subsidium properè mandavit accedere, aliumque exercitum in Regni confinibus sub magistratu Richardi Philangerii, jussit illico congregari, ut Romanis eisdem, nisi à prædicti castri obsidione discederent, omni quo posset hinc inde conamine detrimenta continuæ offensionis inferrent. Romani longa obsidione fatigati, cùm recolligendarum frugum tempus instaret, audito quòd tantus succursus Petro de Vico contra eos ibat, & Rex Manfredus etiam famosè dicebatur iturus, usi consilio saniori, ab ejusdem castri obsidione discedunt, & in Urbem properè revertuntur. Eorum etiam obstinata dissensio, & natura semper invicem ad dissentiendum proclivior, quam numquam commune commodum, sed proprium dumtaxat affectat, dum jam expugnationis & devictionis ipsius castri hora proculdubio appropinquat, dum obsidentium animi nutare incipiunt, & jam in vota contraria dividi, rei tam viriliter cœptæ, ac votivæ depopulationi paratæ non expectat eventum. Vicarius enim Urbis, Jacobus videlicet de Gancelmo de Provincia oriundus, qui secundus Karoli Comitis prædicti Vicarius erat, primo, qui Gallicus fuerat, naturæ debitum persolvente, præsentiens vota exercitus multa divisione nutare, & majoris partis ejusdem exercitus animos, qui ad finalem dicti Petri exterminium nolebant operam exhibere, sic intra se perpendens quadam seditiosa machinatione corruptos, quòd Theutonici infra septa burgi ejusdem castri morantibus de se videbantur victoriam polliceri, generalem Populo dedit licentiam discedendi, & reditum militaribus catervis indulsit. Sicque hujusmodi exercitu dissoluto, & obsidione dimissa, versùs Urbem Populus & Vicarius revertuntur.

CAP. XII.

DEinde cùm de mandato Regis Percivallus præfatus gressus suos versùs partes Ducatus repeteret, ut loca Fidelium Romanæ Ecclesiæ totis inquietaret viribus, & Sedem Apostolicam usque ad extremos suæ receptationis angulos molestaret, & Apostolatu etiam juxta posse privaret eamdem, contigit, illo volente, qui tamdem depressit obstinatam superbiæ malitiam Pharaonis, quòd dum ad cujusdam aquæ transitum, quæ dicitur Nigra de Narco prope castrum Arronis tempore invadoso idem Percivallus cum infinito exercitu Sarracenorum & peditum & equitum excommunicatorum concitatus contra ipsam Ecclesiam pervenisset, in ipsius aquæ passagio, quam multitudo gentis præviæ illæsa transierat, cujusdam præcedentis alterius relevare volens occasum, fuit ipse solus equo subcumbente submersus, substituto sibi statim in Capitaneæ officio juxta Regis edictum Joanne de Manerio, ut eidem exercitui præsideret. Sed cùm ex inopinato casu dicti Percivalli totus fuerit exercitus terrore concussus, & Dominus Urbanus multos Fideles, quos apud Urbem-Veterem Cruce signaverat, contra Percivallum & exercitum supradictos illuc obviam jam misisset, dictus Joannes & exercitus hujusmodi ausi non fuerunt ultra procedere. Unde tunc Ecclesia novo quasi jubilo concinit: *Cantemus Domino. Gloriosè enim honorificatus est*, (*equum*) *&* *ascensorem dejecit in amnem*. Post modicum verò temporis Rege in Apuliam redeunte, dum Petrus de Vico, & Franciscus Trevisius cum stipendiariis regiis in quodam castro ipsius Petri, quod Blevium dicitur, morarentur, & Comes Anguillariæ cum comitiva sua, & copiosa equitum multitudine Lombardorum, quam Domnus Urbanus Summus Pontifex sub magistratu cujusdam Pipionis nomine de Liguria, & Vicarius Urbis etiam eidem Comiti destinarant, apud Castrum Vetrallæ, quod tribus ferè millibus distat à Blevio, pervenisset, dum non possent se hostes præ nimia collium oppositione rectè respicere, nec alter in alterum

rum insilire, contigit, quòd cùm dictus Comes & sui de strenuitate & multitudine confidentes in quadam media plana procederent, memorati Franciscus & Petrus cum Theutonicis secum morantibus, qui pridem ab ipsis hostibus fuerant lacessiti, & ultionis tempus promtis animis expectabant, in eos viriliter irruerunt; conflictuque magno inter eos hinc inde commixto, fugit dictus Pipionus, & comitiva sua; relictisque Comite ac Romanis in ipso conflictu, bellum fuit asperrimum, diuque duravit. Tandem prævalentibus Theutonicis, captus est dictus Comes, & plures Romani nobiles cum eodem, multis ex suis, quibus maximè Theutonicorum gladius non parcebat, occisis, multisque in æstus ardore, & armorum valida oppressione peremtis. Ubi Stephanus Accaricia cives Romanus vexillifer exercitus Comitis, vir inquam in bellorum exercitio strenuus & famosus, interius æstuans siti, ut referunt, oppressus & suffocatus interiit, quamquam nihilominus tempus ex multis percussionum receptarum concussionibus deficere potuisset. Cum eodem Stephano nepos suus occubuit Palamides nomine, cujus animositas tunc maximè claruit, qui in annis juvenilibus multa strenuitatis industria se probarat.

CAP. XIII.

ADhuc memorato Vicario Karoli Romæ prosecutionem sui regiminis agente feliciter, non solum Rex Manfredus ad impediendum adventum ipsius Karoli, sed & Gebellini de Urbe nobiles vigilanter intendunt. Parant sollicitè undique sibi bella. Jam per maris excubias multitudo galearum invigilat, & velut pirata æmulus classes freta circumeunt numerosæ. Jam Theutonicorum voluntatis impetus fremescit effrænis, & eorum signa, velut ex eventu forent futuro victricia, in partibus Tiburtinis prope Cellas citra Regni confinia pomposè distenta præfulgent. Verùm cùm per Romanam Ecclesiam dicto Karolo ad prosequendum regni negotium esset in ipsius Regni concessione terminus stabilitus, quo ipse personaliter Romæ deberet adesse. Rex prædictus principiis nitens obstare, sollicitus tam per mare, quàm per aridam terram impedire, ac omnino præcidere, si valeat, ipsius Karoli tentat adventum, ut per lapsum temporis præfiniti Karolus ipse concessionis prædictæ cadat à jure, & Rex Manfredus postea ejusdem Ecclesiæ, cujus jam eum pœnitebat non paruisse mandatis, reconciliare se posset affectibus. Unde sub ipsius Regis nomine, eo ministrante subsidia, Petrus Romanæ Proconsul urbis, qui sub Gebellinitatis abusione vocabuli, Regis ejusdem toto conamine favebat honoribus, ab Urbe cum quibusdam Nobilibus Gebellinis ejectus condixit & ordinavit cum Gebellinis eisdem, quòd ad impediendum memorati Vicarii regimen, & Karoli dominium subvertendum, quilibet ex ipsis Gebellinis Nobilibus cum equitum comitiva suorum, quibus dictus Rex stipendia ministrarat, Urbem certâ deberent horâ repetere, ac subitò subintrare, ea intentione commoniti, ut non solùm contra Vicarium prædictum, sed contra Nobiles Guelfos Urbis, qui Karoli promovebant excellentiam, toto posse captata opportunitate confligerent, & collectis eorum viribus offensarent. Sicque apud castrum Cerveteris, dictus Petrus quantitatem equitum congregavit; & solus cupiens placendo Regi Manfredo munera prævenire fortunæ, qui potiùs postmodum infortunii calicem prægustavit, versùs Urbem continuata nocte festinat, ne fortè sibi mora posset ad imbecillitatem animi computari, promtus & audax, præveniens alios, intrat Urbem, domos, quas quondam tenebat, quas tunc faciebat Vicarius custodiri, in auroræ rutilo animosus aggreditur & invadit; est enim Romæ locus, quem alvei dividentes Tyberini latere circumsepiunt ab utroque, ad quem præstant aditum pontium monumenta conformia. Hic ab antiquo insula Lycaonia nuncupatus absque montuosa eminentia, & sinè munitione mœnium est per se valde tutus & fortis, ita quòd longo posset tempore ab insultatione quorumlibet defensari. Adhuc autem cùm idem Petrus cum suorum equitum comitiva procederet, præsentitus ab ipsius loci custodibus, intra ejusdem loci claustra nequiens se reducere, ut credebat, se & suos citra eumdem locum in quadam contrata quæ Piscinula dicitur, receptavit, & quasdam domos inibi statim defensoribus muniens, ac viæ communis seu publicæ passus trabium & tabularum oppositione fortificans, credebat ab imminentibus inimicorum incursibus, qui jam accincti contra eum ad veniendum fuerant, se tueri. Cùmque Jacobus de Gaucelino Vicarius Urbis prædictus cum quibusdam Provincialibus, Guelforum terræ non expectato subsidio, ad repellendum dictum P. & gentem suam equis, sicut decebat, communitus & armis accederet, conflictus primordia reportavit adversa. Nam licèt hinc inde Provinciales prædicti ac Gebellini Romani cum dicto P. asperè nimis & fortiter conflixissent, Vicarius tamen, & ipsi Provinciales bello fracti tamquam viribus impares impelluntur.

CAP. XIV.

SUccurrente Provincialibus per insulam supradictam Domino Joanne de Sabello, qui erat homo securi cordis & animi, honorem Karoli zelans mentis affectione sincera, Vicarius & Provinciales resumunt animum contra hostes, & eis ab alia parte illius contratæ resumentibus bellum viriliter, dictus Dominus Joannes ex parte insulæ contra eosdem Gebellinos animosè perurget insultum. Et dum hostes à duabus partibus instantissimo bello perursi se in fugam convertunt, dictus Dominus Joannes versùs personam tantùm dicti Petri se dirigebat, ut idem Petrus posset intercipi & teneri. Fugit ergo extra Urbem dictus Petrus, & ad castrum suum Cerveteris, totâ comitivâ dimissâ, per viam aliam est regressus. Capiuntur omnes commilitones sui, & carceribus Capitolii mancipantur. Dictusque Vicarius tam gloriosum & victoriosissimum triumphum ex dictis Gebellinis assequitur, quòd totam comitivam dicti Petri, excepto ipso Petro cum tribus sociis, quos fugæ præsidium ab ejusdem Vicarii potestate subduxit, alios crudelis gladius excidiosè contrivit, & Capitolii carcer adstrinxit. Ex hac itaque debellione quamplurima Gebellinorum fuerunt corda concussa, & eorum maximè, qui secundùm deliberata & proposita cum dicto Petro Urbem non fuerunt ingressi, adeò animi perterrentur, quòd ad turbandam Urbis quietem,

quam

Digitized by Google

quam demoliri conabantur..... suos regressus ulteriùs non attentant, sed in Urbis circuitu per castra eorum anxii, tamquam aper confossus à venatore, discurrunt.

CAP. XV.

Cumque agerentur prædicta, Dominus Urbanus apud Perusium cœcæ mortis morsibus exspiravit. Et dum Ecclesiæ, Deo volente, celeri provisione succurritur, elegitur in Summum Pontificem Dominus Guido Fulcodii Sabinensis Episcopus, qui quondam expertus conjugales amplexus in advocationis officio Parisius tempus juventutis expenderat, tandem vitam Clericalem assumens, Regis Franciæ Consiliarius, & postmodum Narbonensis Archiepiscopus esse promeruit, & de hujusmodi Præsulatu successivè fuit, ejus crescentibus in honestate meritis, per dictum Dominum Urbanum ad Cardinalatus apicem evocatus. Demum verò Summus Pontifex jam creatus vocari voluit Clemens IV. Hic namque universalis Antistes cùm esset Provincialis, de Sancto Ægidio scilicet oriundus, & à domo Franciæ, sub cujus favore creverat, multa & magna beneficia per bonorum incrementa continua suscepisset, favet Karolo quantum potest, & bonorum Ecclesiasticorum in Francia & Provincia decimatione recepta, multos de ipsa decima equites cum dicto Karolo venturos in Regnum soldat, aliisque concedit Cruce-signatorum veniam, quam concedere consuevit Ecclesia transfretantibus ultra mare. Sicque tota ferè Gallia & Provincia pro dicto Karolo, favente Clemente postmodum, qui antea per Urbanum de Regni dominio perpetuam receperat cessionem, ad mactandum Regem Manfredum tamquam vitulum saginatum, quem ejusdem Regni delitiæ delicatè nutrierant, sollicitatione provida concitatur, & quidem gratuito animo quidam mellistua Karoli suasione perursi, nonnulli stipendiati de decimatione prædicta, alii verò Cruce-signati contra dictum Regem venire se parant. Jam per montes & citra fulgentia signorum lilia vernant; jam pro conservatione Urbis ad præparandas Karoli vias quamplures milites præmittuntur. Et quia dictus Dominus Clemens erga prædictum Karolum teneritate multa cordis accensus, & de statu suo tamquam de filii honore sollicitus, ipsius quin immo Ecclesiæ negotium indefessa sollicitudine vocis & operis ferventer assumserat, & dicto Karolo multa de bonis Ecclesiæ præter decimationem prædictam fecerat mutuari, omnia quæ sub cœli tegmine reguntur, quæque ambitus terræ claudit, Karoli felicitati futuræ serenis auspiciis obsecundant.

CAP. XVI.

PRæmittitur igitur ad Urbem cum aliquibus militibus ultramontanis quidam Ferrerius nomine, statura magnus, corde ferreus, qui verisimiliter corde nomen æquet; qui Romam perveniens, statim versùs partes Tyburtinas ad loca, quæ Cellas nominant, ubi agmina Theutonicorum sub ducatu Domini Jacobi Neapoleonis ad passuum Regni custodiam, & pro favore ipsius morabantur, cum quodam promtitudinis fervore processit. Ibi enim dictus Jacobus Neapoleon, qui erat caput Gebellinorum Urbis, & ab Urbe Gebellinitatis prætextu fuerat violenter ejectus, habet prope dictas Cellas castrum Vicovarii valde forte, in quo Theutonicorum agmina prædictorum, cùm volebant, membra fatigata discursibus quietis otio restaurabant. Quorum Theutonicorum idem Jacobus pro eo dux erat & ductor, quòd dictus Rex ipsos Theutonicos ad partes illas maximè in ipsius Jacobi subsidium ex callida provisione transmiserat. Cum iis sanè dictus Ferrerius credens in illo sui fervoris impetu ex eis & Romanis exulibus triumphum proculdubio consequi, ex improviso bellum durissimum absque commilitonum Latinorum consilio inchoavit, quamquam à Campanis militibus, quos Summus Pontifex prædictus in ejusdem Ferrerii subsidium soldari fecerat, fuisset ei ne tunc iniret bellum cum Theutonicis instantissimè persuasum. Verùm non sinè superno mysterio fortunæ Karoli patiebantur auspicia, quòd primum campestre bellum perderetur à suis, ut ex hoc fortè recipiant pro subsequentibus negotiis intellectum. Fortuna quoque plerumque, seu volubilis fortunæ rotatus actibus humanis illudens nonnunquam præcedentia signa victoriæ ultima fatetur, cùm felicitate mentitur, & quodam anticipato favore primordialiter exhibet remunerationis gratæ primitias, ut incautos demum in exterminii finalis abyssum demergat liberiùs & adducat; quæ hoc continuo deceptionis ludo ludendo volens Regi Manfredo favisse videri, dat sibi, ut ita loquar, morcellum Cerberi, ut non possit ex talibus ultra sumere, vel ampliùs deglutire. Sicque jam dictum Ferrerium, qui ex nimio impetu fervoris incautus prorumpere cum Theutonicis & Romanis exulibus inchoarat, in præcipitii discrimen eadem fortuna perduxit. Nam bello totaliter perdito, remansit in campo manibus hostium interceptus. Memoratus autem Jacobus ex hac novi triumphi successione novo respersus gaudio, dictum Ferrerium captivum ad Regis præsentiam sub fideli custodia destinavit. Hujus captionis diem Rex prædictus constituens celebrem, ipsumque felicium futurorum successuum grande præambulum solemnizat, & festiva celebratione commemorat. Veniunt igitur ad Regem Augures, assistunt Astrologi, assunt Harioli, currunt Haruspices, & festinant Divini; ac veluti qui eorum dicta, ut volentibus applaudant dominis, & dissimulantibus adulentur, soliti sunt subornare mendaciis, certam spem Regi de prosperis successibus pollicentur.

CAP. XVII.

INterea terminus peremtorius, qui tamquam præjudicialis Karolum eximiè coartabat, ex decursione temporis, paulatimque serpens appropinquat. Et dum de adventu ipsius vota Fidelium desperarent, subitò juxta fauces Urbis galearum caterva velut vernale fulgur miraculosè detegitur & videtur. Sed cùm fuisset per Regem Manfredum immensum galearum stolium ex gente in mari pugnabili ad impediendum Karoli marinas semitas destinatum, ante omnia stolium ipsum fauces Tyberis cespitibus, trabibus, palis, & magna lapidum mole turbavit in tantum, quòd galeis aditus de facili non patebat ad Tyberim. Per hoc enim Admiratus Regis credebat galeas Karoli saltem inibi juxta fauces taliter intercipere, quòd

A quòd nullatenus posset effugere manus suas, nec suæ potestatis judicium evitare. Quo facto, cùm jam mare procellis inundantibus inciperet conturbari, dictus Admiratus procellas metuens imminentium tempestatum, quibus ad terram invitus & naufragus ex ventorum violentia poterat deportari, alta petiit æquora & freta spatiosa pererrare delegit. Propter quod cùm galêæ, quæ Karolum devehebant, ad terram ventorum impetu fuissent impulsæ, galêis Regis Manfredi nequaquam obviaverunt, sed usque ad Romanam plagiam pervenerunt illæsæ; ibique fixis anchoris, & extensis ad terram rudentibus, vix horâ modicâ sinè fractionis discrimine potuerunt subsistere. Sed sicut Deo placuit, cujus est solius

B gressus dirigere hominis, eadem durante procella Karolus quamdam sagittariam ascendens, imminente sibi periculo personali terram petiit, cupiens forsitan vel extinctus adimplere quod jurando spoponderat, quàm ignominiosè à Regni concessione cadere vel repelli. Sicque in descensu ad terram, cùm non crederetur evadere, sed omnino submergi, terra Romana ipsum miraculosè habuit redivivum. Tandemque maris impetu tranquillato galêæ ipsius Karoli procedentes ad fauces, singula, quæ objecta fuerant, obstacula spatiosè submovent, Tyberis alveos liberè intrant, ac deinde, sicut moris est, trahuntur ad Urbem.

C Karolo autem, qui ad terram ante descenderat, Deo volente, qui hominum dirigit vias & vota, omnes Romani nobiles veniunt obviam, & eum cum reverentiæ honore multo suscipiunt, ipsumque apud Monasterium Sancti Pauli prope Urbem conducunt. Hinc turba Romanorum popularium plebs infinita generis utriusque, masculus & fœmella, senex & juvenis, laicus & Clericus, ac religiosus Ordinum diversorum cum palmis processionalibus occurrendo promsit Osanna pium. Sumensque ex animo gaudia, & aggressus proinde festiva tripudia, choreis saltantium & psallentium cantica modulationis variæ noviter exinde adinventa de more dispositis, Urbis tandem pla-

D teas & vicos tripudiantibus pedibus circuire non cessat. Ac quilibet Nobilis secundùm suarum facultatum potentiam secum quorumdam equitum comitivam signanter induit ad ludendum; & omnes excipiunt plausu pavidos, gaudentque videntes Francigenæ.

CAP. XVIII.

Postquam omnes læti Francos, oculosque suorum lustravere in equis, signum clamore paratis dabat militiæ præcursor. Ceteri statim discurrebant pares, & alii terni agmina solvebant deductis choris; rursusque vocati convertere vias, hastas econtra ferebant. Inde

E alios cursus, aliosque recursus alternis spatiis frequentabant, nec alternos cessabant orbes orbibus impedire, nec terga fugæ nudant. Nunc vertunt hostilia inoffensi. Ac sicut labyrinthus quondam, velut fertur, in alta Creta cœcis parietibus habuit textum iter & viam ancipitem mille dolis, non aliter Romana girata vestigia cursu impediunt pluries repetito. Hunc autem morem cursus Ascanius, cùm muris cingeret Albam, priscos Latios edocuit celebrare. Non est ergo sanum memoria, quòd pro aliquo Domino Romani usque ad illa tempora tam magnalia ostentamenta congesserint, quæ diserti oratoris officium non posset brevi hora temporis enarrare. Memoratus ergo Karolus, qui mille fortè milites electissimos, & in exercitio bellico vicibus multis expertos per mare conduxerat, dura maris tempestate confractus fatigata membra in Ecclesia Sancti Pauli prædicti requie votiva restaurat, exercitum inibi copiosum quiescendo moratur, qui per terram de Ultramontanis partibus veniebat, & interim equis optimis milites suos munit.

CAP. XIX.

Verùm cùm Admiratus stolii galêarum Regis quas usque in districtum Januæ valida tempestas impulerat, Karolum & galêas suas audisset Romam venisse prosperè, mente turbatus, spirituque confusus, ac medullitus stupefactus illico retrocessit; & repetens fauces Urbis, comperit ex ipsis faucibus omnia obstacula, quæ objecerat, provida oppositione dejecta. Sicque non sinè multa cordis erubescentia, ob hoc à Rege prædicto de incauta & neglecta sollicitudine redargutus, passus est condignas contumelias & terrores. Rex itaque Manfredus audito, quòd Karolus Romam sub tantæ fortunæ discrimine venerat, cœpit mente fremescere, & animo conturbari. Sed dum vix posset admirandi rumoris hujus narrationem credere, quæ ex continua sollicitudine Nuntiorum, velut Caldarerii malleus, qui ad cudendum socii verba non expectat, regium denuo perstrepebat auditum, non solùm veniendi admiratur modum, sed qualiter stolium galêarum suarum classes Karoli sic præterire potuisset invisas, vehementissime obstupescit.

CAP. XX.

Ex iis & aliis signorum præsagiis & portentis, quæ cœlum, terra, mareque prætenderant, intellectus Manfredi recipere poterat, quòd ex Divino judicio, cui suis fortuna cedit incursibus, singula hujusmodi erant quædam præambula præparatoria contra eum. Illis enim temporibus Cometa apparens, quæ per plura lustra clausa sub cœli velamine in sui aperitione didicit regna mutare, ac ut plurimum subsistentia cassare dominia, suos usque ad terram lucidissimos crines velut radios solares extendit. Sed quamquam Regi præfato sua, & suorum ex iis præcedentibus signis proxima desolatio daretur intelligi, ipse tamen suos consulens Augures, & requirens Astrologos, mentiebatur se sibi cum quodam palliato solamine per longa tempora regnaturum. Edicit ergo generale colloquium apud Beneventum, & Barones ac Feudatarios omnes de Regno toto, nec non aliquos bonos viros de singulis magnis locis districtiùs evocat, & ad se revocat Theutonicorum, & aliorum stipendiariorum cohortes, quas per Italiam in Gebellinorum subsidia sparserat. Congregatisque universis, quos è terris Regni fecerat edicto publicè accersiri, ad Comites principaliter tamquam ad electos suos se dirigens, talis sermonis verba verborumque propositiones orditur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXI.

„ ECce (inquit) ignis urens de longinquo motu fulmineo veniens, jam præ foribus nostris astat. Unusquisque ergo, ut ab hujusmodi incendiis suam domum provida tuitione defendat, aquam de cetero sinè excusatione manibus suis excipiat, & viribus totis obsistat, ne dum ab igne, qui sinè rerum & personarum acceptione de sui natura violenta consumit, domus cujuslibet absque obicis resistentia incendatur. Ecce incurata ulcera, quæ corporis nostri pudor huc usque sub contemtus dissimulatione celavit, sinè remedio parantur ad fistulam; jamque incurabilis quodammodo despectus morbus incubuit & concrevit. Quilibet ergo propria manu acuto gladio morbi tam pestilentiosi, tamque lethiferi venas & vias toto posse præcidat, ne dum usque ad cordis interiora pervenerit, ex nostra incuria & neglectu medullas inficiat, & nos in desperationem curationis adducat. Gens quippe ista, Domini Comites, & Barones, quæ nunc regnum, & patrimonium nostrum acriter festinat invadere, ferocissima dicitur & austera. Hæc, inquam, pietatem & misericordiam dimisit, infr . . . . . cor durum, mentem feram, & animum inexorabilem contra nos ex proposito secum deliberato congestans. Audivistis forsitan aliquando de benignitate ac mansuetudine illorum de domo Regis Franciæ aliqua enarrari; sed tales non credatis esse qui nos volunt aggredi. Hos quidem nec amicæ preces, vel affectionis zelus in Regnum concitavere venturos, sed auri sola cupido, necnon rerum affluentia grata Regni, quam pompa Regnicolarum desiderabilem fecit esse, illos, ut fiant in nos violenti prædones, allicit, rerumque nostrarum velut sitibundos ad Regnum attrahit, & nostra spolia desiderare compellit. Et sicut ipse Comes Provinciæ Karolus filius Regis Franciæ illa in Regnum intentione festinat, ut bona nostra sua faciat, & personas, si possit, extinxisset, ita immo avidiùs ejus milites eo animo veniunt cum eodem, ut nostra diripiant, nec dimittant personas. Sed ô præsumtuosa crudelitas nostris inaudita temporibus, quæ nobis, & Imperio etiam injuriari non metuit, quos offendere titubat totus Orbis! Non enim habet vestra memoria, quòd se . . . . . bonæ memoriæ . . . . . vestrorum temporibus tanta regiminis, & tam grata pacis requie frueretur. Nunc autem gentes ignotæ, gentes exteræ & effrænes, quæ nonnisi ad crudelia manus habent execrabiles atque aptas, ad ferocitates promtas, & . . . . rapinas, quærentes semper quid devorent, quidque prædentur, tranquillum statum Regni audent concutere, ac nostra otia perturbare. Credunt enim solo sui furoris impetu subjugare cetera, & Regnum, ac nos suæ subjicere ditioni. Sed quia cum ferocitate deproperant, ferociùs resistere nos paremus. Firmiter enim credere possumus, quòd cùm pro . . . . destitutione nostrorum, & pro conservatione nostræ justitiæ, si expediat, dimicemus, mater ipsa justitia nos fovebit. Unum quidem attendite, quòd si furori . . . . aut lentè obsistamus, sive nos audiant quoquo modo in aliquo vacillantes, Gallici . . . . vos impellent; animosi enim sunt aggressores. Verùm cùm resistitur eis viriliter, finaliter consueverunt subcumbere consuetudine superborum. Cùm ergo hæc injuria tangat omnes nostros fideles, & illos magis, quos abundare magis Regni deliciæ concesserunt, & qui terram à nobis obtinent ampliorem, universi & singuli, qui honorem zelant nostræ Majestatis, & commodum, nostræque Celsitudinis affectant gloriam, armis, equis, & expertorum virorum comitiva se muniant juxta suarum potentiam facultatum, ut, cùm venientium nostrorum hostium turba confinia Regni pulsaverit, illis & eorum audaciæ sic potenter & viriliter obsistatur, quòd doleant se in Ultramontanis partibus sua in pace non fixisse vestigia, lugeantque finaliter Italiam petivisse, & qui manus poterunt copiosæ nostræ gentis effugere, confusi more solito, si valeant, retrocedant.

CAP. XXII.

POstquam igitur Rex Manfredus astantibus turmis votum totaliter suæ mentis aperuit, & propositum sui cordis fando depromsit, universi collocutioni regiæ annuunt; divisoque parlamento, & quibuslibet ad propria redeuntibus, sub eo colore maximè, ut contra venientes Gallicos unusquisque se præmuniat, secundùm suæ potentiam facultatis, jam promissa fides Comitum violatur interiùs, jam terrefactus Regnicolarum animus incipit dubitare. Sed hos sola imbecillitas animi, ac mentis falsæ perfidia, & non metus violatores debitæ fidei faciebat. Nondum enim quemquam timere poterant; sed ejus formidine quod verebantur accidere, & futuri casus præmeditatione perterriti tractatum per Nuntios tam cum Comite Provinciæ prædicto, quàm cum Apostolica Sede dolosiùs ineunt, & eorum vota Comitis ejusdem beneplacitis Nuntiorum, & literarum multiplici destinatione confœderant, ac ipsius mandatis se placida significatione coaptant. Rex tamen Manfredus in Alamanniam post hæc pro duobus millibus equitum, quibus pro sex mensibus stipendia duplicata transmiserat, cum multa voluntatis anxietate Nuntium præpetem destinavit.

Explicit Liber Secundus.

Digitized by Google

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAPUT PRIMUM.

INterea Karolus in Basilica Principis Apostolorum, apud Urbem per quatuor Cardinales illuc per Dominum Clementem agentem apud Urbem-Veterem propterea destinatos in Regem Siciliæ delinitur, & regali, prout moris est, diademate coronatur. In cujus coronatione memoranda solemnitatum festa sunt facta & nova gaudiorum tripudia festivaque solemnia celebrata. Ludunt enim more, quo supra, generaliter omnes equites, maximè nobiles Romanorum. Ac quilibet secundùm quod ei bonorum temporalium plus copiæ suppetit distinctiùs vestitus, & certa equitum comitiva uniformiter sociatus per diversa tripudiantium agmina pomposiùs & superbiùs se ostentat, & celebriora constituit illius diei gaudia, ut tantæ rei negotium memoriter effluat & perenniter memoretur. Jam Gallicorum post hæc superveniens multitudo circumfluit, jam totus Regis Karoli expectatus exercitus, Romam venit. Veniunt quidem inopes & laboribus oppressi, ac ex ipsis plurimùm fatigati. Unde ob hoc promptitudo fatigatorum spirituum quadam appetitus violentia illos ad bella celerare compellit, & verbo ac opere acerbiores eos efficit & ad amicitias tardiores. Propter quod vel extingui celeriter anxiant in propria furia, vel cædis occasione, aut sperati auri copia saturari, aut prædonis more furari amplo voto cogitant & affectant. Contrahunt ergo tam ipse Rex Karolus, quàm alii majores de suo exercitu mutua, quæ mercatores Romani pro eo liberalitate quadam ultronea mutuabant, quòd sperabant in Regno Siciliæ solitæ libertatis immunitate gaudere, prout & ipsi Gallici promittebant.

CAP. II.

REconciliantur insuper per Regem Karolum quamplures Gebellini Romani, quibus regressus ad Urbem fuerat interdictus; & ad ejusdem Regis gratiam cum quadam promptitudine redeuntes, benignè per Regiam clementiam admittuntur. Ex quibus Petrus Romani jamdictus, qui Regis ejusdem quondam persequebatur honores, nunc majestati Regiæ devotus efficitur, & ipsius fidem promptiùs profitetur. Hic sanè, ut idem Rex de suæ fidei conversione pignora certa reciperet, contra Manfredum in Regnum cum Gallicis ultro se offert iturum.

CAP. III.

PRofectò, quia exercitus nescit esse jejunus, modica supellex, rerum penuria, & carentia pecuniæ Gallicos instantissimè impellebat ad Regnum. Sicque Rex prædictus à Cardinalibus supradictis susceptâ cum devotione omnium veniâ peccatorum, quam sibi Cardinales ipsi auctoritate Summi Pontificis poterant indulgere, versùs Ceperanum, ubi fluvius quidam Regni & Campaniæ confinia dividit & distinguit, avida voluntate festinat.

A Cardinales verò prædicti extra Urbem tantùm Regem traducendo comitantur euntem, ibique juxta formas ipsum alternatim pacificè osculantes, & demum Crucis eum signantes signaculo, abire licentiâ datâ permittunt. Pater tamen ille magnificus Dominus Richardus Sancti Angeli Diaconus Cardinalis natione Romanus usque ad castrum Molariæ, quòd idem Cardinalis proprio impenso peculio pro sua & suorum perpetua hereditate quæsierat, Regem conducit eumdem. Manfredus verò, qui status sui hujusmodi ventura flagella præsenserat, velut in extasi ac alteratæ mentis involucro positus, ignorans quærit protinus ubi

B venientibus hostibus se opponat, ubi etiam eis obstacula præparet, ubi obsistat eisdem, & dum ad resistendum prærupta fluminum flagitat, quæ per se fortia obstacula facientes hostes in oppositum constitutos non patiantur sinè magnis viribus manualiter jungere, nunc Capuam, nunc Ceperanum, & tandem Beneventum festinis discurrendo congressibus repetit & revolvit. Quamlibet enim terrarum hujusmodi alta fluminis ripa fortificat & roborat agens profundi defossum. Sed præscitus ad malum obstinatus corde Manfredus, cùm debuisset apud Ceperanum copiosæ gentis suæ resistentiam ordinare, passus Regni vacuos, &

C sinè custodum pervigilum munitione reliquit, ita quòd liber ad Regnum patebat aditus inimicis. Verumtamen in castro Sancti Germani duo millia Sarracenorum, & mille equites jussit pro tuitione morari. Sicque Rex Karolus cum victorioso exercitu Regnum sinè obice liber ingreditur. De cujus amœnitate lætitia jam nova respergitur, jamque gaudio votivo completur. Propter quod diem quamlibet sibi pro anno computabat effluere donec resistentium adversariorum posset facies intueri.

CAP. IV.

D VEnit Rex Karolus ad quoddam inexpugnabile castrum, quod sui altitudine aliquid commune videretur habere cum superis appellatum Rocca-arcis à vulgo. Hac enim Rocca, quam rupes montuosæ circumdant, & quasi de medio petrarum conscissam saxosa montium prærupta convallant, vix posset fortior inveniri. Hanc Gallici pedites, quasi lene quid esset, miraculosè conscendunt, ad quam nisi novas alitum mutarentur in formas, aut lacertos haberent monstruosè Dædalica fictione pennatos, vix crederentur posse per longa tempora devenire. Sed demum omnipotentia divina volente Castellanus ejusdem

E Roccæ violentis perterritus Gallicorum insultibus, & præ multitudine copiosi exercitus castrametantis per castri circuitum stupefactus personæ veniam imploravit. Cui mandatis Regis Karoli coacta quodammodo voluntate parenti Rex ipse misericordiam in persona Castellani ejusdem benignus indulsit, & mobilium rerum, quas habebat in castro prædicto, omnimodam pius tutelam promissam inviolabiliter conservavit. Fama itaque deferente per Regnum, quòd gentes Ultramontanæ tam fortissimum, & quasi inexpugnabile castrum belli sub-

Digitized by Google

subjugarant insultu, quælibet universitas vicinarum terrarum quanto se debiliorem, minusve munitam esse putabat & debiliùs poterat ab insultibus se tueri, tanto magìs titubat diem expectare supervenientis insultus. Unde quæcunque Civitas, seu Castrum, Casale, vel Burgus sita sunt usque ad valvas burgi Sancti Germani prædicti, abjurato Manfredi dominio, & Regis Karoli mandatis devotè parendo, signa subjectionis & fidei ultro voce profitentur & opere. Cùmque disciplinam servare nesciat jejunus exercitus, & si non habeat unde emat, cogitur cogitare quod auferat, cùmque etiam cogente necessitate, quæ non diligit aut non sequitur moderamen, quod deest, quasi licenter præsumat armatus, jam prædicta loca sub ipsis plurimùm propterea dubitantia famelicis & fatigatis Gallicis de suorum victualium fœcunditate subveniunt. Jam quæque pretiosa de more pro libertatis commodo assequenda Regi offerunt & Militibus Regis. Sed hæc modica pars Regni nec tanta nec tam abundans erat, aut esse poterat, quæ de sua quantacunque substantia replere posset vacuum Gallicorum, seu eorum resarcire penurias vel anxietates appetentium extinguere voluntatum. Qua de re habitus ex suorum laborum primitiis modicus iste triumphus, succedentibus aliis eis, ut videbatur, ad votum, Gallicos vigorosiores, & magìs voluntarios effecit ad spolia, magìsque ad hostium excidia provocavit. Ac velut austur, quæ jam firmatis plumis de firma suscipitur, ad capiendos teneros perdicum æstivo tempore pullos, quos debilis volatus nondum defendere rapacibus valet ab ungulis, per doctum aucupem provida instructione dirigitur, captâque prædâ tenerâ ipsiusque sanguine prægustato, deplumare jam didicit, efficitur postmodum magìs rapax & magìs avida in volando, Gallicorum non aliter naturata complexio, quæ per se multa ferocitate suffulta sinè metu mortis infert & recipit exitiales jaculorum ictus, ad lethiferas illationes accenditur, & tam præmaturè, tam feliciter captâ votivâ prædâ, & delitiarum Regni prægustata dulcedine, ad reliqua spolia tanquam prædo securus ducitur, & ad violentias excitatur. Hujusmodi ergo primordialis successu felicitatis accensi, ad castrum Sancti Germani, ubi magnam partem resistentiæ opponendæ credebant invenire, propere nimis pergunt. Verùm cùm omnes machinas Nobilium urbis, quæ aliàs dicuntur vulgariter *Trabucheti*, quarum suffragio uti consueverunt Romani in obsidione castrorum, secum fecisset Rex Karolus per curruum multitudinem deportari, apud Sanctum Germanum, quasi non sint ultra necessariæ, de curribus deponuntur, & currus pariter & aurigæ subsistunt. Ex aurigis tum curruum prædictorum erant pauci superstites, pro eo quòd pridie apud Casale Barranerii habito inter ipsos aurigas, & quosdam equites Gallicos deputatos ad machinarum ipsarum custodiam manuali conflictu, plusquam centum ex ipsis aurigis pro verbis levibus Gallorum gladio perierunt. Iis autem machinis non est opus ad insultandum contra eos, qui Sanctum Germanum defendere credebantur, nec aliis similibus generibus oppugnandi. Nam quanto animosa invalescebat denuo audacia Gallicorum, tanto ampliùs Regnicolarum imbecillis pusillanimitas expavebat auditu solo Gallicæ feritatis & inhumanis Ultramontanorum operibus terrefacta.

CAP. V.

INsultum manualis pugnæ juxta muros burgi ad portam, quæ est à latere fluminis totus Regis exercitus ferventer incipit & attentat, & quia Latini de more plusquam Gallici, & industriùs etiam consueverunt impugnationes castrorum gerere, ac movere, nonnulli Nobiles Citramontani corporis & animi virtutes & vires cum quodam anticipato fervore moliuntur ostendere in ipso impugnationis insultu; inter quos Petrus Romani Romanorum Proconsul sæpedictus cupiens Regis ejusdem gratiam redimere meritis, quam apud eum quondam demerendo perdiderat, locum & horam pugnæ cum quibusdam commilitonibus suis anticipans, ipsius burgi muris absque metu discriminis imminentis se confibulavit impavidus. Sicque ipsum jactus innumerabilium lapidum, quos emittebant illi, qui muros tuebantur eosdem, adeò usque ad mediam corporis partem obsedit, quòd nullo modo sinè compugnantium succursu poterat se movere. Eum tamen quasi perditum Latinorum & Gallicorum succurrentium promptitudo à periculo imminente præripuit. Ex cujus audacia ii, qui aderant corda fortificantes & animos, incœptumque viriliter continuantes insultum, ita fortiter dimicarunt, quòd per vim & metum qui cadere poterat in constantes, fugatis murorum defensoribus, portam occupaverunt prædictam. Sarraceni autem, & alii, qui pro ingenti exercitu per Manfredum ad custodiam passus Sancti Germani fuerant destinati, tum insultum urgentissimum intuentes, & majorem illo longè mentis oculo pavidè contemplantes, se fugæ præsidio commiserunt, cùm non ad resistendum sed ad fugiendum potiùs ex timoris deliberatione concepti continuò se pararent. Sed iis fugæ cœptæ remedium usquequaque non profuit. Nam majorem partem Gallicorum gladius sinè misericordiæ venia trucidavit. Occubuerunt inibi sinè numero Sarraceni, quibus non parcebat Gallicus nec Latinus; ipsorumque corpora, quæ præ vulnerum confusione crudelium in campo discerni non poterant, in escam rapacium animalium jacebant exposita super terram & famelicis avibus derelicta. Nonnulli tamen manus Gallicas evadentes fugamque continuantes usque Beneventum, ubi Manfredus cum magno Theutonicorum, Lombardorum, Regnicolarum, & Sarracenorum etiam exercitu aderat, de strage hujusmodi miranda & terribilia retulerunt. Cùmque felix denuo successus & votiva Gallicorum prosperitas cresceret, eo ipso ipsorum invalescebat audacia, & augmentabatur voluntatis anxiæ promptitudo. Unde quolibet sublato quietis & moræ diffugio ad Manfredum venire desiderant amplo voto. Ideoque cum Manfredi militibus confligere anxiantes, adversariorum reliquias, quos in dicto conflictu eorum nequaquam gladius apprehendit, usque ferè ad valvas civitatis Beneventanæ non cessant insequi actu continuo & impulsu. Et dum nec sibi nec equis parcunt, qui erant præ longo itinere fatigati, omnino quasi deficere videbantur. Sed tanta erat spoliorum aviditas, succedentibus eis undique prosperis, quòd totius laboris & discriminis onera levia reputabant.

CAP. VI.

POstquam igitur Gallici continuis defecti laboribus, & velut arcerius Siculus qui de mane ad vesperas damum sequitur fatigati, ad quendam campum terræ Beneventi adveniunt, in quodam colle, qui respicit ex oppido civitatem, quem tantùm alveus fluminis ab ipsa terra sejungit, figunt accelerata vestigia. Dumque in ipso colle taliter sunt castrametati, aliquandiu sub quiete subsistunt. Rex Karolus inquietus omnino per circuitum, sicut aper discurrendo continuo motu frendens nonnullos ad perpetuam rei memoriam militari cingulo decoravit, ut singuli magis animarentur ad bellum. Sed dum sic terribilis discurrebat per castra, clamore quasi continuo has voces Gallicorum catervis per medium exercitum emittebat. „ Hîc clariùs apparebit, „ quales hîc Gallici Milites, & si in societate „ nostra est aliquis bonus Miles, qui militiæ „ velit honorem. Sanè post Primatibus exercitus congregatis juxta Regis tentorium in loco campi, ubi qui voluit potuit interesse, iis, (eos Rex Karolus verbis alloquitur.) „ Scitis certissimè Domini Milites, quòd de „ loco isto in Franciam longos habet fuga „ protractus. Ut pugnemus deliberato animo „ venimus. Si, quod absit, hostibus succumbamus, sine spe misericordiæ moriemur. „ Fugæ præsidium nullum tutelæ compendium „ nobis impenderet, nullumque vitæ patrocinium superesset. Nam etsi gentes, per quas „ venimus nos venientes huc honorabiliter tractaverint, & reverenter impenderint nobis „ gratum multipliciter obsequii famulatum, „ tamen si redire fugiendo compererint, statim eorum animi proculdubio quadam contra nos consueta æmulatione convertentur „ in pravitatem quæsitam, & nos usque ad „ interitum persequentur. Resistamus ergo „ viriliter, & pugnemus audacter, ut vel omnes una hora concludat, vel speratum triumphum ex hostibus consequamur. Tolerabilius est enim mori, quàm fugere. Fuga „ namque multiplicis mortis, inter odientes „ maximè, lethifera discrimina secum habet. „ Nos quidem confidentiùs possumus dimicare, quàm hostes. Cùm enim adversarii, „ quos anathematis & excommunicationis sententia perculit, sub illius nomine, scilicet „ Sathanæ, cujus manibus per sententiam sunt „ Sedis Apostolicæ mancipati, cum æternæ „ vitæ desperatione confligant, nos solùm sub „ illius celebritate vocabuli, qui pro nobis „ usque ad interitum pati voluit, & affligi, „ cum spe, immo cum certitudine misericordiæ „ ab ipsius Vicario peccatorum omnium obtentâ veniâ concertamus. Reddite igitur vos cautos, sollicitos, & attentos, ut cùm ad pugnam, quam non possumus evitare, veneritis, „ potiùs equos, quàm homines offendatis, feriatis & cum gladii cuspide, non cum acie, „ ita quòd equis hostium vestris ictibus succumbentibus, nostrorum peditum promta „ manus sessores equorum taliter prostratos ad „ terram, & præ armorum gravedine lentos „ liberiùs excipiat & trucidet. Reguletur & „ aliter in primo conflictu probitas vestra. „ Singuli milites singulos juxta se pedites habeant, aut duo quilibet, si valeat, etiamsi „ non possit habere alios, quàm ribaldos. „ Hos enim tum pro interficiendis equis hostium, tum pro conterendis iis, qui excutientur ab equis experientia pugnæ valde necessarios & utiles esse probat. Nostri quidem præ labore continuo extenuati macie, „ non sunt adeò potentes & fortes, quòd nisi „ cum hostibus tempore pugnæ sagaciter vos „ juvemus, valeant cum equis ipsorum hostium pari labore concurrere, & longa cum „ eis in bello, si expediat, mora durare. His „ igitur regulis omnibus generaliter præmunitis, quilibet Gallicus velut canis domini sui „ vocibus in venationibus excitatus ad prædam campum voluntario passu circuit, & „ dum quærit quid devoret non inveniens, „ cibum anxius sicut famelicus catulus leonis „ expectat.

CAP. VII.

INterea nonnulli Barones Regni, quos propter suspitiones fortè, aliasque causas factos à Regno exules aliena diu foverat patria, castra & terras quamplures, quarum dominium justus titulus dabat eis de ipsius Regis Karoli licentia, quam in ipso ingressu Regni obtinuerant ab eodem, per diversas Regni provincias sine bello recuperant. Propter quod Regnicolarum corda cœperunt intra se nutare non modicum, & contra Manfredum corrumpi ac gaudere generaliter populares. Credebant enim quòd Regnum jam esset votivæ tranquillitati paratum, & ex adventu Regis Karoli libertati omnimodè restitutum. Dum igitur trepidant usquequaque Regnicolæ robore nullo firmati, parantur hinc inde belli discrimina, & exercitus quilibet ut fortiùs & robustiùs dimicet se accingit.

CAP. VIII.

MAnfredus, qui semper de instabilitate ac voto contrario, varioque affectu illorum de Regno meritò dubitabat, accersitis Comitibus, & Baronibus, ac aliis Nobilibus, qui secum aderant Beneventi hos in generali colloquio sermones eructavit „ hostes nostros, „ quos jamdiu famæ acclamatio prænuntiavit „ contra nos esse venturos, videtis in oppositum existentes. Sed per Dei gratiam tantos „ & tales esse visio vestra non judicat, quantos & quales fore fama referente credidimus. Malos, inquam, equos, macilentos, „ & utplurimum parvos habent. Et si habeant aliquos magnos equos, extenuati præ „ labore nimio parùm valent. Igitur dum sic „ sunt laboris fatigatione confecti, priusquam „ quæsita requie convalescant, & aliquo fortificati otio invalescant, properemus conflictum, & cum eis in media arma ruamus, „ & si inevitabile fuerit, moriamur. Gallici „ enim in primo instanti videntur audaces; „ sed nec sunt stabiles, nec habent durabilem „ animum neque fortem: immo sunt omnino „ plus, quàm credi valeat pavidi, quando inveniunt oppositionis resistentiam aliqualis. „ Sed ô bona posteritas! memoremur nostrorum gesta præteritorum. Nonne Ausoniæ „ gentes istas priscis temporibus vilissimas reputabant? nonne hos, & alios ferociores populos propria potentia conquirebant Italici, „ & eorum mero dominio multifariè submittebant? fortiores quidem sumus patribus „ no-

Digitized by Google

„ nostris & majori etiam personarum & re-
„ rum potentia præditi. Quid ergo veremur,
„ quid formidamus? certè nihil aliud cogite-
„ mus, quàm in exterminium hostes adduce-
„ re, ac eos à facie nostra delere.

A

His & aliis verbis Manfredus Gallicorum mores & facta vilificans suos viriliter animabat. Sed quidam de Comitibus suis juxta magnitudinem cordis aut imbecillitatem animi naturalem, vel simulatam, nec non secundùm quod magìs minùsve fidelitatem Manfredo servare intra se disposuerat, voluntatem tunc suæ mentis aperuit, & suadebat, vel dissuadebat pugnam, secundùm quod virtus propria vitiumve debilis animi suggerebat. Verumtamen Manfredus de hora conflictus consilio cujusdam Astrologi regebatur. Unde cùm jam deliberatione præhabita compertum esset per artem, quòd felici omine tali hora bellum poterat Manfredus cum Gallicis inchoare,

B

quidam ex Comitibus ipsis proditoria machinatione corrupti, & obstinatione nequissima mentaliter violati, sibi displicere si Manfredus pugnet tunc cum Gallicis confingentes, & prætendentes animo simulato cōmodum fore solum ipsius Manfredi, si tunc maximè prœlium evitarent, dedignato spiritu Manfredum & ejus exercitum dimiserunt. Quidam etiam nobiles, quos idem Manfredus ad se tunc temporis fecerat cum aliis evocari, sumpta causa, vel occasione potiùs, quam quærunt volentes recedere ab amicis, in locis propriis remanserunt, ultimos successus morantes potentiæ utriusque. Sed qui pares censeri poterant in crimine Judæ furis, simulabant se ad terrarum suarum custodiam remanere.

C

CAP. IX.

INter hæc Manfredus cum Comitibus suis Lombardis, scilicet Galvano, Jordano, Frederico, & Bartholomæo, & cum quodam Domino Theobaldo de Aniballis cive Romano, secretum iniit consilium, & ab eis, ut prudenter ac intrepidè statim intendant contra hostes irruere, sciscitatur, ac quid de attentanda pugna videatur eisdem diligenter interogat, & exquirit. Hi sanè, cùm essent homines bellicosi, quibus aliquando famosus, triumphus ex bello successerat, & fortuna prospera in eorum plerumque sibi primitiis arriserat, quodam motu voluntario regebantur, ut animo videlicet, plusquam viribus confidere crederentur, & furore plusquam virtute se vincere posse sperarent. Unde viva & promta voce admirantes quodammodo de eo, quòd Manfredus, eorum jam in multis probitatem & fidem expertus, ab eis quasi dubius, indagabat, ajunt ad Manfredum:

D

„ Et si statim nos oporteat mori tecum, non
„ te negabimus. En personam tuam princi-
„ paliter, ex cujus vita, & obitu nostræ fe-
„ licitatis subsistentia, & ultimus infelicitatis
„ dependet occasus, è vestigio sequimur, &
„ te nihilominus feliciter vivere, nosque sub
„ militaris honore fortunæ fideliter pro te
„ mori, si contingat, volumus & optamus.
„ Et ut fidem, quam pro defendenda regalis
„ nominis libertate congerimus testificentur
„ opera nostra, statim primus in hostes si
„ placeat, noster erit aggressus.

E

CAP. X.

CUm in hujusmodi voluntatum examinatione persisterent, & militiæ agmina, necnon & agminum Præpositos recenserent, clamor in æthere tantus insonuit, quod, sicut fertur, usque ad Aliphium ventus impulit crepitantia per aëra vocum murmura, & veluti cùm freta fervent valida ventorum concita tempestate omnium, de contrata perstrepebat auditum. Sarraceni namque de Luceria, qui non aliis armis, quàm arcubus sunt accincti, numero forsitan decem millia, fines furiosè transgredientes mandati, quibus nondum aggressus erat indictus dum sic cogitant Gallicos arcuum percutere missilibus, quòd postea Theutonicis & Lombardis ad expugnandum Gallicos ipsos nullius, vel modicæ difficultatis ultra parari posset obstaculum, veniunt citra flumen. Sed Gallicorum ferocitatem eo plus concitant, ignemque magìs Gallici furoris accendunt. Quo militum, magis cohortibus appropinquant, clamant de more, ac credentes Gallicos vocibus perterrere, clamore continuo invalescunt. His occurrunt primò ribaldi, qui gregatim de Francia venerant, & comperto, quòd Sarraceni erant, qui contra exercitum Gallicorum cum clamoribus festinabant, clamitant & ipsi dicentes: *Porci ne sunt isti, qui contra nos cum tanto clamore descendunt, propter quod inermes, quod absque magistri conductu relicta solita conciti furia velut autumnales sturni, quando in multitudine nubifica de loco moventur ad locum, Sarracenorum turmæ obviant venienti*. Verùm Sarraceni de more priùs quàm se jungant manualiter hostibus ex pharetris tela promunt, & sagittantes subitò ribaldos sine numero sauciant, emissæque plus, vel minùs, prout ex lacertis fortioribus prodeunt post terga sagittæ, serpentis ad instar sibilant inter siccas stipulas, & vimina gradientis, feriuntque inopinatè ac irremediabiliter ex hoc in illum velut fulgura super terram. Et dum frequentiùs emittuntur nonnullæ, in diversis corporum partibus violentæ subsistunt; modòque in capite, modò in facie geminæ residentes nova cornua configurant; ac affixæ circum pectus & scapulas siccos ramos aut extraneos propaginum palmites mentiuntur, recipiunt hujusmodi figuratos ramos innumerabilia corpora ribaldorum, ac prostrantur innumeri: Et velut greges ovium in campis Apuliæ, quando derivatum de Dalmatiæ montibus Boream patiuntur, caduco quasi morbo confectæ, simul & subitò in multitudine concidunt moriendo, non aliter ribaldorum infinitas, quorum casus parum vel nihil Regis Karoli lædebat exercitum, redditur ex sagittis frequentibus exanimis & expirans. Milites autem Gallici stragem ribaldorum tam subitò pereuntium factam dolentes, & verentes, ne Sarraceni ex hujusmodi primitivæ stragis gloria sumant vigoris audaciam, contra eos, & fortiùs invalescant, quandam aciem equitum servientium ribaldis deputant subventuram, quæ Sarracenos adhuc vociferantes in campo exeat congressura. Irruunt igitur in Sarracenos prædictos servientes equites, numero fortè mille, qui tam fortiter, tam asperè Sarracenorum aggrediuntur multitudinem debacchantem, quod Sarracenorum ipso-

ipsorum universaliter mortificatis artubus, & lacertis, immo quodammodo singuli facti exanimes, solo metu se ipsos, nemine adhuc percutiente, prosternunt, facti sunt velut passeres, quando milvus in eos ab aëre inopinatè dilapsus insiluit, ac sicut aves gregales, quas audax aquila de cœlo subitò corruens super eas in arbore considens obsedit in nemore. Trucidantur ergo canes, ac eorum corpora, quæ Gallicus gladius sinè pietate aliqua trucidabat, sicut venales carnes carnificum laniata canibus relinquuntur & avibus super terram. Ad hæc Comes Jordanus ab experto promtus, & audax, cujus aliquando fortuna juvit audaciam, non expectata deliberatione Manfredi, statim cum mille Theutonicis prosilivit in campum, & dato signo inter Comestabulorum catervas bellum fortissimum cum illis servientibus Gallicis inchoavit. Hi quidem servientes ex multa Sarracenorum occisione plurimùm fatigati, cùm etiam non essent tales, aut equis talibus insidentes, quòd occurrentibus Theutonicis possent obsistere, perdito bello succumbunt, paucique possunt Theutonicorum manus effugere. Omnes enim ferè Theutonicus gladius devorat, omnesque abjectâ misericordiâ lacerat & trucidat. Erant namque prædicti mille Theutonici quasi melior pars exercitus totius Manfredi. Hoc autem Rex Karolus intuens, fremens & furens, ut ferox animal provocatum, modò personaliter in Theutonicos volebat irruere, modò usus saniori consilio subsistebat.

Tandem verò banneriis ordinatis, & Magistris militiæ, ac Præpositis agminum stabilitis, Theutonicos, qui campum jam vicerant, mille milites suos electos jubet invadere. Fortes igitur contra fortes fortissimè irruerunt; Sed Theutonicis finaliter succumbentibus, assunt Galvanus, & Bartholomæus, & plures alii Comites associati Lombardis, Theutonicis, ac aliis catervatim bellum subintrant & confligunt durissimè & asperè quantum possunt. Belli sic durante conflictu, & ex utraque parte deficientibus multis, quos vel labor, vel gladius comprimebat, Rex Karolus aliam comitivam in conflictum tam fortissimum edicit ituram. Hæc quidem bello superveniens comitiva fortificavit adeò pro parte Regis Karoli bellum, quòd omnino visi sunt Gallici prævalere, immo protinus prævalebant. Ah! ah! Manfredus prædestinatus ad malum totam pugnam pugnæque modum oculis intuetur corporis, & corde animoso dijudicat, jamjam omnino volens irruere, denuo sollicitus & attentus, sicut leporarius, quem tenet venator, sollicitatis bracetis per excubias nemoris lassiatum fremebat, anxiabatur aggredi bellum. Mandat cæteris Capitaneis, & Præpositis sui exercitus, quòd illico descendant ad pugnam. Sed cùm nonnulli de regno, qui quosdam falsos Comites, cum quibus miser Manfredus sub colorato patrimonialis successionis titulo diviserat regni spolia, sequebantur, ingredi noluissent bellum, sed proditoriè abscessissent, Manfredus cum reliquis mori potiùs eligens, quàm quòd suis morientibus alienam profugus terram petat, quasi desperatus cum prædicto milite Romano Domino Theobaldo, qui eum evestigio sequebatur, & in quantum poterat suadebat, quòd omnino statim aggrederentur bellum, & suis, qui pugnabant, citò succurrerent, ut vel omnes suos, quos unus jungebat affectus, una hora unusque gladius devoret vel exaltet, inimicorum suorum ruit in medium, pugnat, percutit, percutitur, & expugnatur, proh dolor! à suis sic proditus. Invalescit ergo violentia Gallicorum: circumeunt agmina totum campum. Nulli parcit Gallicus, sed singulos necat & trucidat immaniter Gallica promtitudo. Lavat sævitia manus victrices in sanguine occisorum. Verumtamen quamplures attendentes tantam in Gallicis inhumanitatem, quæ nec prostratis parcebat, nec miserebatur captis, demergi potiùs eligentes in flumine, quàm sic sinè misericordia trucidari, armati cum equis in ipsius fluvialis ripæ præcipitium promergebant; propter quod eos, quos non attigit gladius, flumen absorbuit & submersit.

CAP. XI.

Facta est igitur pugnantium tanta strages, quòd in campo pugnæ, quem omnino tegebant corpora occisorum, aliquid vacuum non remansit. Equorum corpora super hominum cadavera quiescebant. Vix cadaver integrum poterat inveniri, cùm jacerent singula magnorum ictuum violentiâ mutilata, starentque sinè figura propria indistincta corpora diversorum.

CAP. XII.

Rex, inquam, Karolus, qui nondum de Manfredi obitu certus erat, post devictum bellum statim civitatem Beneventanam grandi triumpho victoriosus ascendit, & spolia pretiosa, quæ diu anxiè affectarat, magis anxiè complexatus, perfusus undique gaudio gazas innumeras comperit, & lætabundus excipit pretiosa nonnulla, quæ non solùm Manfredus in suo gazophilacio congregarat, sed & Corradus frater, & Fredericus ejus genitor in non modica congesserant quantitate, ac ex diversis, veteribusque Thesauris compositis monstruosis acervis idem Manfredus adunarat. Nihilominus tamen Rex, quem faciebat sola rerum indigentia & diuturna penuria sitibundum, Thesauros multorum Comitum intactos reperit & recondit. Replentur & ditantur undique Gallici; nec tamen sitis extinguitur, aut insatiabilis repletur esuries eorundem. Non enim solummodo spolia hostium occisorum sua faciunt occupando, sed & civitatem miseram Beneventum sinè personarum acceptione disrobant, &, quod pessimum est, innocentes incolas cædunt, & inventis inibi exteris non indulgent. Continua cædes jugiter fit; & quanto magis cædunt Gallici, tanto majori ad cædendum furia concitantur, magis ardent Beneventanos adducere singulos in exterminium & in prædam. Sed, oh tantæ crudelitatis impietas, oh immanis sævitia præter humanam naturam, immo contra conditionem creaturæ cujuslibet, quæ nec parcit sexui, nec indulget ætati! promereri profectò enim credebant Gallici quòd noxium vel innoxium Latinum poterant cruorem effundere. Oh utinam ad sacra dumtaxat, quæ conservabant Ecclesiæ, manus execrabiles minimè relaxassent! nam prætextu bonorum laicalium, quæ celata sub Ecclesiarum velamine, vel confusa cum Ecclesiasticis fore putabant,

res

res ipsas Ecclesiasticas non expavebant eripere, & proinde ipsas Ecclesias prophanare. En Clericus, pro dolor! simul cum laico corruit, & indistinctè omnes Latinos, quos furor Gallicus censebat hæreticos, mares & fœminas, Clericos & Laicos interemisse lætatur. Dolet, si videat aliquas reliquias Latinas superstites. Et si publicè nequeant, vel modo aliquo jam quiescentibus cædibus erubescat, evaginato gladio clam exenterat occurrentem. Unde pauci vel nulli potuerunt evadere crudeles gladios bellatorum. Vox quidem ploratus & ululatus vehemens cum frequenti & lamentabili ejulatione emissa ad miserendum & compatiendum poterat cujuslibet audientis pia viscera commovere. Heu proh pudor! filius inter maternas ulnas occiditur, & alius in patris gremio jugulatur. Maritus ad pedes uxoris, & uxor interimitur juxta virum, nec uxori vel uxorato propterea parcitur, & filiis præsentibus impiè sævitur in matres. Et utinam sororis, uxoris, aut matris miserorum Latinorum pudicitiam, quam impudenter ardebant, fuissent veriti attentare! Sed hæc pejora iis attentantes, Ecclesiarum immunitate per diversarum illationum ausus temerè violata, eos omnes, quos de antiqua & approbatâ libertatis Ecclesiasticæ consuetudine debebant Dominica templa tueri, infra Ecclesiarum ambitus fugientes sævitiosè comprimit impetus Gallicorum. Cædes, cæsorumque prædatio vix adhuc die quiescit octava. Tota terra intus & extra per marginum spatia, & parietes etiam perfusi sanguinis frequentia rubricantur. Verùm propter Manfredi personam quamplures Nobiles captos præservat vivos miraculosè quodammodo immoderata voluntas, & effrænis Gallicæ impetuositatis excessus. Qualiter enim continere gladios poterant, qui exenterare, scindere, jugulare, ac ferrum in expugnatorum experiri corpora meritorium fore putabant? Galvanus, inquam, & Fredericus, qui fugæ petentes auxilia versùs Aprutium, & Anconitanam Marchiam clade facta deproperant, Henricus etiam, qui Gallicorum faciem expavescens in Siciliam profugus applicat, necnon Bartholomæus, & Jordanus, ac Petrus Asini Florentinus, quos dirus & durus Gallicus carcer exceperat, de Manfredino exercitu toto supersunt. Hos enim belli aut debellationis instantis feliciùs deglutisset eventus; Bartholomæum etenim, Jordanum, & Petrum Asini captivos Rex Karolus ad quoddam castrum Provinciæ, quæ est dos uxoris suæ natæ magnifici Viri quondam Berengarii olim ejusdem Provinciæ Comitis, ut in ipso castro macerentur squallore carceris perpetui, destinavit.

CAP. XIII.

INterea quidam miles Picardus sedens super Manfredi destrarium, quem ipse Manfredus pridie bellando consederat, prævisus ab illis supra captis Comitibus, & accersitus ab ipsis ex loco, ubi Comites tenebantur, idem contra morem substitit patienter. Ii cum lacrimarum etiam fusione, ac singultuosis suspiriis subsistentem militem Picardum interrogant, & ubi sit ille miles, cujus dictus dextrarius fuerat, quem sedebat, & an bello corruerit, fueritque peremtus, an captus vivat & valeat sciscitantur. Ad hæc, certificatus primò qui & quales forent sciscitatores hujusmodi miles ipse respondit: „ verum est, „ domini, quòd, hostium nostrorum durante „ conflictu, ecce equi hujus sessor vocem „ exaltans ad æthera, inculcata clamoribus „ murmura emittendo, cum quodam parvo „ milite belli ruit in medium, & tam se ani„ moso genti nostræ conjungit animo, quòd „ si strenuos & fideles habuisset compugiles, „ vel majorē nostræ gentis partem victoriosus „ subegisset, vel coëgisset omnes plurimùm „ laborare. Occurri ego, inquam, militi tam „ animosè prœlium invadenti, & à casu & „ fortuna caput hujus dextrarii vulneravi cum „ lancea, quam gestabam. Ex hoc quidem „ vulnere se in altum dextrarius erigens sesso„ rem casualiter excussit ad terram, quem il„ lico ribaldi exutum arma innumeris ictibus „ mallearunt. Pretiosum etiam strophæum, „ quem cingebat, en cum isto sonipede habui „ de ipsius spoliis & portavi. Tunc intra se gementes & quasi dementes audiendo facta dicti Comites cogitabant: *Heu heu occisus est agnus, Rex, Dux, & Dominus noster, qui elegit cum suis mori potiùs, quàm vivere sine ipsis. Amodo vita nostra mors est dicenda, non vita. Ob utinam unus nos cum ipso gladius peremisset!* Et hæc intra se murmura intonantes, nunquam potuerunt ultra clamorum spiritus continere: Quærunt tum & iterum à milite supradicto an sciret locum, ubi sessor ille corruerat; & respondit miles, quòd & locum sciret, ac hominem recognosceret, licèt jam dies effluxerat tertius ab eo, quo ceciderat ille homo: *erat*, inquit, *homo flavus, amœna facie, aspectu placibilis, in maxillis rubeus, oculis sidereis, per totum niveus, statura mediocri*. Ha ha, infelices Comites quomodo ad hæc infelicia narrata non terrerentur. Verùm dum hæc simul sollicita indagatione disquirunt, exiit communis & vulgaris sermo dicentium: *mortuus est Manfredus, mortuus est Manfredus*. Volavit igitur rumor ad Regem, quòd Comites asseverassent prædicti, Manfredum fuisse peremptum bello. Jubet Rex Comites ipsos ad se venire, ac memoratum militem Picardum, cum quo de Manfredi obitu invicem contendebant. Et coram Rege ipso prædictis omnibus & singulis repetitis, mandat Rex Comites accedere cum Picardo ad locum, ubi Manfredum Picardus prædictus corruisse dicebat. Comites igitur prædicti ad locum pugnæ recentis ducti sunt compediti, & multis occisorum cadaveribus recensitis, oh oh oh cum quanta lacrymarum profusione compertum cadaver Manfredi manus trepidantes revolvunt, pedes & manus sui Domini Comites osculantur; vix possunt hoc solum dicere: *hic est innocens, qui mortuus est pro nobis; hic est, qui suos dilexit in finem*. Juxta cadaver Manfredi compertum est corpus Theobaldi de Aniballis, qui semper in pugna Manfredum evestigio sequebatur. Formosum igitur corpus Manfredi exanime sublatum est de loco exitus, & ibi de prope juxta quamdam Ecclesiam ruinosam in eodem campo triumphi cum gloria depositum Gallicorum, magno lapillorum & lapidum acervo congeritur, conditur, & sine tumulo taliter sepelitur.

CAP. XIV.

UT autem Rex Karolus de copiosa & pretiosa, quæ jam in ejus dominii cesserat pote-

potestatem, matrem & dominam honoret Ecclesiam, & de primitiis laborum suorum participem faciat patrem patrum, & de sua venatione pater ipse prægustet, duos ceroferarios aureos, seu Idola manu facta comparata candelabris, materia & opere, pondere quoque & arte pares, necnon faciftorium Cæsaris, sedem Imperialem aurea massa conflatam, margaritis coruscantibus undique circumseptam, quæ diu Augusti ad laudis & gloriæ fastigia Imperialia ostendenda servarat ærarium, Domino Clementi sanctæ memoriæ Summo Pontifici pro grandis & cari muneris oblatione transmittit.

A

CAP. XV.

B

POst desolationem Beneventanæ civitatis & successum tam grandis & tam felicis victoriæ memorandum, Rex Karolus apud Neapolim, quo primùm post consummationem triumphi processerat, parlamento inito generali, omnibus & singulis regni Baronibus, & aliis quibuscumque, qui nomen & omen secuti fuerant Manfredi benignus indulsit. Et ut eos ad suam fidelitatem alliceret, quos inimicos forsitan viribus & ferro subegerat, singulorum culpas abolens, edicto veniæ generalis pœnas remisit omnino, beneficiaque spopondit, dummodo eos de cætero sibi contrarios Majestas Regia non haberet. Et volens ad tranquillandum subjugalis regni statum intendere cujuslibet hostis resistentia jam cessante, mittit in Siciliam Dominum Philippum de Monteforti, ac quaslibet regni provincias visitat per Officiales & Nuncios. Verùm propter Gallicorum multitudinem, quorum frequentia singulæ regni partes complentur, quælibet terra sua deplorat incommoda, & quæ cladis præteritæ non palpavit incendia, ex jugi & continuo Gallicorum transitu violentos incursus ex afflictionum jaculis offenditur imprævisis. Namque cùm iis, qui castra sequuntur, fides & pietas nulla insit, naturam sapiunt ignis & fulguris, ut videlicet omnia, per quæ transeunt, loca contaminent, & quos ita subitò nequeunt incinerare subactos, ad instar ignitæ materiæ denuo partes contiguas comprehendentis adurunt.

C

D

CAP. XVI.

AD hæc Rex prædictus de tam glorifico triumpho magnificus, ut de regnicolarum moribus, regnique consuetudinibus se informet, quosdam regnicolas, qui penes Manfredum officiorum administrationes & justitiam ministeriose congesserant, in sui familiaritatem advocat & receptat, inter quos quidam Barolanus præcipuè nomine Gezolinus de Marra, cujus progenitores de montibus Amalphiæ traxerunt originem, ad tractatus rerum domesticarum regalium familiaris admittitur. Hunc ratiociniorum experientia, & longa multarum commissionum regalium officiositas Regi reddebat acceptam. Hic regestra proventuum regni, & singulorum officiorum, ac officialium, & per diversa ipsius regni loca particulariter ponendorum habebat; in quibus non solùm jurisdictiones & jura Regia, per quæ felices Reges, contenti dumtaxat eisdem, suos feliciter conservabant honores, memoriter erant inserta, sed omnes angariæ, parangariæ, collectæ, talliæ, daciæ, contributiones, & modi exactionum innumeri, quibus Regum nefandorum impietas miseros regnicolas opprimere ac necare didicerat, studiosiùs fuerant rubricati. Hujus Gezolini consilio & suggestu Rex, quem Regum prædecessorum suorum vitam, & vivendi modum sequi, ac mores eorum probabiles non pudebat habere, legem ponit regnicolis, novosque secretos Justiciarios, Admiratos, Prothoncios, & Comites, Portularios, Duanerios, & Fundicarios, Magistros Siclarios, Magistros Juratos, Bajulos, Judices, & Notarios ubique per regnum, & supra hos majores Præpositos statuit. Hi religione juramenti, quod in officiorum susceptione consueverunt præstare, præsumtuosis ausibus violata, ubilibet subjectos gravant indebitè, ac eis importabilia onera imponentes, emungendo plus debito cruorem eliciunt & medullas. Provocantur regnicolæ duris & diris oppressi flagitiis, & jam mente corrupta violantur interiùs, ac quilibet inter se specialis excogitata fraudis machinatione corrumpitur, & præ novi timore dominii plus nutibus, quàm verbis alter alteri tactus dolore cordis intrinsecus, conceptionis suæ pandit arcana, & lamentabilibus saltem conquestibus suæ mentis referat voluntatem, atque mutos volvens in pectore questus, semisonora ejulatione, quasi nesciens loqui, clamat: *O Rex Manfrede, te vivum non cognovimus, quem nunc mortuum deploramus; te lupum credebamus rapacem inter oves pascuæ hujus regni, sed præsentis respectu dominii, quod de nostræ volubilitatis & inconstantiæ more sub magnorum professione gaudiorum anxiè morabamur, agnum mansuetum te fuisse cognoscimus. Jam fuisse dulcia tuæ potestatis mandata sentimus, dum alterius amariora gustamus. Conquerebamur frequentiùs nostræ substantiæ partem in dominium tuæ Majestatis adduci; nunc autem omnia bona nostra, quod pejus est, & personas alienigenarum converti videmus in prædam.* Regnicolis igitur ubique per regnum murmurationes emittentibus, & lamenta, nonnulli de regno ipso hæc & deteriora perpessi, Comitibus exiticiis, & Baronibus exteris, & ejectis, ac profugis, necnon & universis in Lombardia & Thuscia Gebellinorum capitibus intimare procurant, de aspero & agresti ac importabili dominio Gallicorum.

E

CAP. XVII.

QUamplures igitur viri magnifici, videlicet Galvanus & Fredericus fratres Comitis prælibati, Corradus Capicius & Marinus ejus frater de Neapoli, quibus Rex prædictus ad preces B. de Pignatellis Archiepiscopi Messanensis vitæ veniam post eventum præteritæ debellationis indulserat, in Alamanniam ad suscitandum catulum dormientem, & pullum aquilæ, qui nondum ætate cœperat adulta pennescere, properè se convertunt. Ibi enim de tota Frederici posteritate solus Corradinus natus quondam Regis Corradi ejusdem Frederici filii, qui tam Frederico de Stuffa, quàm Duci Austriæ, ac multis de Theutonia magnis viris linea consanguinitatis attinuit, tamquam quoddam memoriale superérat. Ad hunc sanè vanis licèt allectivis suasionibus excitandum non solùm prædicti exules, & alii quamplures è Regno perveniunt,

niunt, sed ab omnibus Gebellinis prædictis, & à civitatibus etiam Imperialibus de provinciis supradictis, quæ quondam sub devotione Frederici & filiorum suorum fuerant, solemnes Nuntii destinantur, qui sibi tanquam Regi venturo aurum thus offerebant & myrram, ac ei de propriis peculiis, etiam civitatum ipsarum thesauris, promittentes pro expensis necessariis ampliores, non tantùm ipsum, qui corpus & cor ætatis juvenilis habebat, sed alios eo majores virtutibus & ætate amicos & consanguineos suos ad delitiosas & fertiles regni epulas invitarunt, quos illico illuc festinis gressibus concitavere venturos. Conflato igitur & sculpto sigillo sub Regis Siciliæ titulo. Corradinus per Italiam literas spargit & Nuntios, & suum adventum celerem fore prænuntiat. Corradus autem Capicius de generali Capitania, & Vicariatu Siciliæ fabricatas sub ipsius Corradini sigillo literas, in quibus se Regem Siciliæ confingebat, studuit obtinere, dicens, quòd ad parandas domino suo vias, & ejus in Regnum citum prædicandum adventum volebat, ut præcursor, sublato moræ dispendio properare. Sicque, obtentâ superioris licentiâ, Pisas usque pervênit; ibique totius deliberationis Corradini propositum, voluntates quoque Principum Alamanniæ, ac oblata per eos ipsi Corradino juvamina voce prænuntia promulgavit. Postulat inter hæc à Pisanis aliquod per mare subsidium, quo possit ad præsens in Tunisium transfretare. Et quia Pisani jam disposuerant prosequi factum & causam favorabiliter Corradini, concedunt Corrado prædicto unam galêam armatam, qua in Tunisium devehatur, suæque subserviat voluntati.

CAP. XVIII.

Applicans igitur in Tunisium Corradus Capicius prælibatus cum Domino Frederico nato Regis Hispaniæ, cogitatu callido de invadenda Sicilia machinatur; factumque Corradini justificans, & suorum magnificans potentiam amicorum, oblato sibi per Magnificos Viros Italiæ, ac confinia loca subsidio plusquam in re foret veritas. Prædictus verò Domnus Fredericus & Domnus Henricus Germanus ejus, quos propter impatientiam, quam habebant de magnitudine ac prosperitate fraterna ejectos & absentes à propria diu patria foverat aliena, pinguia pro se ac quibusdam militibus de Hispania stipendia recipiebant à Rege Tunisii, qui cotidianis cavalcatis & assiduæ guerræ sollicitudine angebatur per alios Sarracenos. Hi sanè fratres Hispani præ Sarracenorum conversatione diuturna actibus Agarenorum imbuti, & ferè Christianæ religionis obliti, à Sarracenis ipsis vita parum & moribus differebant. Verùm Domnus Henricus à præfato Tunisii Rege habitus ex sua superstitiosa superbia de proditoria machinatione suspectus, ad seducendam & concitandam Romanam provinciam cum trecentis fortè militibus de Tunisio citra inopinatè convenerat: qui dum Romanam Curiam, adhuc non præcisus ab Ecclesia, sequeretur, ab Apostolicæ dignitatis auctoritate magnæ liberalitatis & gratiæ immensæ dona poposcerat. Cujus nobilitatis & schematis fama adeò Ecclesiæ Romanæ Ministros videbatur inebriasse repentè, quòd frequenter ut ei deberet de Regno Sardiniæ provideri conditum fuerit instrumentum in Consistorio tractatum.

CAP. XIX.

Sed dum quidam nobilis civis Romanus, Angelus Capucia nuncupatus, seditionem in Romano populo suscitasset, per quam contra Urbis Magnates Capitaneus populi, quibusdam bonis viris de qualibet regione binis electis secum adjunctis, sub pacis specie motibus ultroneis est captus ex tradita sibi per dictum populum potestate, qua quem vellet posset eligere Senatorem, Domnum Henricum præfatum contra plurium nobilium repugnantiam, & obstaculum etiam Cardinalium aliquorum, qui jam aliquid de ipsius Domni Henrici fraudulenta voluntate conceperant, ad Urbis regimen evocavit. Cujus vocationis solemnitas, etsi fuisset ante publicationem à pluribus impugnata, & multorum corda non immeritò duriùs pupugisset, tamen sub quadam fuit gratitudine generaliter ab omnibus acceptata. Vênit ergo de Romana Curia factus Senator ad urbem, & aliquandiu stateram justitiæ sub æquitatis libra manibus suæ potestatis appendens, tandem corde & voluntate perversus, via & moribus protinus regnantis abjectis, in arcum repentè convertitur inopinabilis pravitatis. Guelfis quidem Urbis & amicis Ecclesiæ, ac devotis in abundantia mollis promissi verbo tenus fellitum & venenosum poculum actualiter subministrat. Concipit iste similiter odia contra prædictum Regem Siciliæ, cui gradu attinebat consanguinitatis secundo, & suorum successuum felicium actibus invidens quærebat opportunitatem, ut eum per viam aliquam posset perenniter exterminare, vel lædere, aut in regni possessione turbare. Prætendebat enim inimicitiæ causam adversùs eundem Regem se habere legitimam. & motum sui animi fore justum pro eo, quòd eidem Regi, quando primò contra Manfredum inops, & substantia tenuis veniebat, asserebat se non modicam pecuniæ quantitatem de proprio peculio mutuasse, quam dictus Rex ad fortunam veniens pinguiorem sibi, ut bona fide spoponderat, reddere contemnebat. Iis contra præfatum Regem, immo ex cordis iniquitate, ac invidia provocatus, Corradino in Italiam venire disposito & parato, se literarum & Nuntiorum destinatione confœderat, & ei posse suum ac Romanorum potentiam subsidiosè spondens contra Regem Karolum experiri, multis ipsum inductionibus ad celeriter veniendum reddit attentum, ostendens sibi mendaciter, quòd adventum suum citum & Roma & tota Italia suspirabat, & asserens ei Gebellinorum saltem subsidia non posse deficere, astruebat eum omnino & infallibiliter Gallicos fore victurum. Ad hujusmodi igitur, grandi exhortatione factum ac pollicitatione suggestum statim Corradinus, sollicitatis omnibus instantissimè, qui ultro se promiserant venturos esse in Italiam cum ipso gressus accitos magis accelerat.

CAP. XX.

Interea perfidus Christianus Domnus Henricus vane cogitans, & attentans omnes nobiles Urbis Guelfos unâ horâ simul in Capitolio ad instar piscium, quando plures numero uno

uno tractu retium capiuntur, fecit ad se prædictos nobiles proditoriè accersiri. Cùmque nobilium ipsorum alter alterius vocationem protinus ignoraret, quamplures intrepidi, sed decepti, Capitolium ascenderunt. Sunt autem prædicti nobiles Dominus Neapoleon & Matthæus frater ejus de filiis Ursi, Dominus Johannes de Sabello, Petrus Stephani, & Angelus Malabranca. Hos tantùm, qui nihil de excogitata fraude præsenserant, ad vocationem prædictam pure & simpliciter venientes statim Domnus Henricus cepit, captosque jussit in Capitolio pernoctare. Quibus in ipso captionis initio nullam vultu vel gestu formam turbationis aut alicujus asperitatis ostendit, immo præconceptæ contra eos fraudis pocula lenitate verborum sagaciter temperabat, verens, & meritò, ne propter hujusmodi captorum detentionem tam subitam seditiosus contra eum tumultus commoveretur in populo. Postquam verò dictos captos verbis assecuravit mellifluis, & pro certo perpendit, quòd concitata propterea populi corda quieverant, ex eis aliquos, videlicet Dominum Neapoleonem & fratrem suum apud Monticellum, quod est castrum fortissimum prope Tybur, inibi moraturos in carcere ad suum beneplacitum destinavit. Et tandem, ut eos de stricta Urbis extraheret, eosque posset liberiùs servare, apud Sarracinescum, quod est castrum Corradi de Antiochia nepotis quondam Frederici prædicti, jubet exactâ custodiâ in arcto carcere detineri. Verùm reliquis in Capitolio sic detentis, prælibatum Dominum Johannem de Sabello, de quo, cùm esset homo probatæ fidei, zelans pacem & tranquillitatem Urbis toto mentis affectu, nulla sinistra poterat oriri suspicio, receptis primò ad cautelam pro eo quibusdam fidejussoribus, & Luca ejus filio dato obside pro excambio, à carcere Capitolii relaxavit. Sed quia Dominus Rainaldus de filiis Ursi vocatus Capitolium non conscendit, immo se in castro Marini non sinè audaci promptitudine receptavit, jamdictus pseudochristianus contra eundem Dominum Rainaldum duxit copiosum exercitum Romanorum & castrum ipsum dura obsidione circumdat. Cùmque nequiret castrum ipsum, quod quamplures de Urbe strenui Milites & pedites tuebantur, sicut firmiter credidit expugnare, redit ad Urbem furibundus & fremens. At in Urbe commorans, se non contentans in viros Ecclesiasticos & Ecclesiæ Romanæ devotos manus immaniter injicere violentas, ad thesauros innumeros, quos servabant Ecclesiæ sceleratas manus execrabiliter extendere non expavescit. Sunt enim Romæ diuturni mores, quibus non solùm Romani qui aliquas pecuniarum summas modo quolibet aggregant, vel habent res alias pretiosas, quas propter latronum hostiumve incursus in domibus propriis conservare formidant, sed quamplures exteri & vicini libertatis petentes Romanæ suffragia, in Monasteriis & Ecclesiis magna & multa deponunt peculia, quæ quandoque per longum tempus non requiruntur à Dominis, considerato, quòd in locis ipsis cum integritate ac tutela consueverunt deposita conservari. Ad hæc itaque diripienda deposita contra ipsarum Ecclesiarum privilegia libertatum prædictus Domnus Henricus anxiis instat conatibus, totoque incenditur mentis ardore; Sicque prædo securus Deum, Ecclesiam, & homines non verens offendere, loca depositorum hujusmodi quadam audet promptitudine temeritatis invadere. Hinc confringit sacrilegus ostia, hinc sacristias violat sceleratus. Hinc fur violentus aperit cavernas Clericorum. Inde argentea vasa & aurea, inde sacras vestes, & quæque pretiosa diripit & asportat. Proh dolor! Lateranensis, Sancti Pauli, Sancti Sabæ, Sancti Basilii Aventini, Sanctæ Sabinæ, ac aliorum Monasteriorum & Ecclesiarum loca dolent & lugent suis disrobata depositis; & altis clamoribus conquerendo, pro voce dant gemitum, & pro illati doloris incendio suspiria & singultus. Orant Ecclesiastici viri suppliciter, & has voces sub eulogio lugubris infelicitatis emittunt.

CAP. XXI.

„ O Infelix urbs urbium Roma, tot Sanctorum Patrum glorificis dotata reliquiis, tantaque gentium alienarum frequentia in tuis venerabilibus sanctuariis honorata, facta es nunc vicinis opprobrium & subsannationis illusio gentibus, quæ circumstant. Venerunt, inquam, gentes in hanc sanctorum hereditatem, quæ in cordis insipientia Deum in Sanctis suis esse non cogitant dum diva templa polluere non formidant. Comederunt Ecclesiarum peculia, & loca desolaverunt ipsarum. Precamur ergo suppliciter nos peculiaris Christi & Ecclesiæ suæ populus, nos grex dominicus, & pascuæ boni pastoris oves, ut tu Deus ultionum Dominus hanc tuam & Ecclesiæ tuæ temporibus nostris ulciscaris injuriam. In conspectu tuo sic gemitus expoliatorum introëat sicque oppressorum clamor ad Sedem tuæ Majestatis ascendat, ut iniquitates istas, quas fidelis populus tuus à gentibus patitur, quæ te non noverunt, provida clementia tuæ propitiationis aboleat, & miseratio tua pietatis abstergat.

Explicit Liber Tertius.

IN-

INCIPIT LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

JAm inter hæc Corradinus unà cum filio Ducis Austriæ quodammodo sibi æquævo cum Theutonicorum manu in Lombardiam de Alamannia venerat; ubi aliquantulum moram trahens, omnium fautorum quondam Manfredi patrui sui tam de Thuscia, quàm de Lombardia recepit tunc, & recepta meditatione diligenter recensuit quondam per literas oblata subsidia. Demum verò, licèt oculo posset meditationis attendere, quòd ad invadendum Regnum, & Gallicos in regno morantes, illorum comitiva Theutonicorum, qui sequebantur eundem, non posset etiam triplicata sufficere, consideravit tamen, quòd Gebellinorum usquequaque subsidiis, quæ tam à civitatibus & locis provinciarum ipsarum, quarum contra Regem Karolum videbatur pariter agi negotium, quàm etiam à personis spiritualibus, quas vel vicinorum invidia, vel temporalium bonorum cupido coarctabat ad arma sumenda, & oblata, & destinata demum fuerant Corradino præfato in uno & eodem exercitu contra Regem ipsum unanimiter animatis, poterat cum Gallicis, qualibet subcumbendi sublata formidine, victoriosè pugnare. Unde contra monitiones, mandata, & inhibitiones tandem expressas Romanæ Sedis Antistitis, cujus anathematis & excommunicationis sententias mente juvenili temerè in hac parte contempsit, Romam quantum potest citiùs venire festinat. Et ut fautoribus & complicibus suis ejus adventum expectantibus celerem motum animi sui promat, plus verbosis literis, plusve præconiis, quàm pedibus movetur in jam deliberata vestigia. Eum enim improbè suggerentium suasiones & stimuli fortiùs ad ultima fatorum judicia impellebant, eumdemque incautum sub delusoria sponsione belli detrahebant ad nubilum tenebrarum, ac sub felicitatis ostentamento futuræ debilem & insanum in medium procellarum fluctuantium adducebant.

CAP. II.

FAma igitur de prædictis ad Corradum Capucium, & Domnum Fredericum, qui adhuc erant apud Tunisium, evolante, statim sub favore illius Regis Tunisii cum ducentis Hispanis, totidem Theutonicis, & quadringentis Thuscis stipendiariis, quos in Tunisio ad Regis ejusdem stipendia commorantes avidos, & spolia Siculorum aliàs hoc expertos temporibus retroactis esse repererant, in duabus navibus, in quas tantùm viginti duos equos induxerunt cum eis, multis tamen sellis & frænis muniti, in Siciliam transfretarunt. Hos quædam terra, quæ vocatur Sciacta, Regalis dominii fide abjurata, primordialiter receptavit; ipsisque à nonnullis Siculis, quos tanquam frequenti susceptione occasionis exilis aversos adhuc spes vana fovebat, grandia exenia præsentantur, per quæ non modicum eorum debilis fortificatur adventus. Corradus igitur Capucius per totam Siciliam spargit literas, & se illustris Regis Corradini Vicarium in Sicilia Generalem literali fictione describit, tales literarum tenores inter alia intimando:

„ Ecce Rex vester citò veniet in celebri „ magnæ potentiæ majestate, in manu potenti „ & brachio excelso nimis. Veniet, inquam, „ verax Dominus, verus Rex, & vera successio ad hæreditatis suæ populum & patri„ monii sui gentem, quam immaniter oppri„ mi à personis exteris & ignotis compatiens, „ de manibus adulterini Regis, qui regni non „ sui possessione possessor violentus abutitur, „ eripere disposuit, & ereptam in antiquis „ felicium progenitorum suorum libertatibus „ confovere.

Hujus sanè Corradi Capucii Nuntios & literas quamplura loca, & nonnullæ personæ devotè recipiunt, & Corradini adventum gratificant & acceptant. Quæ quidem pervertentes illico mentis instabilis voluntates, jam ad Corradini nominis & honoris magnificationem aspirant. Sicque tota Vallis Mazariæ, totaque Vallis Noti, & ferè tota Sicilia, exceptis quibusdam locis insignibus, ut sunt Panormum, Messana, & Syracusia Civitates, dictorum Corradi, & Frederici beneplacitis, saltem nutibus, obtemperare videntur. Cùm quidam Fulco de Podio Ricardi, Provincialis natione, Vicarius tunc in Sicilia Regis Karoli Generalis cerneret Siciliam tam subitò seditiosa machinatione commotam, contra prædictos Corradum, & Domnum Fredericum adhuc in Sciacta propter equorum paucitatem multùm debiles existentes, amicorum & aliorum de contrata, quorum fraudulentæ voluntatis propositum, & dolosi propositi machinatio detegi nondum poterat, exercitum per totam Siciliam congregavit. Verùm contra prædictos multi convenerunt in ipsius Fulconis auxilium: qui violata mente conflictum morantes intenti eum subacta denuo suasione confortant, hac consideratione potissimè, ut ipsum sagaciùs & liberiùs pro voto possint adducere in præcipitium & ruinam, ac eundem & gentem suam in cibum & prædam esurientium hostium præparare. Ex iis profectò quamplures extraneas proditoriè fabricaverunt bannerias, & falsa vexilla, ut descendentibus hostibus ad conflictum, ea in ipsorum hostium auxilium & exterminium reliquorum terga vertentes erigerent, & banneriis ac vexillis erectis, de amicis nova quadam mutatione facta subitò inimici gladios & lanceas converterent in amicos.

CAP. III.

FActum est itaque, quòd dum prælibatus Vicarius prope Sciactam magnum Siculorum exercitum congregasset, illorum potissimè, qui vocati in partibus illis Ferracani contra reliquos appellatos vulgari linguositate Fœtentes videntur fidem Regis Karoli profiteri, jam dicti Corradus & Domnus Fredericus cum equis & equabus, quos & quas invenire tunc poterant in illo modici temporis intervallo, versùs exercitum contra eos adductum, quasi familiares hostes & inimici domestici, ap-

appropinquant. Iis igitur infra ejusdem exercitus ambitum audacter subintrantibus loca castrorum, statim in ipso debili eorum aggressu, nullius tutelâ defensionis adhibitâ, Siculorum agmina fugam simulant & sparguntur, ac Provinciales in escam hostium derelinquunt; ex quibus aliqui erectis falsis & fabricatis hostium ipsorum in ipsa fuga banneriis & vexillis, post ipsam simulatam fugam, cui se videbantur propter impugnantium formidinem commisisse, post comixtionem hinc inde jam factam intrant suorum agmina pedetentim, conversique repentè in arcum pravæ malitiæ, convertunt manus & dimicant contra suos. Vicarius autem se conspiciens sic subitò proditum & dolosè deceptum, dimissis papilionibus & tentoriis, farcitis harnesiis, fugæ non improvidæ petit remedia, nec se voluit discriminoso certamini conscientiâ gravatâ committere, sed se suosque Provinciales à manibus invalescentium hostium eripere studuit fugiendo. Pauci demum ex omnibus lethaliter corruunt, quamquam & interfici & capi potuerint multi tam ex Provincialibus, quàm ex Siculis supradictis. Sed hostes advenæ plus ad spolia, maximè ad capiendos equos, studebant, quàm ad extinguendum morte taliter debellatos. Et quia inter exercituales catervas amicos ab inimicis distinguere non valebant, cùm essent in loco ipsius exercitus pariter confusi & commixti cum aliis, quadam parcentes simulata pietate prostratis, paucos vel nullos ad ultimum interitum adducebant. Verùm ablatis equis, quorum sessores sinè personarum acceptione viriliter excutiebant à sellis ad terram, personas abire liberè permittebant. Replentur igitur advenæ spoliis, & qui res esuriebant resocillantur ad votum, qui erant pauperes fiunt dites, & pedites conscendunt equos ex debellatione sublatos.

Jam nomen Corradini apud Siculos præclarum & celebre divulgatur, ac ipsius & sequacium suorum vires virendo cotidie invalescunt. Discurrunt equitum comestabulæ per montana Siciliæ, & patentes ac parentes devotè sibi terras gloriosè subintrant. Inter famosas sanè Terras ac fortes & utiles, quas dictus Corradus Capucii subegit dominio Corradini, sunt istæ præcipuæ: Agrigentum, Terra-nova, Licata, Notum, Calata scilicet, & Nicosia, Cathania, Augusta, Castrum Sancti Johannis, Conturbium, Placia, & ultimò Lentinum, pro eo quòd Ferracanorum pars se in Turone ac Castro Lentino in aliis partibus perdito receptarunt. Qui tandem Turonem ipsum, quod finaliter defendere non poterant, dimittentes, diu castrum jamdictum contra impugnantes exteros defenderunt. Interdum autem propter machinas & caveas subterraneas, quibus effodiebatur funditus castrum ipsum, aqua perdita cisternali, castrum compulsi sunt reddere, salvis personis & rebus, instantibus inimicis. Iis itaque sic victoriosè agentibus, miserisque Siculis non sinè dubia cordis perplexitate confusis, gravatisque ab amicis & ab inimicis oppressis, meritò intra se nutantibus, cùm non invenirent quibus fiduciosè adhærere possent amicis, nisi quatenus anima peccatrix ad tartara tendens, & patrem sub pietatis specie impium diabolum habens, sub amicitiæ simulatione cruciantes eam reperit dæmones & tortores.

A

B

C

D

E

CAP. IV.

PIsani interea Romam vigintiquatuor galêas præmittunt armatas in subsidium Corradini, quibus Comes Fredericus Lancea præerat Capitaneus institutus. Hæ quidem galêæ nonnullos Regni Barones & exules in regnum devehendos excipiunt; fretaque petentes Cajetam obsident & circumdant, ac damnificant quantum possunt. Multa enim Cajetanorum viridaria devastarunt, & apud Molas præcipuè arbores sinè fine pomificas & fructiferas securibus, bipennibus, & asciis exciderunt. Tandemque in Siciliam remigantes, quam jamferè totam prædicti Corradus Capucius & Domnus Fredericus hostiliter occuparant, apud Milatium primordialiter applicarunt; ibique dictus Comes figens anchoras, rudentibus extensis ad terram, descendit ad aridam, & quamplura Castra in plano Milatii intercepit, & munivit pro velle. Sed quia Comes ipse Corradini se Vicarium appellabat, Corradus Capucius, qui ejusdem Corradini Vicariatus nomen usque tunc gesserat, & Domnus Fredericus etiam, inter quos latens invidia ex sociæ potestatis impatientia bulliebat, dolere vehementer ac invidere cœperunt, & in pugnando tepescere, ac intra se nullis impellentibus aut prævalentibus contra eos, debilitari segniùs & avelli. Cùmque prædictos & gentem ipsorum dictus Comes in sui subsidium peteret adventuros, hac intentione commonitus, ut se cum eo in plano Milatii jungeret, & Messanensem civitatem, ubi Vicarius Regis prædictus cum multis Baronibus Calabriæ & nonnullis Fratribus hospitalis Sancti Johannis Jerosolymitani convenientibus ibi de toto regno Siciliæ, morabatur, per terram variis insultibus invaderent, & per mare, Comitis ejusdem vocationem non attendunt improvidi, & invidi plus, quàm expediat, se cum eo jungere aspernantur.

Interea galêæ de Provincia vigintiduæ Messanam jam veniunt, quarum Dux & Rector est Dominus Robertus de Lavena Juris Civilis Professor; cum quibus Messanenses novem alias galêas armarunt illico, quarum fecerunt Præpositum quemdam Matthæum de Riso civem Messanæ nautam audacem & securum in mari inter omnes alios de civitate prædicta. Sicque dum in auribus militum, qui erant Messanæ pro Rege prædictorum Corradi & Comitis Frederici plurimorum relatibus invidiæ nota jam crebresceret, confortantur Regii contra hostes, aliquali propterea animositate resumpta, qui ferè præ timore facti erant exanimes, dum se perdituros finaliter autumant & perdendos. Propter quod, consilio inito, milites numero fortè septingenti, computatis Provincialibus, Calabris, Messanensibus, & Fratribus prælibatis, de Messana pergunt ad planum Milatii contra Pisanos & Comitem memoratum; cum quibus militibus unâ quasi horâ galêæ Provincialium & Messanensium supradictæ junctæ simul illuc remo trahente festinant.

CAP. V.

CUmque jam utrinque galêæ Pisanorum & Provincialium ac Messanensium per æquora plana de propinquo se cernerent, Pisa-

A Pisani cursu hostes prævenientes audaci galêis obviant prædictorum; & ut meliùs inimicis obsistant, dimicentque securiùs, in altitudine maris supra galêas adversariorum aliquantulum se impellunt. Contra hos Pisanos, qui videbantur jam fugere, galêæ Messanensium fatuè se convertunt. Verùm Pisani galêarum proras dirigentes ad terram per continuum violentumque remorum impulsum, galêis tantùm Messanensium se conjungunt, & ferè illas in ipso lacertorum impulsu confringunt. Messanenses autem credentes, quòd Provinciales in hostes animosos irruerent, quamvis concussi fortiter, se tamen conantur defendere ac resistere sicut possunt. Galêis B autem Provincialium nescio quo vano timore perterritis petentibus altum mare, ac nullis eos insequentibus, ad subsidia fugæ conversis, Messanensium prædicti necessario terga dant hostibus, & quasi naufragi versis puppibus obici terræ velut præcipitio voluntario se committunt. Unde Pisani novem galêas Messanensium personis vacuas, & octodecim in eis tantùm homines abjectæ conditionis & infimæ capiunt. Ex quo tantùm sumunt audaciam, quòd non minùs intrepidè, quàm superbè ad terram cum militibus adversariis pugnam quærunt. Milites autem prædicti attendentes, quòd galêæ Provincialium fugerant, Messanenses verò jam captæ erant, non immeritò tremescunt & dubitant, cùm ipsi tantùm de tota C Regis parte in Sicilia superessent, uno nequaquam alterum expectante, nec suam banneriam subsequente, cursu continuo quasi debellati, Messanensem repetunt civitatem, mortificatis fugiunt artubus, & campum hostibus peditibus & marinariis derelinquunt, plus forsitan de civibus Messanensibus dubitantes, quàm de Pisanis prædictis, qui eos ausu temerario, & non sano insequi pedites præsumebant. Demum Pisanis ipsis cum galêis suis trahentibus usque ad portum civitatis præfatæ galêas sic captas, Messanenses prædicti mentibus interiùs jam corruptis, mutuò sibi invicem loquebantur, disponentes in animo D firmiter militum prædictorum spolia, quorum occasione galêas suas fore perditas occasionaliter prætendebant, magnis ausibus occupare. Sed dum Pisani ex improvidi deliberatione consilii galêas Messanensium pridie captas in medio portus tentant igne succendere, ac eas succensas igne acutissimo & volante unitim impellunt ad terram, ut per hoc naves existentes anchoratas in portu, & domos ligneas in litore fabricatas comburerent, ac demum civitatem ipsam, cujus decor est abietum levigata lignamina & constructa darent faciliùs in combustionem & cibum ignis; exiit subitus rumor in terra, quòd Pisani Messanam student, si possint, incendere, ac quòd se, mu- E lieres, & quæque pretiosa jactassent, de terra ipsa sublaturos ad Pisas; propter quod non solùm mares, sed & mulieres ipsæ, verbo rumoris invalescentis audito, ad portum properè pergunt quadam ferina furia comitati, & naves ac domos inchoant sic viriliter defensare, quòd ex multis & variis Pisanorum contra ipsos Messanenses offendiculis præparatis summo studio non læduntur.

CAP. VI.

Verùm dum multa turpia & obscœna horribiliaque ac læthalia etiam undique per Siciliam peraguntur, dumque tota Calabria usque ad portam Rosseti rebellat, Corradini nomine invocato, Corradinus ipse jam per faciem Summi Pontificis & Dominorum Cardinalium, qui in Tybure residebant, non erubescit cum copiosa Gebellinorum multitudine pertransire. Veniens igitur per Tuscanellam & Vetrallam, Viterbiensem exercitualiter calcando districtum, cum immensa honoris & magnitudinis gloria pomposè ductus est Romam. Priusquam tamen Urbem Corradinus introëat, ejusdem Urbis Populus, qui naturaliter Imperialis existit, adventus Corradini diem constituit celebrem & solemnem; & Domni Henrici Senatoris ordinata persuasione devictus, eidem Corradino extra Urbem adeò munitus occurrit, quòd contra venientem exercitum velle pugnare, ac ei obviare hostiliter potiùs videbatur, quàm pacificè intra terram admittere, seu cum exultationis gaudio introducere, sicut per dictum Populum fuerat ordinatum. Ora tamen quilibet relaxabat in jubilum & in laudem, armata capita herbis & floribus adornantur; milites ad hæc omnes se accinctos similiter stimulantes ad pugnam cum Senatore prædicto distincti more confligentium per cohortes ex tunc extra muros, & in pratis Sancti Petri sub Montemallo cum dicto Populo subsistentes ordinati per acies, singuli novis & festivis tripudiis exultantes, Corradinum venientem expectant. Quòd autem Populus Corradino exiret obviam sic armatus, Senator prædictus non sinè præmeditata astutia ordinarat; Intendebat enim per Populum ipsum militiam Urbis, quantam in Urbe posset ostendere, quòdque universaliter daret credere, quòd Romanos omnes promptos & paratos fidelibus & devotis animis habere Senator ipse poterat contra Regem, ac per hujusmodi ostentamenta pomposa & fallacia Romanorum prædictorum dicto Corradino patefaceret voluntatem. Nihilominus tamen tripudiantium militum agmina vestium pretiosarum diversorumque colorum desuper arma varius habitus distinguebat. Quodque magnum est & auditu mirabile, mulierum choreæ ludentium intra Urbem in cymbalis & tympanis, lituis, & violis, & in omni musicorum genere concinunt. Volentesque suarum pretiosarum rerum abundantiam, quam plerumque sequitur voluptas, ostendere, de domo in domum in oppositum consistentem jactatis ad modum arcus, aut pontis chordis & funibus, vias medias desuper, non lauro vel ramis arboreis, sed caris vestibus, & pellibus variis velaverunt, suspensis ad chordas strophæis, flectis, dextrocheriis, periscelidibus, arbitris, grammatis, armillis, frisiis & diversorum ac pretiosorum annulorum appensione, diadematum etiam & fibularum seu monilium, in quibus gemmæ fulgentissimæ relucebant, bursis fericis, cultris tectis de piancavo samito, bysso, & purpura, cortinis, tovaliis, & linteaminibus contextis auro siricoque per totum, junctis velis & palliis deauratis, quæ doctus opifex citra & ultra mare de diversa & operosa materia caraque texuerat. His igitur ornamentis omnes

ferè Urbis viæ, per quas Corradinus erat vadens ad Capitolium transiturus, taliter adornantur. Nec fuit aliqua illius pompositatis & gloriæ comparatio, quando Romam Regem Karolum venientem universaliter exceperunt. Nunc enim altera partium ejecta erat ab Urbe. Propter quod ab iis, qui remanserant quicquid factum est solemnitatis & lætitiæ die ista & cordis affectu, & ex animi liberalitate seu mera voluntate processit.

CAP. VII.

Ecce jam Corradinus in pratis Ecclesiæ. Ecce venalis gens Urbis, plebs Gebellinica non sine impressione fastuosa & astuoso compulsu ad lora dextrarii Corradini festinat, & quilibet in hoc, ut major appareat, nitens alium prævenire, eumdem Corradinum evestigio pedes dextrare satisfcitur, & eum intra terram conducere satagit, sperans laudis plus aliquid promereri. Ingressus est itaque cum suis pompaticè Caveam civitatem, quæ frequenter libertatis antiquæ pudicitiam violando, actu meretricali verisimiliter prostans adulterandam cuilibet venienti domino impudenter se exhibet, ac ultroneam se exponit; ibique advers's Regem Karolum de tota Italia convenientibus Gebellinis, Corradinus ipse, Domnus Henricus Dux Austriæ, Comes Galvanus, Comes Gerardus de Pisis, Comes Guido de Monte-feretro, Corradus de Antiochia, & capita Gebellinorum Urbis, videlicet Jacobus Neapoleonis, frater & filii Aniballensis, Comes AlKerucius de Sancto Eustachio, Stephanus Normanni, Petrus Romani, Johannes Arlacti, & Surdi omnes, etiam quorum Raulus per Manfredum quondam Comes fuerat factus Cathanensium, necnon & multi milites & Barones Theutonici, Lombardi, Thusci, Romani, & exules Regnicolæ viri famosi, pluresque, quos fama celabat obscura, consilium contra Gallicos inierunt. Sed & juvenilis mens casus incauta futuros prævidere, tamquam familiariter decepta non poterat qualiter ille iniquitatis filius auctor totius sceleris & nequitiæ pseudochristianus Domnus Henricus Senator, immo veriùs prophanator Urbis clam & fraudulenter condita deliberatione proposuerat cum Galvano, & quampluribus Optimatibus fraudulentis, qui hac intentione Corradini sequebantur exercitum, ut Rege Karolo, sicut tenebant firmiter, expugnato, & Gallicis juxta Gebellinorum vana figmenta devictis, infelicem Corradinum, qui per omnem modum tendebat ad interitum, & ad malum, ac Ducem Austriæ cum quibusdam magnis viris de Alamannia comitibus & custodibus dicti Corradini proditoria insultatione perimerent, & tamquam familiares hostes improvisos, miseros, & incautos immaniter adnullarent, sicque prædictis crudeli ausu improvisa peste peremtis, Domnum Henricum prædictum in Siciliæ Regem inungerent, totiusque regni sibi traderent dominatum. Hac igitur machinatione dolosis per totum fabricata propositis habere per Cellas in Regnum Duces exercitus Corradini primum disposuere congressum. Sed antequam rem optatam se obtinuisse lætentur, fiunt in rebus dubiis Barones, & Comites distribuuntur, victoriæ nondum habitæ vel possessæ fit perpetua Comitatuum, & Feudorum concessio, & in sortem propriam quilibet ex Gebellinis gratiam sibi de regni possessionibus pragmate concesso receptam ante horam dinumerat & recenset. Hæc est ambitio cupida, quæ & exorbitat in virtute propria, & perenniter cruciat quemlibet ambientem.

CAP. VIII.

Egreditur jam Urbem plebeja multitudo, ac nonnulli Magnates, & equites alii cum eadem; & per duas dietas, quibus tantus potuit ire conventus, plebs Gebellinica exercitum sequitur Corradini. Sed ex condicto & deliberato inter Duces exercitus majorem partem populi Romani commeat eis datâ licentiâ, iis dumtaxat retentis, qui magis videbantur sub Gebellinicæ devotionis zelo fervere de Magnatibus Urbis. Ii secuti sunt usque ad ultima facta casualia Corradinum. Petrus Romani prædictus, qui pridie Regi Karolo adhærebat, nunc verò opportunitate captata magnæ & apparentis potentiæ Corradini, quæ videbatur usquequaque perpetuò valitura, occasionaliter mutato proposito, ac rupto fidelitatis fœdere, quo se Regi conjunxerat prælibato, ad devotionem fuerat Corradini conversus. Cum hoc quidam AlKerucius de Sancto Eustachio vir animosus, & valde pugnabilis, & Stephanus Alberti, cujus animus nondum bellica fama claruerat, & Domnus Johannes Caporelle vir senex, qui jam armis cedere poterat, & debebat, Domnus Neapoleon filius Domni Jacobi Neapoleonis, Domnus Ricardellus de Aniballensibus, & quidam Petrus natus Domni Johannis Arloti, multique alii milites, & equites cum eisdem voluntariè contra Regem festinant in regnum, quasi Duces & rectores Romuleæ multitudinis popularis. Catervis igitur gentium diversarum nationum cum Corradino convenientibus in Aprutio, exercitus totus hujusmodi castrametati sunt per loca districtus Allæ; ibique de prope Rex prædictus cum exercitu substitit Gallicorum, habens secum Provinciales innumeros, Regnicolas etiam aliquos, & Romanos. Quidam enim miles strenuus, de filiis Ursi, Bartholomæus nomine, ac Anibaldus, qui dicitur Marchio, vir amabilis & studens præ ceteris illis de sua progenie bonitati, regium animosè sequebantur exercitum, & juvabant. Sicque præ multitudine hominum, quæ dinumerari non poterat, continuus & validus in castris clamor aderat hinc inde; qui adeò per cymbalorum tinnitum, & sonitum tympanorum, tubarumque clangorem invalescere denuo nitebantur, quòd voces hominum non patiebantur discerni. Sed omnes omnium voces in aëris suscepta cœlo nova quadam mutatione in extraneum sonum conflati non solùm homines, sed & creaturas cœlestes velut grandia tonitrua reverberationibus inculcatis poterant commovere. Sanè utrinque magna erat aviditas confligendi, & tanta quippe, quòd modò milites, modò pedites manualiter singulari concertatione se jungunt, &, ut ita loquar, frequenter paloctitia faciunt singulariter & confligunt, quòdque quanto magis alter alterum invadendo tentabat, tanto plus crescebat audacia, magisque nitebatur pugnandi voluntas procliva fervescere, & acui animositas alternatim.

CAP.

Digitized by Google

CAP. IX

CONstituit igitur Rex Karolus non sinè magna bellicæ sagacitatis experientia tres militum acies; prima fuit Provincialium, & quorumdam Romanorum, quibus primus est indictus aggressus: secunda Gallicorum quamplurium, qui sub stipendiis militabant: tertia fortassis octingentorum Nobilium strenuorum, qui totum Regis, si expediret, exercitum poterant relevare ruentem. Primæ præerat Jacobus de Gaucelmo, secundæ Regius Marescallus, qui Regis Karoli verisimiliter similabat personam, pro eo quòd ejus receperat coronatoria munimenta, & insignem sedebat sonipedem phaleris, more regio, & coopertur is ornatum; tertiæ, quæ continebat electos, Rex ipse constituerat se ductorem. Prima petit vasta campestria, secunda ordinata collibus curvis insidet, ut succurrat; tertia post colles densis cinctos nemoribus, velut canis catenatus mugitu bovis audito fremescens, adversariorum zelabat aspectum, ut, si videretur expediens, opportunè prodiret in campum, & improvisos adversarios offensaret. Ex adverso Corradinus duas tantùm suorum militum fecit alas, primam quorum militum aciem sequebantur Hispani, qui fuerant cum Domino Henrico profecti, hanc etiam & Lombardi, quorum dux erat Galvanus, & eamdem Thusci sub ducatu Comitis Gerardi de Pisis. Hæ quidem gentes agrestes ex tribus nationibus sic collectæ, densatim turmam in altitudine facientes, dum sese in campis glomerant, constituunt se ipsas inexpugnabiles, & fortissimas ad cujuslibet discriminis proelium sicut murum. Vires enim expertas habebant, & promtos & audaces quasi animos ad pugnandum. Secundus verò exercitus Corradini manipulus de clamorosis in bello Theutonicis congregatis sub nutibus Corradini, Ducis Austriæ, ac quorumdam Baronum de Alamannia solitæ audaciæ moderabatur habenas. Ex prædictis igitur directis ad bella manipulis, non vana resultat credulitatis opinio, quòd si cum illis tribus alis, quas Rex constituerat sæpefatus, sola prima Corradini acies conflixisset, sanguis Gallicus, bello totaliter perdito, humum & herbas desuper faciliter & absque resistentia finaliter madefacere cogebatur. Sed frustra intentatur aliquid invito numine superno.

CAP. X.

DEmum ad hæc cohortibus alternatim ad bella dispositis, & certis signis concertantium moribus habitis hinc inde statutis, tubæ vicissim sonitum dant terribilem, concrepant cymbala, cœlum remugit clamoribus, & terra resonat quasi concussa clamoribus tonitruis. Primæ etenim acies stabilitæ sub prædictis signis camporum spatia repentè corripiunt, & effusi per jugera equites sicut nimbi continuò voces cum viribus efferunt, & limites datos per exercitus Præsides utriusque transilientes, cum furia pugnam usquequaque lacessunt, & dum ex præconcepta furoris iracundia naturalis vim animus excitat, vires ex ira colligunt, quæ illas nonnumquam & in debilibus subministrat. Ex iis ergo aspera pugna surgit; manus enim immiscent manibus, & alterna brachia per aëra jactitant, frequenter auras vacuis ictibus verberantes. Multa inter se vicissim dant vulnera viri compugiles, bellicosi, & aliqua lateribus cavis ingeminant, pectoraque faciunt munita hinc inde sonora. Discunt armatæ genæ frequentibus crepitare sub ictibus, erratque circum aures & tempora crebra & instans percussio fortium bellatorum; ac nunc dextera, nunc sinistra vicissim actus sonoros inculcat, nec nullâ datâ morâ vel requie creber miles alter alterum, nimborum densitatis ad instar, qui cùm ad tecta & culmina defluunt cum grandine concrepant ictibus densatis, impellit & pulsat virosis impulsionibus atque versat. Inde est, quòd ex confligentibus hic de equo ad terram excutitur, & in spisso jacet pulvere convolutus, hic caput in sella ex utraque parte rejactans jamjam sui casum dubiè comminatur. Hujus collapsa cervix pendebat in humeros; alius cruorem evomit ex ore vel naribus defluentem, aliusque cum sanguine dentes mixtos emittit. Alterius ad terram cerebrum, & intestina sparguntur, & dum utrinque fiunt acriores ex pugna, neque aspectis vulneribus deterrentur, nonnulli vitæ spiramina derelinquunt. Sicque cæduntur duces & præsides, ac innumerum sinè nomine vulgus cadit. Et dum Provincialium acies, quorum jam multi corruerant, hostibus terga dedisset, per stipendiarios Gallicos, qui secundam Regii exercitus aciem faciebant, manipulo primo succuritur fugienti. Densatur bellum, & bellantes invicem se perurgent: miscentur sinè discretione compugiles, & solum vocis signum hostes discernit ab hostibus, cùm facta esset hinc inde commixtorum militum una massa. Rex autem de specula collium, quorum summitatem, ut pugnam cerneret, ascendebat & descendebat, dubius intuendo prædicta fremebat dentibus, & mente tremebat, nec dum in campum pugnæ prodire tentabat, vel æquo campo se dare. Sed dum ex mora superbiam colligit, spiritum affectu confligendi fatigat, & asper natura sui concepta verò improbat, castra intuens, absentes arduo cogitatu sæviebat in hostes. Itaque secum ignescente . . . . . . ardens dolore medullitus nondum videt qua ratione tentet aggressum, quamquam suis electis commilitonibus amor in bella ruere unus esset. Considerabat enim adeò adversariorum acies multitudinis robore fore firmas, quòd electorum suorum paucitas hostilium gladiorum illâ horâ non suffecisset ad cibum. Nondum enim suas direxerant intentiones ad spolia, sed adhuc ad pugnandum vivacibus animis intendebant. Hispani adhuc, cùm ad torquendum hostilia lacertos agiles habere dicantur, nonnumquam lacertis adductis in gyrum, vibrando lanceas compellebant hastas ociùs volare per auras, quandoque hostium obviantium transfigentes præcordia fixo scuto. Sicque dum hujusmodi per diversa camporum loca geruntur, omnis multitudo pugnantium frementibus cedit Hispanis, & aliis de prima acie supradicta. Provinciales autem, & globus eorum, quos nequaquam attingere potuit gladius inimicus, fugam quantum poterant celerabant, alii per silvas, aliique per montes, alii ad nota, nonnulli per ignota & devia fugientes, & dum quidam extranea petunt divortia, ii per silentia loca errant; illos nigra salvat horriditas, alios incalcata semita calles devehit per occultos; nonnullos verò per ignotam viarum regionem

pavor

Digitized by Google

Pavor obduxit. Verùm si convertant se aliquantum fugientes, dum densitatem insequentium conspiciunt, retrocedunt frequenter actores vulnerum, propter manuum spissitudinem, non videntes. Fugiens, inquam Jacobus de Gaucelmo Aquilæ substitit, & alii per loca diversa excedentes à castris, tuta capessunt receptacula, si qua possunt, plenaque vasis argenteis, armis, tapetibus, & rebus decoris innumeris tentoria Theutonicis derelinquunt. Omni ergo Corradini exercitu per apertos campos effuso, per castra pavida fama volavit, quòd Primatibus exercitus Regis Karoli una cæde peremtis, Rex ipse Karolus captus erat. Tunc enim Marescalcus suus erat manibus hostium interceptus, qui sub eisdem regiis armaturis eximias...... induebat, quem Corradinus contra honestos mores pugnantium, qui prostratis & captis sibi invicem parcere didicerunt, de Comitum Lombardorum consilio, infra septa castrorum fecit, durante certamine, capite mutilari. Ex quo verisimili fama resultans faciles aures mendacio replevit, immo ut publicum & notorium deferebat, quòd Rex capite fuerat mutilatus. His & aliis vanè replentur castra mendaciis: ingentique cæde peracta Corradini des..... quæsitis spoliis, & tamquam victores spoliis gratulantur & præda.

CAP. XI.

VErùm legione quasi tota Germanorum sub triumpho campis castrametante, staretque hujusmodi concertatione sopita peditum multitudo hastis in medio castrorum & campi longis annixa, quibusdam nihilominus, qui fuerant per plana diffusi, castra repetentibus hostium propter robam, quidam immani corpore miles, nomine Erardus de Valeri latos habens humeros & membra nervis compacta fortissimis, caput in altum extulit circum colles, Regique proloquitur, & electos, quos collium occultabat curvitas, non exclusit; ait enim: *Nunc videndum est nostra si fortis sit dextera, nunc castra sunt inimica petenda; ipsa namque res facti nos ad bella vocat; ad præsens ergo agmina secura hostium invadamus, nam campus nobis hodie triumphantibus remanebit. Nulla discrimina video in pugnando, sed neque in fuga spem vivendi suppono. Tu enim, Rex, hic tot es electis militibus comitatus, quòd dummodo ampla pugnandi trahamur deliberatè cupidine, leve est audere quod placeat. In hostes ergo statim medios irruamus.* Rex verò novo aspiciens hostes tripudio congaudere, suosque partim cæsos, partim extra castra fugatos, nulla suorum signa superesse discernens, quamquam illius militis grata voce confotus, mentis robur sub ambiguitatis tantæ perplexitate reciperet, vultum tamen & ora lacrymis defluentibus irrigabat, voce orans hoc modo submissa: *Deus, sub cujus nomine gens Gallica semper pugnat, non patiaris nunc Gallicos tuos animo deleri, sed exhibe nobis ex his improbis hostibus hanc tantam miraculosè victoriam, ut jugiter, sicut solemus, in tuis possimus laudibus delectari. Sed, o vos præsentis fortunæ comites, sinè quibus nec volo, nec possum nancisci gloriam, habete pro constanti, quod si nos hostes hos agrestes hac vice superare contigerit, & sceptrorum solitis fascibus repotiri, non solùm ad participium laudis & gloriæ conquisitæ, sed in virilem sortem vos recipiam obtentorum.* Tremefacti sunt igitur nutu Regis astantes, & ajunt: *Mori hodie pro justitia regia magnum pretium reputamus. Honorem hunc vita nostra bene emi credimus, si contingat; animos enim habemus pro hac re lucis, si expediat, contemtores. Te Regem usque ad interitum prosequemur. Verùm si quis, quod absit, casus nos præcipitet, rapiat in adversum, te tantùm optamus, cujus est vita dignior, superesse.*

CAP. XII.

COnfestim igitur, jussu Regis, cujus præsentia nimirum comites urgebat electos, concelerant simul invadere jam securos Regemque horrifico fremitu consequuntur. Hic in omnem casum pergens audacior premendo vocem & fremendo vestigiis ad castra currebat adversa, & fulmineum ensem non segnis educens, veluti lupus impastus, cui famis impatientia jubet fauces sanguine cruentare, plena hædis & matribus turbat ovilia, ea parte prosiliit, & aggreditur hostes quà ingens adversariorum globus super recensendis spoliis imminebat. Ruunt & electi cum ipso, ac ingentem molem hostium volvere ac subvertere collectis viribus subnituntur. Cogit ergo Rex socios galeatos in prœlia, & galeis coruscantibus cristata capita simul angit in hostes. Tendunt electi quà densissima hostium coassantium agmina juncta vident. Superbum ad hæc Galvanum, cujus aviditas tantùm ad spolia intendebat, Rex juxta tentoria regalia subsistentem & mirantem varietatem & multitudinem spoliorum adducto ense congreditur; sed quia Rex de casu sinistro denuo metuebat, voce pressa dicebat ad comites: *Vos autem, ne aliqua manus vobis se à tergo possit attollere, custodite.* Latè igitur Corradinides consternuntur, nec tamen electis sufficiunt sæpefatis, eorumque arma revolvuntur & tegmina, & terra madet atro ipsorum sanguine tepefacta. Trunci jacent acephali manante cruore lethaliter singultantes. Ferro gens excinditur scelerata, & transadiit ultra costas. Alterius pectus ad terram tepidum singultibus longis pulsat. Sed dum frustra quidam in excidio fugam tentant, est qui post eos acclamet: *State, Viri; ad quid venistis? quidve in armis estis assumti? quæ fuit causa viæ, & quæ est causa fugæ tam subitæ?* Sed fugientes nihil econtra reddunt; immo celerioris fugæ præsidio se committunt. Relinquunt inviti occupata spolia, & propria non reportant. Fugit & ipse pseudochristianus Henricus, sed frustra tentat in malis fugam; nam licèt pugnâ relictâ fugerit à facie hostium inermis, tamen latitans capitur per quemdam Abbatem Monasterii Sancti Salvatoris prope Reate, quem ipse Abbas tradidit Romanæ Ecclesiæ, quam idem Henricus lacessere vanè studuerat & turbare. Demum tenendus citra mortis periculum Regi Karolo assignatur. Galvanum & filium, Corradum etiam de Antiochia Gallica manus victoriosius apprehendit. Tandem Galvani filius, patre præsente, ac similem sententiam expectante, capite mutilatur, ut filialibus pœnis aspectis, paterna viscera mœroris magis cruciientur angustia, majorique cruciamine comprimantur, parque mors vel sententia expectata sola consideratione paternum animum ma-

magis affligat, magisque terreat & conturbet. Corrado verò de Antiochia post tempus ad magnam Reverendi Patris S. Cajetani Sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconi Cardinalis instantiam, vitæ beneficium indulgetur, & pro excambio Domini Neapoleonis, & Domni Matthæi fratrum Cardinalis prædicti, qui apud castrum Sarrascinesci sub uxoris ejusdem Corradi custodia tenebantur, à Gallica potestate subducitur, & Ecclesiæ Romanæ donatur.

CAP. XIII.

Corradinus infelix, cujus ante annos anni virilis satis cura premebat, ducatu quorumdam de Urbe Nobilium, levis immo rebus quibuslibet vacuus vel evacuatus potiùs & exhaustus unà cum Duce Austriæ, Comite Geraldo de Pisis, & quampluribus suæ gentis Primatibus versùs Romam attonitis sensibus accelerat fugiendo. Ibi enim Comes Guido de Monte-feretro remanserat Vicarius ordinatus. Sic itaque post fugatam partim, partimque cæsam legionem Corradini secundam, nonnulli de prima acie, qui Provinciales & alios de manipulis duobus exercitus regii fuerant insecuti, ad castra miseri redeunt vana cogitatione decepti, nescientes adhuc, quòd campus Gallicis remansisset. Hos enim catervatim non creditam incautè redeuntes ad mortem Gallica manus intercipiebat immaniter, nulli vitæ veniam indulgendo, sed extrema æquando, fata repetentis castra cujuslibet pari pœna & redeuntes quoslibet æquo cruciamine exscindendo. Quosdam verò ex Romanis Achivis, qui nonnunquam delirantibus dominis varia pœnarum inflictione plectuntur, postquam in ferocitatem concitatam sævè Gallicam inciderunt, Rex in signum & memoriale ejus, quòd perversis volubiliter animis, fide abjurata, qua Ecclesiæ tenebantur & sibi, attentaverant temerariè contra eum, fecit obtruncari pedibus. Et tamdem considerans, quòd ex hujusmodi aspectione opprobrii Romani poterant provocari, usus consilio saniori, glomeratos reductosque infra septa cujusdam clausuræ murorum fabrica circumquaque vallatæ incendio tradidit, & igne consumsit. Cœpit igitur de victorioso Regis triumpho fama crebrescere, quæ volando denuo succrescebat. Unde rei veritate Urbis patefacta Magnatibus, & inferioribus etiam referata, Gebellini suos deplorant amissos, cæsosque recensent, qui fuerunt pridie bello peremti. Hos enim præter alios prædictos cara ulteriùs uxoria non expectet affectio, nec thorus ultra repetat conjugalis. Videlicet Stephanum de Alberto, AlKerucium, & Johannem de Caporella, cum quibus in bello sine nomine multitudo peditum Romanorum irrevocabiliter est collapsa. Petrus verò Romani, Romam rediens non incolumis, sed Gallicorum ingentibus ictibus malleatus, per modica vivens tempora, prætextu receptorum munerum & illa occasione, ante fatalem diem mortis morsibus exspiravit. Quidam etiam Cinthius de Cerinis, quem una fides, una perfidia, unaque passio eidem Petro conjunxerat, contusus membra per totum recuperare numquam potuit sanitatem, sed ex eo lucis omnino factus est expers continua valetudine maceratus.

CAP. XIV.

Corradino itaque, cui nullus post devictum à Gallicis bellum remansit amicus, Urbis petente tutamina, Domnus Johannes, & Domnus Pandulfus de Sabello, Domnus Bertholdus, qui tunc de bello redierat, intrant hostiliter Urbem, multis paribus & imparibus sequentibus illos Guelfis, & Gebellinorum trepidantia infestis rumoribus corda turbant contra hostes bella; inter cives verò seditionem studentes ex deliberatione movere, nihilominus tamen Corradinus, qui pridie patenter & pompaticè cum immensa Urbem occurrentis populi gloria introierat, depositâ pompâ potentiæ, non ut Præses, sed ut prædo relictâ prædâ diffugiens, latenter ingreditur mente captus. Sed Gebellinis considerantibus, quòd eorum jam posse concusso, de facili Corradinus poterat Romæ capi, quòdque ibi vires nullas resumere poterat, suasione suorum, quibus nihil de animositatis virtute remanserat, sed nec de viribus quicquam, marina diffugit ad litora, credens pervenire usque Pisas incolumis, ibique aliquibus viribus restaurari. Sed multos sua fallit intentio, & spes quandoque consuevit evanescere præconcepta. Comes namque Gerardus prætatus in Urbe latitans concidit in laqueum, quem timebat. Hunc enim manus Guelfa comprehendit, & tamdem exhibet dicto Regi.

CAP. XV.

Corradinus ad hæc cum Duce Austriæ sibi fortassis æquævo, quos forsitan & æquabat justitia, cum quibusdam etiam aliis Proceribus, quos à belli discrimine una fuga subduxerat, quandam apud Asturam saguntiam, fortuna sibi undique non vetante, conscendit, & vitæ suæ volens experiri residua, remeat versùs Pisas. Verùm dum quilibet de more struit insidias, & parat offendicula debellatis, ac sicut canis grege præposito cervum sagittatum dumtaxat latratibus impetit fugientem, sic nonnulli, qua nescio ducti cupidine, quove spiritu vel affectu, dum non absque dolo student semper victricia signa sequi, ardent potiùs in afflictos ab atrocitate insequentium jam seductos. Inde est, quòd infelices & incauti jam credentes hostium evitare sævitiam, quadam extranea pietate vel impietate potiùs novos inveniunt denuo inimicos. Sicque quidam de Magnatibus Urbis, nomine Johannes de Frangipanis dominus prædicti castri Asturæ, credens non rectè fecisse, quòd Corradinum sic impunè abire liberè permisisset, dum sibi & Regi placere desiderat, à quo magna sperabat pro magnis ausibus obtinere, armat aliam saguntiam, & Corradinum multipliciter fatigatum, multoque metu confectum insequitur, & invadit, capit, & reducit ad terram. Sed heu, inquam, ubique periculum expugnato! vitans enim terrarum discrimina, in vastitate maris foveam reperit, ubi cadat. Johannes itaque prædictus ad terram rediens, nova sicut venator gaudet lætitia, captâ prædâ, sperans, sive tendat ad dexteram, sive ad sinistram declinet, affectatis in omnem eventum repleri muneribus, & pretio propterea magno dotari, sive Regi placitam & perquisitam velit prædam assignare, quam cœperat, seu

seu suæ restituere libertati. Verùm Robertus de Lavena Capitaneus galêarum Provincialium, quæ pridie, sicut vidi, & duraturum testimonium profero perloquendi veritate suasus, satis viriliter fugerant, quoniam ad eumdem Robertum captionem hujusmodi novæ prædæ fama perduxerat, comites galêarum, totumque stolium cogit ad terram, volens saltem per vim, si valeat, ab eodem Johanne subducere, & extorquere concaptos. Ipse verò Johannes, qui nec liberare, nec tradere prædam disposuerat, nisi magna priùs foret mercede dotatus, Corradinum, & alios illaqueatos taliter ab eodem, ut exhibere prædam hujusmodi dicto Roberto cogi, sinè grata & sperata pactione non posset invitus, ad quoddam castrum de prope forte transvexit. Angitur ergo in castris & angustatur obsidione nautarum; ad quam obsidionem fortiùs perurgendam Domnus Jordanus de Tarracena Cardinalis, qui officio Rectoriæ Comitatus Campaniæ per Sedem Apostolicam fungebatur, cum equitum & peditum comitiva convênit. Demum verò dictus Johannes tum pollicitationibus amplis illectus, tum inductionibus terroreque devictus, nec minùs interea morem gerens non propriam restituit prædam venatoribus venantibus prædam suam. Tunc sanè, sicut creditur, dictus Robertus abolevit infamiam, qua de fuga Siciliæ turpiter poterat annotari, tunc maculam infamis annotationis extersit, & regium meruit rehabere favorem, quem aliter credebatur forsitan perdidisse. Excepit ergo captos sæva manus Regis & dira cupîdo, manditque pro voto de venatione quæsita, & pro libito vescitur rebus optatis; ac dum omnes reputat inimicos in ejus potentiam jam conclusos, jubilo confunditur gaudiorum. Ut autem sinè dilationis mora, quæ parit plerumque periculum, faciat Rex de vitulo superstite victimam, Corradinum recognoscentem sæpiùs contra suam matrem Ecclesiam deliquisse, nec minùs contra Regem ipsum vehementer errasse, procuravit per quosdam Ecclesiæ Romanæ Cardinales illuc propterea per Sedem Apostolicam destinatos absolvi, & tamdem vinctum perducit usque Neapolim, ut ibi secundùm Legem eum faciat judicari. Corradinus sanè terrore mutus, & metu nihil audet palàm temerè proloqui, nec secum infelici dolere de casu; sed tantùm pia matris recenset viscera, & futurum in eo gemitum matris deplorat: „ Ha, Ha (inquit) ò genitrix, me missum „ ad tanta pericula, quasi casus filialis præ„ nuntia deplorabas: *O sola mea requies se„ nectutis; ò unica vitæ ulterioris fiducia*, „ *me solam qualiter derelinquis?* O cara ma„ ter; utinam si supersunt aliquæ de avulsa „ felicitate reliquiæ misera miseræ simul san„ di copia traderetur. „ Sed heu infelix ex casu tam gravissimo Corradinus oppressus, motu & sensu penitus destitutus, ejus, quod egerat, illico pœnitens, vultus colore mutato, quasi sentiens sibi vicinæ mortis periculum imminere, dolet se lethiferum recepisse morcellum, quem adhærentem jam gutturi non potuit deglutire.

CAP. XVI.

Rex autem ex generosis civitatibus Terræ-Laboris & Principatus Syndicos duos bonos viros ex qualibet terra pro Corradini sententia Neapolim convocavit, ut non suum, quod acturus erat de Corradino judicium videretur, sed potiùs hominum de contrata. Fortassis enim circa hoc conscientia mordebatur, quòd eum captum de jure non posset ultimo damnare supplicio, qui ejusdem Regis hostis fuerat manifestus. Sed volebat, quòd prædictorum periret judicio & eorum sententia sancirentur, quorum spolia occupare, & temerariè arripere intentarat. Factumque est ita, quòd contra Corradinum, Ducem Austriæ, & Comitem Gerardum de Pisis apud Neapolim mortis est sententia promulgata; ibique in campo fori juxta Eremitarum locum, cujus à sinistris viâ mediâ sunt cœmeteria Judæorum, capitibus obtruncantur. Corradinus, inquam, antequam hujus mortis calice potaretur, existens juxta passionis locum damnatus, dum sæva moraretur in manu lictoris, non voce querula . . . . sed ad cœlum jungebat palmas, mortemque inevitabilem patienter exspectans, suum Domino spiritum commendabat; nec divertebat caput, sed exhibebat se quasi victimam & cæsoris truces ictus in patientia expectabat. Juvenili ergo sanguine in poculo crudelitatis absorto, ad terram dejicitur pueritia, & perdita est juventus. Insignes trunci jacent exanimes & dilapsæ cervices & capita sinè voce. Madet terra pulchro cruore diffuso, tabetque juvenili sanguine cruentata, jacent veluti flos purpureus improvida falce succisus. Decori artus acephali non tumulantur, sed humantur corpora sic obtruncata. Lapidum cumulus objicitur loco tumuli, cujus eminentia usque hodie subterratorum ostendit cuilibet sepulturam. Quamquam habet opinio plurimorum, quòd Fratres illius loci vel ex devotione, vel pietate materna ducti, seu prece pretiove commoti, ossa Corradini clandestinò exhumaverunt, matri miserabili destinarunt. Posteritas igitur Frederici, cujus æmula quasi fuit transgressio genitoris, tamquam succedens criminibus avitis, evanuit, nullo de suo satellitio superstite remanente. Infecerat enim suæ propagationis rivulos Frederici dira contagione nequitia, & in traducem generationis suæ materiam sceleris originale traduxerat, & exquisitæ malitiæ incentivum. Pereunt aquilæ pulli, & eorum pullulatio, locusque confidentiæ perenniter desolatur. Radix non generat ulteriùs Frederici, nec serpens ulteriùs sibilat, nec absorbet suæ commentationis effectum, nec vitiosa cupidus frendet ampliùs detentione possessor. Arbor hujusmodi non facit plus surculos, neque floret, nec fructus producit ulteriùs valituros. Ruit irreparabiliter domus, & machina toto convellitur, ejusque successio suæ perennis desolationis incommoda perenniter deplorabit.

CAP. XVII.

Post consummationem multi laboris & utilis, post devictos & triumphatos Ecclesiæ inimicos, ascita Regis prosperitas apud Neapolim sedentis in suæ solio Majestatis fulgoribus undique victoriæ glorioso, ipsius fidelitatis devotione totum jam relucente per regnum, novis victoriis, novis ac gratis successionibus est adaucta; Urbis enim statim recuperat sinè grandi fatigatione Senatum, & in Senatorem victoriosus assumtus, Senatoria titu-

Digitized by Google

titulum ceteris suarum dignitatum inscriptionibus aggregat & conscribit. Verùm inter alia æquitatis opera, hoc suis principio temporibus actum fuit, quòd cùm inibi adeò latronum audacia pullulasset, adeò manus invalescerent denuo præsumtrices, quòd & Romipetas, & quoslibet etiam viatores audendi taliter nequiret sibi præsumtâ licentiâ latronica securitas deprædaret, & dormientium quieta silentia, qui exercitiis fatigati diurnis somno jam cœperant sepulti quiescere, avida eorum anxietas perturbaret, & non solùm confringere ostiorum repagula nocturno tempore molirentur, sed tectorum ad interiora domus aditum intentarent, latrunculos hujusmodi provida Regis justitia, quam rectitudinis manus tunc in statera libræ gestabat appensam, sic compescere studuit, sicque pœnâ mediâ castigare, quòd plusquam ducenta frusta funium suspensorum in superiori ligno patibuli anni revoluto circulo sunt comperta. Sic ubi res taliter agitur, & felicitati regiæ totus Orbis applaudit; nonnulli Barones de Calabria, quorum rebellionis error obduxerat, cùm jam non possent fidelium de contrata validæ instantiæ repugnare, nec squamas vellent ab oculis abjicere cœcitatis, nec ad regiæ lucem fidei de sui erroris nubilo redire curarent, apud quoddam castrum in Apulia, quod Gallipolis dicitur, ea intentione præmoniti, ut, quando vellent, valerent in Romaniam, cujus montes castrum illud respicit, convolare, pro suarum personarum tutamine se receptant; quos demum dura obsidione fidelium circumseptos, & tandem sicut lupus in subterranea cavea captos puteus ille judicii & interitus, qui consuevit alios absorbere consimiles, ad se traxit, & illorum cuique numero XXIV. mortis supplicium intulit & ingessit. Hinc est, quòd geminatur ubilibet subditorum fidelitas, & dum ubique per regnum quilibet nititur per fidelitatis officia, concusso rebellantium capite, complacere, ultro se contra nondum reversos ad fidem parat, & in eos, quos modica infidelitatis infamia fortè notabat, usurpabat sibi gladii potestatem; quo imprudenter assumto vel præsumto potiùs, quilibet habens vel resumens jam potentiam aliqualem abuti non metuit, sed hos absque prolatione sententiæ damnat & perdit, illos exorbat, alios mutilat motu propriæ voluntatis, quosdam spoliat, quosdam revendit. & fugat audax præsumtio plurimorum, omnesque sibi jus in propria causa dicunt, & bona fugientium & cæsorum quasi licenter occupant, & usque hodie nonnulli taliter ita detinent occupata. Proinde Majestas regia diu quondam & varia infidelium persecutione jactata, considerans, quòd ad laudem trahi non poterat vindicta mediocrium & minorum, tum pietatis remedio, tum indulgentiæ beneficio & lenitate jussionum revocat ad se, si valeat, usquequaque rebelles; ac volens dignitatis suæ potentiam parêre humanitati & justitiæ, non dolori, ne odiorum livor edax, qui totam contratam sedula corrosione vastabat, luxuriaret ulteriùs insolenter; subjectos, quos spontaneos poterat sinè bellico labore subigere, ad misericordiæ gratiam admittebat. Contra eos verò, qui erroris in cœcitate contumaciter & voluntariè persistentes, corruptæ mentis experiri conabantur proclivem ad pejora prioribus voluntatem, quosque non poterat benignitatis mansuetudine cohibere, taliter suæ magnificentiæ resistebat, objectu, quòd rebellium obstinata protervia, & furor ferventium animorum denuo in suis cautibus tundebantur.

CAP. XVIII.

Destinat Regalis providentia Capitaneum in Siciliam quemdam Guillelmum dictum Standardum, cum electa comitiva equitum Gallicorum. Talem enim exigebat prælatum Siculorum docta nequitia, quibus jam inest à natura rebellio & facilitas querelarum. Hic enim Guillelmus vir erat sanguinis, miles atrox, pugil ferox, sævusque pugnator, contra infideles regios omni crudelitate crudelior, & totius pietatis & misericordiæ vilipensor; cœpitque hiante gula, velut lethifer hydrus lacus ranarum Siciliæ circuire. Sed etsi meritò infidelium sanguinem sitiebat, nonnullos tamen immeritos vel non demeritos sinè discretione sexus & ætatis ultimo immaniter supplicio comprimebat. Postquam sanè in Sicilia dictus Guillelmus multitudinem fidelium adunavit, Augustam quondam Cæsaris civitatem, quam inter Cathaniam & Syracusiam juxta maris litus instructam undique aquæ marinæ angustat circuitus, ea parte dum obsidionem perurget, qua per modicum terræ spatium patet aditus ipsi Terræ. ubi castrum quoddam intercidit aditum ipsum, adeò quòd ad Terram ipsam accedi non potest, juxta muros ejusdem castri, vel per postem seu pusterulam partis posterioris ejus, per quam ad castrum ipsum quis ingreditur, & ad Terram. Hanc quidem civitatem plus quàm mille bonis viris incolis habitatam ducenti equites Thusci, ex iis, qui cum Domno Frederico & Corrado Capucio de Tunisio venerant, pervigili custodia conservabant. Verùm quidam ex Majoribus Terræ prædictæ, qui se infra ejusdem castri, quod jam expugnabatur ab exteris, munimenta reduxerant, dolosæ fraudis excogitantes commentum, quo vitam suam, multorumque possent mortibus sub grata pactione redimere, cùm foris vastaret eos gladius, intus timor, tractatum de aperienda hostibus pusterula supradicta, & de concedendo eis per castrum ipsum liberum ad Terram ingressum cum exteris habuere. Recepta igitur firma de personarum salute, ac rerum conservatione ab hostibus sponsione, Thuscis & aliis miseris ignorantibus, sex majores de recollectis in castro, in castrum ipsum aliquos animosos de exercitu exterorum, reserata pusterulâ, introducunt, illisque animosis taliter introductis, singuli de castro, & omnes alii infra terram, qui arma sumserant, vel poterant se armare, proditione hujusmodi jam detecta, per diversoria terræ diffugiunt, & fugientes per vicos Terræ cum grandine disperguntur, latitant armis depositis sub stillicidiis, in foveis, & cisternis. Frequenter tamen nonnulli, cùm omnibus jam deessent terrarum omnino remedia, quæ non poterant aliter petere, nisi per medios hostiles gladios pertransirent, maris præcipitia intentabant. Sed frustra, dum latitant, vitæ quærunt sub quadam prorogatione diffugia; nam in omnem eventum erant necessariò morte crudelissima perituri. Nihilominus tamen ibi se quilibet in fugam præcipitat, ubi casus levior apparebat. Aggreditur ergo castrum, & Terram, dato totaliter aditu, totus exercitus, & Standardus. Hi, in-

inquam, tamquam leo furens, qui feritate præconcepta superbiat, prævisam ardens in prædam, postquam eam sævis ungulis tenet, anxiè laniat & trucidat, totam discurrentes fremendo per Terram, omnes, quos in biviis, aut quadriviis, vel in domibus inveniunt se palantes, seu nondum etiam latitantes, sinè qualibet pietate dilacerant & extinguunt. Cumque majori parte incolarum, ut præmittitur, latitante, paucos obviam gladius Gallicus inveniret, Gallici non aliter quàm canes ad cervos odoratibus eruditi latitantes, hauriunt sicut aquas homines ex cisternis, & de foveis sicut granum; hosque compertos ad locum judicii, ubi supra ripam maris sæva lictoris manus ense lato & curto singulos adductos contingere non pavescit, binos, ternos, senos, & quandoque denos, nullos vestitos vestibus, sed tantùm propria indutos coria, vel potiùs quemlibet sua pelle coopertum, secundùm occurrentium numerum, conducebant, quos prompta lictoris atrocitas unatim adducto gladio comprimebat. Et si quando uno ictu caput non statim labitur à cervice, immanis lictoris audacia caput recipit cum sinistra collapsum, cum dextra verò latum cultrum accipiens & acutum, tandiu nervos secat & corium non incisum, donec avulso capite à cervice fiunt à corpore duo frusta. Caput & truncum acris lictoris jactus super ripam ipsam in arenam maris dejicit & acervat. Sed æquitatis ad hæc & rectitudinis dignum audite judicium. Quando dictos sex viros, qui pro comparanda patriæ salute tot excidia concivium proditoriè procurarant, quasi procurati amaritudinis calicis prærogativa donatos, gladiatoris ensis, cujus aciem inibi nondum rubigo sanguinis macularat, vivos excipit & excidit, ac restituit obtruncatos, sicque una die sub eodem carnifice pereunt cum proditis proditores: sicque pereat omnis ille, qui fraude vel dolo prodere nititur patriam & concives. Æstuat, inquam, lictor in cæde tot immanibus ictibus fatigatus; sed nondum cæde peracta, tribus stomachum æstuantem magnis potibus humectavit. Non remansit in Terra vir, quia omnes Terræ incolas & Thuscos prædictos unus ejusdem lictoris gladius interemit, exceptis quibusdam, quos una sagittina XXIV. remorum ereptos ab hostium gladiis vivos excepit. Tandem cùm multorum confluentia gravaretur, nec molem posset fugientium reportare, illos Neptuno & piscium agminibus commendavit. Quæ autem mors reputari possit immanior & pestilentior, aut gratior vel acceptior, aut quam hostium infert sævitia, vel quam maris habet improvisa turbatio, scilicet, ut loquar breviùs, mori sub gladio, vel sub aquis, non mecum sed cum aliis disceptate legentes. Ego vanis frequenter utrique vicinus, & expertus utriusque pericula per ejus gratiæ misericordiam, quæ qui cuncta creata conservat, usque nunc per discrimina multa infelicitatis evasi. Augusta itaque ubique angustatur angustia, ut non ulteriùs ab augendo, vel à Cæsare Augusto, sed ab iis, quibus angustata est angustiis nomen trahat. Hæc Naim usque hodie caris habitatoribus desolata, ne tamen locus fertilis & amœnus omnino redderetur incultus, & inutilis Regi suo, rehabitari cœpit ab antiquis inquilinis.

CAP. XIX.

Augusta in viduitatis vestibus lugubre commorante in vastitate mœsta, tantorumque mortes deplorante concivium, Standardus prædictus ex præterita cæde superbus, de modo felicis successus elatus, versùs castrum Conturbii, quod frequenter propter inhabitantium inconstantiam & volubilem voluntatem rebellionis contra quemlibet Regem Siciliæ calcaneum erigens, jam pluries decorem habitationis amisit, cum toto exercitu memorato anxius ad ulteriora festinat. In dicto namque castro Corradus Capucius, certus jam de interitu Corradini, cum quatuor Thuscorum Comestabulis, & aliquibus Theutonicis propter loci fortitudinem, qui nec aggressu, nec obsidione faciliter expugnari poterat, se reduxit. Quo quidem valida hominum instantia, seu densis sepibus angustato per girum, cùm jam interiores obsessi de omni succursu & subsidio desperassent, nec haberent vires perdito capite de cetero valituras, Comestabuli Thuscorum, & duodecim majores castri de prodendo Corrado prædicto, & tradendo Gallicorum judicio machinationis fraudem invicem cogitarunt, ac conspirationis inter se fœdere roborato, tractatum cum Standardo pro personarum suarum salute, quarum nullam misericordiam exspectabant, si eos aliter manus Gallica comprehendisset, sæpefato Corrado inscio per dies aliquos tenuerunt. Demum quibusdam pactis, quibus nonnumquam fides infringitur vel pollicita non servantur, hinc inde vallatis, prædicti conspiratores ad porticum Ecclesiæ, ubi memoratus Corradus pro eo stupefactus animo & corpore morabatur, quòd jam omnimodam certitudinem de conspiratione receperat, & machinatæ præsagia proditionis habebat, ac casum gravem imminere sibi ex judiciis autumabat, succincti gladiis accesserunt. Verùm Corradus prædictus antequam sui conspiratores in eum manus injicerent, videns eorum mutatas facies quibus mos est præconceptum crimen pandere vultibus, dum iidem conspiratores vellent eum quibusdam verbis excusationis in peccatis excusandæ perungere, & tyndiacæ palliationis frustra propinatum abolere venenum, non passus eos præloqui, surgens ait: *O socii, ò Domini, verbis, ut video, non est opus ultra. Scio quid in me cogitaveritis, scio quid estis acturi. Unum oro, quòd si pro exhibitione personæ meæ tantùm omnes potestis evadere, & de personarum vestrarum, & rerum salute promissa cautum est vobis, ecce in mortem statim ibo libentiùs. Sed debetis firmiter credere, & tenere, quòd si ego dux & caput excidio peream, vos sinè dubio peribitis unà mecum, nec vos fides promissa tutabitur, nec servabuntur vobis stipulatæ fœdera pactionis, sed rupto libello polliciti, experta fraus Gallica cetera violabit. Nescitis, quoniam ii, quibus favere multiplicium triumphorum fortuna jam cœpit, cùm denuo expectent ulterioris incrementa victoriæ, sive dolo, sive fraude, cum possint amplis seducunt pollicitationibus inimicos. Non enim refert, quocumque modo suum ex hostibus habere quis possit intentum. Vestris ergo cautè providete compendiis; & si ita est, quòd omnino credatis mihi mortuo supervivere, ac propter unius mortem salutem redimere plurimo-*

rimorum, iterum dico, de persona mea ordinate quod placeat, & de me vestros exequimini cogitatus. Illi ad hæc: *Domine, licèt nos tædeat, inevitabile tamen est quod sumus acturi. Vobis autem displicere non debet, si per quamcumque viam salutis nostræ remedia procuramus. Forsitan & vos ipsi salvi eritis, Domino favente, quia Standardus multa nobis cum benignitate promisit, si absque labore sui exercitus nos suis beneplacitis supponamus. Equitetis ergo, si placet, & cum humilitate ad eum nobiscum descendite, nec de ejus gratia desperetis*. Considerans igitur dictus Corradus, quòd sic eum pati necessariò oporteret, & attendens quòd omnes stipendiarii sui, pro quibus similiter inita pacta erant, mentis & jurisjurandi religione violata, intendebant ad Comestabulos, & ad alios factionis actores, adductum sibi roncinum metu hebes ascendit, & mutus incedit, & ad tentorium Standardi, veluti quando bos unicus eligitur de toto grege mactandus, & cum ipso grege ad macellum, qui aliàs solus non accederet comminatus, sic idem Corradus adducitur non ligatus. Hujus itaque oculos statim Standardus absque ullo judicio mandavit evelli, evulsisque oculis, Cathaniæ in altis præter morem furcis juxta litus maris solitarius alligatus, dimisit in aëre vitam suam. In signum autem ejus, quòd fuerat militiæ cingulo decoratus, scutum suum splendescens coloribus fulgorosis vitri perlucentis ad instar suspenditur cum eodem. Martinus quoque & Jacobus Capucii milites fratres ejusdem Corradi pulchritudine ac statura decori apud Neapolim viâ Capuanâ eodem supplicio per Regis sententiam perierunt. Sicque illos unus uterus, una fides & passio verè fecit esse germanos. Cùmque inter hæc Domnus Fredericus, qui unus ex principalibus impetitoribus Siciliæ tum supererat, nondum tamen expurgatâ Siciliâ tribulis Hispanorum, cautelosè sibi & suis providens apud Agrigentum ea intentione, relictis Terris, quæ sibi adhuc respondebant sinè munimine & custodia personarum, cum omnibus Hispanis, & superstitibus Theutonicis confugisset, ut, cùm vellet, posset per mare fugere in Tunisium, unde venerat, Standardus prædictus non sinè Regis conniventia cum eo habuit absque ulla suæ gentis fatigatione tractatum. Ultimò inter eos ventum est ad hanc pactorum concordiam, quòd Domno Frederico prædicto una de pacto tantùm galêa conceditur, & donatæ sunt sibi ducentæ unciæ pro expensis. Sed istas forsitan uncias pro equis receperat, quos de pacto ipso dimisit, & cum iis rebus, quas potuit asportare, assumtis sibi Theutonicis & Hispanis, in ejus nomine, cui præstabat obsequia, in Tunisium remeavit. Tandemque Regis Hispaniæ fratris sui damnatus judicio, morte crudelissima expiravit; tendebat enim vita sua semper ad malum, & ideo fuit ejus, malis eum insequentibus, malus finis.

CAP. XX.

SEd dum undique grata Regi felici prosperitate luxuriant, & civitates & loca nonnulla, totamque Siciliam motus spontaneus ad devotionem regiam absque bellico labore convertit, Regina Neapoli cursum naturæ consummavit, & terminum dierum suorum attingens debitum humanitatis exsolvit, & utriusque sexus decora prole relicta, in majori Neapolitana Ecclesia tumulatur. Ex filiabus sanè suis una tradita est filio Comitis Flandriæ in uxorem; secunda demum Philippo nato Imperatoris Constantinopolitani matrimonio copulatur. Cùmque nobilium Gallicorum sint mores, quòd unica contenti non suæ pudicitiam non intentant, nec se utplurimum cum aliis mulieribus dehonestant, statim Rex prædictus, quamquam de cara consorte nuper conjugali deperdita tanquam in carnis abscissione doleret, considerans tamen quòd Regina dies ejus in fœcundæ sobolis propagatione compleverit, & vitam in sobolis fœcunditate dimiserat, funerum uxoris oblitus per Nuntios firmat cum Duce Burgundiæ parentelam, & de filia Ducis regio copulanda conjugio fœdera per literas invicem roborantur; quam prædictus Burgundiæ Dux, multis in subsidium Regis associatus equitibus, postmodum Regi personaliter transduxit in regnum. Interea Sanctissimus Pater Dominus Clemens Papa IV. cujus favor & gratia omnibus actibus Regem Karolum tutabatur, apud Viterbium vitæ chirographo resignato, creditum naturæ reddidit, quod mutuo receperat ab eadem. Sub istius sanè tempore creverunt facta Regis denuo sub triumphis; & eo victoriæ palmam ex hostibus Ecclesiæ feliciter consecuto, fuerunt ejus primordia prospera, secunda; finis variis & innumeris felicitatibus usque ad multa tempora gloriosus. Eoque sublato de medio, qui Regis negotia prosequebatur affectione paterna, cùm adhuc nidus & cavea Sarracenorum Luceria in rebellione persisteret, ac totam ferè Apuliam subitis & improvisis cursibus molestaret, Rex prædictus demum personaliter civitatem ipsam obsidione circumsepsit, & angustat; & obsidione firmata, tot aggressibus, tot instrumentorum generibus, totque impugnatoriis machinis tamdiu, tam dirè, & tam durè Sarracenos coërcuit & restrinxit, quòd eorum majori parti victus & ferè vita defecerat. Sicque dum multi ad colligendum herbas frequenter, quibus sicut bestiæ pascebantur, exirent, nonnullos, qui præ jejuniorum & famis squallore jam hebetes infra Terræ ambitum se non poterant pedibus præpetibus recepture, trucidabant insidiæ Gallicorum, nonnullos etiam, ut eos pro servis venderent conservabant. Verùm dum aliquando occisorum viscera studiosè invadentium manus immaniter rimarentur, plena tantùm herbis reperiebant corporum intestina. Tandem cùm pauci juxta consuetum numerum, quem docta manus exercitus cotidie defalcabat, infra civitatis ejusdem mœnia remansissent, & iis extantibus victualium rerum & personarum etiam non crescerent, sed deficerent semper exfortia, qui supererant per vim & metum, qui satis potest constantes afficere, se omnimodis Regis beneplacitis commiserunt. Mittitur postmodum Vicarius in Siciliam Domnus Philippus de Monte-forti, homo bellicosus, & statura placibilis. Adhuc enim eo in Siciliam properante, Comes Fredericus Lancea germanus quondam Galvani castrum Sali, quod est in Calabria, situ fortissimum contra fideles regios defendebat, quod demum multitudine fidelium exacta obsidionis instantia circumseptum Comes prædictus fidelibus regiis sub pactis restituit & dimisit, & ad mare incolumis de pacto conductus in Romaniam postmodum transfretavit.

Explicit Liber Quartus.

INCIPIT LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

A Medio verò tempore, cùm nondum esset Ecclesiæ Romanæ de Pastore provisum, Ludovicus Rex Francorum, vir inclytus, dotatus bonitatibus multis à Deo, Regum candela fidelium, signo ab olim vivificæ Crucis assumto, collectis Christianorum undique viribus, generale in Terræ-Sanctæ subsidium passagium stabilivit. Hic namque pro tuitione & exaltatione Fidei, pro conservatione obedientiæ Sedis Apostolicæ, quæ persecutionibus, Deo volente, non imminuitur, sed augetur, paratus semper ad acerrima sustinenda pericula, potentiam suam terra marique distendens, alias barbaras nationes Fidelibus odiosas impetere consuevit. B Nunc autem idem Rex, quem solum Dominus pro Ecclesiæ suæ custodia collocaverat ad inimicos Crucis denuo se convertens, geminatis viribus & multitudine Fidelium congregata, pro libertate illius Terræ-Sanctæ, quam Redemtor humani generis propriis calcavit pedibus, pro redemtione quoque Sepulcri, ubi fuit Redemtor ipse reconditus, mari se cum navigio copioso commisit: qui dum freta circuit classibus Fidelium numerosis, & cœptum iter principio secundo concelerat, exercitu toto felici dato navigio, vota multitudinis versùs Orientalem plagam, ubi Terra-Sancta caninis manibus ancillata comprimitur, C suspirabant. Sed contra omnium vota, contra cœptorum facta, perverso numine versùs Meridionalem axem fatigat exequi votum suum. Sicque Fideles inviti tendentes ad Arabes, non ad Indos, cum cœptum superandi consilium potestas nulla conceditur, illius dispositione, cujus nutu res eunt, fatis fatigantur adversis & procellosis fluctibus feriuntur. Collecti tamen undique apud Tunisium coëunt; ibique cœpto Marte frustra fatigantur & bello. Dum enim multa circa hæc dementia eorum animi erant capti, non sentientes primas vires mutatas, nec advertentes perversa jam fore numina contra ipsos, nec cedentes numinibus provocatis, accensos insano Martis amore, cùm nullam possent prosperam ex laboribus deferre fortunam, animos fatigabant. Fama igitur D Regi Karolo deferente, quòd classis Regis Franciæ, totusque Cruce-signatorum exercitus jam in Tunisium tota convenerat, quòdque prope Tunisium castrametati fuerant Christiani, Rex ipse Karolus solutis moræ vinculis, cum moderato numero galearum, non qualem Regem fortè decebat, sed qualem illa imminens necessitas ac festinantia requirebat, illuc alis præpetibus convolavit. Res enim agebatur sua, ejusque prætextu, seu eo suggerente vel dante causam, Rex Franciæ tantum Christianorum exercitum contra Barbaros & Arabes compulerat sub tanto discrimine laborare. Rex quidem Tunisii propter proximam rebellionem Siciliæ multis mortibus consopitam, quemdam annuum redditum sive censum, quem Regi Siciliæ pro censu exhibet annuatim, ut victualia in Tunisium liberè comportentur, & mare Siculum remigare licitè valeant Arabes, quando volunt, quòdque Barbari per Siculos piraticis non vexentur insidiis, Regi Karolo per tres annos subtrahens denegabat. Ideoque Rex Karolus affectans visitare ac visere partes illas, & hærentem profundæ caveæ colubrum virtute aliena convellere, tantum exercitum coire Tunisium sagaci studio procuravit. Verùm dum Gallici frustra invito numine confidunt totis cotidie campis densantes agmina clypeata, & armis populos instruentes instant cotidie assiduè, ac cum Infidelibus bellum ducunt, sæpe certatim Tunisii muros circumstant. Sed canina progenies, nescio numine quo favente, velut pelagi rupes immotæ resistentiam adhibent undequaque, Cùmque omnia superna dispositione regantur, & Regis æterni cetera beneplacitis obsecundent, Ludovicus prædictus Catholicæ Legis amator, propagator Fidei, custos Fidelium, & defensor Ecclesiasticæ libertatis, peccatis non suis forsitan exigentibus, in quo, secundùm quod potest circa hoc humana fragilitas contemplari, vix peccati labes fecerat stationem, soluto interea vitæ fœdere, datoque Mundi pompis libello repudii, de valle miseriæ ad cœlestem patriam transmigravit. Per talem quidem obitum culpam ejus, qui tantorum sancta proposita fecerat, & pia vota suspenderat plurimorum, Omnipotens misericors Dominus forsitan abolevit, pro votorum irritatione pœnam inferens temporalem, expiavit æternam, ut ulteriùs propterea spiritualiter non plectatur, ut pœna temporalis hujusmodi pro tantæ transgressionis incuria gravior inferretur, & nec culpa nec pœna traducatur ad posteros, sed perenniter expietur, quidam ex filiis ejusdem Ludovici nimis properè cruda morte devictus fuit, intempestivè paterna funera subsecutus. Nec minùs cum eo nonnulli Procerum & Magnatum, ignotæ quoque multitudinis animæ infinitæ morus impellente violentia naturalis, propria corpora frigida dimiserunt.

CAP. II.

Extantibus ergo duobus liberis ex Ludovico prædicto, videlicet Philippo primogenito, qui patri successerat in onere & honore, ac Petro Comite Alansonis, Rege Karolo cum eisdem ceterisque Primatibus exercitus cum Rege Tunisii in amicitiam coëuntibus, & fœdera jungentibus similiter pacis, Cruce-signatorum exercitus dispendiosè dissolvitur, & facit rimulas & scissuras turris tantæ fortitudinis Christianorum columnâ concussâ, ex auro bibit Arabico qui sitivit, & venundatis Fidelium laboribus, ac opprobriosè distractis, turba multa, quæ dinumerari non poterat, præparata juxta litus navigia repetens, Ponto proris exhibitis cum Karolo & Philippo litoribus applicuere Siciliæ remeando. Verùm Odoardus Rex Angliæ volens adimplere quod voverat, & Terræ-sanctæ spe frustratæ totius succursus & auxilii subvenire, quamquam venerit juxta Trapanum, sua tamen tantùm classica, quæ de periculo evaserat recollecta, ad Acconensem civitatem, quæ Christianorum fota sub-

subsidio in illis partibus sola respirat in Fide, remigio tuto festinat. Sed ut pro tantæ saltem damnosæ prævaricationis assensu aliquid de pœna juxta culpæ modulum potissaret, apud Trapanum, quando in Siciliam vênit, maris naufragio penè periit ex procella. Sed eo propter vicinitatem terræ personam è naufragio educente, omnibus ferè tum naufragio facto rebus, multi de conserva seu de caterva sua, confectis abietibus, & cottis apertis, æquoris inundationum concussionibus perierunt, pro eo videlicet forsitan, quòd excessu exigente culparum, autumnus asperæ hyemi jam vicinus eos ibidem introcluserat Austro flante.

CAP. III.

PHilippo itaque, qui post patris obitum jam fuerat magnificentiæ Regalis titulis decoratus, exercitui dissoluto & disperso præstante, tota gens de Sicilia petit citra fretando. Sed instante hyeme, uxor ipsius Philippi filia Regis Aragonum, quæ licèt vir suus non esset inunctus, Regina tamen Franciæ dici poterat, volens sub Marturanensi civitate superexcrescentem pluvialibus imbribus fluvium utero gravido pertransire, præsumta quadam virili audacia pereundi, equo corruit procumbente de sella; prævia tum multitudine militum occurrente submersa non extitit, sed propter metum casus offensa lethaliter, & in ipso casu confracta, læsusque fuit uterus, antequam perveniret ad lucem, & offensus graviter partus nondum à maternis visceribus segregatus. Ajunt enim partum fuisse semestrem, & ideo genitricis alvum à conceptionis hora semestri tempore laborantem ex casu graviùs fore læsum. Quapropter Cusentiam semiviva traducitur, ubi tandem masculino abortivit in partu. Nam viro cum multitudine suorum Procerum convalescentiam ejus sibi studiosiùs expectante vel mortem, Regina ipsa demum persolvit quod à natura receperat post abortum, & cum partu, quem à maternis visceribus casus violentia secuerat non completum, in majori tumulatur Ecclesia Cusentina. Ossa tamen elixa priùs & qualibet carnositate mundata more majorum in Franciam, relictis in tumulo putribilibus, quæ servando servari non poterant, demandantur. Fit sibi sepultura perpulchra digna memoria, materiæ ac artis concertatione glorifica; & ad serviendum Altari continuè, juxta quod est hujusmodi regalis sepultura constructa, ordinatur perpetuus Capellanus, centumque uncias auri dictus Francorum Dominus pro emendis possessionibus, de quarum usufructu possit idem vivere Capellanus Cusentino Capitulo elargitur. Transiens post hæc Philippus prædictus per Romanam Ecclesiam, quæ adhuc erat in viduitatis solitudine constituta, gressus in Franciam properat, ut Francorum corda Ludovici obitu forsitan alterata confoveat, & sacram Regis recipiat unctionem.

CAP. IV.

JAm requie data certa laboribus, Rex Karolus bellorum cura nequaquam, sicut videbatur, ulteriùs fluctuans, cùm jam infinito coacervato thesauro, & pretiosis quibusque compositis, cotidie cerneret Regales redditus ampliari; ut filios militiæ unda renasceret cogitavit, & ramum verisimiliter olivæ paciferæ manu gestans, & viam studens subjectis variis laboribus aperire Regali mandat edicto, ut Officiales ubique per regnum merita causarum in statera justitiæ metiantur; & exhibens singulis gratum sermonis exenium, & dulce verborum omnibus blandimentum, quasi modò regni coronam acceperit eminentioribus contextam titulis dignitatum, se totum in alveum sanctæ meditationis includit. Æstuantibus ergo regiis ad digna præcordiis, & flagrantibus votis ad justa, dum omnia quodam jucunditatis applausu secum felicitatis auspicia sortirentur, ex nobilioribus totius regni deligit juventutem, cui subserviat aptitudo militiæ, & quæ dignè possit cum filiis honore tantæ militiæ decorari. Sicque apud Neapolim celebrandæ per totum regnum de tantæ solemnitatis indicto, & multâ propterea pecuniâ recollectâ, quam in militiis & conjugiis filiorum Regum, Regeque movente bella contribuere consueverunt Regnicolæ, in apertis campis juxta Monasterium Sancti Petri ad Aram fit apparatus solemnis, qualem decet dominum triumphantem. Ambitus enim ampli spatii circularis murorum vallatur sepibus & structuris, fiuntque diversa spectacula circumquaque, variæque sedes & stationes in gyrum dignitates distinguentes & sexum, & in statu magnificentiæ suæ quemlibet annotantes. Convenientibus igitur ad novam tripudiorum lætitiam ceteris regni Nobilibus, per multos dies militiæ tempus gaudia festiva percurrunt, multæque vigiliæ non in jejuniis, sed in parilitate solatii, præveniunt diem festum, & eum anticipata solemnia solemnizant. Rex autem magnificentiæ corona sublimis, aureo verò diademate coronatus, ad throni fastigium, ad apicem excellentis dignitatis assumtus, sublimiora spectacula insidebat, qui omnem joculatorum aspectum in jubilatione transcurrens ad singulos respicit, & officiosa notat obsequia singulorum. Et dum stat super tribunalia Comitum, super fastigia Nobilium & Baronum propter magnificentiæ titulos solemniùs collocatus, sedet aliunde à dextris suis Regina in vestitu deaurato circumamicta varietatibus; & non solùm maritatæ sed virgines, quas simulabant gemmata serta Reginæ, in speculam Regis quandoque adducuntur in lætitia & exultatione post eam. Frequenter enim disposita processione psallentium in medio campi & circuitus, tota suo jure Curia præcedente, Rex, Reginaque sequuntur cum multis agminibus, quas vestes tegebant splendidæ ac diversis coloribus radiosæ. Cum nobilissima etiam & præclara familia Rex ipse nonnumquam psallentibus festivus occurrit. Exeunt in campum nunc Proceres, nunc Barones, & æquati euntes numero Regem canunt, totaque obviat multitudo distincta gemmis & auro, purpura & bysso suscipiunt indumenta. Nonnulli sanè Nobiles singulis diebus solemnitatis hujus exuunt vestes, quas ceperunt, histrionibus donatas, aut relictis exuviis in ipso tripudii strepitu mag s pretiosa denuo sumunt & nova mutatoria indumenta. Sicque redimitus uterque sexus occurrit, per joculatorum quoque varia obsequia cantus ubique concrepant, modulantur & organa; ibi lituus, cletaria, & viola, omniumque genera musicorum hymnum concinunt triumphalem, & cujuscumque cetilis officium jubilationis cantica

tica modulatur. Verùm dum omnium jucunditatis & lætitiæ specie totus ambitus murorum applaudit, quorum intrinseca facies nihilominus sericis pannis erat operta per vicissitudinem graduum omnium, si fuisses, mirareris incessum. Hæc sunt vexilla victoriæ, insignia titulorum, & gloriæ certitudo, quorum abyssu Rex Reginaque adeò velabantur, quòd ipsa tripudii magnitudo Regem & Reginam cantus movebat in vocem, sibi invicem complaudentes. Celebrantur ergo dies in jubilo, & sumtuosi defluunt gaudiorum, ac quicquid potest gaudii mens discreta conjicere, totum hic cogitet, totum hic arbitretur impendi. Cingitur demum militiæ cingulo post tyrocinii lavacrum Karolus, velut annis majusculus, priùs cum centum juvenibus subsequentibus. Karolo quidem tamquam decoro & excrescenti filio, qui cùm esset elegantioris formæ juvenis, ad tenendum fuerat locum patris ascitus. Rex prædictus principatum Salerni, extra fraternæ sortis funiculos peculiari liberalitate concessit. Qui cùm crevisset in annos, mansuetudinis & innocentiæ bonum de fontis puritate conservans, mentis juvenilis hospitium virtutum denuo studuit familiaritate replere. Nutrivit animum rebus honestis, & fœcundatus est adeò bonitatibus, quòd ejus dotes virtutum claudi sub numero nescìverunt.

CAP. V.

UT autem Regiæ propaginis funiculus extendatur in ævum & sua crescat in ramos propagatio successura, filiam Regis Hungariæ Principis connubio Rex conjungit, & in thorum procurat filialem adduci. Sicque Princeps & filia Regis Hungariæ individuis nexibus connectuntur, cùm vix egregius sanguis in Orbe tunc esset, qui non eumdem ex derivatione . . . . . . linea contingeret aliquali. Igitur Reges absentes hac de causa se invicem honore præveniunt, & gratis hinc inde sibi muneribus blandiuntur: Regique Hungariæ, qui bellorum sollicitudine premebatur, aliquando Rex Siciliæ propterea militum subsidia destinavit.

CAP. VI.

VErùm Ecclesia Romana nondum suæ viduitatis consolata gemitibus, cùm sua quisque regat diverso flamina tractu, quin lanient Mundum, tanta est discordia Fratrum, dum metuit velut navis in pelago sinè remige, quamvis aura tranquillitatis aspiret, constituit Regem Karolum Vicarium Imperii in Thuscia generalem. Hic nempe sedatis cujuslibet amaritudinis fluctibus, regnoque disposito in statu summæ tranquillitatis & pacis, ad reprimendos Gebellinos Thusciæ nondum domitos, sed contra partem Ecclesiæ plus solito superbos suæ sedulitatis vota direxit. Gebellini namque in Thuscia Monachorum adinstar Abbate carentium, capite perdito, extra suos limites crassabantur, & evagantes sinè correctore per Thusciam adhuc extranea conventicula faciebant. In tota enim Thuscia civitas Lucana sola supererat, ubi erat fortior pars Guelforum. In aliis verò locis adeò invaluerat Gebellinitatis gibbus, adeò iniquitas abundarat, quòd Gebellini denuo in expectatione novi temporis exardentes, nunc ingeniosa virtutum, seu vitiorum potiùs assiduitate non modicarum coacervatione virium, nunc dolo vel fraude sub pacis & treguæ specie perquisitis, totam Thusciam malorum operum crepitantibus flammis igne consumtionis bellicæ subvertere nitebantur. Verùm inexcrutabile Divinæ justitiæ libramentum Ecclesiam suam non patiens radicitus omnino convelli, sed disponens eam taliter, quòd semper radices contrahat in temporis amaritudine firmiores, Ecclesiæ athletam & Fidei pugilem destinavit: misit Karolum sicut fulmen, qui montes constructos ad demoliendam Ecclesiam, & gigantes etiàm constructores cum viris Ecclesiasticis bella moventes unâ horâ fulminet & subvertat. Rex ergo Karolus copiosam ex suis eligens comitivam, Principe in regno Vicario tamquam primogenito & herede dimisso, Romam primò repetens, rupem Tarpejam, & Capitolii saxa victoriosus ascendit; fungensque vice Senatus quasdam contra Gebellinos Urbis dignas ultiones illatas gratificatione regia comprobavit. Jacobus namque Neapoleon dux & magister Gebellinorum sub favore Domni Henrici quamdam fortericiam in Campodeflore construxerat, quæ *Arpacata* vulgari eloquio vocabatur. Hanc quidem fortericiam turrificatam circualiter per ejusdem Regis Vicarium Guelfi Urbis dirui funditus procurarunt. Quædam etiam turres, quas Petrus Romani in capite pontium Judæorum, & trans Tyberim pro fortificatione Insulæ Lycaoniæ fecerat, similiter ejusdem Vicarii sententia, Guelfis sibi assistentibus, corruerunt. His & aliis modis multæ Gebellinis fuerunt illatæ jacturæ, quas Regis providentia conniventibus oculis pertransivit. Sed volens statum Urbis post Gebellinorum verbera tranquillare, cùm de more faciat pactum post verbera stolidus, Gebellinos ipsos sub pactis ad mandata recepit, & eis de regia benignitate pepercit. Tunc etiam consideratione Reverendi Patris Domini R. Sancti Angeli Diaconi Cardinalis, quemdam Ricardellum militem civem Romanum nepotem Cardinalis ejusdem, qui tempore dispendiosæ viduitatis Ecclesiæ castrum Ariani, quod est Sedis Apostolicæ, occuparat, & sub castro illo in nemore famoso Algiarii multos jugulaverat Gallicos, & per quosdam suos latrunculos, quos fovebat, fecerat jugulari, suis parentem omnino mandatis regia mansuetudo recepit.

CAP. VII.

AT demum Rex prædictus ad Gebellinos Thusciæ se convertens, corda partis ejusdem adeò in ejus terrefecit accessu, adeò Guelforum animos roboravit, ut antequam Rex fines attingeret Thusciæ, Guelfi de Florentia de adventu Regis propinquo securi, animorum fortitudinem assumentes, resumtis contra Gebellinos viribus, eos ejecerunt à Terra, & per totam quasi Diœcesim fugaverunt. Tandem Regi sub vexillo Ecclesiæ in Thuscia Vicariæ aggredienti officium tota ferè Thuscia tamquam Vicario Imperii se submisit. Pisana etiam civitas, quæ per trigintasex annos & ampliùs inobediens, & indevota Ecclesiæ Romanæ perstiterat, & in infidelitatis devio & cæcitatis errore per tempora multa duraverat, coacta quodammodo rediit ad Ecclesiæ unitatem, ac tandem Ecclesiæ Romanæ beneplacitis

A tis se subjiciens, quamdam societatis confoederationem cum Rege prædicto variis pactorum vallatam fœderibus, & solemnibus stipulationibus compromissam. Pacem verò seu treugam cum Lucensibus, quibus post Regis triumphum fortuna contra Pisanos jam triumphaliter arridere cœperat, celebravit. Venatore interea Sanctæ Romanæ Ecclesiæ per saltus & nemora Thusciæ inobedientium vestigia passibus agrestibus insequente, nonnulli Gebellini de diversis partibus Thusciæ, quos Delphinus noster Imperii mare famelicis faucibus gulaque hiante discurrens velut agmina piscium ex diversis vadis in unam coëuntia massam, fugitivos & pavidos coëgerat glomerari, in castro Podii-Bonizi, tamquam in vase firmo sua B receptacula firmaverunt. Qui cùm propter castri fortitudinem, necnon & propter Senensium favorem, quibus castrum ipsum vicinum existit, nidum Gebellinitatis ibi componere studuissent, palliare suæ superstitionis errores, si Rex Karolus in Thuscia moraretur, sub temporis expectatione credebant. Contra hos itaque sic collectos Rex prædictus, ut totius Gebellinitatis finaliter bellantia vasa retunderet, quòdque castrum ipsum fiat ultimum talis generis præcipitium & vorago, nec fictitiæ superstitionis caligo suis ulteriùs tenebrescat erroribus, totius partis Guelfæ, Lucensium scilicet, Florentinorum, & aliorum de Thuscia nomen Ecclesiæ profitentium exercitum C innumerabilem coacervat. Obsidione sanè hujusmodi per sex menses & ampliùs continuè non sinè sumtuosis laboribus perdurante, cùm jam illius castri populus stolidus rerum victualium penuria premeretur, nec expectaret aliunde subventum præter alias sponsiones & pacta, de pacto, quod satis habitatoribus loci, qui non poterant ulteriùs se tueri, potuit esse grata montis illius habitatio, in habitantium pœnam facta est omnino deserta & podium suis civibus desolativum; fuitque edicto perpetuo stabilitum, quòd in colle illius podii, qui quanto mons se eminentem erigebat in tumulum, tanto in vanum tumorem supercilii vehebantur, resumere quoquo modo habitationes D in ipso podio, perpetuò non valerent, sed sub montis collibus & in plano novum pro se & successoribus suis facerent incolatum. Igitur Rex prædictus Gebellinis usquequaque devictis & dura recipientibus fræna maxillis, totum Italiæ regnum in Ecclesiæ redegit imperium, & Sedis Apostolicæ districtioni submisit.

CAP. VIII.

PLuribus ergo temporum curriculis evolutis, Divina potentia, quæ suis incircumscripta finibus omnem intellectum transcendit humanum, volens perituri Mundi quæ præcurrerant mala devincere, hac sedavit Fratrum unitate discordiam, quòd quemdam, nomine tunc Theobaldum Leodiensem Archidiaconum, qui ultra mare in Terræ-sanctæ favorem peregrinus accesserat, & cum Domino Odoardo inibi morabatur, ad Summi Apostolatus apicem, ad Sanctitatis fastigium, Beatitudinis solium, dicti Fratres per electionem concordem unanimiter evocarunt. Hic namque singularitate virtutum & spiritualibus vitæ stipendiis Deo militans, nomen ex re complevit, ut ex officio nominis sequeretur titulus dignitatis: Ex theo namque Græcè, Latinè Deus, & baldus, quod sequitur, prodit interpretatio gloriosa, ut videlicet Theobaldus dicatur ex sanctæ voluntatis fragrantia Deo datus, vel ad Dei servitium dedicatus. Ecclesiam enim Dei, contra quam denuo tyrannidis novo satellitio ex humana fragilitate pugnatur, & extraneis vexata stimulis semper invenit contra quos pugnet, in multis laudabilibus beneficiis restauravit. Quæ cùm propter Pastoris diuturnum defectum Divinis quodammodo extenuata doctrinis, necnon & propter cognatam humanæ imbecillitati malitiam in suis concussa parietibus vacillaret, dum Sanctus de terra sanctitatis advenit, quem devota Fidelium desideria suspirabant, ex hostibus occultis & patentibus feliciter triumphavit. Sub ejus namque tempore, qui fuit non sinè Dei ministerio Gregorius X. nuncupatus, idest gregis Dominici Rex & Pastor, sæcula ferè facta sunt aurea, latèque per universum Orbem Fidei religio coruscavit. In eo sanè, qui tamquam nitidus puritatis rivulus de fonte sordium primi parentis arida Mundi climata rigaturus advênit, quamdiu in Apostolatu vixit, nihil torpens otiositas vindicavit, nihil suo tempore inanitas curiosa præsumsit. Hujus etiam Patris Sanctissimi favor Regi prælibato non defuit, sed semper affuit gratiosus. Nam cùm innitéretur nimium strenuitati regiæ, Lugdunum accedens, ubi Concilium generale, in quo Papa malorum consilia multa solus poterat prævenire, maximè pro succursu Terræ-Sanctæ, per universum Orbem Christianitatis indixerat, totam Regiæ providentiæ commisit Italiam, & sub ejus directione dimisit, ut impleret totum sibi commissum Vicariatus officium, sicut priùs.

Explicit Liber Quintus.

IN-

INCIPIT LIBER SEXTUS.

CAPUT PRIMUM.

CUm autem inter hæc crederetur, quòd Regi, qui ferro tot dierum millibus dimicarat, totum sui desiderii pondus circa reparationem regni, & suorum fidelium immineret, illudque in libra utilitatis appenderet, armisque deinceps justitiæ concertaret, ac sedatis fluctibus subjectorum, sub juris tramitibus in pace conquiesceret, duo secum bella durissima & inexpugnabilia inchoavit. Ex quorum altero, cùm non sit tam sanæ mentis aliquis, aut adquisitæ probitatis, quem tenebræ cœcæ cupidinis non confundant, se suis non contentans assisiis, factus est cupiditate promta, & in extorquendi promtitudine cupidus & avarus. Sicque affectu thesaurizandi forsitan ardens, manus ad exactiones illapsat, & flagore concupiscentiæ inexplicabilis necessariò tyrannizat. Habet enim hoc secum illa sitis hydropica, illa famis abysfus, ut quanto plus bibat, tanto ampliùs stomachus insatiabiliter æstuet ad bibendum. Quid enim non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Ex altero verò, dum quadam permissiva licentia, seu licentiosa permissione Gallicorum opera Officialium maximè, quæ pro eo, quod tot simul bellorum fuerant experti discrimina, sub dissimulatione transibat, correctionis adhibitæ moderamine non mordebat, quamquam nonnunquam deferret accusatio querula veritatem, torpore negligentiæ premitur, & crassa supinaque lentitudinis circa hæc ignorantia diffamatur. Jam tota sedulitate vis & violentia refertur impunè Regnicolis; & dum sola vis quæque litigia terminat, parum pacis expectata tranquillitas videtur à proxima bellica confusione distare. Verùm cùm in ipsis initiis sit subditorum comprimendus excessus, ne fœda imitatio quasi turpis scabies paulatim reliquos comprehendat, iste triumphans ex hostibus, nec in ipso tantæ corruptionis initio, neque medio, neque fine, Gallicorum mentes jam omni cessante adversitate dementes debitarum illatione pœnarum aliquatenus coërcebat, & ne præsumtionis antiquæ corruptio regnum iterata fœdaret, varios & non æquos excessus officialium non compressit. Igitur dum totum anxiè sollicitudo subripit sumptuosa, totumque curiosa vexat anxietas, bonæ spei clauditur aditus, & desudantium querela satisfactionis compensatione non tollitur, sed malis cotidie ingravescentibus augmentatur. Cùmque de jurata promissione totius regni reparatio deberetur, & crederetur firmiter, quòd prodesset, si quando quis meritorum suorum cuneis inter tot angustias triumpharet, labores omnium regius sibi vendicat potentatus. Super possessionis suæ titulo etiam antiquus possessor impetitur, & cuilibet interrumpitur extranea vexatione possessio, quantavis præscriptione longi temporis & justo titulo sit vallata. Ex hoc enim secutum est gravamen arduum & nefandum, quòd vix baroniam seu feudum aliquod diversorum inquisitorum pertransivit oblivio, quòd non semel aut bis & ter aliquando merces extorta redemerit possidentis. Rex enim & Gallici, quos fortassis illorum de regno malitia blandiebat, quibus quotiens de commodis agebatur aures faciles & ad mala dociles commodabant, omnium ubique felicitate repleti, nullam sibi viam difficilem esse credebant, nullum aditum intervallo, vel obstaculo iter interclusum, totum astruebant suis accrevisse laboribus, totumque proprium reputabant quicquid alii possidebant. Auferunt ergo pro voto quæ volunt, & quæ nolunt dimittunt.

CAP. II.

IPsæ quoque Ecclesiæ, præter omnia, quæ Clericis & eorum familiis, ac Ecclesiarum vassallis nova cotidie novæ exactionis adinventio imponebat, sub servitutis insolitæ calcaribus angustatæ magnam rerum jacturam temporalium lamentantur, quasi non minùs illas conterat impressio dominii urgentis eas ad onera insueta, quàm olim filios Israël inclementia presserat Pharaonis: Verùm ut de persona Regis, qui tanquam à communi lege viventium meritorum eminentia sequestratus per colles totius rectitudinis & justitiæ finaliter incedebat, vanè non inficiatur auditus, nec de ipso aliquid fœtidum credi possit, nisi quatenus Regnicolarum quorundam pravis consiliis, qui denuo coram ipso prava Officialium opera defendebant, ex multo voluntatis hærebat lubrico, & fructus contemplatione futuri talium Consiliariorum consilia sequebatur, nova contra Terras Ecclesiæ interdicti, & excommunicationis species per ipsos Regios Consiliarios est inventa, hæc videlicet, ut in portibus Terrarum Ecclesiasticarum Regni nullum applicet lignum, nullaque barcha, vel vas marinum aliud oneretur: horumque portuum auxiliaria litora censuit odiosa districtio in sua solitudine remanere deserta & inapplicabilia navigantibus ordinavit. Pacensis, Cathaniensis, & Cephaludensis Ecclesiæ quibus in Sicilia jura portuum civitatum ipsarum ex privilegio competunt felicium Augustorum, necnon & quibus civitates ipsæ temporaliter & spiritualiter sunt subjectæ, spe fructus dictorum portuum sunt privatæ. Cusentina etiam in Calabria, & nonnullæ aliæ, quæ habent castra aliqua juxta mare, seu in litore maris navigabilis, eisdem dominantis gravaminibus & jacturis similibus opprimuntur. Nec potest tam pravi consilii deliberatio excusari ex eo, quòd interdictum hujusmodi fuisse dicitur generale, cùm sit similiter ardentium par incendiorum & malorum ardentium similiter incendia non ad imparia judicentur. Magistros quoque juratos, qui malefitiis præsunt sanguinis in terris Ecclesiarum usque ad ultimam desolationem affecit.

CAP. III.

AD exponenda ergo in pleno Concilio hæc & alia gravamina quamvis plures Prælati regni animositatis promtitudine viderentur ardere, illos tamen pejorum consideratio, quibus affici postmodum metuere poterant, compescebat, eligentes potiùs mutis labiis fustibus

bus increpari, & oppressionis virga mente silentiosa contundi, quàm gladiis trucibus lingua murmurante perire. Verùm, ut taceatur de laicis, quorum nullus tantæ audebat delationis inferre clamorem, inter ceteros regni Prælatos, quos premebat similis morbi moles, Marinus Capuanus Archiepiscopus vir facundissimus & elegantis sermonis, fœcundus scientia, & hominum mores expertus, quædam capitula, in quibus singulariter omnia Regnicolarum exprimebantur gravamina, summaria eliciens, magis præjudicialia recollegit, & tandem ea in plena concione Concilii Lugduni voce querula propalavit. Quibus solemniter nunciatis, quamquam audientium horresceret animus, & mentalis obstupesceret intellectus, nullum tamen successit propterea lenimentum, nec adhibitum fuit remedium competens, nec morbo crescenti obviavit opportunæ repressio medicinæ. Fuit tamen pro reparatione tam gravis excessus de mandato Domini Gregorii ordinatum, quòd duo ex Prælatis regni soluto Concilio redeuntes in regnum, Regem super corrigendis oppressionibus, quas continebant capitula supradicta, requirerent & monerent. Obsuit tamen & regni negotio nimium absentia Domini M. (*) Salernitani Archiepiscopi, qui temporibus istis, postquam deliberaverat ad Concilium properare, vocatus, eo videlicet animo, ut oppressiones regni singulas firma voce depromeret, ac regni statum ipsius instanter peteret reformari, ultimum amaritudinis diem clausit. Tunc audita est vox ploratus, & ululatus multus. Salernitana enim Ecclesia voce turturea laniata clamabat: *Quò progrederis pater, quò Sacerdos Sancte properas, à dilectis regni filiis ulteriùs non videndus? pater mi, pater mi Regnicolarum currus, & Prælatorum auriga. Quid facient oppressi Regnicolæ, quid Ecclesiæ ancillatæ, quæ fortem perdiderunt pugilem & athletam securum, cujus industria, cujus animositate servitutes indebitæ, oppressiones insolitæ, angariæ, & parangariæ insuetæ, quæ viduis & maritatis regni, Ecclesiis ac personis Ecclesiasticis irremediabiliter infliguntur, in conspectu tanti Concilii providè fuissent per te propositæ ac expressæ robustè?*

CAP. IV.

Sanè Dominus Gregorius Papa ad Concilium Ecclesiæ Lugdunum properando, Regem Karolum in Thuscia super regni gravaminibus affectu patris alloquitur in hæc verba. „ Super oppressione multiplici, & innumeris „ novitatibus, fili carissime, quibus sub tuo „ felici dominio Regnicolas opprimi fama cla„ mat, validus frequenter clamor perculit au„ res nostras. Profectò credidimus per te illa „ debitis restaurationibus emendari, statum„ que illius regni brachio tuo commissi prom„ ptè in melius reformari. Revoces igitur pro „ Deo talia, quæ Regi pio non congruunt, „ sed potiùs regiam celsitudinem dehone„ stant, ita quòd tua grandis adeò felicitas „ adaugeat, non minuat subditis libertatem. Ad hæc, inquam, cùm regium Rex non fecisset in hac parte responsum, cujus animus videbatur ad ulteriora proclivior, dictus Dominus Gregorius subdidit: „ Veniet, veniet illa

A „ dies, qua super te tuosque filios & heredes „ tyrannus innopinatus adveniet. Rex autem ad Papam mente provocata quodammodo, spirituque turbato tunc replicat: *nescio quid sit tyrannus; Scio tamen, quòd ille Deus, qui semitas cœptas pedumque meorum sumpta vestigia hucusque direxit, velut auxiliator in posterum mecum erit*. Post hæc cùm Rex prædictus quasdam naves Hospitalariorum & Templariorum oneratas frumento in Sicilia & transfretare paratas fecisset exonerari, frumentaque deponi, pro eo videlicet, quòd præter jura fondicaria & duanæ pro extractiva cujuslibet Salinæ perpetuo edicto statuerat unum Augustalem aureum Fisco Regio componendum,
B quem Augustalem dicti Fratres, cùm contra eorum immunitatem & Regni libertatem ac consuetudinem peteretur immo extorqueretur exactè, contendebant Secretis Regiis exhibere; fama de iis ad Dominum Gregorium Lugdunum usque perrexit, quasi Rex prædictus Terræ-Sanctæ quam idem Dominus Gregorius Apostolico zelo puraque mentis intentione fovebat, auxiliaria victualium subsidia, quibus plurimùm indiget, impediret. Propter quod conscientia mala gravatus, considerans, quòd paterna & caritativa monita non possent pænes Regem Karolum in revocatione tantarum novitatum adinventarum in Regno proficere, doctrinam in hoc Evangelicam servans, Regi
C Franciæ Philippo præsenti hæc voce lugubri mœstaque mente denuntiat dicens, quòd significatio prædictorum, sua & fratrum suorum, si vera sunt, lædit viscera, nimirum cùm statum illius Terræ-Sanctæ Christi sanguine consecratæ jaculo verisimilis læsionis offendat. Quare rogat & mandat, ut Rex Franciæ dicto Regi Siciliæ hujusmodi præmissa significet, ac quicquid in hac parte responderit, ad notitiam Sedis Apostolicæ perferat, quæ circa talia intendebat apponere consilii remedium opportuni. Præterea super eo, quòd Græci Nuntios ad Concilium miserant, per quos se velle redire ad unitatem Ecclesiæ, ac commutatis in melius ritibus unionem cùm gente Latina fa-
D cere astruebant, Pater Apostolicus similiter Regem Franciæ consuluit memoratum, dicens, quòd Græcis ad mandata Ecclesiæ redire volentibus, & parêre, non videbatur gremium debere Apostolicæ Sedis claudi, sed recipiendi erant, ut prima facie videbatur, ad misericordiam Romanæ Ecclesiæ gratiosè, ut de cetero juxta Evangelica vaticinia unus in Mundo sit Pastor, erroris cujuslibet abdicata caligine, unumque ovile Fidei orthodoxæ. Sed nescio quis, Deus scit, qui novit occulta, tantam Græcorum & Latinorum paratæ ac petitæ uni-
E tatis concordiam zizania damnosæ dissolutionis infecit, & fermento malitiæ ac excogitatæ nequitiæ impedivit.

Ad ligandum sanè Prælatorum alas, decurtandumque volatus, ac Clericorum passus novis constitutionibus compescendos, & per consequens jurisdictionem Sedis Apostolicæ ampliandam, ut quæ cuncta potest, cuncta operetur immediatè, qui viderit aut videre poterit, & sola totaque sit in omnibus peragendis, quæ mater est & magistra omnium, quamplures decretales seu decreta vel sanctiones pœnales valituras perpetuò promulgavit. Pro subsidio autem Terræ-Sanctæ prædictæ, ut de red-

(*) *Lege* Matthæi. *Baluzius*.

redditibus Ecclesiasticis generalis passagii sumtus abundè ac liberaliter fieri valeant, decima sex annorum universaliter de omnibus Ecclesiarum proventibus edicitur colligenda in toto Orbe terrarum, & demum collectores per singulas provincias statuuntur.

CAP. V.

Concilio igitur dissoluto, de quo nulla, vel modica universitatis fructuositas est progressa, nisi quatenus Sedes Apostolica devotionem confluentium ad Synodum generalem, & evocatorum obedientiam est experta, Dominus Gregorius redit in Italiam, Romam festinans, immo ad passagium celeri festinantia devotè suspirans. Sed quia non sunt in homine viæ ejus, immo Deus tantùm, qui moderatur vota, & dirigit gressus humanos, dictus Dominus Gregorius apud civitatem Aretinam squallore itineris fatigatus adveniens, moleque propterea tandem morbi febrilis arreptus, viam omnis carnis ingreditur, nomenque sanctitatis apud homines indelebile promeretur. Huic autem celeri provisione substituitur in honore Dominus Frater Petrus de Burgundia Episcopus Ostiensis, qui mutato Petri vocabulo, cujus adeò plenitudinem potestatis assumserat, Innocentius V. voluit nominari. Hic volens Episcopatum suum visitationis debitæ præsentia honorare, sedique propriæ reverenter & devotè sua visitatione deferre, abjectâ morâ Romam itinere continuato se dirigit. Tempore autem Domini Innocentii V. Rex Karolus Regnum Hierosolymitanum ex concessione cujusdam domicellæ, quæ filia J. quondam Regis Hierusalem dicebatur & heres, sive pretio, sive amore, aut permutatione, seu compensatione alicujus excambii est adeptus, Regemque se Hierusalem & Siciliæ postmodum titulavit. Infra sex autem menses Dominus Innocentius apud Lateranense Palatium Romæ fatalibus devictus viribus, diffinitivâ mortis sententiâ resignato vitæ chirographo, cessit Mundo.

CAP. VI.

Cum prædictus Dominus Gregorius Papa bonæ memoriæ attendens gravia dictæ Sedis dispendia, & probrosam infamiam, quæ propter vacationem diutinam Sedis ejusdem, quam vota contraria Cardinalium & in electione Summi Pontificis omnino divisa trahebant, universali proveniebat Ecclesiæ, quamdam constitutionem contra Cardinalium duritiem edidisset, per quam Rectoribus civitatum & locorum, in quorum districtibus Summum Pontificem obire contingeret, reducendi Cardinales ipsos sub unius clausuræ conclavi, & eos certo modo ad electionem celerem compescendi, plenam ex rationibus tradiderat potestatem, Rex prædictus, qui erat tunc Urbis Senator ad vitam, Cardinales prædictos in palatio Lateranensi prædicto adeò coartavit, quòd contra voluntatem & repugnantiam majoris & sanioris partis Collegii obturatis quibuslibet foraminibus, muratisque fenestris altissimis, per quas solùm animal pennatum, apertis remanentibus, ingredi poterat ad conclusos, multa & dura fecit personaliter instans coërtionis & coactionis operibus, per quæ nonnullos ex ipsis Cardinalibus provocavit, & se suspectum eis reddidit & pariter odiosum. Credensque per coërctionem hujusmodi habere Summum Pontificem forsitan sicut vellet, non incedens per viam regiam, sinistram declinavit in partem. Post octo namque dies ipsis subtractis cibariis, panis & aqua tantùm debebant, secundùm prædictam constitutionem Gregorii, Cardinalibus omnibus in reclusorio ministrari. Cardinales Gallici diversitatem ciborum ac varietatem potuum latenter in abundantia per Ministros regios porrectorum gula stomachante fastidiunt. Tunc sanè Dominus Johannes Cajetanus Sancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconus Cardinalis Argus, & argutus in Ecclesia Dei, omnisque ipsius Cardinalis sequela contra Regem Karolū non immeritò causam & materiam conceperunt odii & rancoris pro eo, quòd erga constrictos reductosque infra murorum ambitum compulsa inæquali & impari, superbè non minùs, regere se studebat. Demum ille, cujus dextera Beatum Petrum ambulantem in fluctibus ne mergeretur erexit, non passus longæ vacationis Ecclesiæ suæ Sanctæ stipendia, qui voluit esse Dei mediator & hominis, discrepantes Dominorum Cardinalium spiritus ad illius reduxit monochordium unitatis, quòd properè nimis, ultra quàm tunc credi posset, Dominus Octobonus Sancti Adriani Diaconus Cardinalis ad Summi Apostolatus apicem, consulto priùs Rege à Cardinalibus Gallicis præter jus & consuetudinem, concorditer evocatus, mutatoque proprio nomine vocari voluit Adrianus. Hic pro eo, quòd æstiva tempora imminebant, quibus, nescio qua suspicione de aëre corrupto concepta, Romana Ecclesia vitare Urbis Romanæ didicit incolatum, Viterbium statim pergit, quasi præscitam festinantiam ad mortem; ibique infra quadraginta dies debitum naturæ persolvit invitus. Post cujus obitum Domini Cardinales reducti more solito in palatio sub conclavi in cordis duritia & animi obstinatione præterita validiores effecti, sed diversitatem corporum notis utriusque diversis diversitatem induunt animorum. Nihilominus tamen ex industria & sagacitate prædicti Domini Johannis Cajetani Magister Petrus Hispanus Tusculanus Episcopus ad apicem Apostolicæ dignitatis assumitur & Johanne XXI. mutato nomine proprio nominatur.

CAP. VII.

Sub istius tempore Karolus Rex præfatus aliàs impresso gravi pondere onus addens, & de perversorum suorum consilio novos novorum gravaminum modos invênit & imposuit. Quidam enim ex suis subdola suggestione susurrant, & aures regias vento nitentes adultationis implere, dum nil aliud cogitant, nisi cum alterius Regi placere jactura, dicunt in aures: *Domine mi Rex forestas innumeras camposque diversos & nemora sub defensa, necnon alia infinita hodie regium habet dominium; è quibus, quod est satis mirabile, consideratis expensis, quas pro iis Curia vestra subit, nulla provenit, ut deberet, utilitas fisco vestro. Totum forsan commodum omnisque fructus & usus est magistrorum massariorum aliorumque custodum & credentiariorum Curiæ. Unde massarias vestras, Domine, per terras regni cum bonis viris, qui massariis utuntur, communicetis in totum, & societates inite cum eisdem. Multipli-*

plicabuntur enim sinè sumptibus Curiæ tunc regiæ massariæ; semperque, salvâ rerum substantiâ, multa cameræ vestræ emolumenta provenient. Dividantur animalia vestra per subditos opulentos, & eis imponatur reddendum Curiæ vestræ, salva semper sorte, certum quid annuatim. Subditi quippe vestri propter consequendam in bonis & animalibus suis prætextu societatis regiæ libertatem & habenda pascua libera libenter ad participium fructuum recipient sub suo periculo & fortuna qualibet massariam. Falsa igitur & fallaci suasione recepta & pariter approbata, per totam Siciliam, quæ terra est fertilis & fœcunda, segetibus apta, & accommoda massariis, viros habentes aliquid, maximè archivillanos locorum, & protorusticos, eligit ad hujusmodi officiorum onera Officialium docta malitia. Huic invito sues in numero, alii renitenti boves, illi compulso vaccas, alii repugnanti pecora sive oves & equas custodiendas assignat, legem ponens ceteris, ac si naturæ dominaretur & aëri, aut esset humana virtus super omnipotentia deitatis. Hæc est enim lex, hic est modus impositus ceteris talibus, hoc statutum Curiæ Officialium mala fraude vallatum; ut ille videlicet cui societatis nomine sues custodiendæ traduntur assignet fisco Curiæ anni circulo revoluto parturisse suem quamlibet bis quinque capita fœtus, duos scilicet fœtus masculos & tres fœminas, fœtusque primos fœmineas eodem anno quinque similiter quamlibet generasse, ita quòd de qualibet porca in omnem eventum viginti capita in universo post annum, velit nolit, de bona & æqua, ut ajunt, ratione resignet, secundo verò anno & deinceps quolibet XXX. salinas frumenti & totidem hordei magistro massario Curiæ repræsentet, receptis pro expensis & mercede servitii & laboris duobus tantùm augustalibus per singulos duos boves. Alteri verò, cui bidentes ad participium fructus dantur, talis est rationis compulsio ad tapetum, ut pro singulis centum ovibus sibi datis, de decem cantaris casei, & de duobus reccocæ, ac quatuor cantaris lanæ, venditoque caseo, de duodecim tarenis auri pro quolibet cantaro casei, & de sex tarenis pro cantaro, soluta omnino integrè pecunia Curiæ anno revoluto faciat rationem. Si quæ sint oves fœtus portantes, nonaginta saltem ex quolibet centenario fœtus, sexaginta videlicet fœminas, & triginta masculos anniculos, easdemque fœminas secundo anno suos pariter fœtus habere in sui tempore ratiocinii omnino deponet. Pro stercoribus verò bidentium de terris impinguatis ab eis in quibus die stabulantur & nocte, duas salinatas pinguis novalis procuret haberi; ex quibus duabus salinatis duodecim salinas victualium de suo, si novalis casu pereat, fisco componat. Equarius verò per singulas duodecim equas suæ custodiæ assignatas quolibet anno decem fœtus, quatuor masculos, & sex fœminas, necessariò sub omni suo periculo repræsentet. His & aliis gravaminibus, præter collectas & exactiones.......

Cætera desunt.

Postea legendus est Nicolaus Specialis editus in appendice Marcæ Hispanicæ pag. 597.

Lud. De Lelang fecit Mediol. 1722

Digitized by Google

HISTORIA FLORENTINA

AUCTORE

RICORDANO MALESPINI

PATRITIO FLORENTINO

Ab ea Urbe condita ad annum usque MCCLXXXI.
Italicè scripta,

CUM CONTINUATIONE

JACHETTI EX FRANCISCO FRATRE

EJUS NEPOTIS

PROTRACTA

Ad annum usque MCCLXXXVI.

Nunc castigatior prodit.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN HISTORIAM RICORDANI MALASPINAE

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

DEdimus *Sallae Malaspinae* Historiam Siculam; nunc producimus alterius *Malaspinae* Florentinam Historiam. Is est *Ricordanus*, eo nomine potissimum nobis memorandus, quod primus omnium, quantum quidem novimus, Historiam Italica Lingua conscripsit. Auctor ille est Cap. 41. Familiam suam inter Nobiles ac Patritias Civitatis Florentiae effloruisse. Quod autem ille scribit, Majores suos ex Urbe Roma antiquitus venisse, nempe temporibus ipsis, quibus Faesulae prostratae, Florentia vero reaedificata fuit a Romanis adhuc Italiae dominantibus: si inter fabulas recenseam, vel nulla alia ratione reddita, facile opinionem meam reliquis non facile credulis persuadebo. *Fabulosa* pariter, imo prorsus inepta sunt, quae ille refert de origine *Florentinae Civitatis*, & complurium Familiarum suo tempore in ea degentium. Sed condonanda haec homini, qui a Genealogistarum somniis, & ab apocryphis Libris sibi forte oblatis, fucum sibi fieri minime animadvertit. Aetatem hominis dignoscere non arduum, dummodo nullus Librariorum error intercesserit in iis, quae ipse laudato Cap. 41. de se ipso narrat; videlicet se *Anno Christi MCC. Romam profectum*, apud Capoccios Nobiles Cives Romanos, affines suos, in vetustissimas, ut ipse arbitratus est, Historias incidisse. Illud extra omnem controversiam positum, Ricordanum vitam suam produxisse ad Annum usque MCCLXXXI. eoque verisimile est, ipsum ad plures abiisse, quum ejus Nepos *Jachettus Malaspina* Historiam a patruo tunc interruptam continuasse deprehendatur ad Annum usque MCCLXXXVI. Jachetto huic genitor fuit *Franciscus Malaspina* Ricordani frater; ac propterea in calce hujus Historiae corrigendus locus, ubi Franciscus *Ricordani Nepos* appellatur, eique continuatio Chronici tribuitur, quae tamen alibi Jachetto ejus filio apertissime inscribitur. Ad Annum 1315. refert Scipio Admiratus in Hist. Florentina Lib. V. *Johannem Jachottum Malaspinam, Florentinum Civem, sed exulem*, inter primores exercitus Uguiccionis de la Fagivola contra Florentinos militasse, atque in teterrimo proelio, quod in Valle Nebulae commissum est, cecidisse. A Johanne Villano haec ille accepit. Fortassis a vero non abludit, memorari heic aut ipsum *Jachettum* Ricordani Nepotem, aut ipsius Jachetti filium, ac propterea scribendum eo in loco *Johannem Jachetti Malaspinae*, hoc est filium.

Ceterum pro more omnium fere Historicorum, qui rudibus Seculis exigua literatura imbuti Historiam a se nimis remotam conscribendam suscepere, Ricordanus fabulis, anachronismis, & nugis ad satietatem abundat, quum res antiquissimas persequi audet. Verum ubi tempora propiora ac praesentia describit, ac praecipue dum de Italicis agit, Auctor minime contemnendus est, multaque nos docet, quae Johannes Villanus confidentissime, tacito nomine Auctoris, in suam intulit Historiam. Primi, qui Ricordani opus tenebris ereptum publica luce donarunt, fuere Philippus & Jacobus Junctae celebres Typographi Florentini, quorum curae multa alia in Rempublicam Literariam beneficia debemus. Editus vero fuit Liber Florentiae Anno 1568. in 4. ac deinde anno 1718. post aliorum editiones iterum in eadem Urbe recusus castigatiorem fortasse lectionem, qua utor, ministravit. Atque heic monitos Lectores volo, in Ricordani Historia edenda omissum fuisse unum, quod in MStis Codicibus legebatur de morte S. Thomae Aquinatis. Nempe scripserat ille, *Sanctum Virum in Monasterio Fossae-novae defunctum Anno 1274. dum Lugdunum se conferret ad Concilium, ut destrueret Ordinem Carmelitarum*. Visa haec sunt Editoribus omnino absona a moribus sanctissimis, & singulari ac perspectissima Charitate Thomae Aquinatis; ac propterea suis tenebris relicta. Et profecto si quid suspicionis aspergere heic voluit Ricordanus famae Viri illius, cui admirabilis Pietas ac Doctrina Angelici titu-

Digitized by Google

titulum jure merito acquisivit, is basilice fallitur, & prorsus explodendus est; cum quippe deceptum sat manifeste ostendit inculpata Aquinatis vita tota, & integer in eo semper deprehensus Virtutum chorus. Verum fieri etiam potuit, Sancto Thomae id consilii contra Carmelitas insedisse, illudque intacta sanctitate morum. Nam posteaquam duo Praedicatorum & Minorum Ordines sub initium Seculi XIII. invaluere, & confirmati sunt ab Apostolica Sede, insurrexerunt non pauci, qui novos alios Ordines Religiosos eodem Seculo instituere, aut ubivis locorum propagare conati sunt, non sine Praesulum ac Populorum querela, imo non sine molestia Romanorum Pontificum, quorum aures ii quotidie pulsabant, ut novi hi foetus probarentur, & late radices agere possent. Sed praecipue in hoc totis lacertis intendebant Carmelitae, quorum Religiosa Familia, Seculo tantum praecedenti levibus initiis in Oriente inchoata, & sedes vertere a Sarracenis praevalentibus praesertim coacta, per Europae Civitates novum sibi nidum solicite quaeritabat.

Igitur tantis hominum piorum motibus ac turbis modum imponere cupiebat Sanctissimus Vir Gregorius Papa X. ac proinde rem in Concilio Lugdunensi Anno 1274. agitandam statuit, quo incomparabilem ac celeberrimum sua aetate Virum, Thomam Aquinatem, ipse advocaverat, ejus consilio ac eruditione usurus ad componendas controversias cum Graecis, aliaque decernenda in universalis Ecclesiae utilitatem. Eripuit mors terris Thomam jam illuc proficiscentem. Accipe vero, quid in eo Oecumenico Concilio decretum hac de re fuerit Cap. XXIII. *Religionum diversitatem Nimiam, ne confusionem induceret, Generale Concilium (sub Innocentio III.) consulta prohibitione vetuit. Sed quia non solum importuna petentium inhiatio illorum postmodum multiplicationem extorsit, verum etiam aliquorum Praesumptuosa Temeritas diversorum Ordinum (praecipue Mendicantium, quorum nondum approbationis meruere principium) Effraenatam quasi multitudinem adinvenit: repetita Constitutione districtius inhibentes, ne aliquis de cetero novum Ordinem, aut Religionem inveniat, vel habitum novae Religionis assumat, cunctas affatim Religiones & Ordines Mendicantes post dictum Concilium adinventos &c. perpetuae prohibitioni subjicimus*. Tamdem exemtis ab hujusmodi constitutione Praedicatorum, & Minorum Ordinibus, *quos evidens ex eis utilitas Ecclesiae universali proveniens perhibet approbatos*, haec de Carmelitis statuuntur: *Ceterum Carmelitarum, & Eremitarum S. Augustini Ordines, quorum institutio dictum Concilium Generale praecessit, in suo statu manere concedimus, donec de ipsis fuerit aliter ordinatum &c.* His autem perspectis, quid mirum, si & in ea sententia fuisset S. Thomas, tollendum omnino ac supprimendum Ordinem Carmelitarum, nondum ab Apostolica Sede stabili decreto probatum? Quando jam pro Ecclesia militabant, & ab Ecclesia confirmati fuerant praeclarissimi duo Ordines Praedicatorum & Minorum, fortasse Viro prudentissimo & sanctissimo Carmelitica familia oneri potius, quam utilitati, Christianorum Reipublicae futura videbatur; & potissimum quum nihil ultra praestare haec posset, quod a Praedicatoribus & Minoribus jam antea abunde non praestaretur. Nihil ejusmodi sententia abhorret a sanctitate Aquinatis, uti perspiciet quicumque rectus rerum aestimator. Et certe Gregorius X. Papa cum Generali Concilio non paucos alios Religiosos Ordines jam invectos ea Constitutione abjecit, neque ad ipsum Carmeliticum confirmandum adduci se passus est, quamquam secus visum fuerit Ricordano nostro. Nunc in Gregorio X. quem Beatorum catalogo adscriptum novimus, atque in universis Concilii Patribus aemulationem ac invidiam id circo suspicemur? Absit. Praeterea quum famae & sanctitati cujuspiam Summi Pontificis vel tantillum non deperiret, ubi aliquem Religiosum Ordinem inutilem Ecclesiae nunc dejiceret, quamvis jamdiu a Papis praedecessoribus confirmatum: quanto magis id facere licuit in Ordinem, toleratum quidem, sed nondum Romanae Sedis & Ecclesiae auctoritate munitum? Atque haec praefari fas mihi fuerit in S. Thomae Aquinatis tutelam, ne quis umquam Ricordani verbis abuti in tantum Virum possit ac velit. Ceterum, ut ad ipsum Ricordanum regrediar, inter ejus laudes ne haec quidem praetereunda est, scilicet eidem in choro Patrum Italicae vulgaris Linguae amplissimum locum deberi, & porro fuisse datum, quum ipse reliquos omnes majoris apud nos nominis in usu hujus Linguae praecesserit. Equidem nimiam vetustatem ejus interdum verba sapiunt; sed uti Ennius & ceteri antiqui Latini ea ex causa non contemtum, sed venerationem, a Nepotibus seris meruere, ita Ricordano nostro honor idem deferendus a nobis.

ISTO-

ISTORIA FIORENTINA

DI

RICORDANO MALESPINI

GENTILUOMO FIORENTINO.

CAPITOLO PRIMO.

Proemio.

A Onore, e reverenzia dello Iddio Padre, da cui discende il sommo bene, ed a frutto, e utilitade di tutti coloro, che leggieranno, sì degli alletterati, come de' laici, acciocchè per molta antichitade abbiamo dimenticate alquante belle storie, e dilettevoli, imperciò i Maestri Filosafi, cioè coloro, che hanno fatte le storie, le compilarono, e recaronle di gran fascio in piccolo volume, siccome più innanzi infra le storie si racconta, ed acciocchè alcuno sollazzo se ne abbia per l'animo dilettare, e nella memoria si rattenga meglio, sì comincieremo brievemente in questa materia, e racconteremo della prima etade, tanto solamente quanto appartiene a tale materia, e poi brievemente diremo delle tre parti del Mondo, perciocchè conviene alla nostra materia, e niuna cosa ci scriverò, se non quello, che fu emendato da' nostri savj maggiori, ed approvato per ferma veritade, e che io so, e conosco, che a ciascheduno piace brievità di parole, sì dirò brievemente il più ch' io potrò, soddisfacendo alla materia, la quale io ho ordinata di dire, e sì vi priego, che voi ascoltiate diligentemente della prima etade.

CAP. II.

Siccome Adamo quanto tempo ebbe infino a Nimis Re, e come Appollo strolago fece edificare Fiesole.

Dico principalmente, che da Adamo infino a Nimis Re, il quale per battaglia conquistò tutto il Mondo, e sottomise alla sua potenzia, al tempo, che nacque Abram, si fue anni duemila trecento quaranta quattro. Al tempo di questo medesimo Nimis si edificò la grande Torre di Babello, per la quale si divisono i settantadue linguaggi del Mondo, quando per la prima divisione si divise in tre parti; la prima parte, e la maggiore si è detta Asia, dimostra per lo diritto compasso, e comincia dall' Oriente infino a Settentrione: la seconda parte è chiamata Africa, e tiene da Mezzo die infino ad Occidente: la terza parte è chiamata Europa, e 'l suo diritto incominciamento si è a Brandizio, e tiene infino a Bari, e da Bari torna a Napoli, e poi tiene infino a Gienova, e da Gienova a Marsilia, e da Marsilia in Sibilia, e da Sibilia infino a Santa Maria finibus terre; e così è circondata la Europa dal mare Oceano tutta Spagna, Normandia, e Inghilterra, e Brettagna, Scozia, Irlanda, e Fiandra, e Danesmarca, e Nes-

Digitized by Google

e Nesguergie, e Alemagna, Buemia, e Ungheria infino al fiume Camo andando verso Bisanzio, la quale è oggi appellata Costantinopoli, e poi tiene per l'Isole del Mare, e per le Terre di Schiavonia infino a Vinegia ritorna al sopraddetto Brandizio, nella quale parte così confinata fue uno primo Signore, il quale ebbe nome Atalante, e Giuppiter, e sua moglie fue una bella donna, la quale ebbe nome Eletra, colli quali era Appollonio grande maestro di Strolomia, e tutti i loro fatti per suo consiglio s'ordinavano, ed elli conesso lui iscelsono sopra tutti i confini loro sopra luogo dove si fondò Fiesole, la quale fue la prima Città fatta nel Mondo, poi fue il diluvio dell' Arca Noe, e questo fue luogo scelto da Appollonio per lo più sano luogo, cioè d'aria, e per lo migliore pianeto, e maggiore che si trovasse, e per la prima Città rifatta si fue in tutto chiamata Fiesole, in questa Città abitava Atalan, ed Eletra sua moglie, ed altra sua gente.

CAP. III.

Siccome Atalan ebbe tre figliuoli d'Eletra sua moglie, e quello che feciono.

QUesto Atalan si ebbe da Eletra sua moglie tre figliuoli, de' quali il primo si ebbe nome Italo, del quale per lui è nominata tutta Italia, e dove noi conversiamo: lo secondo ebbe nome Dardano, il quale fue il primo Cavaliere del Mondo, e che prima cavalcò Cavallo, e che in prima fece sella, o freno, e che in prima battè moneta, e diede corso di spendere: lo terzo figliuolo ebbe nome Sittamo, lo quale ebbe una bella figliuola, la quale ebbe nome Candazia, e degnamente fu chiamato Sittamo, perocchè fue il sezajo figliuolo, e fu quello, che prima andò in Cicilia, e prese lo suo abituro, e per lui è così chiamata; gli altri due figliuoli, cioè Italo, e Dardano si vennono insieme in questa concordia, ch' eglino dovessono andare ad alto Mars Idolo a sacrificare, e a domandare quale dovesse andare di loro due ad acquistare gli altri paesi, e quale dovesse ritornare in Fiesole, del quale Idolo alto Mars ebbono risposta in questo modo, che Italo dopo la morte di Atalan dovesse rimanere in Fiesole per Signore, e Dardano dovesse andare a conquistare per lontano paese per lo Mondo.

CAP. IV.

Della risposta ch'ebbe Dardano e' fratelli del loro Idolo come si puose Troja la prima volta.

QUando Dardano intese, e udì la risposta, si andò ad Apollonio suo istrolago, e contògli la risposta dell' alto Iddio Mars loro Idolo, e pregollo, che dovesse andare con loro, ed Apollonio disse, che volentieri, ed apparecchiaronsi, ed andarono insieme, e menaronne Candazia sua nipote, e capitarono nelle parti d'Africa, la quale è tra l'Oriente, e Mezzo dì, e quivi per l'arte, e per lo senno d'Apollonio suo maestro, si edificò una grande, e nobile, e bella Città, la quale fue chiamata in suo tempo Dardania, la quale fece fare a sesta appuntata come uno iscudo a tre canti, a tre faccie, e per ogni faccia la fece sessanta miglia; e poi ebbe uno suo figliuolo, il quale ebbe nome Trojolo, e di questo Trojolo quando fue morto si lasciò un figliuolo, il quale ebbe quello medesimo nome, del quale di lui nacque grande generazione di gente.

CAP. V.

Il perchè fu chiamata Troja, e come fu dificata la prima volta per Ercole, e per Giansone.

POi dopo la morte del secondo Trojolo nato di Dardano, per la bontà, e cavalleria, che in loro era regnata, sì piacque agli uomini di quella Cittade, che per lo suo amore sempre mai quella Cittade dovesse essere chiamata Troja, e la maestra porta della Cittade dovesse essere chiamata porta Dardania per amore del suo avolo, ch' ebbe nome Dardano, onde il sopra d'Ilion, lo secondo Anseracco: d'Ilion nacque il Re Laumedon, al cui tempo fue Troja la prima volta distrutta da Ercole il prode, perocchè il Re Laumedon aveva vietato a lui, ed a Gianson, che non dovessero dimorare nell' Isola di Troja, nè nel Porto, perciocchè egli temea, che non gli facessono alcuna noja alla Cittade quando andarono ad acquistare nell' Isola di Colcos il montone del vello dell' oro; e in quello tempo in compagnia d'Ercole tolse, e rubò Ansiona figliuola del Re Laumedon, e menaronlane con loro: ora di Laumedon nacque Priamo, il quale rifece la Città di Troja, in quel tempo, e racconciolla, e racquistò Ecuba sua moglie; egli fue Re, della quale Ecuba ebbe trentasei figliuoli fra madernali, e bastardi, e molte femmine, e tutti furono morti, e disfatti, salvo che tre, nella distruzione di Troja ve ne ebbe de' sì valenti, che in quel tempo non si trovò loro pari di prodezza, e sì d'altre valenzie, quanto null' altro potesse essere: lo primo fue lo buono Ettore, lo quale contrastava solo colla sua persona contro a mille Cavalieri di Greci in battaglia; lo secondo fu Diefebo, Paris, Eleno, e Trojolo, e anche assai altri tra maschi, e femmine, i quali vide morti tutti Priamo in suo tempo.

CAP. VI.

Come Paris innamorò d'Elena, e come la rapì in Grecia.

POi a poco tempo Paris figliuolo del Re Priamo innamorò di Madonna Elena moglie del Re Menelao, e andò in Grecia, e imbololla furtivamente la detta Elena, e tutta la sua Cittade distrusse, e rubò, e mise a fuoco, e questa vendetta si fece d' Ansiona, la quale era stata tolta da' Greci siccome è detto; per la qual cagione il detto Menelao, e Agamennone suo fratello si mossono di Grecia con molta gente assai in loro ajuto, andarono a sedio alla Città di Troja, e chiamarono in loro ajuto Achilles lo pro, che acquistò tante lode, e stettono ad assedio intorno alla detta Città dieci anni, e quindici dì, ed ebbevi grandissime battaglie, ed uccisioni d' una parte, e d'altra. Ma Ettore Capitano de' Trojani menava sì à morte i Greci, e da tal parte, che ogni

ogni volta che egli usciva fuori a combattere, anzi che tornasse dentro uccideva grandissima quantità d'uomini di quelli de' Greci, ed uccise il Re Patroculus bellissimo giovane, a cui Achilles portava molto ismisurato amore di coraggio per la bellezza di lui.

CAP. VII.

Siccome Troja fu distrutta la seconda volta, e come morì Ettore, e gli altri Trojani.

ALlora vedendo Achilles, che Ettore aveva morto il Re Patrocolo, non pensò giammai se non come potesse menare a morte, e a distruzione la Città di Troja, e di uccidere Ettore sopra ogni altro desiderio: e appresso ad alcun tempo di notte scura entrarono nella Città di Troja, in prima con un cavallo di metallo artifiziato pieno dentro di Cavalieri, i quali uscirono fuori del Cavallo, ed apersono le porti à tutti quelli di fuori, e misonli dentro alla Città, nella quale feciono sì grande uccisione di quelli della Città, che tutte le vie correvano sangue, e fue sì grande la mortalità, che quasi pochi ne camporono salvo Enea, il quale Enea ebbe la parola da' Greci, e da' Capitani dell' oste, che si potesse partire sano, e salvo con ventimila uomini della terra, il quale Enea era nato della schiatta del detto Re Priamo, il quale per molta gente si disse, che egli usasse tradimento, ma secondo che dicono le Storie Romane, non usò tradimento, ma fugli fatta la grazia per la bontà, e cortesia, che era in lui. Ettore figliuolo del Re Priamo avendo morti grandissima quantità di Greci, sicchè tutto il Mondo si maravigliava delle sue prodezze, Achilles a tradimento lo uccise con grande astuzia, e ingegno: e i Greci, come dett' è, uccisono poi quanti Trojani grandi, e piccolini trovarono, maschi, e femmine, ed uccisono la bella Pulisena, e tutti gli altri, e più, e misono Troja a fuoco, e a fiamma, e così furono morti, e disfatti tutti i Trojani per la colpa di loro stessi per cagione, che misono il cavallo dentro; questa destruzione fue del cominciamento del secolo quattromila dugento quarantacinque anni.

CAP. VIII.

Della ingenerazione di Anseraco, e d'Adampino, e d'Ancises, e d'Enea, e come Enea al partire di Troja andò a Minerva Idolo.

ORa raccontiamo siccome Anseraco ingenerò Adampino, e Admapino ingenerò Ancises, ed Ancises ingenerò Enea, ma prima che e' si partisse di Troja, Enea andò a Minerva Idolo delle battaglie, e domandò, che egli dovesse dire, dov' egli dovesse andare colla sua gente. Minerva fece risponso, e disse, che andasse nelle parti d'Italia per lo Porto del Tevero, e per te, e per li tuoi descendenti si faranno grandissimi fatti in Italia, che tutto il Mondo se ne maraviglierà abeterno.

CAP. IX.

Siccome Enea con sua gente navicò al Porto Tevero al partire, che fe di Troja, e come uccise Turno.

ESsendo lo Re Carlo in Francia si partì da Parigi, e con lui il Re Filippo di Francia suo nipote: e quando furono presso a Bordello a una giornata, lo Re di Francia rimase con sua gente, e lo Re Carlo con li suoi cento cavalieri andò a Bordello alla giornata promessa, negli anni mille dugento ottanta tre

D del mese di Giugno: e nel luogo ordinato comparì tutto il giorno, e dimorarono armati in sul campo attendendo il Re Piero, il quale non vi comparì: ben si disse, che la sera al tardi comparì isconosciuto dinanzi al Siniscalco del Re d'Inghilterra per non rompere il sacramento, e protestò, com'era venuto, e presto di combattere, quando lo Re di Francia con sua gente, che v'era presso a una giornata, ond'egli avea tema, si partisse. E ciò fatto, sanza soggiorno si tornò a Raona; onde lo Re Carlo si tenne forte ingannato, e simile il Re di Francia, e tornaronsi a Parigi. E saputa la novella Papa Martino della diffalta del

E Re Piero, collo suo collegio di Cardinali diede sentenza contro al detto Re di Raona, siccome contro a uomo iscomunicato, e spergiuro, e rubello, e occupatore delle possessioni di Santa Chiesa: e sì privò, e dispuose del Reame di Raona, e d'ogni altro onore, e iscomunicò qualunque l'obbedisse, e chiamasse Re, ma e' si fece intitolare Piero di Raona Cavaliere, e signore del mare: e poi Papa Martino privilegiò del detto reame di Raona Carlo Conte di Valois secondo figliuolo del detto Re Filippo di Francia, e mandonne in Francia a confermare il detto Carlo per uno suo Legato, e la lezione detta, predicoe croce, e indulgen-

Digitized by Google

genza contro al detto Piero di Raona, e sue terre: e lo Re Carlo, con dispensazione del Papa, diede per moglie al detto Carlo di Valois la sua nipote figliuola del Prenze Carlo suo figliuolo, e in dota la Contea d'Angiò, acciochè egli col padre Re di Francia, fossono più ferventi contro al Re Piero di Raona.

CAP. CCXIX.

Siccome Firenze fu in buono, e felicissimo stato, e stava in grandissime feste, e sollazzi.

NEgli anni di Cristo mille dugento ottantatre fu in Firenze grande, e felice, e buono istato, e molte feste, e allegrezze si faceano per tutta la Città ispesse volte: e di più paesi vi venivano giocolari, e buffoni di più paesi. E la detta Città ne' detti tempi fu nel migliore stato, che ella fosse mai: e durò questo istato insino nel mille dugento ottantaquattro, che cominciò la divisione tra'l popolo, e' grandi: e appresso tra'Bianchi, e Neri. E ne' detti tempi erano in Firenze più di trecento Cavalieri di corredo, e molti gentiluomini, che teneano stato di cavalieri, e teneano di grossi cavagli, e famigli, e non attendeano ad altro, che a virtù, e gentilezze, e mangiavano ispesso insieme, e attendeano a' cibi grossi, e pure a starsi insieme dimesticamente, e non vestivano però riccamente, e attendeano per le pasque a donare a uomini di corte, e a' buffoni molte robe, e ornamenti. E di più parti, e di Lombardia, e d'altronde, e di tutta Italia venivano alla detta Firenze i detti buffoni alle dette feste, e molto v'erano volentieri veduti.

CAP. CCXX.

Siccome i Genovesi rubarono navi, e galee a' Pisani.

NEl detto anno, e mese di Giugno vegnendo dell' Isola di Sardigna cinque navi grosse, e cinque galee armate di Pisani, cariche di mercatanzia, e d'ariento Sardesco, i Genovesi andarono incontro, e si iscontrarono sopra Capo Corsa: e combattendo i Genovesi gl'isconfissono, e menarogline presi in Genova più di mille Pisani, e tanta mercatanzia, che fu di valuta di più di fiorini di centoventi migliaja. Appresso del mese d'Aprile anni mille dugento ottantaquattro, mandando i Pisani in Sardigna il Conte Fazio loro cittadino con armata di trenta galee, e una nave, i Genovesi si iscontrarono in loro con venticinque galee, e combattendo aspramente, molti ne furono morti d'una parte, e dall' altra; ma infine i Genovesi isconfissono i Pisani, e presono il detto Conte con molti cittadini di Pisa, e grande parte delle dette galee, e menarongli in prigione in Genova.

CAP. CCXXI.

Come i Pisani feciono armata contro a' Genovesi.

NEgli anni di Cristo mille dugento ottantaquattro di Luglio i Pisani non istanchi feciono loro armata per vendicarsi delle ingiurie ricevute da' Genovesi, e andaronne insino nel porto di Genova, e quivi balestrarono, come altre volte aveano fatto, quadrella d'ariento, e feciono grande onta a' Genovesi, e presono loro legni, e rubarono, e guastarono in più parti la riviera, e richiesono i Genovesi di battaglia; ma non dispuosti, perchè aveano disarmate le loro galee, feciono loro scusa, e dissono, che tornassono al loro porto, che sanza indugio gli anderebbono a vedere. I Pisani si partirono facendo grande ischerno di Genovesi, e tornarono in Pisa: e gli Genovesi sanza indugio armarono centotrenta galee, tra galee, e legni, con tutta buona gente di Genova, e della riviera, ond'era Ammiraglio messer Ruberto Doria, e del mese d'Agosto colla detta armata vennono nel mare de' Pisani. E i Pisani con furore montarono in galee, alcuno a porto Pisano, e il loro Podestà, e Ammiraglio con tutta buona gente montarono tra due ponti di Pisa in Arno, levando lo stendale con grande festa, e s'affrontarono alla battaglia all'isoletta, ovvero lo scoglio, il quale è sopra porto Pisano, che si chiama la Melloria: e ivi fue grande, e aspra battaglia, e morivvi molta buona gente d'una parte, e d'altra: infine i Pisani furono isconfitti, e ricevettono infinito danno di sedici mila uomini tra morti, e presi, e rimasonvi prese quaranta galee rotte, le quali co' prigioni vennono in Genova. E in Pisa ebbe gran pianto, e grande dolore, che non v'ebbe casa, che non vi fosse morti, o presi; e d'allora in quà Pisa non ricoverò mai in suo stato. E nota, che per giusto giudicio di Dio, che in quel luogo proprio i Pisani annegarono i Cherici in mare, e' Prelati, che vi veniano d'oltre' monti a Roma al Concilio l'anno mille dugento trentasette, al tempo di Papa Gregorio nono, ivi furono isconfitti, e morti, e gittati in mare i Pisani sopraddetti.

CAP. CCXXII.

Siccome Ruggieri di Loria venne in Cicilia con grande armata.

NEgli anni di Cristo mille dugento ottantaquattro di Giugno messer Ruggieri di Loria Ammiraglio del Re di Raona venne in Cicilia con grande armata di Ciciliani, e Catalani, e Principato, faccendo grande danno alla gente del Re Carlo, e venne coll'armata nel porto di Napoli, gridando, e dicendo grande ispregio del Re Carlo, e di sua gente, domandando battaglia, e ciò facea detto Ruggieri per trarre il Prenze, e sua gente a battaglia, come quegli, ch'era astuto di guerra di mare, e sapea per sue saettie, che il Re Carlo con grande armata venia di Provenza, e già era nel mare di Pisa, sicchè s'affrettava di trargli a battaglia, o di partirsi, e tornare in Cicilia, acciocchè il Re Carlo non lo sopraggiugnesse. Avvenne, che 'l Prenze figliuolo del Re Carlo, che era in Napoli, veggendosi così oltraggiare da' Ciciliani, e Catalani, a furia sanza ordine montarono in galee, ed eziandio contro al comandamento del Re Carlo, che avea fatto al figliuolo, che per niuno modo, o caso, che occorresse, si mettesse a battaglia insino alla sua tornata, e così disubbidiente, e male ordinato, si mise con trentacinque galee, e più altri a battaglia di fuori del porto disopra Na-

Napoli. Ruggieri di Loria, come maestro di guerra, percosse colle sue galee, ammonendo i suoi, che non attendessono a nessuna caccia, e lasciassono fuggire chi volesse; ma attendessono solamente alla galea dello stendale, dov' era la persona del Prenze, e così fu fatto, che come le dette armate si percossono insieme, più galee di quelle del Principato, e spezialmente quelle di Sorrento sì diedono la volta indietro, e similemente feciono grande parte delle galee di Principato. Il Prenze rimanendo alla battaglia colla metà delle sue galee, tosto furono isconfitte, e il Prenze Carlo in persona con molta baronia furono presi, e menati in Cicilia, e messi in prigione in Messina nel castello di Mattafrigone. Avvenne, che come fu fatta la detta isconfitta, che quegli di Sorrento mandarono una loro galea con loro ambasciadori a Ruggieri con quattro cofani di fichi fiori, i quali chiamavano palombole, e con dugento agostari d'oro, presentando al detto Ammiraglio, e giugnendo alla galea, dov'era preso il Prenze, veggendolo riccamente armato, con molta gente intorno, credendo fosse messer Ruggieri di Loria, si l'inginocchiaro a' piedi, e feciongli il detto presente, dicendo: messer l'Ammiraglio, come ti piace, da parte del comune tuo di Sorrento scipati queste palombole, e prendi agostari per taglio di calze, e piasesse a Dio, com' hai preso lo figliuolo, avesse lo patre; e facemoti assapere, che fumo li primi, che voltammo. Il Prenze con tutto suo dannaggio cominciò a ridere, e disse allo Ammiraglio: per Dio, che sono ben fedeli a Monsignore lo Re. Il giorno seguente, che fu la sconfitta, lo Re Carlo arrivò a Gaeta con cinquantacinque galee armate, e con altri legni. Come intese la novella, e presura del Prenze suo figliuolo, fu molto cruccioso, e disse: Or foss' egli morto, dapoichè fallì nostro comandamento; ma sentendo la poca fede degli uomini del Regno, e quegli da Napoli già vacillavano, e per certi già corsa la terra gridando: muoja lo Re Carlo, e viva Ruggieri di Loria: incontanente si partì, e giunse a Napoli adì otto di Giugno. Come fu sopra Napoli non volle ismontare nel porto, ma disopra al cammino, con intendimento di fare mettere il fuoco nella Città, e arderla per gli falli, che i Napoletani aveano fatto di levare a romore la terra contro al Re Carlo. Ma messer Gherardo da Parma Legato Cardinale con certi baroni di Napoli, gli vennono incontro, e dimandandogli perdono, e misericordia, dicendo: furono folli; lo Re riprese li savj, dicendo come ciò aveano sofferto a' folli, ma per priego del Legato, fatto far giustizia d'impiccarne più di centocinquanta, si perdonò alla Città, e riformata la terra, fece compiere d'armare, con quelle, ch'egli avea menate, insino in settantacinque galee: e partissi di Giugno l'armata che avea fatto apparecchiare a Brandizio, e quella pel principato a contrarne in Calavria, e furono centodieci galee, e altri legni. In questa istanza avea in Cicilia due Legati Cardinali, i quali avea mandati il Papa a trattare pace, per riaver il Prenze Carlo. E stando il detto stuolo in attendere novelle da' detti Legati, i quali astutamente dal Re di Raona furono tenuti in parole sanza potere fare nullo accordo, acciocchè 'l detto stuolo non ponesse in Cicilia, sì si trovò la detta armata del Re Carlo male provveduta, e con diffalta di vettuaglia; per la quale cosa convenne di necessità, perchè s'appressava l'Autunno, e i tempi contrarj a sostenere in mare sì grande armata, di tornare a Brandizio, e ivi aspettare insino al nuovo tempo; onde lo Re Carlo si diede grande dolore, e sì per quello, e sì per la detta presura del Prenze suo figliuolo.

CAP. CCXXIII.

Come il Re Carlo fece disarmare la sua armata, e come morì.

Lo Re Carlo col suo stuolo sì il fece tornare a Brandizio, e fecelo disarmare, e tornossi in Napoli, per fornirsi di moneta, e di gente per tornare in Cicilia al primo tempo, come quegli, che la sua sollicitudine non posava, e come fosse passato mezzo Dicembre, ritornare in Puglia, per essere a Brandizio per avvacciare il suo navilio. E giunto in Foggia in Puglia fortemente ammalò, e passò di questa vita adì sette di Gennajo mille dugento ottantaquattro, e fu recato suo corpo a Napoli. E poi venne per difenditore, e guardiano del Regno Ruberto Conte d'Arlese cugino del detto Re. E del detto Carlo rimase Carlo secondo Prenze Conte di Salerno: ed era bello del corpo, e grazioso, ed ebbe più figliuoli della sua donna, figliuola, e reda del Re d'Ungheria. Il primo suo figliuolo fu Carlo Martello, che poi fu Re d'Ungheria: e 'l secondo fu Lodovico, che si fece frate della povera vita, (*) *e mai non entrò, avvegnacchè l'abbino appropiato a loro, sicome i Frati Predicatori Tomaso d'Aquino, il quale inanzi che fosse Frate Predicatore fu Monacho, e quando venne a morte, ch' infermò a cammino, rimordendo la coscienza, si fece portare alla Badia, d'ond' era prima stato Monacho, & Monacho morì, e' Monachi anno 'l corpo suo, & nota che quand' egli infermò in questo cammino, egl' andava per far disfare i Frati del Carmino, onde Iddio mostrò questo miracolo, per la via infermò e morì, ed un Frate Minore, ch' andava co' lui per la detta cagione contro a' detti Frati del Carmino quando fu inanzi al detto Papa ammutolò, & non potè parlare.* Il detto Lodovico fu Arcivescovo di Tolosa, il quale è Santo: il terzo fu Ruberto Duca di Calavria: il quarto fu Filippo Prenze di Taranto: il quinto fu Ramondo Berlinghieri, Conte dovea essere di Provenza: il sesto fu Gianni Prenze della Morea: il settimo messer Piero Conte di Bilì.

CAP.

(*) Desunt hæc in editis, sed ea supplevimus ex Codice MSto penes Marchionem *Giugni* Civem Florentinum, cujus copiam *Philippus Argelatus* noster, qui nullum, ut ajunt, non movet lapidem, quò elegantior collectio ista ac instructior procedat, ab amico suo literis impetravit; quæ verò de hoc Monachatu Sancti Thomæ Aquinatis disputata sunt Lector videat in gemina disertatione, altera inscripta: *De Monachatu Benedictino Divi Thomæ Aquinatis apud Cassinenses, antequam ad Dominicanum Prædicatorum Ordinem se transferret historica disquisitio*; altera: *De fabula Monachatus Benedictini Divi Thomæ Aquinatis responsio ad historicam disquisitionem &c.* utraque prodiit *Venetiis anno MDCCXXIV.* quamvis in prima legatur *Lugduni*, ubi etiam impressa inveniet hujusmodi Malespinæ verba pag. 62. & 63.

CAP. CCXXIV.

Siccome i Cardinali non potendo fare accordo si partirono di Cicilia, e come i Franceschi furono morti in prigione in Cicilia.

NEl detto anno partiti i detti Cardinali di Cicilia, che non aveano potuto fare accordo, molto aggravarono di iscomunicazione di torre ogni benefizio, e grazia spirituale al Re di Raona, e a' Ciciliani; e per questa cagione, e per la morte del Re Carlo, quegli di Messina si misono a furore, e corsono alle prigioni, dov' erano i Franceschi, per ucciderli, ed egli difendendosi, misono fuoco nella prigione, e a grande dolore gli feciono morire: e dopo questo fatto tutte le terre di Cicilia feciono Sindachi con ordine, e congregazione insieme di concordia, condannarono a morte il Prenze Carlo, il quale aveano in prigione, che gli fosse tagliato il capo, siccome lo Re Carlo suo padre avea fatto a Curradino. Ma la Reina Gostanza moglie di Piero di Raona, la quale allora era in Cicilia, considerando al pericolo, che 'l suo marito, e figliuolo ne poteano correre, prese più savio consiglio, e disse a' Sindachi delle terre, che non era convenevole, che la loro sentenzia procedesse sanza volontà del Re Piero loro signore; ma a lei parea, che 'l Prenze si mandasse a lui, ed egli, siccome signore, ne facesse sua volontà, e così fu fatto.

CAP. CCXXV.

Come' Fiorentini feciono lega con più Comuni di Toscana.

NEl detto anno di Settembre negli anni di Cristo mille dugento ottantaquattro, i Fiorentini feciono lega co' Lucchesi, e Sanesi, e Pistolesi, Pratesi, Volterrani, Sangimignanesi, Colligiani, e Genovesi, per far guerra a' Pisani. I Fiorentini, e Toscani per terra, i Genovesi per mare. I Fiorentini, ch' erano in Pisa per comandamento di loro Comune se ne partirono del mese di Novembre, e feciono grande guerra in Valdera, e presono molte castella di Pisani, e ordinarono d' assediare Pisa per mare, e per terra; per la quale cagione il Conte Ugolino Gherardeschi, che era il maggiore cittadino di Pisa, cercò d'accordo co' Fiorentini, e Sanesi, e gli altri Toscani, di cacciare i Ghibellini di Pisa, acciocchè l' oste ordinata della detta taglia, che si dovea fare a Pisa, non procedesse, e così fu fatto: e dissesi in Firenze, che 'l detto Conte Ugolino, presentando a certi caporali cittadini di Firenze vino di Vernaccia, e certi fiaschi entrovi dimolti fiorini d' oro, acciocchè acconsentissono al detto accordo, sanza richiesta de' Genovesi, o Lucchesi, del mese di Gennajo vegnente il detto Conte cacciò di Pisa i Ghibellini; ma i Genovesi, e Lucchesi, perchè non furono richiesti, non vollono assentire; ma si tennono ingannati, e gravati da' Fiorentini, e dagli altri Toscani, e non lasciarono però di venire sopra' Pisani, com' era ordinato, i Genovesi per mare, e' Lucchesi per terra, e disfeciono porto Pisano, e' Lucchesi presono molte castella. Se i Fiorentini avessono attenuta la 'mpromessa, la Città di Pisa sarebbe stata presa, e disfattala, e recatala a' borghi, com' era ordinato; ma i Fiorentini ordinarono, che' Sanesi mandassono i loro cavalieri alla guardia de' Guelfi, di Pisa. E in questo medesimo anno fu un grandissimo fuoco in Orto Santo Michele, e trasse la notte uno grandissimo vento, e arsono molte case dintorno per tutta la vicinanza, siccome le case de' Galigari, e de' Tebalducci, Gugialferri, Abbati, e de' Buonaguisi, e de' Compiobbesi, e degli Alepri, Chiarmontesi, e Malpigli, e feciono uno grande danno, e molti della vicinanza arsono ciò, che aveano in questo mondo, e a più altri vicini dintorno.

CAP. CCXXVI.

Come trovandosi i Fiorentini in buono stato feciono fare nuove mura alla Città.

NEl detto anno di Febbrajo essendo i Fiorentini in buono stato, e la Città cresciuta di popolo, e di grandi borghi, così ordinarono d' accrescere il circuito della Città, e incominciarono a fondare le nuove porti; onde poi conseguirono le nuove mura, cioè quelle di Santo Ambrogio, e quelle da Santo Gallo in su Mugnone, e quelle delle donne di Faenza in sul Mugnone, e quelle del Prato a Ognisanti, e rimase il lavoro innanzi che fossero all' arcora, per la novella che venne, che 'l Prenze Carlo era stato isconfitto in mare da Ruggieri di Loria. E in questo tempo si fece per lo Comune la Loggia sopra la piazza d' Orto Santo Michele, ove si vendea il grano, e allastricossi, e ammattonossi intorno, la quale era allora molto bella opera. E nel detto anno si cominciò a rinnovare la Badia di Firenze, e fecesi il coro alla cappella che viene in sulla via del Palagio, e 'l tetto, che in prima era la Badia più addietro piccola, e disorrevole.

CAP. CCXXVII.

Come Papa Martino morì in Perugia.

NEgli anni di Cristo mille dugento ottantacinque Papa Martino morì in Perugia adì quattordici di Marzo, e ivi fu seppellito. Questi fu buono uomo, e molto favorevole a Santa Chiesa, e a quegli della casa di Francia, perchè era nato di Thos in Torrena in Limosino, che è nel Reame di Francia. E poi la Domenica prima d' Aprile negli anni di Cristo mille dugento ottanta sei fu eletto Papa Onorio quarto della casa de' Savelli gentiluomini di Roma, e vivette nel Papato due anni, e due dì. E nel detto anno i Pisani presono cinque navi grosse de' Genovesi, e più altri legni di Catalani, e Ciciliani, i quali venivano di Romania, e di Cicilia, e per forza, e per fortuna di tempo, e di grande vento fuggirono in porto Pisano, non potendo ischifare, e parte ne perirono. I Pisani vi trassono a piè, e a cavallo, e presono i detti navili; onde i Genovesi ricevettono grande danno di più di cinquanta migliaja di fiorini, e gli uomini rimasono prigioni; e i legni de' Catalani, e Ciciliani furono mendi per gli Pisani.

CAP.

Digitized by Google

CAP. CCXXVIII.

Come il Conte Guido da Montefeltro venne alle comandamenta della Chiesa.

NEl detto anno mille dugento ottanta sei, essendo Papa Onorio de' Savelli di Roma, il Conte Guido da Montefeltro, il quale più tempo avea ottenuto occupata la Provincia di Romagna, siccome tiranno contro alla Chiesa di Roma, e già perduto per lo detto Conte la Città di Faenza, e quella di Cerbia, e rendute all' ubbidienza di Santa Chiesa, e il detto Conte Guido venne con A patto ordinato a' comandamenti di Santa Chiesa, e del detto Papa, il quale gli perdonò, e mandollo a confini in Piemonte, e tenne due suoi figliuoli per istatichi, e riformò tutta Romagna a ubbidienza di Santa Chiesa, e mandovvi il Papa per Conte Gilon Durante di Provenza.

Infino a questo punto, e luogo iscrisse, come abbiamo detto addietro, e fu iscritto per Ricordano de' Malespini, e per Giachetto di Francesco suo nipote de' detti Malespini orrevoli cittadini, e gentiluomini di Firenze, ed ebbono le dette iscritture, come si disse addietro, d'iscritture venute da Roma, e della Badia di Firenze, e di più altri luoghi.

Quì finisce la Cronica de' fatti di Roma, e di Fiesole, e di Firenze, e di più altre cose, e luoghi, iscritte, e rassemprate per i sopraddetti Ricordano, e Giachetto de' Malespini di Firenze. Deo gratias. Amen.

Digitized by Google

Digitized by Google

SYNODUS
PROVINCIALIS

ANNO MCCLXXXVII.

MEDIOLANI HABITA

A B

OTTONE VICECOMITE

ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSE.

ACCEDUNT

CONSTITUTIONES GUIFREDI

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALIS,
ET LEGATI APOSTOLICI.

Omnia nunc primùm prodeunt

EX MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN SYNODUM MEDIOLANENSEM ANNI MCCLXXXVII.

PRAEFATIO LUDOVICI ANTONII MURATORII.

NOn ad Ecclesiasticam tantum eruditionem, sed & ad dignoscendos temporum mores, non parum conducere solent Acta & Decreta Conciliorum: neque enim Cleri tantum disciplinam, sed etiam Secularium hominum vitam ea occasione componendam praeponere sibi consuevere Patres. Propterea quum olim descripsissem, atque in adversaria mea conjecissem Synodum Provincialem Mediolani habitam ab Ottone Vicecomite Mediolanensi Archiepiscopo, cujus Acta hactenus delituere, opportunum duxi Collectioni huic tamdem adjungere, tum ad incrementum publicae eruditionis, tum etiam ad nobilissimae Mediolanensis Ecclesiae decus. Celebrata est illa Synodus Anno 1287. in Metropolitana Basilica Sanctae Teclae, interfueruntque aut Episcopi, aut Procuratores Episcoporum, & Capitulorum Ecclesiarum, quae tunc Metropolitae Mediolanensi suberant. Ejusdem vero mentionem minime omisit celebris rerum Mediolanensium Scriptor Bernardinus Corius, qui in Historiis suis ad Annum 1287. etiam auctor est, in eo Concilio acrem excitatam fuisse animorum contentionem inter Brixiensem & Vercellensem Episcopos, quod uterque sibi assereret sessionis locum ad Archiepiscopi dexteram, ita ut *Vercellensis interposita prius ad Romanum Pontificem appellatione, inde statim recesserit*. Si eidem Corio fides, *pridie Idus Septembris, die Veneris* praememorati Anni, convenere Patres, eaque die Constitutiones infra edendas promulgavere. Neque abnuo ego, nisi quod Anno 1287. in diem XII. Septembris minime cecidit sexta Feria. Refert etiam Corius aliquot ex Canonibus ibi editis, quorum tamen sensum tutius ex Actis ipsis petere juvat; nam sive ob incuriam Typographorum, aut propter vitiatos Codices, Corius satis expressisse mentem Patrum minime videtur. Scribit ille, constitutum fuisse in ea Synodo: *Che nessuno Ecclesiastico non andasse ne i Monasteri, nè ivi tenesse bisdancia, nè prestasse bisdancia, sotto pena di scomunicazione*. Ita vero se habet Canon Quinctus: *Nulla persona Ecclesiastica in domibus Monasterii, vel Ecclesiarum, seu etiam alibi, teneant biscatiam, nec mutuent in biscatia*. Adhuc apud Mutinenses, immo & apud Thuscos, in usu sunt haec vocabula *Bisca & Biscazza*, quibus significantur loca publica, quo multi confluunt ad ludendum ludum alearum aut talorum, non voluptatis sed quæstus gratiâ. Ipse etiam ludus *Biscazza* olim appellabatur. In Statuto Bononiensi Lib. V. Rubric XLVII. interdicitur, ne quis ludat *ad aliquem ludum taxillorum, seu ad aliquod genus Biscazariae taxillorum*. Infra edicitur, ne quis *debeat mutuare ad ludum, seu occasione ludi Biscazariae in sua domo, vel alio loco*. Simili modo in Statuto Regiensi Lib. III. Cap. CIII. vetantur homines ludere *ad aliquem ludum taxillorum, & chartarum, nec ad aliquem alium ludum Bischizariae in Civitate* &c. Deinde additur: *Nullae obligationes, impignationes* &c. *factae tempore, vel occasione ludi, vel Bischizariae, valeant* &c. Ex his veram vocabuli significationem habes. Sed iterum audiamus eumdem Corium, alterius Canonis sensum nobis edisserentem: *Che gli Abati, Priori, Monachi, Canonici Regolari, Abbatesse, e Monache non giocassero a' dadi, e non andassero a funerale alcuno*. Distinguenda haec erant; ibi enim *Abbatissae* tantum, vel *Moniales, ad exequias mortuorum ire probibentur*. Reliqua mitto. Ughellius etiam in Catalogo Archiepiscoporum Mediolanensium Tom. IV. col. 283. Ital. Sacr. Concilium hoc memoravit, addens, *magnam illam contentionem de dignatione, quae inter Brixianum & Vercellensem Episcopos per id tempus vertebat, ad aequilibrium exactissimi juris* ibi fuisse expensam.

Post

Post Mediolanense Concilium in MSto Codice succedebant *Constitutiones Domini Coelestini Legati in Lombardia*. Cur hic titulus appositus fuerit, quum infra Legatus ille Sedis Apostolicae se *Guifredum tit. Sancti Mauritii Presbyterum Cardinalem* appellet, divinent alii. Rursus quo Anno haec ille promulgaverit in conventu Laudensi, praesentibus Archiepiscopo, & Episcopis Provinciae Mediolanensis, ignotum profecto mihi fateor. Attamen veri videtur simile, vel paulo ante, vel circiter eumdem Annum 1287. Legatum hunc Apostolicum ad Insubres missum, quum adhuc ibi Manichaeorum semina vigentia falcem exposcerent. At de illo nil aliud mihi dicendum succurrit, nisi quod iisdem temporibus floruit *Gaufridus S. R. E. Cardinalis*; sed quum is titulum *Sanctae Susannae* praeferret, *Guifredus* autem titulum *Sancti Mauritii*; unum cum altero miscere minime ausim. Ceterum haec per me olim deprompta fuere ex Ambrosianae Bibliothecae Codice MSto, D. 233. in fol. sed nullius antiquitatis. Ut enim ibi adnotatum fuerat, ille magni nominis vir, omniumque proborum laude ac immortalitate dignus Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis, *Fridericus Bonromaeus* senior, ipsius Bibliothecae parens, exemplum ejusdem Concilii Mediolanensis, & Constitutionum Laudensium impetrarat *ab Episcopo Vercellensi*, nempe, ut arbitror, ab Augustino Ferrerio, apud quem conjicere fas est adservata fuisse Acta haec primigenia. Omnia autem digna videntur, quae in Conciliorum Collectiones, ubi hactenus desiderata sunt, inferantur.

SYNO-

Digitized by Google

SYNODUS MEDIOLANENSIS

HABITA ANNO MCCLXXXVII. IND. I.

SUB OTTONE ARCHIEPISCOPO.

Incipiunt Capitula, seu Rubricæ Constitutionum Domini Ottonis Archiepiscopi Mediolani.

I. *Quòd statuta Romanorum Pontificum observentur.*

II. *Quòd statuta contra Hæreticos observentur.*

III. *Quòd hæc statuta, & alia observentur.*

IV. *Quòd Abbates, & Monachi Sancti Benedicti, Priores, Præpositi, ac Canonici Sancti Augustini compellantur per Diœcesanos hæc observare.*

V. *Quòd Clerici, vel Moniales non ludant, nec corehizent, nec teneant biscatiam, vel ibi præstent.* B

VI. *Quòd Clerici non utantur venationibus.*

VII. *Quòd Clerici contra Laicos non caussentur.*

VIII. *Quòd nullus Secularis detineat personas, vel res Ecclesiasticas.*

IX. *Quòd nullus faciat statutum contra excommunicatores, vel interdictores.*

X. *Quòd nullus faciat statuta contra Fidem, vel Ecclesiasticam libertatem.*

XI. *Quòd nullus proponat in concionibus aliquid contra Fidem, vel Ecclesiasticam libertatem.* C

XII. *Quòd Ecclesiasticæ personæ non præstent caussa lucri.*

XIII. *Quòd nullus invadat, vel usurpet bona Ecclesiastica.*

XIV. *Quòd nullus alienet bona Ecclesiastica.*

XV. *Quòd nullus noviter locum ædificans compellat circumstantes ad illum locum congregari.*

XVI. *Quòd nullus celet fraudulenter Ecclesiastica Feuda, vel alia bona.*

XVII. *Quòd nullus teneat modo illicito bona Ecclesiastica.*

XVIII. *Quòd Episcopi in Synodis exponant de perjuris, & infamibus.* D

XIX. *Quòd nullus falsificet instrumenta, vel literas.*

XX. *Quòd Sacerdos Parochialis denunciet Diœcesano infra mensem de ordinationibus Defunctorum.*

XXI. *Quòd nullus detineat legata ad pias caussas.*

XXII. *Quòd Parochialis Ecclesia habeat tertiam partem de legationibus Ecclesiæ factis; & quòd nullus inducat infirmum sepeliri alibi, quàm in sua Ecclesia Parochiali.*

A XXIII. *Quòd nullus audiat Confessiones sinè licentia.*

XXIV. *Quòd nullus construat Oratoria sinè licentia.*

XXV. *Quòd nullus audiat ad Confessionem alienos Parochianos, vel recipiat ad Divina.*

XXVI. *Quòd Humiliati obediant suo Diœcesano.*

XXVII. *Quòd nullus prædicet sinè licentia.*

XXVIII. *Quòd nullus stet excommunicatus per annum.*

XXIX. *Quòd nullus recipiat ignotos ad Ordines, vel celebrandam Missam, vel conferat Oleum, vel Chrisma sinè literis commendatitiis.*

OTto Dei, & Apostolicæ Sedis gratiâ Sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopus. Universis literas præsentes inspecturis, salutem in Domino Jesu Christo.

Quia hominum malitia prævalente Caritas refrigescit, Fides subtrahitur, attenuatur Ecclesiæ devotio, & libertas Ecclesiastica usurpatur, Nos ad honorem Dei Patris omnipotentis, & B. Mariæ Virginis gloriosæ, & Sancti Ambrosii Confessoris patroni nostri, & animarum salutem, & subditorum nostrorum ædificationem, & immunitatem Ecclesiæ conservandam, & reprimendam malitiam perversorum: Præsentibus, & assistentibus nobis in Provinciali Concilio venerabilibus Fratribus, & Suffraganeis nostris Brixiensi, Novariensi, Laudensi, Taurinensi, Cremonensi, Astensi, & Vintimiliensi Episcopis, ac Electo Aquensi; Archipresbytero, & Ordinariis Mediolanensis Ecclesiæ; Ascherio Archidiacono Alexandriæ, & Magistro Petro Goltitesta Canonico Laudensi Procuratoribus Astensis Episcopi; Vicedomino, Præposito, & Joanne de Ferraria Canonico Ecclesiæ Brixiensis pro Capitulo ejusdem Ecclesiæ; Archidiacono, & Archipresbytero Novariensibus pro Capitulo ejusdem Ecclesiæ; Jacobo Cimiterio, & Magistro Petro Gelintesta Canonicis Ecclesiæ Laudensis pro Capitulo ejusdem Ecclesiæ; Andriolo de Gavio, & Amadeo Parie Canonicis Ecclesiæ Terdonensis pro Capitulo ejusdem Ecclesiæ Sede vacante; Magistro Germano Canonico Astensi pro Capitulo Astensis Ecclesiæ; Præposito, & Bartholomæo Prando Canonico Ecclesiæ Taurinensis pro Capitulo ejusdem Ecclesiæ; Oberto de Monescalo Canonico Ecclesiæ Aquensis pro Capitulo ipsius Ecclesiæ; Præposito Nantelino de Adelapsiis, Pergamino de Nembro, & Robacastello de Nuzo Canonicis Ecclesiæ Pergamensis pro Capitulo ejusdem Ecclesiæ; Archipresbytero, & Guifardo de Perisco Canonico Ecclesiæ Cremonæ pro Capitulo ejusdem Ec-

Ecclesiæ; Archidiacono, & Savino Canonico Ecclesiæ Ipporegiensis pro Capitulo ejusdem Ecclesiæ; Archidiacono, & Gullermo Ruxato Canonico Ecclesiæ Albensis pro Capitulo ejusdem Ecclesiæ; Presbytero Anselmo de Castello Canonico Ecclesiæ Saonensis, & Vicario Capituli Sede Vacante pro Capitulo ejusdem Ecclesiæ; Præposito, & Presbytero Ottone Canonico Ecclesiæ Vintimiliensis pro Capitulo ejusdem Ecclesiæ; Præposito, Presbytero Anselmo, Præposito Sanctæ Mariæ Albinganensis pro Capitulo ejusdem Ecclesiæ; Anscherio Archidiacono, Rufino Archipresbytero, Joanne Merlono Canonico Ecclesiæ Alexandriæ pro Capitulo ejusdem Ecclesiæ; Sancti Constantii, & de Colla Monasteriorum Abbatibus infrascriptis; Constitutiones, & Statuta in hac Ecclesia Sanctæ Teglæ Mediolanensis, hoc sacro Concilio ap robante, facimus, & solemniter promulgamus, ac promulgamus, auctoritate, mandato, & privilegiis Sedis Apostolicæ, & Legatorum ejus in omnibus semper salvis.

CAPITULUM I.

Quòd statuta Romanorum Pontificum observentur.

IN primis monemus, indicimus, ac hortamur, ut Constitutiones, & Statuta Sanctorum Patrum, Canones, Concilia, & Decretales Romanorum Pontificum inviolabiliter observentur.

CAP. II.

Quòd statuta contra Hæreticos observentur.

ITem monemus, & indicimus, ac hortamur, ut Concilia, & statuta à Sanctis Patribus, & Summis Pontificibus edita, necnon leges quondam Federici Imperatoris promulgatæ contra hæreticam pravitatem, & pro libertate Ecclesiastica inviolabiliter observentur.

CAP. III.

Quòd hæc statuta, & alia præcedentia observentur.

ITem statuimus, quòd Prælati, & Clerici seculares omnes Constitutiones, & ordinamenta, editas, & edita tam per Legatos Sedis Apostolicæ, quàm per nos, & Prædecessores nostros, & suffraganeos Mediolanensis Ecclesiæ, & Prædecessores eorum tam super cultu Divino, quàm super vita & honestate Clericorum debeant inviolabiliter observare.

CAP. IV.

Quòd Abbates, & Monachi Sancti Benedicti, Priores, ac Canonici Sancti Augustini ista observent.

ITem statuimus, quòd Abbates, & Monachi Regulam Sancti Benedicti, Priores & Præpositi, ac Canonici Regulares Regulam Beati Augustini inviolabiliter observent, & per Diœcesanos locorum ad prædicta compellantur.

CAP. V.

Quòd Clerici, vel Moniales non ludant, nec corebizent, nec teneant biscatiam, vel ibi præstent.

ITem statuimus, quòd Abbates, Priores, Præpositi, & Monachi, & Canonici Regulares, necnon Abbatissæ, & Moniales ad aleas, vel taxillos non ludant, nec corehizent.

Abbatissæ, vel Moniales ad exequias mortuorum non vadant. Nulla persona Ecclesiastica in domibus Monasterii, vel Ecclesiarum, seu etiam alibi, teneant biscatiam, nec mutuent in biscatia; & qui contra fecerit sit excommunicatus.

CAP. VI.

Quòd Clerici non utantur venationibus.

ITem prohibemus Abbatibus, Prioribus, Monachis, Canonicis Regularibus, & Religiosis quibuscumque, ne canes, accipitres, austures, vel falcones ad venandum habeant, teneant, vel teneri faciant, nec hujusmodi venationibus. aut vagationibus utantur. Qui si moniti per Diœcesanum proprium se culpabiles exhibuerint in præmissis, auctoritate hujusmodi Constitutionis ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, quam si per mensem sustinuerint animo indurato, pœna graviori puniantur.

CAP. VII.

Quòd Clerici cum Laicis non causentur.

ITem quia nonnulli Seculares Potestatis gerentes officium, libertatem & immunitatem Ecclesiasticam lædere ac imminuere molientes, tamquam invidi honoris & privilegii Ecclesiastici, Ecclesiasticas coram se litigare personas compellunt contra Canonicas sanctiones: Statuimus, quòd venientes Clerici coram eis, quos fore Clericos habitus & Clericalis tonsura demonstrat, allegato privilegio coram ipsis; si Justitiarii, vel seculares compulsioni nihilominus institerint, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, à qua nullatenus absolvantur, nisi ab hujusmodi compulsione destiterint, & de damnis, interesse, & expensis, quæ, & quas ob hoc sustinuerint, per ipsos Justitiarios, seu Judices Seculares fuerit satisfactum, eorum processibus, & sententiis habitis in hujusmodi quæstionibus, & prolationibus, nil omnino roboris habituris.

CAP. VIII.

Quòd nullus Secularis detineat personas, vel res Ecclesiasticas.

ITem quum sint aliqui, qui personas Ecclesiasticas, & res earum capiunt & invadunt, & personas easdem carceribus, seu vinculis mancipatas, & res detinent; & quum à Judicibus Ecclesiasticis admonentur, quòd res & personas Ecclesiasticas reddant & liberent, ut res & personas easdem possint impunè detinere, diutiùs malitiosè negant, se res illas, vel per-

Digitized by Google

personas cepisse, vel occupasse, & detinere: Quare eorum quotidianis fraudibus occurrentes, deliberatione provida duximus statuendum, ut sive loci Dominus fuerit, sive Rector, sive quocumque nomine nuncupetur, teneatur jurare, se rem illam, vel personam non detinere, nec detineri facere, nec dolo vel malitia desiisse habere, & nec deliberandi, nec restituendi potestatem habere. Qui si juramentum hoc præstare noluerint, quum eo ipso culpabiles videantur, excommunicationis vinculo sint adstricti.

CAP. IX.

Quòd nullus faciat statutum contra excommunicatores, vel interdictores.

ITem statuimus & ordinamus, quòd quicumque statutum, præceptum, bannum, decretum, seu interdictum fecerint, seu fieri fecerint, aut factum servaverint, aut dederint auxilium, consilium, vel favorem, contra excommunicatores, vel denunciatores sententiarum excommunicationum, vel interdictorum, vel observationes ipsarum, publicum, vel occultum: denuntientur excommunicati per totam Provinciam nostram. Post quam denuntiationem Diœcesanus, si sibi expedire videbitur, cessari faciat à divinis in loco, vel locis, in quo, vel quibus morabuntur, vel ad quæ venerint taliter excommunicati, quamdiu moram fecerint in eisdem; nec absolvantur, donec satisfecerint competenter de damnis & injuriis propter hoc Ecclesiæ & Ecclesiasticis personis illatis.

CAP. X.

Quòd nullus faciat statuta contra Fidem, vel Ecclesiasticam libertatem.

ITem statuimus, quòd omnes illi Rectores, & Potestates, qui de cetero fecerint, seu consenserint aliquid fieri contra Fidem Catholicam, vel Ecclesiasticam libertatem, necnon omnes & singuli, qui super hoc dederint auxilium, consilium, vel favorem publicè, vel privatim, sint ipso facto excommunicationis vinculo innodati, & tamquam excommunicati ab omnibus evitentur.

CAP. XI.

Quòd nullus proponat in concionibus aliquid contra Fidem, vel Ecclesiasticam libertatem.

ITem statuimus, quòd nullus in conciliis, vel concionibus alicujus Civitatis, Castri, Burgi, seu Villæ, aut Universitatis, Collegii, seu Societatis, præsumat arengare, proponere, seu alio quocumque modo dare auxilium, consilium, vel favorem super aliquibus factis, vel faciendis, quod redundet in Hæreticorum favorem, ac læsionem Catholicæ Fidei, vel Ecclesiasticæ libertatis. Alioquin excommunicationem incurrant ipso facto; & nihilominus sit notatus tamquam suspectus de hæretica pravitate, & etiam Feudis, & beneficiis, quæ ab Ecclesiis, seu Monasteriis, vel eorum, seu eorum Vassallis detinet, necnon Jurepatronatus, sive Advocatiæ, si quid in aliquibus habet Ecclesiis, omnino sit privatus.

CAP. XII.

Quòd Ecclesiasticæ personæ non præstent caussa lucri.

ITem statuimus, ut nullus Prælatus, aut Clericus Secularis, vel Religiosus, cujuscumque sit conditionis, præeminentiæ, seu status, à quocumque, penes quem deponit pecuniam, seu ab alio nomine ipsius, per se, vel per alium, emolumentum aliquod ratione ipsius depositi pacifcatur habere, sive in specialibus, & expressis verbis, sive generalibus, quibuscumque utantur. Quòd si quis hujusmodi nostræ constitutionis violator exstiterit, volumus & mandamus, quòd depositario contra deponentem exceptio competat ad emolumentum hujusmodi non solvendum; & si solverit, actionem habeat contra taliter deponentem ad recipiendum qua ratione solvit eidem. Qui verò depositum hujusmodi fecerit, vel fieri fecerit, & emolumentum aliquod ratione hujusmodi depositi pactus fuerit habere, vel recipere per se, vel per alium, sententiam excommunicationis incurrat.

CAP. XIII.

Quòd nullus invadat, vel usurpet bona Ecclesiastica.

ITem statuimus, quòd nulla Ecclesiastica, Secularisve persona, cujuscumque ordinis, status, conditionis, aut dignitatis existat, Ecclesias, Ecclesiarum possessiones, domos, jurisdictiones, vasallos eorum, Feudum, seu bona, & jura quæcumque ad illas spectantia, invadere, occupare, usurpare, aut capere, seu detinere, vel occupatoribus, invasoribus, detentoribus, usurpatoribus, & capientibus, consilium, auxilium, vel favorem publicum, vel occultum per se, vel per alium præstare præsumat. Et si quis Ecclesias, Ecclesiarum possessiones, domos, jurisdictiones, aut vasallos, seu eorum jura, & bona quæcumque ad illas spectantia, invaserint, occupaverint, aut capere, seu detinere præsumserint; Ecclesias ipsas, & ipsarum jura, possessiones, & bona superiùs nominata infra duos menses à publicatione præsentis constitutionis in Civitate Mediolani, ac in ejus Diœcesi, in aliis verò Civitatibus nostræ Provinciæ, & Diœcesibus earumdem, infra similem terminum, ex quo præsens constitutio in eisdem fuerit publicata, liberè & absolutè dimittat, reddat, & restituat, & relaxet, ut ipsis Ecclesiis per illos, ad quos de jure in eisdem electio, vel collatio, aut præsentatio, seu provisio pertinet, de personis idoneis valeat provideri. Qui verò contra hujusmodi nostræ constitutionis tenorem facere, vel venire præsumserit, si fuerit persona Ecclesiastica, quæ Ecclesiam taliter occupabit, vel occupaverit, seu detinuerit, non solùm Ecclesiâ taliter occupatâ, vel detentâ, verumetiam omnibus beneficiis Ecclesiasticis, quæ infra nostram Provinciam obtinet, eum præsentis Concilii auctoritate privamus. Si verò eadem persona Ecclesiastica non Ecclesiam, sed jura præmissa, vel aliquid præmissorum detinet occupata, & infra præfixum tempus liberè & absolutè non dimiserit, aut de cetero occupabit, excommunicationis vinculo

culo sit adstricta. Quam si spatio duorum mensium sustinuerit animo indurato, ex nunc omnibus beneficiis, quæ infra nostram Provinciam obtinet, sit privata. Laicus autem si quid tenet, perdat, & excommunicationis vinculo sit adstrictus, à qua, nisi satisfecerit competenter, non valeat absolutionis beneficium obtinere. Quam sententiam si per tres menses sustinuerit animo indurato; & per Dioecesanum passi injuriam requisitus, infra eumdem terminum liberè & absolutè non restituerit; vel si dictum detentorem requirere non audebit, & post denuntiationem factam per ipsum in loco publico, quo ad dictum invasorem possit dicta denuntiatio pervenire, Ecclesiam vel bona occupata, vel invasa non restituerit: Terra propria, si quam habet, seu tenet alibi infra nostram Provinciam, quamdiu invasori obedierit, supposita sit Ecclesiastico interdicto. Et nisi ante necessitates ultimas tam persona Ecclesiastica, quàm Secularis sibi de hujusmodi absolutione providerit, quamvis in mortis articulo non sit ei, si pœnituerit, absolutio, vel Communio deneganda: tamen Ecclesiastica careat sepultura, donec Ecclesia occupata, aut detenta per eum, aut jura, & bona præmissa absolutè & liberè dimittantur, ac de fructibus eisdem ad mandatum Ordinarii, vel ejus Vicarii fuerit satisfactum. Omnesque Religiosos, & Clericos Seculares, qui tales scienter ad Ecclesiasticam sepulturam receperint, ab officio & beneficio per annum decernimus fore suspensos.

CAP. XIV.

Quòd nullus alienet bona Ecclesiastica.

ITem præsenti Constitutione statuimus, quòd nulla persona Ecclesiastica nostræ Provinciæ, possessiones, vel res immobiles, aut jura Monasteriorum, Ecclesiarum, & Hospitalium, & aliorum locorum venerabilium, seu thesaurum, Libros, vel paramenta quocumque titulo distrahat, alienet, vel pignori obliget sinè Diocesani licentia speciali. Quòd si contra factum fuerit, hujusmodi distractiones, alienationes, vel pignorum obligationes nullæ sint ipso jure, nec per eas emtoribus, vel creditoribus jus aliquod acquiratur. Et nihilominus distrahentes, alienantes, vel pignori obligantes, ipso jure hac præsenti Constitutione, officio, & beneficio sint suspensi, quousque per Dioecesanum suspensionem hujusmodi contigerit relaxari. Recipientes verò scienter bona prædicta, vel aliquod prædictorum in pignore, vel alio modo illicito, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

CAP. XV.

Quòd nullus noviter locum ædificans compellat circumstantes ibi congregari.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si aliquis Rector, vel alius Dominus temporalis, seu Civitas, Commune, aut alius locus Villam, Burgum, vel alium locum de novo construxerit, aut construere voluerit, homines alicujus Ecclesiæ compellere, vel compelli facere per se, vel per alium non præsumat, ut caussa habitandi se transferant ad Villam, vel Burgum, seu locum constructum, aut construendum de novo. Prohibentes etiam, ne prædictæ personæ, seu loca de possessionibus hominum Ecclesiæ, quominus in jurisdictione, & dominio Ecclesiæ remaneant, se modo aliquo intromittant. Qui verò contra prædicta facere attentabit, si Rector fuerit, vel alius Dominus temporalis, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat; & Terra, si quam infra nostram Provinciam obtinet, quamdiu eidem obedierit, sit supposita Ecclesiastico interdicto. Civitas autem, Commune, seu locus alius, quæ, vel qui contra nostram Constitutionem facere attentabit, ipso facto Ecclesiastico subjaceat interdicto: quod interdictum relaxari non possit, nisi per Dioecesanum, in cujus Civitate, vel Dioecesi damnum fuerit irrogatum.

CAP. XVI.

Quòd nullus celet fraudulenter Ecclesiastica Feuda, vel alia bona.

DE his autem, qui scienter Ecclesiastica Feuda celant, vel alia bona immobilia ad Ecclesiam pertinentia, si infra duos menses à tempore publicationis hujusmodi; eadem ab Ecclesia recognoscere, & id quod debent Ecclesiæ, & personis Ecclesiasticis facere jure Feudi, vel alio contextu, seu alio justo modo facere, solvere, seu restituere contradicent; auctoritate præsentis Concilii sententiam excommunicationis incurrant. Quam si per annum sustinuerint animo indurato, ipso facto cadant à jure Feudi, & ab omni alio jure, quo tenebant, et tenuerunt prædicta bona, & ad Ecclesiam revertantur. Et hanc nostram constitutionem per singulas Parochias singularum Dioecesum semel in anno præcipimus publicari.

CAP. XVII.

Quòd nullus teneat modo illicito bona Ecclesiastica.

ITem statuimus, quòd quicumque habet, vel tenet modo illicito Cruces, Calices, Paramenta, & Libros, seu quæcumque alia bona divino cultui deputata, Ecclesiæ, vel illi, cujus est, infra duos menses à tempore publicationis hujusmodi restituere debeat & consignare; & si ignorat cujus Ecclesiæ sit, vel fuerint, aut illam personam, cujus fuerint, Dioecesano, vel Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, si vacaret, consignet. Alioquin excommunicationis vinculo sit adstrictus.

CAP. XVIII.

Quòd Episcopi in Synodis exponant de perjuris, & infamibus.

ITem statuimus, ut singuli Episcopi in suis Synodis publicè exponere non omittant, quòd perjuri, & infames sunt ab omni actu legitimo repellendi, nec merentur Ecclesias regere, & alias pœnas, quibus propter perjurium sunt adstricti. Injungentes Sacerdotibus Parochialibus, ut & ipsi in suis Ecclesiis sæpiùs prædicta publicent, ne prætextu ignorantiæ occasionem habeant perjurandi.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XIX.

Quòd nullus falsificet Instrumenta, vel literas.

ITem statuimus, ne aliquis Religiosus, Clericus, seu Laicus contrafaciat, vel contrafieri faciat, aut falsificet, vel falsificari faciat literas nostras, vel Dioecesanorum nostrorum, seu instrumenta coram nobis, vel Dioecesanorum nostrorum aliquo confecta, vel rogata, vel quibus nos impartimur auctoritatem, aut aliquis ex suffraganeis nostris. Et si quis contra fecerit, excommunicationis vinculo sit adstrictus.

CAP. XX.

Quòd Sacerdos Parochialis denuntiet Episcopo de ordinationibus defunctorum infra mensem.

ITem statuimus & mandamus, quòd quicumque alicujus ultimæ voluntatis exequutionem susceperit, ante omnia, quæ defunctus ad pias caussas, & pro malè ablatis restituendis, & de bonis suis distribuenda, & reddenda mandaverit, expediat exequutor, nisi defunctus aliud jusserit faciendum, quo facto quæ prædiximus exequatur. Circa quod volumus, quòd Parochialis Sacerdos defuncti infra mensem à die obitus testatoris, vel quo eum defunctum cognoverit, per se, vel per alium Dioecesano loci, vel ejus Officiali, necnon defuncti, & exequutoris ipsius, denuntiet, quid, & quantum pro prædictis casibus legaverit, referat, & exponat; & tunc Dioecesanus, vel Officialis ipsius eumdem exequutorem compellat secundùm voluntatem defuncti, quæ præmissa sunt, adimplere. Sacerdos autem, qui denuntiationem prædictam Dioecesano, vel ejus Officiali faciendam scienter omiserit, excommunicetur.

CAP. XXI.

Quòd nullus detineat legata ad pias caussas.

ITem statuimus, quòd quicumque legata, seu relicta ad pias caussas detinet occupata, vel de cetero occupabit, nisi infra mensem a tempore hujusmodi publicationis restituerit, seu impedierit, quominus distribui possint secundùm voluntatem testatoris, sententiam excommunicationis incurrat.

CAP. XXII.

Quòd Parochialis Ecclesia habeat tertiam partem de legationibus Ecclesiæ factis, & quòd nullus inducat aliquem sepeliri nisi in sua Ecclesia Parochiali.

ITem statuimus, ut de cetero Parochialis Ecclesia tertiam habeat portionem de his, quæ testator legaverit Ecclesiæ, ubi elegerit sepulturam, & de oblationibus faciendis circa exequias sepulturæ, nisi in aliquibus locis ratione compensationis, vel consuetudinis certum aliud observetur. Et quòd aliquis dolum, vel fraudem non committat in his, quæ legaverit, vel legare voluerit aliquis pro anima sua, & de oblationibus, ut Ecclesia Parochialis defraudetur Canonica portione. Et non inducat, seu induci faciat, quòd aliquis sepulturam eligat alibi, quàm in Ecclesia sua. Et qui contra fecerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

CAP. XXIII.

Quòd nullus audiat Confessiones sinè licentia.

ITem statuimus, ne quis Sacerdos Religiosus, seu Secularis, alterius Clerici, vel Laici (excepto quum mortis articulo imminente Sacerdotem proprium habere non possit) nisi de licentia Dioecesani, vel proprii Sacerdotis, Confessiones audiat, & poenitentiam injungat, vel absolvat eumdem. Et si quis contra fecerit, excommunicationis vinculo sit adstrictus.

CAP. XXIV.

Quòd nullus constituat Oratoria sinè licentia.

ITem statuimus, quòd nullus Clericus, vel Secularis, aut etiam Laicus Oratoria, Altaria, vel Capellas, seu Ecclesias in locis non exemtis sinè Dioecesanorum ipsorum licentia construat, vel construi faciat, nec in jam constructis, vel construendis divina tentet Officia celebrare. Si verò in loco exemto constructum fuerit Oratorium, vel Capella, nullus ibidem celebrans aliquem de grege alteri credito recipiat ad divina. Nullus insuper exemtus in locis non exemtis prædicta faciat, nec in eisdem, quum ab Ordinario fuerit interdictum, celebret, vel faciat celebrari divina. Nec etiam in exemtis hoc ipsum exemti faciant, nisi super his licentiam Sedis Apostolicæ habeant, vel ipsius privilegium speciale, de quibus licentia, & privilegio infra XV. dies à tempore præsentis interdicti Dioecesano, vel Officiali ipsius, aut ei, quem ad hoc deputaverit, fiat fides. Qui autem contra hanc constitutionem faciet, eum in his scriptis excommunicationis vinculo innodamus.

CAP. XXV.

Quòd nullus audiat ad Confessionem alienos Parochianos, vel recipiat.

ITem quia Humiliati indifferenter officium prædicationis usurpant, Confessiones audiunt, injungunt poenitentias, & absolutiones concedunt, necnon Parochianos alienos recipiunt ad divina: hoc duximus statuendum, quòd si super hoc à Sede Apostolica, vel Legatis ipsius, aliquo privilegio, vel privilegiis asserunt, seu credunt se fore munitos, infra tres menses, postquam præsens constitutio fuerit in Civitate nostra, & Civitatibus nostræ Provinciæ publicata, Dioecesano, vel ejus Officiali, aut Capitulo Cathedralis Ecclesiæ, si vacaret, vel ejus Vicario, de hujusmodi privilegio, seu privilegiis faciant plenam fidem. Alioquin eos, & eorum quemlibet auctoritate præsentis Concilii admonemus primò, secundò, tertiò, ut à prædictis desistant; quòd si prædicta facere, vel aliquid prædictorum præsumserint, ipsos, & eorum quemlibet excommunicationis vinculo innodamus.

CAP.

CAP. XXVI.

Quòd Humiliati obediant suo Diœcesano.

ITem statuimus, quòd Humiliati suo Diœcesano obediant, & quòd dodias, fodra, & collectas unà cum alio Clero solvant.

CAP. XXVII.

Quòd nullus prædicet sinè licentia.

ITem quum quidam indifferenter officia prædicationis usurpare conentur, statuimus, quòd nullus Secularis Clericus, vel Religiosus, aut etiam Laicus, cujuscumque ordinis, status, aut scientiæ glorietur, prædicare audeat, vel præsumat, nisi à Sede Apostolica, vel Legatis ipsius super his privilegium habuerit speciale, vel à Diœcesano loci hoc sit eidem commissum. Et si quis contra fecerit, auctoritate præsentis Concilii excommunicationis vinculo sit adstrictus. Et si quæstuarii fuerint, qui aliqua in prædicationibus hujusmodi lucrati fuerint, vel acquisierint, licitè possit eis auferri, & auferentium fiant. Nolumus tamen, quòd Presbyteri in Cathedralibus Ecclesiis existentes hac constitutione ligentur.

CAP. XXVIII.

Quòd nullus stet excommunicatus per annum.

ITem statuimus in præsenti Concilio, & volumus per totam nostram Provinciam firmiter observari, quòd si Laicus excœcata & obstinata mente adeò fuerit induratus, quòd excommunicationis sententiam per annum sustinuerit, nec absolutionem curaverit obtinere, Sacerdos, de cujus Parochia excommunicatus fuerit, Diœcesano loci, vel Capitulo Ecclesiæ Cathedralis, si vacaret, infra mensem referat per se, vel per nuntium specialem. Et tunc Diœcesanus loci Seculari Judici illius excommunicati denuntiet pertinaciam & contemtum. Qui Judex, sub cujus jurisdictione temporali idem excommunicatus existit, pœna pecuniaria illum cogat absolutionis beneficium postulare, & præstare cautionem Ecclesiæ, si potest, quam casus excommunicationis illius requirit. Et si Judex ille Secularis in hoc negligens fuerit, vel remissus, ad id Judex Ecclesiasticus per censuram Ecclesiasticam Judicem illum cogat. Si verò excommunicatus prædictus Rector fuerit Civitatis, vel loci, aut ejus Officialis, aut Dominus, sive alio quocumque nomine censeatur, qui non possit per modum prædictum ad absolutionem hujusmodi coërceri, & eamdem excommunicationem per annum sustinuerit animo indurato: Terra, vel locus, in quo, vel in qua idem Rector fuerit, vel Officialis, seu quis alius quocumque nomine censeatur, si quam propriam infra nostram Provinciam obtinet, quamdiu eidem excommunicato obedierit, supponatur Ecclesiastico interdicto; & nihilominus ipso facto feudum, si quod ab Ecclesia detinet, perdat, & ad Ecclesiam revertatur. Si verò Clericus excommunicatus adeò mentis obstinatæ persistit, quòd infra annum non procuraverit se absolvi, tunc Diœcesanus illum beneficiis suis privet, & ad illa beneficia eligantur idonei per eos, ad quos in illis electio, vel præsentatio noscitur pertinere. Qui autem ob hanc caussam, vel quamcumque aliam à Diœcesano excommunicatus fuerit, vel excommunicationem incurrerit ipso facto, & excommunicatus ingerat temerè se divinis, vel quicquam injuriæ excommunicatori, vel suo Parochiali Presbytero, pro eo quòd eum evitet, vel non admiserit ad divina, aut quicumque alteri Clerico, vel laico ob hanc caussam dixerit, & intulerit, aut dici, vel fieri mandaverit, excommunicetur iterum; & si ejus protervitas meruerit, prædicta sententia, & sententiæ aggraventur.

CAP. XXIX.

Quòd nullus recipiat ignotos ad Ordines, vel ad celebrandam Missam, sinè literis commendatitiis.

ITem præcipimus in virtute obedientiæ, & obtestatione divini Judicii universis & singulis Episcopis nostræ Provinciæ, ne alicui Religioso Clerico, vel Seculari dent, vel dari faciant Chrisma, Oleum Sanctum, nec eos recipiant ad Ordines, vel publicè ad celebrandum Missam absque literis commendatitiis Diœcesanorum suorum.

Expliciunt Constitutiones Domini Ottonis Archiepiscopi Mediolani.

Inci-

Digitized by Google

Incipiunt Conſtitutiones Domini Cœleſtini Legati in Lombardia.

VEnerabili in Chriſto Patri Dei gratiâ Mediolanenſi Archiepiſcopo Guifredus miſeratione divina tituli Sancti Mauritii Presbyter Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus ſalutem in Domino. Deſtinati à Summo Pontifice ad Provinciam Lombardiæ pro animarum ſalute conſervanda, Eccleſiaſtica libertate, vita & honeſtate Clericorum reformanda, & exſtirpanda hæretica pravitate ad laudem, & honorem nominis Chriſtiani, præſentibus nobis, & venerabilibus Patribus Placentino, Vercellenſi, Cremonenſi, Pergamenſi, Novarienſi, Terdonenſi, Saonenſi, Iporienſi, Laudenſi, Taurinenſi, & Vigintimilienſi Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis apud Laude ad hoc ſpecialiter convocatis.

CAPITULUM PRIMUM.

De Statutis Civitatum contra Eccleſiaſticam libertatem.

ORdinamus, ut omnia Statuta præcepta, & banna, quæ per Poteſtates, ſeu Rectores, Conſuleſve Laicorum facta ſunt, vel fiunt contra Deum, & Eccleſiaſticam libertatem, ac perſonas Eccleſiaſticas, atque contra Statutum, & honorem Eccleſiarum, ſint irrita ipſo jure. Atque ſtatuendo præcipimus, ut dicti Poteſtates, atque Rectores ea de Capitularibus ſuis abradant; & ea, vel illis ſimilia non ſcribant ibi, ſeu ſcribi permittant; nec utantur eiſdem, aut ſimilibus, quantumcumque adſtrinxerint ſe vinculo juramenti, quia juramenta de illis ſervandis illicita ſunt, & ideo non ſervanda. Quòd ſi ſecundùm ea aliquid ſubditis ſuis præceperint, ſubditi nullatenus eis obediant, etiam juramento adſtricti. Transgreſſores autem, ſive Rectores, ſive ſubditi fuerint, ipſo jure vinculum excommunicationis incurrant ſecundùm tenorem generalis Conſtitutionis felicis recordationis Honorii Papæ, & nec eorum filii, vel nepotes de cetero ad Eccleſiaſticum beneficium aſſumantur. Quòd ſi aſſumti fuerint, illo careant, & aſſumtores conferendi poteſtate priventur.

CAP. II.

Quòd Statuta contra libertatem Eccleſiæ non ſerventur.

ITem ſtatuimus, ut quodlibet Commune teneatur ponere in ſuo Statutario, quòd ſi aliquod Statutum contra prædicta ibi ſit, vel ponatur, illud teneatur juramento non ſervare; & ſi ſuſpicio ſit, ne aliquid contra prædicta in eo contineatur, Librum Statutorum, & Statuta ſua oſtendant frequenter Epiſcopo, vel ejus Nuntio, & copiam legendi faciant omni anno, & ad monitionem emendent Epiſcopi. Quòd ſi non fecerint, poſtquam per Epiſcopos admoniti fuerint, pœnam excommunicationis incurrant. Item proviſiones, quas Civitatum & locorum Rectores recipiunt ſuper eo, quòd ſi pro iniquis Statutis, vel præceptis, quæ faciunt, excommunicati fuerint, vel damna incurrerint, omnino ſerventur indemnes, penitus irritamus, & caſſamus, & eas decernimus irritas & inanes, & qui eas receperint, pœnam excommunicationis incurrant.

CAP. III.

Quòd nullus uſurpet bona Eccleſiaſtica.

ITem Poteſtates, locorumque Rectores non extendant manus ad extirpandam Juriſdictionem in locis, vel terris, ſeu perſonis, quæ ad Epiſcopos pertinent, vel etiam ad Eccleſias pleno jure. Et qui contra fecerint, niſi admoniti reſipuerint intra decem dies, pœnam excommunicationis incurrant.

CAP. IV.

Quòd Statuta contra Hæreticos obſerventur.

STatuta quæque edita in Concilio generali Lateranenſi, & leges promulgatas à Frederico Imperatore pro libertate Eccleſiæ, vel contra hæreticam pravitatem, præcipimus inviolabiliter obſervari.

CAP. V.

Quòd nullus ſtet excommunicatus per annum.

ITem ſtatuimus, quòd ſi aliquis contumaciter Clericus, vel Laicus in excommunicatione perduraverit per annum, quòd Poteſtas ad requiſitionem Epiſcopi ipſum bannire teneatur banno maleficii.

CAP. VI.

Quòd Conventuales communiter vivant.

DE vita & honeſtate Clericorum ſtatuimus, ut in omnibus Conventualibus Eccleſiis, niſi magna neceſſitate coacti ab Epiſcopo approbata hoc non poſſint, vivant Clerici in communi. Alioquin tertia pars redituum ſequeſtretur ad minus, dividenda ſingulis diebus inter eos tantùm, qui interfuerint Divinis Officiis, & pro hoſpitibus recipiendis, & eleemoſynis largiendis. Ad hoc per Epiſcopos cenſura Eccleſiaſtica compellantur.

CAP. VII.

Quòd quilibet Hebdomadarius faciat ſuam ſeptimanam.

SUam ſeptimanam Hebdomadarius per ſe, vel per alium facere teneatur. Alioquin per menſem beneficio ſit ſuſpenſus, ſalvis conſuetudinibus eorum, qui ſunt in perſonatibus, & illorum, qui ſunt Epiſcoporum, vel Eccleſiæ ſervitio occupati.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VIII.

De Clericis concubinariis.

CLerici concubinarii fœminas suas infra octo dies post admonitionem abjiciant, & eas à cohabitatione abjurent, nec filios secum teneant; & qui contra fecerit, sententiam excommunicationis incurrat; quam si contemserint, ipso jure priventur beneficio.

CAP. IX.

Quòd Statuta de honestate Clericorum observentur.

ET præcipimus Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, ut constitutiones editas super vita & honestate Clericorum servent, & faciant in suis Ecclesiis inviolabiliter observari.

CAP. X.

Quòd Clerici intendant circa ornatum Ecclesiæ.

MOnachi Sancti Benedicti, & Canonici Regulares Regulam Sancti Augustini observent, & suas institutiones per Ecclesiam approbatas. Circa ornamentum Ecclesiæ intendant; tam in his, quàm circa Altaria exerceantur, quàm in aliis.

CAP. XI.

De custodia & reverentia Corporis Christi.

COrpus autem Domini cum omni custodia si reservari contigerit, in purissimo loco reponatur, & in elevatione campanæ pulsentur. Et si per Civitatem portetur, vel Villam, portans cum stola ad collum incedat, & portet honestè. Et qui contra fecerit, tribus diebus Veneris in pane & in aqua jejunet.

CAP. XII.

Quòd nullus teneat duo beneficia.

ITem statuimus & ordinamus, quòd nullus de cetero in eadem Civitate, vel Plebe, seu Plebanatu, nisi Capellæ sint tenues in reditibus, vel annexæ Plebi, duo beneficia obtineat; & si qui habuerint, eligant quod maluerint infra mensem. Qui si retinere præsumserint, noverint se vinculo excommunicationis adstrictos.

CAP. XIII.

Quòd promulgata in Lateranensi Concilio observentur.

DE Ecclesiis Parochialibus, & dignitatibus Ecclesiasticis districtè præcipimus ab Episcopis, & aliis Prælatis, & subditis observari, quæ in Lateranensi & generali Concilio statuuntur.

CAP. XIV.

Quòd res Ecclesiasticæ non possint alienari.

PRælati quoque, & Ministri Ecclesiarum juramento adstringantur per Episcopum, vel suum majorem Prælatum, thesaurum Ecclesiæ, vel res immobiles, absque licentia Episcopi, vel sui superioris alienare non posse.

CAP. XV.

Quales debeant eligi in Sacerdotes.

ITem statuimus, quòd non possit eligi aliquis, vel institui in loco, vel beneficio Sacerdotis, nisi sit Sacerdos, vel talis, qui in proximo velit & possit fieri Sacerdos; vel nisi aliquis ex Clericis ipsius Ecclesiæ sit, qui velit, & possit fieri Sacerdos. Et si aliter factum fuerit, ex nunc cassamus; & contrafacientes pœnam suspensionis incurrant; quam si contemserint, excommunicentur. Si autem Ecclesia ita tenuis sit in facultatibus, quòd ibi non possit esse Sacerdos, & hoc sit in provisione Episcopi: ille, qui percepit proventus Ecclesiæ ipsius, tantum teneatur dare vicino Sacerdoti, ut congruis temporibus ibi deserviatur. Alioquin privetur beneficio. Prælati Ecclesiarum cogantur ad Sacerdotium, & si inobedientes fuerint suspendantur. Quòd si contemserint, excommunicentur.

CAP. XVI.

De Usurariis quomodo sepeliantur.

DE Usurariis statuimus, quòd nisi ad pœnitentiam venientes steterint mandatis Ecclesiæ de usuris restituendis, in Cimiterio non sepeliantur. Et si fortè sepulti fuerint, quousque ibi remanserint, in Ecclesia non celebretur. Et si possent commodè inveniri hi, à quibus usuras habuerunt, stipulentur sibi restitutionem fieri. Alioquin Presbyter recipiat cautionem, & pœnitentes heredes damnet de restitutione facienda, & inde teneantur sacramento.

CAP. XVII.

Qui debeat absolvere excommunicatos.

ET volumus, nisi ubi specialiter prohibetur, per Episcopos posse absolvi excommunicatos, & interdictos.

CAP. XVIII.

Quòd nullus recipiat Usurarios ad sepulturam.

INterdicimus autem Templariis, & Hospitalariis, & aliis exemtis, ne publicos Usurarios ad Ecclesiasticas sepulturas admittant, nec interdictos, vel excommunicatos ad Divina Officia, vel sepulturas, nec Parochianos alienos ad Sacramenta. Et si admoniti per Episcopum contra prædicta venire præsumserint, pœnam suspensionis incurrant, salvis privilegiis ipsorum, quibus exhibitis legitimè se defendant.

Ideoque caritati vestræ in virtute obedientiæ, qua fungimur auctoritate, districtè præcipiendo mandamus, quatenus prædicta omnia solemniter publicantes, eadem & vos ipsi observetis, & faciatis inviolabiliter observari, ita quòd in novissimo districti examinis die coram tremendo Judice, qui reddit unicuique secundùm opera sua, dignam possitis reddere rationem. Datum Laude XII. Kal. Junii.

Digitized by Google

MEMORIALE
POTESTATUM
REGIENSIUM,
GESTORUMQUE IIS TEMPORIBUS

Ab Anno 1154. usque ad Annum 1290.

AUCTORE

ANONYMO REGIENSE

NUNC PRIMUM EDITUM

EX MANUSCRIPTO CODICE

BIBLIOTHECÆ ESTENSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN MEMORIALE POTESTATUM REGIENSIUM

PRAEFATIO

LUDOVICI ANTONII MURATORII.

ESTensi Bibliothecae *Memoriale* hoc, sive *Chronicon* debemus, in cujus membranaceo Codice MSto, & perquam antiquo, legitur: *Auctor Libri Anonymus*, nullumque mihi se usquam obtulit de ipsius nomine vestigium. Suum autem Chronicon & iste Scriptor exorsus est a Nativitate Domini, multaque ex Romanorum Pontificum Vitis sub Anastasii nomine laudatis in suam chartam derivavit. Nihil vero ibi, quod est ad remota Secula, visus sum mihi reperisse, quod ad publicam Literatorum utilitatem multum conducere posset, si ederetur. Propterea dimissis cunctis, quae Annum 1154. praecedunt, subsequentia tantum retinui, quum nempe Anno illo novum veluti Chronicon is exordiri videatur, in quo Regii Lepidi facta praecipue narrantur. Ibi quoqué habetur compendiosa narratio de rebus gestis celebris Comitissae Matildis, ejusque Progenitorum, quae tamen uti ex Donizonis Poëmate singula desumta, ac proinde superflua, suis tenebris relinquenda censui. Habeant ergo Lectores, quae Scriptor iste ab Anno 1154. deduxit ad Annum usque 1290. Eo autem Anno eumdem floruisse, & haec literis mandasse, ipsemet nos monuit ad Annum 1288. ubi Nicolai IV. Romani Pontificis creatione narrata, scribit, ab eodem in Urbe Reatina coronatum fuisse Carolum Regem Siciliae *me praesente*. Vide etiam ad Annum 1284. ubi res praesentes se narrare ait, uti etiam ad Annum 1283. & alios antecedentes & consequentes. Aetatem igitur Scriptoris habemus, eumque Patria Regiensem fuisse facile quisque intelligit. Quare quae ille habet de illius Populi rebus, aliisque, sua, aut proxima aetate, per Italiam peractis, pluris facienda censeo. Ad haec illi singularis laus, quod ad enarrandas res ab aetate sua remotas subsidium petiit ab Archivo Patriae suae, cujus acta identidem laudat. Istum denique Scriptorem in Ordine Fratrum Minorum militasse Deo, conjicere possumus ex iis, quae ille habet ad Annum 1284. & alibi, ac potissimum ad Annum 1277. ubi Ordinem Minoritarum extollit, simul indicans, se eo ipso Anno illa scripsisse. In Estensi Codice, unde Chronicon hoc desumsi; nonnullis in locis obliterata erat scriptura; atque hinc aliquot lacunae in edito occurrent. Ibi etiam in calce Libri legebantur *Versus Merlini*, qui olim tamquam Propheta habebatur, incomti sane, & perperam descripti: ridiculum opus, sed non omittendum, ut appareat, quibus olim delectaretur imperitum vulgus, & quantum impostores, & male feriati homines abundarent. Sequebatur Catalogus Episcoporum Regiensium, atque Abbatum Monasterii S. Prosperi, nunc S. Petri Regiensis, vario charactere a diversis subinde scriptoribus auctus. Et hunc in Eruditorum gratiam evulgavi, & praesertim quum inde reparari possit non unus Ughelli error in Italia Sacra. In eodem etiam Codice habetur Sicardi Cremonensis Episcopi Chronicon; sed de hoc egi T. VII. hujus collectionis pag. 523. Nunc unum dicendum, quaedam Sicardi, maxime quae ad Romanos Pontifices pertinent, in hoc ipsum *Memoriale* invecta fuisse, idque deprehendi in postremis Annis Chronici Sicardini, ubi Lectores ad Vitas Pontificum amandantur.

Digitized by Google

MEMORIALE POTESTATUM REGIENSIUM.

AD majorem omnium posterorum memoriam retinendam, ut futuris sit cognitio juxta posse. Memoriale omnium Potestatum, Consulum, & Rectorum Civitatis Reginæ, & eorum, quæ suis temporibus contigerunt, & quæ fecerunt, & quo Romano dominante Pontifice quilibet prædictorum tenuit Potestatem.

Anastasius Papa Quartus.

ANastasius Papa Quartus cœpit anno Domini MCLIV. Sedit annum I. imperante Frederico anno primo. Et iste Fredericus Primus destruxit Mediolanum. Eo tempore prædicti Anastasii floruit Magister Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, qui Libros Sententiarum, glossas Psalterii, & Epistolarum Pauli, utiliter copulavit. Eo tempore tres Lunæ in Cœlo visæ sunt, in medio signum Crucis habentes; nec multò post visi sunt tres Soles.

Dominus Pizus de Manfredis Potestas Regii.

PIzus de Manfredis Potestas Regii eodem tempore fuit sub eodem Millesimo.

Adrianus Papa Quartus.

ADrianus Papa Quartus cœpit anno Domini MCLV. Sedit annos VI. imperante Frederico, qui postea ab eo incoronatus, & eo anno hospitatus est super flumen Reni, in quo anno destruxit Terdonam, & Spolitum, & regnavit annos XXXIII.

De Archidiacono Achilixe.

ARchidiaconus Achilex de Taculis Reginus Archidiaconus fuit, qui fecit fieri Ecclesiam Sancti Jacobi Zebedi de Regio, & eam bene dotavit de magnis possessionibus, & aliis rebus; & mortuus est tertio die Februarii in Festo Sancti Blasii. Sub MC. quinquagesimo sexto fuit, quando dictam Ecclesiam fieri fecit, & eam fundavit.

Alexander Papa Tertius.

ALexander Papa Tertius, natione Thuscus, cœpit anno Domini MCLX. Sedit annos XXII. imperante Frederico Primo, Antipapa Octaviano, postea Guidone de Crema, postea Johanne de Struma, imperante Frederico, & fuerunt XVIII. annis. Et idem Imperator diruit Ecclesiam Sancti Petri, & ideo nutu divino ferè omnes perdidit suos; & tunc Alexandria fundata est à Papa Alexandro. Eo tempore fuit Sanctus Hymenus, & Sanctus Libaldus Confessores, qui multis virtutibus claruerunt. Tunc temporis Imperator cum Papa rediit ad pacem. Hoc tempore celebratum est Concilium Lateranense, in quo multa jura condita sunt, & alia renovata, quæ Canones appellamus, quibus sufficienter cautum est de Electionibus.

De-

A

Destructio Mediolani.

IN MCLXII. anno, die XIV. intrante Martio. Imperator Fredericus Primus destruxit Mediolanum; & destruxit fossas, & muros Bononiæ eodem anno in MCLXII. die X I. Kalendas Junii. In anno MCLXIII. obiit Albertus Reginus Episcopus die V. intrante mense Aprilis.

De reædificatione Civitatis Mediolani, & ædificatione Civitatis Alexandriæ.

B

IN MCLXVII. exeunte mense Aprilis die octavo. Reædificata fuit Civitas Mediolani; & eodem anno ædificata fuit, & fundata Civitas Alexandriæ per Papam Alexandrum Tertium.

De destructione Cremæ.

IN MCLXVIII. anno VIII. Kalendis Februarii idem Imperator Fredericus destruxit Cremam.

Quando supradictus Papa Alexander canonicè fuit electus, & schisma duravit XVIII. annis, ut superius dictum est. Infra quod tempus Theotonici, qui apud Tusculanum pro Imperatore Frederico morabantur, Romæ apud Montem Portum invadunt, & tot à Nona usque ad Vesperas occiderunt, ut numquam ex Romanis tot millia sint occisa.

C

De Domino Gerardo de Carpineto, & aliis infrascriptis, qui juraverunt esse Cives Communis Regii.

IN MCLXIX. anno, Indictione secunda, de mense Junii. Dominus Gerardus de Carpineto, Ubertus Paysii, Guidoctus Baysii, Albertus Ugolini, & Raymundus Pegoloti, Gerardus Rangonus, Manfredinus Pizonis, Robertus Filiorum, Rodulfus Canzani, juraverunt esse Cives Civitatis Regii, & habitatores per duos menses anni, & per guerram quatuor menses in præsentia Domini Albriconis Regini Episcopi, & Consulum Civitatis Regii, scilicet Præpositi de Sesso, Eleazarii Guizoli, & aliorum, Alberti Roberti, Ugonis Sissi, Normanni, Parisii Cambiatoris, Vacarii, Guidonis Ubaldi, Mutti Graciadei, ut in Registro Communis Regii continetur.

D

De militibus Lombardiæ, qui equitaverunt in servitio prædicti Imperatoris.

IN MCLXXIV. anno milites Lombardiæ equitaverunt in servitio Imperatoris Frederici Primi Placentiam, & Tortonam, & tempore supradicti Papæ.

E

De bello inter Lombardos, & Imperatorem Fredericum.

IN MCLXXVII. tempore supradicti Imperatoris Frederici fuit bellum magnum inter Lombardos, & prædictum Imperatorem, & fuit Mignochus.

De pestilentia famis.

IN MCLXXVIII. fuit fames valida super omnem terram.

Lucius Papa Tertius.

LUcius Papa Tertius, natione Thuscus, cœpit anno Domini MCLXXXI. Sedit annos IV. imperante Frederico, & obiit prædictus Papa Veronæ. Eodem tempore Johannes Antipapa sedit annos IV.

De pace facta inter Lombardos, & Imperatorem Fredericum.

IN MCLXXXII. facta fuit pax inter Lombardos, & Imperatorem Fredericum apud Constantiam in solemni Curia VII. Kalendas Julii. Et eo anno Regini habuerunt victoriam de Marchione Moroello, die quarto exeunte Februario. Et Episcopus Albriconus erat Potestas Regii.

De obsidione Faventiæ, & reædificatione Cremæ, & alia, quæ facta fuerunt.

IN MCLXXXV. tempore prædicti Imperatoris Frederici obsessa fuit Civitas Faventiæ à Bertoldo Cancellario Imperatoris Frederici. Et Dominus Prendiparte Potestas Bononiæ misit milites ad Imperatorem Fredericum apud Cremam eodem anno. Et eodem anno reædificata fuit Crema, & Imperator Fredericus intravit Bononiam.

De introitu Regis Henrici in Lombardiam.

IN MCLXXXVI. anno. Henricus filius Frederici Imperatoris intravit in Lombardiam. Eodem anno de mense Octobris ædificata fuit Ecclesia Sancti Nicolai de Regio per Abbatissam Felicitatem de Monasterio de Fontanelis, & datum fuit Casamentum dictæ Ecclesiæ per Dominum Petrum Montanum, medietatem dicti Casamenti pro Ecclesia fundanda & facienda pro anima sua, & aliam medietatem habuit contracambium dictus Dominus Petrus à dicta Abbatissa, præsente Episcopo Albricono Regino, cui debet fieri præsentatio pro Domina Abbatissa, & reddit censum.

Urbanus Papa Tertius.

URbanus Papa Tertius, natione Mediolanensis, cœpit anno Domini MCLXXXVII. Sedit annum I. menses X. obiit in Civitate Ferrariæ. Et eodem tempore facta est captio, & interfectio Christianorum ab exercitu Saladini, & mortui fuerunt ferè omnes Christiani, & captum fuit Sepulchrum à Saladinis eodem anno quinto Kal. Julii. Eodem anno obiit Albrigonus Episcopus Reginus die quarto exeunte Augusto.

Gregorius Papa VIII.

GRegorius Papa VIII. natione Beneventanus, cœpit anno Domini MCLXXXVIII. Sedit mensibus duobus, obiit Pisis.

De promissione, quam fecit Dominus Jacobus de Mandra Communi Regii, & de Schola tenenda.

IN MCLXXXVIII. Indictione VI. Dominus Obertus Vicecomes Potestas Regii. Dominus

Digitized by Google

nus Jacobus de Mandra promisit Potestati, vice & nomine Communis, juramento reddere LX. libras Imperiales, quas Dominus Obertus accommodaverat, & Dominus Jacobus de Mandra promisit dare terram, & esse Civis Communis Regii, & tenere Scholam in Civitate Regii, & fuit quartodecimo die Augusti, ut in Registro Communis continetur. Et eodem anno Dominus Gerardus de Mozadela juravit præcepta eidem Potestati, & Communi Regii, & esse Civis Civitatis Regii, ut in Registro Communis continetur.

De promissione, quam fecit Dominus Atto de Dallo cum aliis de Dallo.

ITem sub eodem Millesimo & eadem Indictione, & eodem anno, tempore supradicti Domini Oberti Potestatis Regii, Dominus Atto de Dallo juravit præcepta Potestatis, & Communis Regii. & promisit stare, & habitare, & esse Civis Civitatis Regii, & stare per duos menses, & salvare, & guardare res, & homines districtus Regii, & eos adjuvare in omnibus suis negotiis. Et omnes alii Domini de Dallo juraverunt obedire præceptis Communitatis Regiensis, Consulibus Civitatis Regii, in præsentia Domini Petri Episcopi Regii, & Domini Gerardi de Robertis, & Roberti de Robertis, & Guidonis de Canusio, & Jacobini Notarii, sub eodem Millesimo, die XII. exeunte mense Septembris; & hoc fuit in Ecclesia majori, ut in Registro Communitatis Regiensis continetur.

De Incoronatione Imperatoris Henrici.

ITem sub eodem Millesimo & eadem Indictione, & eodem anno, & tempore supradicti Domini Oberti Vicecomitis de Placentia Potestatis Regiensis, Imperator Henricus filius quondam Frederici Primi Imperatoris incoronatus fuit à Papa Cœlestino de mense Madii. Et eo anno fuit facta moneta Bononiæ, & regnavit IX. annos, & menses V.

Cœlestinus Papa Tertius.

COelestinus Papa Tertius natione Romanus cœpit anno Domini MCLXXXXII. sedit annos IX., & Tusculanam Civitatem ab Imperatore recepit, & Romanis dedit, qui eam destruxerunt, & multos excœcaverunt, sub quo Rex Angliæ, & Franciæ iverunt ultra mare, & partem Terræ Sanctæ liberaverunt, & liberassent totam, si pax fuisset inter eos. Circa Romanam Ecclesiam semper Henricus odia exercuit, & ideo eo mortuo, Innocentius Tertius, ne frater ejus Philippus promoveretur, se opposuit; & Ottoni filio Ducis Saxoniæ adhæsit, & eum Aquisgrani in Regem Alamanniæ coronari fecit. Eo tempore dum plures Barones Franciæ pro liberatione Terræ Sanctæ ultra mare pergerent, Constantinopolim ceperunt.

De obitu Imperatoris Henrici, & de electione Philippi Fratris dicti Henrici, & de discordia, quam habuit cum Ottone Rege.

EOdem tempore, & Anno de mense Novembris, & tempore Domini Baylardini Potestatis Regii juraverunt homines, sive Castellani de Paderno, & Castellani de Gipso Crustunei, & de Paule, & de Palude, & de Lezulo, & de Serzano, & de Miliaria, & de Laguia, & de Filina, & de Campigiola, juraverunt præcepta Potestatis, & Communis Regii, ut in Registro Communitatis continetur.

In MCLXXXXVIII. anno, Indictione prima, fuit Dominus Baylardinus de Carceris de Verona Potestas Regii. Eodem tempore obiit Imperator Henricus filius Frederici Primi Imperatoris in Festivitate Sancti Michaëlis in Regno Siciliæ; & eo anno iverunt Bononienses Cæsenam contra Marcoldum, & post mortem Henrici dicti, Philippus frater dicti Henrici factus est Rex, & stetit in discordia cum Ottone filio Ducis Saxoniæ, & mortuus est gladio. Eodem anno, & millesimo, & eadem Indictione die ultimo Martii, Domini Manfredus Pizi, Albertus de Borzano, Azolinus Guidocti, Guilielmus filius Guidocti Dominæ Naviliæ, Bernardus Roberti, dederunt Domino Baylardino Potestati Regii, vice & nomine Communitatis Regiensis, Oppidum Quarantulæ cum Curte, ad offensionem & defensionem contra omnes personas, & terras, & gentes, & suos homines ibi habitantes in dicta terra, & districtu; & juraverunt, & promiserunt esse Cives Regii, & perpetuò subjacere Civitati Regii, in omnibus suis negotiis, ut in Registro Communis continetur.

Innocentius Papa Tertius.

INnocentius Papa Tertius cœpit anno Domini MCXCVIII. sedit annos XIX. Iste fuit Vir probus, & fortis, dicens se habere utrumque gladium, scilicet temporalem, & spiritualem; & defendit Fredericum puerum Regem Apuliæ, & Siciliæ; & consecravit Ottonem, & eum postea deposuit; & propter ejus malitiam, & superbiam, Fredericum pupillum Imperatorem fecit, quem filium nominavit Ecclesiæ. Et Græcos subjugavit cum Constantinopolitana Ecclesia; & Hæreses, & Hæreticos destruxit cum H. Abbate Cisterciense, & hominibus Crucesignatis cum adjutorio Regis Franciæ, & Comitis Montis-Fortis. Eo tempore magnum prœlium factum est in Hispania, quando apud ...... Muraldal Imperator Saracenorum devictus fuit, qui quinquaginta Reges habebat, à tribus Regibus Hispanis, scilicet Castellæ, Navarræ, Aragoniæ; & cum adjutorio Portugallensium, de quibus XL. millia in acie mortui fuerunt, & cum adjutorio Regis Legionensis. Sanè iste Innocentius fuit juris professor, & totum jus tam Canonicum, quàm Civile, sub compendio descripsit in voluminibus tertiarum, & quartarum Decretalium. Iste excitavit omnes Christianos ad servitium Terræ Sanctæ. Iste fuit potens in opere, & sermone, in tantum ut si viveret magis per decennium, totum Mundum subjugasset, & tota fieret una Fides. Sub isto autem Imperatores Græcorum, & Romanorum amici facti sunt propter unum caput, scilicet Romanum Pontificem, cui serviunt in Fide Catholica; nam Romanus Pontifex habet utrumque gladium, quia tenet locum Dei viventis, à quo utraque potestas data est. His temporibus Ordines Prædicatorum, & Minorum orti sunt. Innocentius Tertius Legatos

Digitized by Google

gatos ad Philippum Regem Francorum misit, ut Terram Albigensium invaderet, & Haereticos deleret. Qui omnes capiens, concremari fecit. Denique Innocentius Ottonem Imperatorem coronavit, & ut jura Ecclesiae salvaret, ab eo sacramentum exegit. Qui statim ipso die contra juramentum venit, necnon & Romipetas spoliari fecit. Unde Papa eum excommunicavit, & ab Imperio deposuit. Ottone deposito, Fredericus Henrici filius eligitur, & ad honorem Imperii coronatur. Leges optimas pro libertate Ecclesiae, & contra Haereticos edidit. Hic super omnes divitiis, & gloria abundavit, sed eis superbiâ abusus fuit. Nam tyrannidem contra Ecclesiam exercuit. Duos vinculavit Cardinales; Praelatos quos Gregorius IX. ad Concilium convocaverat, capi fecit, & ab ipso excommunicatur. Denique Gregorio multis tribulationibus presso & defuncto, Innocentius Papa Quartus Concilium apud Lugdunum convocavit, ubi Imperatorem deposuit: quo deposito & defuncto, Sedes Imperii usque hodie vacat. Eo tempore fuit Sancta Helysabeth filia Regis Ungariae, quae fuit Uxor Lantegravii, quae inter alia innumera miracula XVIII. mortuos suscitavit, & coecum natum illuminavit; de ejusdem corpore usque hodie oleum fluere videtur.

De discordia Mazaperliae inter milites, & pedites Civitatis Regiensis.

IN MCLXXXXIX. anno, incoepta fuit discordia inter Milites, & Pedites Regii; & Milites vocabantur Scopazati, & Pedites Mazaperlini; & Dominus Guido Lambertini de Bononia tunc erat Regii Potestas. Et iverunt Regini cum exercitu suo contra Mediolanenses, & Placentinos in servitio Cremonensium & Parmensium apud Burgum Sancti Donini, & fuit praelium inter eos. Et captum est Castrum Puliani.

De eadem discordia inter Milites & Pedites dictae Civitatis.

IN MCC. anno, fuit maxima discordia inter Mazaperlinos, & Scopazatos, in Civitate Regii, & fuerunt inventi V. Consules pro Cõmuni: Ugo Corradi, Arduinus de Sesso, & socii, & exiverunt civitatem, & stabant per Castra Regii, & Jacobus Gayferii regebat Mazaperlinos. Et eo anno captum fuit Castrum Vilolae, & destructum. Et eodem anno coepta & murata fuit Porta Sanctae Crucis.

De Victoria, quam habuerunt Regini de Mutinensibus.

IN MCC. primo anno Dominus Buvalellus fuit Regii Potestas, & eo anno octavo die exeunte Septembri, devicti, capti, & disconficti fuerunt Mutinenses à Reginis in villa, quae vocatur Formigina, & fuerunt insugati à Reginis usque in prato Tentionis, & ceperunt Dominum Albertum de Lendenaro Potestatem Mutinae, & ferè omnes Mutinenses.

De obsidione Mutinensium, quam fecerunt cum Veronensibus & Ferrariensibus apud Castrum Herberiae.

IN MCC. secundo Dominus Jacobus Bernardi, & Dominus Gerardus Rolandini de Bononia fuerunt Potestates Regienses. Et eo anno de mense Junii venerunt Mutinenses, & Veronenses cum Carocio, & Ferrarienses cum Carrocio, & exercitibus suis, & obsederunt Castrum Herberiae cum manganis & prederiis, nec fecerunt aliquod malum Castro.

De Aqua Situlae.

SUb eodem Millesimo eadem Indictione V. die VI. intrante mense Augusti, & eodem anno, & tempore ejusdem Potestatis, concessa fuit aqua Situlae Communitati Regiensi per Arbitros, scilicet per Dominum Guidonem Lupum Marchionem Potestatem Parmae, & per Guarizonem de Michara, & Aymericum Lodhomi Potestatem Cremonae, ut in Registro Communitatis continetur.

De Domino Ysaco de Dovaria.

IN M. Ducentesimo tertio anno, Dominus Ysacus de Dovaria de Cremona fuit Potestas Regii.

De Captione Constantinopolis. De Coltis & Factionibus, quas solvebant, & faciebant illi de Gonzaga & Pigognaga Communi Regii.

IN MCCIV. Indictione VII. Idem Dominus Ysacus fuit confirmatus Potestas Regii. Eo anno captum fuit Constantinopolim, & eodem anno fuit maxima copia panis, & vini: pro XII. Imperialibus sestarium frumenti, & quatuor Imperiales sestarium melicae, & speltae, & IX. Imperiales sestarium fabae. Et fuit magna mortalitas boum, & porcorum; & Pascha fuit in Sancto Marco. Et eodem anno die tertio exeunte Novembri, Alegrinus, & Bocadesco Consules de Pigognaga dederunt Roberto Massario Communis Regii, & nomine Communis, Centum libras Medianorum pro Colta Terrae Pigognagae. Et eodem anno sub eodem Millesimo, & eadem Indictione, die VI. intrante Decembri: Petrus filius quondam Alberti Petroni de Gonzaga dedit eidem Roberto Massario Communis Regii, nomine & vice dicti Communis, C. libras Medianorum pro Colta dictae Terrae. Et eodem anno die XII. Decembris Dominus Joannes .... de Campagnola, qui tunc temporis erat Potestas Bondeni de Roncoribus, dedit supradicto Massario Communis Regii, vice & nomine dicti Communis, XXIV. libras Imperiales pro Colta dictae Terrae. Et Consules, & homines Bondeni ...... obediebant Communi, & Civitati Regii, & omnes factiones, & dationes eidem Civitati faciebant, ut in Registro Communis continetur.

De Consulibus Civitatis Regii, & de Castro Carlaxarii.

ANno MCCV. Venerabilis Innocentius Papa binos Patriarchas ordinavit Albertum Vercel-

cellensem Episcopum solo nomine Jerosolymitanum; facta est enim Domina gentium Vidua, & Princeps Provinciarũ posita sub tributo; & Thomam Venetum, quem Constantinopolitanæ præfecit Ecclesiæ.

A

Eodem anno Dominus Albertus de Hazaris Atto, Raymundus de Sesso, & Socii, Consules Communis Regii. Hoc anno captum fuit Castrum Carlaxarii, deleto Bellano, à Reginis de mense Octobris.

Dominus Guido Lupus Potestas Regii.

IN MCCVI. anno Dominus Guido Lupus Potestas Regii.

B

De Consulibus Civitatis Regii.

EOdem anno MCCVII. Marchio Bonifacius in prœlio .... occiditur, filios derelinquens Guilielmum in Italia ...

In MCCVII. Dominus Canusinus, Albertus de Gipso, & Socii, Consules Communis Regii; & eo anno Azo Marchio fuit expulsus de Verona, & pro illo facto fuit Verona destructa.

De Consulibus Civitatis Regii, & de obsidione Suzariæ à Reginis.

C

IN MCCVIII. anno Dominus Guido de Regio, Arduinus de Sesso, & Socii, Consules Civitatis, & Communis Regii, de mense Octobris fuerunt cum Carrociis de Parma & de Bononia in servitio Regii ad Suzariam pro asepdio Suzariæ, quod fecerunt Mantoani, & Marchisius de Este, & Ferrarienses, & Mutinenses, & Cremonenses, & multi alii cum eis circa Suzariam cum manganis, & prederiis, & aliis instrumentis ad capiendum Castrum Suzariæ, & omnes fugierunt pro pavore Reginorum, & suorum amicorum; & fuit maxima copia panis & vini.

D

Imperator Otto coronatus fuit, & eo anno capta fuit Ferraria à Salinguerra.

IN MCCIX. Dominus Petrus Taurellus de Bononia Potestas Regii; & eo anno Otto Imperator albergavit super Renum, & ad Salvanterram, & fuit coronatus à Papa Innocentio die XI. intrante Octubre; & eodem anno Salinguerra cepit Ferrariam, quam Azo Marchio detinebat, & dictum Marchionem de dicta Civitate expulit.

E

De Consulibus Regii, & de celebratione primæ Missæ in Ecclesia S. Benedicti.

IN MCCX. anno Domini, Guido de Foliano, Raymundus de Baysio, & Raymundus de Sesso, & Socii, Consules Communis Regii. Et exeunte mense Novembris obiit Dominus Petrus Reginus Episcopus; & eo anno prima Missa celebrata fuit in Ecclesia S. Benedicti de Regio in clausura ....

Quòd Fera Sancti Mauritii incœpta fuit ad Pontem Platum, & Dominus Nicholaus de Maltraversis factus fuit Episcopus Reginus, & Boschum, & Sparatam emptum fuit pro Communi.

IN MCCXI. anno. Dominus Guido Lambertinus de Bononia Regii Potestas; & eo anno incœpta fuit Fera Sancti Mauritii, & fuit facta ad Pontem Platum in contrata Sancti Mauritii superiùs stratæ. Et eo anno Dominus Nicolaus de Maltraversis Reginus Episcopus positus fuit in Cathedra prima die Junii. Sub eodem M., & eodem anno, & tempore ejusdem Potestatis, emptum fuit Boscum, & Sparatam, & Curtem Mantoanam pro Communi Regii à Dominis Alberto de Sesso, Gerardo ejus Fratre, Jacobo Cambiatore, pro se & pro domina Catella ejus Uxore, & Domino Raymundo de Sesso pro se & Domina Ilborga ejus Uxore, & Domino Guidoctino de Albriconibus pro se, & nepotibus suis, scilicet Domino Jacobo Ruzinente, & Gabriele Albriconum, tempore Innocentii Papæ, & Imperatoris Ottonis, ut in Registro Communis continetur.

De Consulibus Civitatis Regii, & de exercitu adducto Sanbuganum.

IN MCCXII. Dominus Paganus de Saviola, Zufredus Taculorum, Thomas Taculorum, & Socii, Consules Civitatis Regii; & eo anno, primo die intrante Augusto, iverunt Regini cum exercitu suo militum, & peditum in servitio Bononiensium cum exercitu suo ad montem Sanbuganum contra Pistorenses.

De Consulibus Civitatis Regii, & quòd Mediolanenses amiserunt Carrocium.

IN MCCXIII. anno Thomas Caritatum, Gualbertus de Hazaris, & Socii, Consules Communis Regii. Et eo anno in Pascha Pentecostes Mediolanenses amiserunt Carrocium; & Cremonenses abstulerunt eis Carrocium, tentoria, & plaustra, & conduxerunt eum in Civitate Cremonæ cum triumpho; & illic in dicto exercitu mortalitas magna fuit. Sub eodem M., & eodem anno, & tempore dicti Potestatis, Dominus Guilielmus de Pusterla Potestas Bononiæ, & Commune ejusdem Civitatis juraverunt facere guerram Mutinensibus pro Commune Regii, & eis servire, & fuit tempore Domini Ysachi de Dovaria Potestatis Regii, nec facere pacem cum prædictis Mutinensibus sinè voluntate Communis Regii, & ut continetur in Registro Communis Regii.

De exercitu quem fecerunt Regienses in servitio Cremonæ & Parmæ.

IN MCCXIV. anno. Dominus Ysacus de Dovaria de Cremona Potestas Regii. Et eo anno iverunt Regini in servitio Cremonæ, & Parmæ in Episcopatu Placentiæ ad guastandum, & albergaverunt prope Columbam.

Digitized by Google

De celebratione Concilii Innocentii Papæ Tertii, & de discordia condempnationum inter Potestatem, & illos de Sesso, & de morte prædicti Papæ Innocentii.

IN MCCXV. anno. Dominus Marescotus de Faventia Regii Potestas. Et eo anno fuit maxima discordia inter Potestatem, & illos de Sesso pro facto condemnationum. Et eo anno Innocentius Papa Tertius celebravit Concilium, & mortuus est eo anno, & successit ei Honorius Papa.

Eodem anno. Ad honorem Domini Nostri Jesu Christi fuit factum Hospitale Sancti Barnabei per Fratrem Albertum Magistrum Ordinis Cruciferorum tempore Innocentii Papæ Tertii, & Nicolai Episcopi Regiensis.

Honorius Papa Tertius.

HOnorius Papa Tertius natione Romanus cœpit anno Domini MCCXVII. sedit annos X. menses V. dies XXV. vel parum plus, Imperatore Frederico Rege Siciliæ, & Apuliæ, & Jerusalem. Honorius fecit Concilium, quòd ipso jure sint excommunicati, qui faciunt constitutionem quamlibet contra libertatem Ecclesiæ, non minus quòd nullus Sacerdos vel Prælatus audiat leges, nec Parisius legantur. Et deposuit Episcopum, qui Donatum non legerat. Mandavit, quòd lumen semper præcedat Eucharistiam, & quòd Sacerdos eum portet ante pectus ad infirmum. Ecclesiam Dei in pace gubernavit, & Imperatorem Fredericum coronavit, & statuit etiam, quòd qui habitum gestaverit ultra annum, compellatur fieri Monachus.

De exercitu mittendo in servitio Bononiensium, & de gelatione Paudi, & de Regina uxore Domini Frederici Imperatoris, & de magna ubertate bladi, & de gelatione vinearum.

IN MCCXVI. Dominus Bernardus de Cornazano Reginus Potestas. Et eo anno iverunt milites & arcatores Regii in servitio Bononiæ circa Sanctum Archangelum contra Riminenses, & obsederunt eum Castrum, & ibi longum tempus steterunt, ita quòd pax facta est; & omnes illi de Cæsena, qui erant in carceribus illorum de Rimine, fuerunt relaxati, & erant MDCC. Et fecit fieri Turrim Communis dictus Dominus Bernardus Potestas Regii. Et vineæ gelaverunt, & Paudum, ita quòd milites equitabantur super glaciem dicti Paudi, & bagordabant, & cum carriagis transibant Paudum, & fœminæ ballabant super dictam glaciem, & dictum gelum duravit duos menses. Et in Festo Purificationis Sanctæ Mariæ in mense Februarii fuit combusta tunc ad Vigum Disbragatum domus filiorum Domini Petri de Novis, & vegetes ardebant fundum & dugas totas; & vinum remanebat ammassatum, & gelatum, ita quòd incidebant eum cum securibus; Et eo hyeme maxima nix fuit, & tunc dabatur in cursu IX. Imperiales in Sestario frumenti, & quatuor Imperiales in Sestario speltæ. Et Domina Regina vênit Regium uxor Domini Frederici Imperatoris filii quondam Domini Henrici Imperatoris, veniendo de Apulia, & eundo in Alamanniam ad dictum virum suum; & Regini ei dispendium fecerunt, & bene, & honorificè eam receperunt.

Et eo anno & tempore dicti Domini Bernardi de Cornazano Potestatis Regii, mortuo Innocentio Papa Tertio apud Parisium mense Julii, cui Dominus Honorius Papa substitutus fuit, & anno Domini MCCXX. coronatus est Imperator Fredericus Secundus à prædicto Papa Honorio in Romanum Imperatorem Romæ apud Sanctum Petrum.

Quòd infirmi Sancti Lazari, qui stabant prope Burgum Sancti Petri extra Civitatem juxta braydam Domini Episcopi, iverunt ad habitandum ad Pontem Platum, & de Fera, quæ facta fuit in dicta brayda Domini Episcopi.

IN MCCXVII. Dominus Bernardinus Jacobi Bernardi de Bononia Reginorum Potestas. Et eo anno primò facta fuit Fera in brayda Domini Episcopi extra portam juxta Burgum Sancti Petri. Et eo anno infirmi Sancti Lazari, qui habitabant juxta dictum Burgum prope dictam braydam, iverunt ad habitandum ad Pontem Platum.

De exercitu, quem miserunt Regini in servitio Cremonensium apud terram Zibelli, & jurata fuit societas inter Reginos, & Parmenses.

IN MCCXVIII. Dominus Gerardus Vicedomini de Parma Reginorum Potestas. Et eo anno de mense Junii iverunt Regini cum exercitu suo in servitio Cremonensium, & Parmensium contra Mediolanenses, & suam partem apud Zibellum; & fuit maximum prœlium inter eos quadam die Jovis inter temporales; & multi ex utraque parte mortui fuerunt, & plures capti. Et eo anno jurata fuit societas inter Reginos, & Parmenses; & Dominus Guido de Robertis de Regio erat Potestas Parmæ.

De obsidione, & captione Damiatæ per Christianos, & de tribulationibus, & angustiis, quas ibi dicti Christiani habuerunt, & substinuerunt.

IN MCCXIX. Anno Dominus Guido de Septem-fontibus de Faventia Reginorum Potestas. Et eo anno fuit electa, & firmata Domina Alda Abbatissa Monasterii Sancti Thomæ de Regio. Et eo anno à Christianis capta fuit Damiata.

Prologus sit pro facto Civitatis Damiatæ.

AD notitiam, ac memoriam Christianorum omnium pervenisse nullatenus dubitamus; sed liquidum parum, & manifestum omnibus ferè indubitanter putamus, qualiter gens transmarina pro animarum eorum redemptione pro Terra Sancta ultra maria à manibus Sanctæ Crucis inimicorum liberare, defendere, atque manutenere, & maximè in Civitatis Damiatæ obsidione, multis periculis, variisque laboribus sunt astricti, & plurimùm fatigati, & perpessi. *Gesta*

Digitized by Google

Gesta obsidionis Damiatæ.

A Nno Dominicæ Incarnationis MCC. octavodecimo, Indictione VI. mense Madii, Regnante Joanne Jerosolymitano Rege, qui Rex vir egregius, nobilis, prudens, magnæ fidei, & discretionis, atque Jerosolymitanus Patriarcha scientia, & bonis moribus ornatus, & Duce de Osterica, & Templarii, & Hospitalarii milites cum multis Episcopis, Præpositis, Clericis potentissimis, & honestis, ac cum Comitibus, & Marchionibus, Baronibus, & cum aliis viris nobilibus potentibus consilium fecerunt. Habito quidem consilio unanimiter omnes statuerunt cum omni Christianorum exercitu, qui in auxilio Terræ Sanctæ proficiscebantur, in terram Ægypti intrare, gentem quoque Paganorum, & Saracenorum subjugare, & suppeditare. Cognoscant universi, ad quos hæc scriptura pervenerit, quòd in medietate mensis Madii Christiani omnes in navibus ascenderunt, & in sequenti hebdomada quadam die Martis in terram Ægypti intraverunt. Castra quidem sua prope Civitatem Damiatæ fixerunt, in qua etiam Civitate Maria Ægyptiana, & Moyses suam habuerunt originem. Castrametati autem fuerunt in quadam Insula inter mare, & fluvium Paradisi, qui dicitur Gion ex parte Meridiei. In qua Insula Propheta Jeremias natus fuit; & quòd hoc sit verum, & credibile, potest cognosci, quia domus ejus usque in præsentem diem apparet, quæ Jeremiæ Prophetæ domus est dicta. Gaudia, tribulationes, passiones, & languores, atque diversa tormenta, quæ Christiani in ipso exercitu permanentes passi fuerunt, legentibus, & audientibus breviter, pro ut potuerimus, ex parte exponere proposuimus. Erat quippe Civitas illa situ, & arte fortissima, turribus, & muris, atque fossis, & fluminis impetu munita, ita quòd aliquis vix ad ipsam poterat accedere Civitatem. In medio autem ipsius fluminis quædam munitissima Turris cognoscitur super lignaminis congeriem fore fabricata, quæ multis machinis erat munita, taliter quòd aliquis per ipsius fluminis undas ad Damiatæ Civitatem appropinquare nequibat intus. In cujus Turris defensione unus Amiragius pro ipsius Turris munitione cum centum militibus, & balistariis, sagittariis multis, pro ejus custodia existebant, qui victualia, & omnia necessaria usque ad annum habere dicebantur. In Civitate verò Damiatæ tres Amiragios, & milites nobiles, & potentes pro ejus munitione Soldanus miserat, qui ipsam Urbem defendere, & manutenere curarent. Similiter militibus, & peditibus balistariis, & sagittariis innumerabilibus erat plena pariter, & munita. Annona, & carnes, & alia victualia sufficienter ad annos duos habere cognoscebantur. In fluvio verò tres catenas posuerant, quæ usque ad Civitatis murum tenebant, ita quòd nulla navis per fluminis aquam ad Urbem accedere poterat. Licet gravissimum, & difficillimum à Christianis videretur, consilio communicato, ad prædictam Turrem expugnandam se præparaverunt. Statim scalas in navibus innumerabiles primo die mensis Julii fieri fecerunt, & cum ipsis ad Turrem accedentes, muro ipsas scalas apposuerunt, quæ cùm ipsi muro appositæ fuissent, divino numine illico fractæ fuerunt, & tunc sic Omnipotenti Deo placuit. Centum milites, & nepos Ducis de Ostiricha in aqua summersi fuerunt. Videntes autem Christiani hoc infortunium, valde sunt contristati, & plurimùm perterriti. Verumtamen virtute Domini nostri Jesu Christi, a quo cuncta procedunt, & sinè quo nil fieri potest, instigati in Festo Sancti Bartholomæi Apostoli, scalas firmissimas miræ magnitudinis, & fortitudinis fieri fecerunt, & navigantes ad ipsam Turrim accedentes, scalas ipsius Turris muro per vim posuerunt. Quas cùm Pagani viderent, illico ignem sulfure accensi super eis iniquissimè projecerunt; & tam fortiter ignis est accensus, quòd ab omnibus scalæ videbantur comburi. Quo viso Christiani valde perterriti, plurimùmque turbati flexis genibus, & nudis pedibus ad terram prostrati, ex oculis fluvium lachrymarum effundentes præ nimio luctu ita gravissimè erant angustiati, quòd loquela etiam carebant, & vix dicere poterant: *Domine miserere, adjuva nos*. Cùm autem per unam horam Christiani in hac permanerent tristitia, subitò ignem extinctum, & Sanctæ Crucis vexillum in ipsa Turre viderunt. Quo viso Christiani loquelam & voces, quas ex luctu amiserant, omnes integrè recuperaverunt, & *Te Deum laudamus*, & *Gloria in excelsis Deo*, dulci modulatione canere cœperunt, & ad ipsam Turrem omnes qui potuerunt currentes, ipsam summa vi expugnantes violenter eam cœperunt, & in virtute sua habuerunt. Capti namque fuerunt in ea Turre C. milites CCC. balistarii, quos vinctos ad castra ante Regis præsentiam, & aliorum Nobilium duxerunt, qui omnimodè ipsum Regem, & Ducem de Hosterica rogaverunt, ut milites albis armis indutos, & militem quemdam Russum, à quo graviter expugnatos se dicebant, eis ostendere deberent. Ipse verò Rex, & Dux de Hosterica petitionibus eorum satisfacere volentes, omnes, qui ad prædictam Turrem expugnandam, & capiendam fuerunt ante eorum conspectum voce Præconis venire fecerunt. Illi autem prospicientes eos, dixerunt: *nullus ex istis nos invasit, neque Turrem expugnavit. Erant quippe Turrem expugnantes omnes candidis vestibus, & armis albis induti, velocissimi, fortissimi, usque ad summitatem Turris quandocumque volebant ascendentes; ita nos caligine aliquoties fulgoris lumine cooperiebant, quòd lumen oculorum, & virtutem corporis amittebamus*. Quibus auditis, & intellectis, Christiani illico intellexerunt, quòd Dominus noster Jesus Christus Crucifixus ad dictam Turrem expugnandam Angelos suos misisset. Miles verò, qui ab eis ad Turrem capiendam visus fuit, qui armis rubeis & variis indutus erat, firmiter crediderunt Christiani Beatum Bartholomæum esse. Similiter & catenæ undas fluminis tenentes, & in ipsa Turre clavatæ, voluntate Domini nostri Jesu Christi & virtute sunt fractæ, ita quòd per ipsius fluminis aquam navigare poterant. Hoc enim fecit Dominus, ut Davidicus versus ad memoriam reduceretur: *Nolite confidere in Principibus, neque in filiis hominis, in quibus non est salus. Exibit autem virtus Domini, & revertetur in terram suam, & de ejus voluntate inimici ejus omnes peribunt*.

Mense verò Septembris proximi Dominus Legatus Summi Pontificis, Cardinalis, atque Romanorum Princeps cum magna turba Roma-

manorum. & multi alii viri nobiles, & potentes in Christianorum expeditione venerunt, unde Christiani valde sunt gavisi gaudio magno. Perpendens autem Ægyptiacus Rex, quòd Christianorum exercitus quotidie augebatur, plurimùm est turbatus. Tamen cœpit callidè cogitare, qualiter Christianorum gentem posset invadere, & de terra Ægypti penitus expellere. Properavit, & armavit namque idem Rex C. inter galêas & barchas. Quodam verò die Martis in Festo Sancti Diometri exercitus Paganorum, & Saracenorum, omnes armati, & ad bellum ascherati, per terram & aquam venientes super Christianos insultum fecerunt. Quo viso à Christianis, captis armis instructi, & ad bellum præparati, illis se obviam præbuerunt, & tamquam Angeli per sablonem catervatim contra inimicos pergere videbantur, & jacula inimicorum, nec mortem pro Christi amore minimè timentes, sed voluntate, & læto animo pro Christi amore bellum contra Christianorum inimicos tentare cupientes. Dominus quidem Legatus veram Crucem in manibus suis portans, ante omnes præcedebat. Milites & pedites hortari non desinebat, ut ad Domini Nostri Jesu Christi Crucifixi obsequium, & ad Christianorum inimicos debellandos, & subjugandos, gratulanter proficisci festinarent; & cùm hoc dixisset alta voce, & ex oculis lachrymas effundens, & dulci voce dicens: *O Domine salva, o Domine salva, & custodi nos, & exaudi preces nostras die, qua invocavimus te. In die tribulationis, & angustiæ nostræ invocavimus te, o Domine; velociter exaudi preces nostras. Verba, & Orationes nostras auribus tuis percipe Domine, intellige clamorem nostrum. Intende voci Orationis nostræ Rex, & Dominus noster. Quoniam ad te semper oramus & confugimus, Domine. Exaudi, Domine, voces & Orationes nostras. Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua. Sub umbra alarum tuarum protege nos, & à perfidia inimicorum tuorum libera nos Domine; & præsta nobis tuum sanctissimum auxilium, ut gentem perfidam, & nequam convertere possimus, ut in Sanctam Trinitatem, & Nativitatem tuam, atque in Passionem, & Mortem, & Resurrectionem tuam nobiscum rectè credere debeant, ut nomen tuum per universum Orbem invocetur, & sit benedictum in sæcula sæculorum. Amen.*

Qua Oratione facta, Christianorum exercitus, Paganorum, & Saracenorum exercitui appropinquavit, tubis, & belli instrumentis per partes sonantibus prœlium durum & iniquum incipitur. Dum autem iniquissimè prœliarentur, percipientes Pagani, & Saraceni se resistere non posse, & innumerabiles ex eis in campo mortuos, & vulneratos jacere, perterriti fugam petierunt, quos Christiani insequentes, accidit divinâ potentiâ, quòd Davidicus versus in ea fuga est renovatus, quia unus mille, & alter decem millia paria fugabat. In quo prœlio innumerabiles ex Paganis & Saracenis sunt capti, & interfecti. Illi verò, qui in galeis per fluminis undas venerunt, in aqua submersi sunt. Victoriam magnam habuerunt Christiani super Paganorum & Saracenorum gentem in ipso prœlio: gratias & laudes Domino Nostro Jesu Christo referamus. Quorum sanguine & putredine, atque fœtore pro interfectione eorum per plures dies Christiani steterunt, quòd de fluminis aqua nullus bibere potuit, nec coquinam facere. Et dum hæc agerentur, Magister Robertus de Cusone vir nobilis, & potentissimus, & Comes.... vir egregius prudens, & multi milites de Francia, & Anglia, & de aliis Christianorum partibus, qui ad Damiatæ portum virtute Domini pervenerunt, gavisi sunt, sicuti Rex Ægypti de adventu eorum plurimùm est turbatus. Proposuit itaque idem Rex, antequam equos de navibus traherent, cum Christianis prœlium committere. Transeuntes quidem Pagani & Saraceni milites quemdam pontem usque ad Christianorum tentoria cucurrerunt. Videntes hoc Christiani, confestim & velocissimè equos ascenderunt, & cum eis prœlium magnum commiserunt, qui terga vertentes usque ad dictum pontem eos persecuti fuerunt. Multi verò ex illis, qui pontem propter multitudinem transire non potuerunt, in ipso fluvio mortui, & submersi sunt, Pagani & Saraceni. Qui ex alia pontis parte aderant, timentes, ne pontem per vim transirent, nimio terrore perterriti, pontem illum fregerunt, & in fluvio diruerunt. Reversi sunt namque Christiani ad castra laudantes, & benedicentes Dominum.

Mense verò Novembris venientis, quodam die ejusdem mensis, Templarii milites in quadam eorum coca intrantes, fluvium transire volentes, ut detrimentum, & damnum Paganis & inimicis eorum inferre possent, subitò ventus validus ipsam cocam, scilicet ante Civitatis Damiatæ muros projecit. Quo cognito, illico Saraceni cum galêis, & barchis currentes, illos undique circumdederunt, & cum eis gravissimè pugnaverunt. Christiani autem egregiè se defendentes, multos ex eis interfecerunt. Sed cùm vidissent, quòd de manibus eorum evadere non possent, pactum Christiani à Saracenis petierunt. Saraceni verò interea centum de majoribus & melioribus, qui ibi erant, in Christianorum coca ascenderunt. Videntes hoc Christiani milites, valde sunt turbati; verumtamen sunt recordati verbi Sansonis dicentis: *omnes insimul moriamur. Moriatur Sanson, & moriantur omnes inimici ejus.* Et statim Saraceni, qui in coca aderant, omnes inferius eam fregerunt, & in aqua sunt submersi. Christiani verò, qui in dicta erant, in quadam galêa, & barca Saracenorum intrantes, fluvium Domini virtute transierunt. Videns autem Soldanus, quòd Dominus noster Jesus Christus Crucifixus tunc pro Christianis pugnavit, nimio terrore, & ingenti tristitia conturbatus est. Et illico ligna & trabes in fluvio submergi fecit, & ripam ipsius fluminis petreriis, & manganis, & aliis machinis muravit, & castris lignorum. Quam munitionem cùm Christiani vidissent, plurimùm sunt conturbati, dicentes, & ad invicem contra Dominum Legatum murmurantes: *Quid faciemus? ad eos transire non possumus; belli fortunam cum eis minimè tentare nequimus; & sic in hac solitudine morari debemus, Salvator Mundi, quid faciemus? an sepulturis in nostris caremus partibus? cur in hoc deserto nos duxistis? Ecce absque bello morimur, & sicut canes & bestiæ in sablono sepelimur.* Cùmque Dominus Legatus hæc audiret, effundens ex oculis lachrymas, Dominum nostrum Jesum Christum cœpit exorare alta voce tendens manus suas ad Cœlum dicens: „ Domine Jesu „ Christe Fili Dei vivi, qui pro salute nostra „ in

„ in Mundum venisti, & humanam generatio- „ nem de tuo Sanguine Sanctissimo redemi- „ sti, ne respicias peccata nostra, sed exaudi „ nos peccatores per tuam gratiam, & mise- „ ricordiam, & mitte Angelos tuos de Cœlo, „ qui nobiscum sint, & doceant nos, ut pos- „ simus Sanctæ Crucis inimicos, & eos, qui „ in te non credunt, superare. Salvator Mun- „ di, qui in unitate vivis, & regnas Deus. Et præcepit Dominus Legatus triduanum fieri jejunium, & nudis pedibus, atque flexis genibus ante veram & Sanctam Crucem, intentis precibus, & orationibus stare, ut qui in ea pependit, ostendat Christianis viam, per quam nostras possimus in flumine naves apponere, ut cum inimicis prœlium commiscere valeamus, ut ad rectam fidem Domini nostri Jesu Christi Crucifixi individuæque Trinitatis eos convertere possimus. Cùm autem cogitarent Christiani, qualiter naves eorum apponere possent in Festo Sancti Andreæ, & cecidit tam magna tempestas ab aëre, & pluvia ita superabundavit, quòd Paradisi fluvius non discernebatur à Mare, & aqua tota facta est amarissima. Ex illa tempestate, & expulsione ventorum omnia temtoria sunt scissa virtute ventorum, & omnia loca exercitus facta sunt aquosa, ita quòd homines ibi natare poterant, & panis, & carnes, & farina, & frumentum, & hordeum, & omnia victualia in ipsa natabant aqua, & multi infirmi, qui in ipsis castris jacebant, ex aquarum inundatione mortui sunt. Ea verò die quædam minutissimæ naves maximo labore & indefinitis expensis constructæ, in quibus scalæ mirabili modo ordinatæ pro Civitate capienda erant appositæ, à ventis impulsæ, & à Saracenorum parte sunt projectæ, quas nobis videntibus Saraceni igne cremaverunt. Unde Christiani planctum magnum fecerunt, mœstitiam habentes, & dolorem cordis, dicentes, *Deus est nobis contrarius*; quod facere deberent penitus ignorabant, quia penitus anteire non poterant: retro verò redire non valebant; & sic quasi desperati in sabulo permanebant. Et cùm prædictus Dominus Legatus esset in magna tribulatione cum prædictis Christianis, infossatum se in Cruce extendit. & discoperto capite alta voce clamavit: „ Domine Jesu Christe, qui excitatus à Pe- „ tro, cujus navicula demergebatur, respon- „ disti: *modicæ fidei quare dubitasti?* & statim „ imperasti ventis, & mari, & facta est tran- „ quillitas magna. Intercede nunc piissime „ Pater super exercitum tuum. Impera mari, „ & vento, ut revertantur ad locum suum. „ Qui cum Patre vivis, & regnas in sæcula „ sæculorum, Amen. Hanc Orationem licèt lachrymabili voce dixisset, omnes audivimus. Nullà morà interpositâ, Sol splendidissimus apparuit cum multa serenitate veniens, & eodem die terræ superficies adeò desiccata est, quòd omnia victualia protinus soli apposita sine gravi damno sunt reperta. Tunc Christiani benedixerunt Dominum, dicentes: *non dereliquit Deus sperantes in se*, & sic per totam hyemem aqua, & frigore passi sunt, in tantum quòd sexta pars exercitus mortua est, & multi manuum, & pedum ungulas, & dentes malo oris, & dolore amiserunt, qui omni parte cognosci possunt; & ita fuimus fatigati usque ad mensem Februarii. Perpendens Dominus Legatus, quòd nullo modo stando in sabulo eos vincere poteramus, & quotidie noster exercitus minuebatur, misit præconem suum, & fecit eos coadunari, & dixit eis: *quid facere debemus, fratres carissimi? nonne melius est mori in bello, quàm in aliena terra sicut captivi vivere?* Præcepit itaque Dominus Legatus omnibus confiteri, & pœnitentiam de peccatis suis agere in Festo Purificationis Sanctæ Mariæ. Quo facto similiter præcepit eis, ut armis bellicis se præpararent: Ipse dixit, & omnia facta sunt. Altera autem die summo diluculo Christiani omnes in cochis, & galêis, & barchis, & aliis lignis ascenderunt. Illi autem, qui in coca Ducis Osterichæ aderant, primò per flumen navigare cœperunt, & ad palificatam Saracenorum, quam in flumine fecerunt, venientes, ipsam per vim ceperunt, & diruerunt. Quo viso Christiani gavisi sunt gaudio magno valde; & continuò omnes aliæ cochæ, & galêæ, & alia ligna per flumen in succursu eorum navigare cœperunt. Sed protinus tanta tempestas in aëre orta fuit, quòd vix poterant eam substinere. Aqua verò, & grando, & ventus validus cum fragore mistus, ita quòd unus alium videre non poterat; & propter illam tempestatem grandinis inviti ad castra reversi sunt. Illi autem, qui ultra flumen remanserant, tribus diebus prædictam tempestatem substinuerunt. Et tunc Christiani propter temporis gravitatem quasi ad desperationem devenerunt, dicentes: *Oblitus est nostri Deus, & faciem suam avertit, ut nos non videret in finem*; Et adoraverunt Deum, dicentes: *Domine salva nos, perimus, ab ista perversa, & nefanda gente, ne quando dicant, ubi est Deus eorum Crucifixus. Adjuva nos Deus noster, & miserere nobis, ut non simus, nec de nobis dici possit; Facti sumus opprobrium vicinis nostris, subsannatio, & illusio iis, qui in circuitu nostro sunt.* Nocte verò veniente apparuit in castris Paganorum, & Saracenorum Beatus Georgius armis albis indutus, & innumerabiles milites cum eo, similiter armis albis, & vestibus candidis induti. Videntes autem Pagani eos cursu velocissimo, & splendore magno venientes, perterriti fugam ceperunt; & fugientes nec pater filium, nec filius patrem expectabat, castra, & omnia, quæ in castris habebant, penitus relinquentes. Etiam Christiani hoc audientes, magnum habuerunt timorem. Altera die veniente, unus ex Paganis, qui in campo remanserant, vocavit Christianos, & dixit eis: venite, quia Saraceni fugam ceperunt, & castra cum omnibus dimiserunt. Quo facto, Christiani ad castra pergentes, tentoria, & omnia, quæ in castris aderant, habuerunt, & inter se diviserunt. Et tunc Christiani intellexerunt, & firmiter crediderunt, quòd Dominus noster Jesus Christus Crucifixus misit milites suos ad expugnandum Paganos, & Saracenos. Et in his diebus apparuit Saracenis quædam terribilis vox, dicendo: *fugite, & ite viam vestram*; *& si non, mortui eritis.* Et hæc vox per totum exercitum ibat, dicendo: *fugite, fugite, Ecce Christiani vos omnes occident*; Et ita Saraceni fugam ceperunt; & sic pater non expectabat filium; & semper hæc vox dicendo: *quare non fugitis? Ecce Christiani sequenda occident vos*; & nullus sequebatur eos; & hæc vox, & tribulatio per tres dies duravit super Saracenos. Tunc Christiani valde timuerunt de rumore, quem faciebant Saraceni fugiendo.

A do. Et in aurora diei Sanctæ Agathæ facta fuit tranquillitas in flumine, & Christiani, qui erant in lignis, audierunt unam vocem juxta flumen dicentem : *O Christiani, quid facitis, ecce Saraceni omnes fugiunt*; Et interim viderunt unum militem albis vestibus juxta flumen hoc dicentem. Et confestim descenderunt ad terram, & non invenerunt nisi paucos Saracenos per campum, & occiderunt eos, & multos invenerunt mortuos. Et qui occidebant eos, nesciebant. Et invenerunt Christiani in dicto campo papiliones, travaclas rarissimas, & cultras optimas, & ornamenta, aurum, argentum, & vasa aurea, & argentea, camelos, boves, & asinos, biscottum, farinam, **B** & hordeum multum. Unde renovatus est totus exercitus Christianorum. Tunc intellexerunt Christiani, quòd Dominus noster Jesus Christus transmisit Angelos suos ad expugnandos illos, qui non credunt Dominum venisse in Virginem Mariam. Et tunc Christiani cantare incœperunt : *Gloria in excelsis Deo*, & *Te Deum*; & laudaverunt Dominum, & Beatam Agathen. Et illo die posuerunt distinctè adsedium in circuitu Damiatæ, ita quòd exire, nec intrare poterant. Tunc remanserunt in Damiata LXXX. millia hominum, & mulierum. Et fecerunt arginalem contra exercitum de biscotto, de caseo, de lardo, & de aliis victualibus, de quibus habebant abundantiam. **C** Sed de pane recenti, & vino, & de carne frescha caristiam magnam habebant, ita quòd aries unus X. unciis venditus fuit, & una gallina XXX. soldos, & unum ovum duos soldos; caristiam vini non possum enumerare. Certè cum lachrymis unicuique loquebatur, tanta erat miseria Christianorum. Quare sicut infirmus sanitatem desiderat, ita Christiani desiderant non dico comedere, sed tantùm herbarum virentiam videre, quia non erat ibi nisi sabulum. Nono die intrante Martio, Dominus Legatus præcepit omnibus Magistris, ut pontem ædificarent, & scalas in cochis, & galêis, & alias machinas velociter construere, & facere deberent. Statuerat quidem cum omni Christianorum exercitu Damiatæ Civitatem viriliter **D** expugnare. Soldanus tamen, antequam Civitatem desereret, ipsam valde munivit. L. millia viros nobiles, & bellatores inter Amiragios, & milites, & pedites in ea posuit Civitate, qui ipsam Urbem defenderent, & manutenerent; habitatores verò ejusdem Civitatis, qui erant XX. millia absque parvulis, & mulieribus viri bellatores. Similiter in eam misit Civitatem victualia ad annos duos sufficientia. Interea pontibus expletis, & castris, & aliis machinis constructis, die Dominico mensis XV. Martii, Dominus Legatus, & Rex Jerosolymæ, & Dux de Hostirica, & Patriarcha Jerosolymitanus, & alii nobiles, & **E** potentes viri insimul se coadunantes diligenter inquirere, & disponere cœperunt, qualiter Damiatæ Civitas posset capi, & subjugari. Et dum hæc agerentur, Soldanus, & Corradinus Civitatis Damasci Dominus, cum infinita Saracenorum & Paganorum multitudine exercitum Christianorum circumdederunt. Venientes autem dicti Soldanus, & Corradinus cum universa gente sua ab illa parte, ubi aqua fossatum non erat expletum, sic Christianis fuit locutus : *Christiani aut oportet vos Christum, & Dominum vestrum, & Mariam, quam dicitis esse Matrem ejus, negare, & Saracenos effici, & Machometum adorare, aut oportet nos Mahometum negare, & Christianos fieri*. Et confestim prœlium magnum cum Christianis commisit; & fixerunt unum papillionem ante fossatum Christianorum, & ibi comederunt duas gallinas propter sacramentum, quod fecit Corradinus, quia credebant eos devorare, sicut canes famelici unum panem. Et in illo die fuit magnum prœlium, & Saraceni non valentes resistere multi mortui sunt, Christianis dicentibus : *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Tunc Christiani fecerunt pontem super fluvium de XXXVIII. barchis cum trabibus, & tabulis clavatis; & distabat una pars ab altera ferè unum milliare, circa miserunt cochas, ne Saraceni accederent ipsi ponti. Alio autem die venerunt Saraceni per flumen cum XXX. galêis, & tribus Jeremitis ardentibus ad comburendum pontem, & sic cœperunt prœliare ex V. partibus. Sed Dominus noster Christus Jesus vênit in auxilium Christianis, ita quòd ad pontem non nocuerunt, & mortui sunt ex ipsis Saracenis CCCC. & reversi sunt cum tristitia, & fecerunt Christiani custodire circùm Damiatam, & flumen, & Insulam, in qua priùs manserant, & alias duas insulas cum carbonariis, & pontis, ne aliqui possent intrare, nec exire. Et Christianus exercitus tenebat decem milliaria longè. In ramis palmarum scientes Soldanus, & Corradinus, quòd Christiani volebant celebrare qualiter Christus vênit Jerosolymam, inierunt consilium super Christianos, antequam aliud passagium succurreret eis; putaverunt eos delere de terra. Et venerunt per terram & aquam cum LXXI. galêis, & cum indefinita multitudine Paganorum, & Saracenorum, & adduxerunt targias, & tabulas, & ostia domorum, zapas, palleas, & multos mulos oneratos herbarum, quia volebant reimplere fossatum, & eos à sablone exui, & intrare Damiatam; & incœperunt prœlium tam crudeliter, quòd ante auroram usque ad noctem duravit; & Dominus noster Jesus Christus tantam gratiam dedit Christianis, quòd plus quàm V. millia ex illis interfecerunt, & sine numero vulneraverunt, & reduxerunt eos usque ad fossatum Damiatæ; & de XXX. lignis, unum cum multis turgis, & uno Amirario ceperunt, & ita Christiani celebraverunt Palmam cum armis. Sciatis certè, quòd Christiani, qui mortui sunt, veram palmam ad Deum portaverunt, ut ait Psalmista. *Justus ut palma florebit, & sicut cedrus Libani multiplicabitur*. Nulla quippe humana lingua potest explicare miserias, paupertates, tormenta, languores, & infirmitates, quas Christiani in obsidione Damiatæ amore Jesu Christi passi fuerunt pro Fide Christianitatis. In Octava Resurrectionis fecit Dominus Legatus talem Indulgentiam omnibus hominibus volentibus stare ad Terram Sanctam defendendam usque ad aliud passagium, quòd absolvebat animam patris, & matris, fratrum, & sororum, uxoris, & filiorum de omnibus peccatis, de quibus pœnitentiam receperunt. In mense Madio sequente, die Dominico primo mensis ejusdem, Dux de Osterica iter navigandi, & ad patriam suam redeundi incœpit; unde Christiani valde sunt contristati. Soldanus, & Corradinus plurimùm sunt gavisi. In medio Madio vênit Soldanus, & Corradinus cum magno exercitu Saracenorum, & Paganorum, & intra-

traverunt fossatum Christianorum, & putaverunt illum replere, & delere dictos Christianos de terra. Sed Domino cooperante, qui operatur cum omnibus, qui veram fidem tenent, Christiani habuerunt victoriam, & occiderunt inter homines, & equos, plusquam mille, & in tribus diebus, & tribus noctibus nihil aliud fecerunt, nisi proeliare simul; & sicut campum est plenum de covis cùm metitur, ita campum, & fossatum erat plenum de Saracenis mortuis. De Christianis non, quia Dominus erat cum illis & magnam victoriam Christiani ibi habuerunt. Gratias Deo dicamus. In die Pentecostes Dominus Legatus, & Rex Jerosolymæ, & Patriarcha, & alii omnes viri nobiles & potentes ad Lombardorum morem Carrocium fieri fecerunt, super quod Christianorum vexillum poni statuerunt, ut pedites omnes circa illud astantes, & per campos ibi dispersi minimè pergentes, cum armis bellicis præparati, versùs inimicos paulatim appropinquantes, bellum cum eis securiter commiscere possent. Et dum hæc agerentur, Soldanus & Corradinus cum universa multitudine Paganorum & Saracenorum per terram, & aquam ad castra Christianorum venerunt, temptoria, & ea omnia, quæ in castris aderant, habere cogitantes, & ea omnia, & Christianos tamquam captivos inter se dividere cupientes. Percipientes verò Christiani de Paganorum & Saracenorum adventu, illico Civitatis portas, & albergarias custodire fecerunt; & armati, & ad bellum ascherati, milites, & pedites circa Carrocium astantes, extra castra catervatim obviam inimicis perrexerunt. Videntes autem Pagani & Saraceni pedites circa Carrocium frequentissimos stare, & Christianorum vexillum super ipso Carrocio esse, plurimùm sunt mirati, & valde sunt perterriti, credentes in eo arcana Dei Christianorum fore, & ex illius timore versùs Christianos appropinquare ausi non fuerunt. Sed à mane usque ad horam Nonæ steterunt; Christiani verò hæc videntes, ingenti gaudio, & lætitia sunt repleti; libentissimè versùs inimicos ivissent; nisi quia temptoria eorum propter Saracenorum metum, qui in Civitate aderant, à castris recedere, & relinquere non audebant; & ita utraque pars ad sua castra rediit. Quo facto, Christiani statim gattos, & trabuchos, & petrarias, & castra lignorum, & alia innumerabilia machina fieri fecerunt pro Civitate capienda. Item Christiani cœperunt suffodere terram, putantes tali modo incidere Turres Civitatis, & capere terram; sed quia fossatum Civitatis erat plenum aqua, in tantum distillabat quòd submersa est fovea Christianorum, & redactæ sunt ad nihilum expensæ, quæ factæ sunt ibi. Et videntes, quòd nihil prodesset eis cavea illa, construxerunt gattos pro dicta Civitate capienda. Tunc venit Caliphus Papa Saracenorum cum tanta multitudine, quòd non habebant numerum, & fecit magnam indulgentiam illis, qui cum eo venerant ad exercitum eorum.

In vigilia Sancti Joannis Baptistæ, post vesperas venerunt ferè V. Millia Saraceni circa fossatum Christianorum. Unde Dominus Joannes de Assis cum suis militibus percussit inter illos, & ex eis interfecit multos, & rediit cum victoria. In festo quidem Beati Joannis Baptistæ præcepit Dominus Legatus, ut omnis exercitus acciperet pœnitentiam, & triduanum facerent jejunium, & discalciatis pedibus ad veram Crucem pergere debeant, ut ille qui in ea pependit, Christianis auxilium, & juvamen dare deberet, ut Civitatem velociter capere possint. Tunc Principes habuerunt consilium, quòd non erat bonum prœlium facere, quia oportebat expugnare Civitatem, & defendere fossatum, quia pro uno Christiano abundabant quinquaginta Saraceni; & sic remanserunt. Item Dominus Legatus fecit armare omnes in navibus, in cochis, galèis, & barchis, & alia ligna, ad Civitatem capiendam appropinquantes. Primam armaverunt Pisani, secundam armaverunt Januenses, tertiam Venetiani, quartam Dominus Legatus; & fuerunt armatæ octavo die intrante Julio, de bonis peditibus, balestrariis, & archeriis ferro bene coopertis; & in aurora diei directæ sunt scalæ circa mœnia Civitatis, & tota die expugnaverunt cum illis. Pagani verò cum trabuchis, & prederiis fortiter oppugnantes, ignem, & sulphurem accensum super eas scalas projecerunt, & plures earum combuxerunt. Prospicientes hæc Christiani, amarè flere, & terram osculari cœperunt, & nomen quoque Domini nostri Jesu Christi Crucifixi invocantes, levantes manus, voce magna dicebant:
„ O Domine Jesu Christe, qui liberasti tres
„ pueros, Ananiam, Azariam, Misaëlem de
„ camino ignis ardentis, & Jonam de ventre
„ cœti, libera servos tuos de omni malo, &
„ periculo Paganorum, & Saracenorum, ut
„ ipsi Pagani non exultent, & ne dicant in
„ cordibus suis: *ubi est Deus Christianorum?*
„ & præsta nobis per tuam sanctam gratiam,
„ & misericordiam, ut gentem perfidam, &
„ crudelem in nostra valeamus habere virtute,
„ Salvator Mundi, qui in Trinitate vivis, &
„ regnas in sæcula sæculorum. Amen „.
Intrinseci autem signum levantes, statim Soldanus cum magna multitudine Paganorum, & Saracenorum ad castra Christianorum pervenientes, expugnantes per vim, inter fossatum Christianorum, quando Civitatem expugnabant, intraverunt, & cùm fortiter cum illis, qui in custodia remanserant, pugnaverint, & quanto fortiùs expugnabant, tanto fortiùs expugnabantur à Christianis; & hoc bellum duravit per duos dies. Ipsam Civitatem capere credentes, ab ea discedere nolebant, & multi Christiani mortui sunt ibi vulnerati. Custodiebant Saraceni Civitatem Damiatæ sub tali conditione, quòd una pars erat circum Damiatam, alia custodiebat Lizimon. Cives Civitatis, quando volebant quòd exercitus succureret ejs, ascendebant super Murcitam, & ponebant superiùs ignem accensum. Interea quidam Saracenus, tactus Divina gratia, de Civitate Damiatæ exivit, & ad baptismum veniens, & ad Domini Legati pedes stans dixit, quòd de Saracenis mortui, & vulnerati sint mille; alii, qui veniebant, dicebant, quòd quinta pars mortua erat. Similiter duo Pagani de exercitu Soldani venientes, retulerunt Domino Legato, quòd innumerabiles ex eis sunt mortui, & vulnerati; & inter mortuos, & semivivos, & eos, qui clam propter Christianorum metum de expeditione fugerant, quinta pars illorum deficiebat, & recesserant. Confortati namque Christiani grates Domino nostro referebant.

Præcepit itaque Dominus Legatus gattos juxta mœnia Civitatis trahere, & fossatum, quod

Digitized by Google

quod secus Civitatem erat, implere. Castra lignorum, petrerias, manganos, trabuchos, & alias machinas prope muros Damiatæ appropinquare, & apponere; proposuerant namque Christiani Civitatem undique expugnare. Decimo die mensis Julii ductus est gattus Christianorum juxta fossatum Civitatis ante turrim destruendam. Illud quidem fossatum impleri non potuit, simplicitate, & peccatis Christianorum, nam cùm ferè omnes dormirent in sexta hora diei, scilicet Januenses, Spolitani, & Romani, qui debebant custodire eum, secretè venerunt VIII. Saraceni desperati, & miserunt ignem in dicto gatto, quorum duo capti sunt, & projecti in ignem, & simul cum gatto combusti sunt; & de Christianis multi mortui sunt: ex quo Pagani & Saraceni magnum gaudium habuerunt, Christiani verò valde sunt contristati.

In die Beatæ Margaritæ Virginis, Christiani cochas, & galêas, & barchas, & alia ligna armaverunt, & per fluvium navigantes ipsas muris Civitatis apposuerunt. Pagani & Saraceni cum petreriis, & trabuchis, & manganis, ignem, & sulphurem accensum super eos projicientes valde se defenderunt. Tunc Saraceni se non posse fortitudini Christianorum resistere cognoscentes, pueri & senes evulsis capillis plorantes lachrymabantur, & dicebant: *Adjuva nos Machomet: quare derelinquis nos, & cur permittis Christianos capere Damiatam, & non vides, quia omnes sumus mortui, & nomen tuum de cetero non erit invocatum, nomen quidem Christianorum erit exaltatum, & manebit in æternum?* Quibus ita gestis, Pagani nuntios ad Soldanum & Corradinum miserunt, dicentes eis: *Domini, Damiata est capta*. Qui statim ad terram prostrati sunt, & vestimenta sua scindentes, & dixerunt: *heu, heu nobis miseris; eamus omnes, & moriamur cum illis*. Tunc venerunt Soldanus, & Corradinus cum tanta multitudine Paganorum, & Saracenorum, quia sinè numero erant, & in illo die valde Civitatem expugnabant, & incœperunt magnum prœlium inter se vicissim Pagani & Saraceni cum Christianis, in quo prœlio multi de Christianis mortui sunt, & vulnerati; & de Saracenis, & de Paganis verò circa duo millia sunt mortui, & captum fuit unum de lignis Christianorum, quod erat ante focem Damiatæ; & quotidie quidam Saraceni exibant de Civitate, & negabant eorum legem, & baptizabantur. Et de malis Spagnolis, & de malis Anglicis fugientes ad exercitum Paganorum, negabant Christum filium Sanctæ Mariæ Virginis.

Postrema die mensis Julii Civitatem undique cum gattis, & manganis, & prederiis, & aliis machinis fortissimè expugnaverunt; & summo mane illius diei apposuerunt Christiani unam scalam Pisanorum magnæ fortitudinis, & magnitudinis, quæ muro cujusdam Turris Civitatis fuit apposita, super quam ipsi Pisani ascendentes, & stantes, ipsam Turrim oppugnantes, fortiter cum Saracenis, qui in ea aderant, prœliaverunt. Tamdem Saraceni ignem & sulphurem accensum super eam projicientes, ipsam scalam combusserunt. & sic Pisani ea, quæ proposuerunt, ad finem se producere minimè posse cognoscentes, ab ipsius Turris expugnatione se diviserunt. Non habebant succursum ab aliis scalis dicti Pisani. Sed multos Saracenos interfecerunt, & vulneraverunt, & combusserunt. Christiani verò flebant, quia non poterat eos adjuvare, nisi solus Deus. Postea Scalæ Januensium accedentes ipsius Turris muro, eas apposuerunt, & calavit super murum Civitatis, & optimè prœliatum est usque ad vesperas. Saraceni autem egregiè se defendentes, ignem & sulphurem, & axungias accensas super ipsas scalas projecerunt, quæ statim cremare, & comburere cœperunt. Januenses verò vinum & acetum, quod secum portaverant super ignem projiciebant; sed ignem extinguere non valebant. Cernentes Christiani, quòd fortuna invidebat eis, quasi mortui prostrati in terram, & flumine lachrymarum non deficiente clamabant, dicentes:

„ Domine Jesu Christe gloriæ, qui es potens in omnibus, adjuva servos tuos, & libera nos ab illa flamma, & à manibus iniquorum Saracenorum per tuam Sanctissimam virtutem. Creator Cœli, & terræ, qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen. Domine Jesu Christe, qui pro nobis humanam carnem assumpsisti, mortem, & passionem substinuisti, & die tertia resurrexisti, & post XL. dies Cœlum ascendisti, ne respicias ad peccata, & ad scelera nostra, sed attende pro quo hîc sumus congregati. Adjuva nos Christe, quia sicut palmites per se non possunt ferre fructum, nisi manserint in vite, ita nos absque Dei auxilio certare nequimus; & quia sicut oves inter lupos sinè pastore contremiscunt, ita nos à Turcis conturbati sinè vestro adjutorio eos infestare non possumus. Finitis omnibus, Januenses virtute Domini nostri Jesu Christi Crucifixi à prædicta turre indempnes, scalis ferè omnibus relictis, secesserunt; & dum hæc agerentur, Pagani & Saraceni cum galêis, & barchis per flumen ad pontem Christianorum expugnandum venerunt, quem duæ galêæ Christianorum custodiebant, unam quarum Pagani combusserunt, altera fortiter cum ipsis pugnavit, & cum aliis viris, qui ad succurrendum eam velociter venerunt, ipsum pontem defenderunt. Prospicientes Christiani quòd fortuna eis esset adversa, dicebant: „ Domine Jesu Christe Creator Cœli & terræ, cui omnia cœlestia, & terrestria subjiciuntur, qui pro nobis de potestate Diaboli redimendis in Mundum venisti, ne respicias peccata nostra, sed ad fidem veram, & rectam Sanctæ & individuæ Trinitatis, pro qua nos sumus in hac aliena patria congregati, nos conservare digneris, & ne permittas nos à manibus crudelium Paganorum perire. Salvator Mundi, qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen. Qua Oratione facta, Christiani Civitatem undique expugnaverunt, scalas, & castra muro Civitatis apposuerunt. Videntes Pagani pueri, & milites, mulieres, & pedites luctum magnum in Civitate fecerunt. Videntes Soldanus, & Corradinus Civitatem expugnatam, dixerunt: *quid faciemus? eamus, aut omnes vivamus, aut moriamur, antequam crudeles Christiani capiant, & interficiant nos, & homines nostros, & filios, & filias nostras*. Et ex nimio dolore, & ira commoti sunt, & concluserunt oculos, & inclinaverunt capita, & intraverunt fossatum Christianorum, & impetum magnum super Christianos fecerunt, & plusquam V. millia usque ad temptoria eorum venerunt; & quinque baltreschas diruerunt. Et quidam Amirarius antecedebat eos, dicens:

Ma-

Digitized by Google

Machumettus est Dominus, & non Filius Mariæ. Audientes hoc Templarii milites Christi, contristati sunt ad mortem, & Christum alta voce clamare cœperunt: *O Christe, o Sancta Crux, Sanctum Sepulcrum, o Sancte Georgi, accipe Vexillum Sanctæ Crucis, veni in adjutorium nobis, & adjuva nos pro ejus amore, qui pependit in Cruce pro nobis*. Et exierunt Christi milites super illos, & viriliter pugnantes, victoriam habuerunt maximam; & ille, qui Dominum blasphemabat, mortuus fuit cum XV. militibus, & L. peditibus; & multi Christiani, & equi mortui, & vulnerati sunt ibi. Et multi Saraceni & Pagani in dicto prœlio mortui fuerunt, decapitati, & dismembrati in sablone jacebant: quo prœlio Pagani cum dolore, & mœrore recesserunt, & Christiani cum triumpho remanserunt, laudantes, & benedicentes Dominum.

In die Transfigurationis Domini, Christiani die & nocte Civitatis fossatum implere nitebantur, habebant namque gattum unum mirabiliter constructum, cum quo Civitatem capere indubitanter credebant. Percipientes Saraceni, plurimùm gattum illum timentes, signum Soldano fecerunt: quo viso Soldanus cum omni gente sua ad Christianorum castra velociter appropinquavit, & prœlium magnum cum Christianis fecerunt. Et dum sic pugnarent, Pagani & Saraceni, qui in Civitate aderant, de ea exeuntes, gattum illum combusserunt, & similiter alios VII. gattos. In illo die venerunt XXX. galeæ, & berlotæ Saracenorum per flumen, & credebant cremare pontem; una quarum combusta est à Christianis. Ea die multi Christiani interempti, & vulnerati. Unde Saraceni sunt elevati, & Christiani sunt contristati.

In nocte Assumptionis Sanctæ Mariæ de Augusto, octo Saraceni fuerunt capti, qui veniebant natando ab exercitu Soldani, deferentes ignem, columbos, & cartas, & volebant intrare Civitatem. Facto mane ad dedecus Paganorum, auribus, & naribus, cum labiis, & brachiis truncatis, & uno oculo extracto ante Saracenos missi sunt quatuor. Alios quatuor sic truncatos miserunt in Civitatem. Saraceni unum de Christianis ita truncatum miserunt ad Christianos.

In die verò Sancti Bartholomæi, Christiani virtute Domini instigante, cochas, & galêas armaverunt, & barchas, in quibus erant scalæ ad prœliandam Civitatem, & propter carentiam fluminis non appropinquaverunt Civitati. Sed per superbiam peditum, qui dicebant, Principes, & Milites esse proditores, & ideo non appropinquant Civitati, prædicti pedites murmurabant, & dicebant, quòd Milites toto tempore eos ibi tenere volebant nolentes cum Paganis pugnare, nec cum eis bellum temptare; Unde milites indignati, cum Paganis prœliari statuerunt. Gentem quoque eorum in tres diviserunt partes. Una quidem, quæ campum custodire debebat. Alia per fluminis aquam ire. Altera per sablonem contra inimicos pergere debebat.

In die Decollationis Sancti Joannis Baptistæ, quæ cum lachrymis, & plorando scribitur; fuit enim dies illa dies iræ, calamitatis, & miseriæ, dies mortis, & pestilentiæ, dies lividosa, & amara valde Christianis. Dominus quidem Legatus, & Rex Jerosolymæ, & Patriarcha, & alii omnes viri nobiles, & potentes Christianorum, popularium rumore turbati, & commoti, etiam iram perfidam eorum valde timentes, armati, & ascherati extra castra cum omni exercitu Christianorum exierunt, & versùs temptoria Paganorum catervatim perrexerunt. Illico malignus spiritus in popularium corda intravit, & statim retro fugam fecerunt non impulsi, nec percussi prœlio, neque gladio inimicorum; sed per peccata hominum retro fugerunt; & quia Rectores viderunt fugere eos, habuerunt consilium revertendi. Tunc propter anxietatem fecerunt unam scheram juxta flumen, ut homines, & jumenta biberent. Sed quidam Spavandi de omnibus generibus cœperunt fugere. Saraceni fortiùs cœperunt prœliare, quia videbant posse superari; sed Romani, & Latini in media acie Saracenorum constituti, terribiliter pugnabant, & virtute debellabant multos Saracenos. Sed Sanctus Joannes voluit habere multos socios, quia sicut ille fuit decapitatus propter Deum, ita decapitati sunt sinè numero de Christianis, de Templariis L. milites, de Alamannis XXX. de Hospitalariis XXXII., & Camararius Regis Franciæ, & filius ejus, Episcopus de Belvajo, & frater ejus, Joannes de Assis, Comes de Belinis, Andreas de Pisis, Anselmus de Luni, Præpositus Sancti Omeri cum LXXX. militibus; & de aliis omnibus gentibus plusquam V. millia. Et Saraceni secuti sunt semper interficiendo Christianos usque ad fossatum eorum, & multa arma cum multis equis amiserunt; & sic victi sunt Christiani, & in flumine unam galêam armatam cum ducentis marinariis amiserunt. Tali modo justificavit Deus Christianos, quia non cum ejus timore, sed cum furore magno exierunt. Et non minùs mortui sunt de Saracenis, & tres Amirarii decapitati sunt. Unde Christiani dicebant: *O dies ista, dies iræ, calamitatis, & mortis, in qua vix justus salvatus est, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*. Et duravit illud bellum à mane usque ad vesperas. Videntes hoc Dominus Legatus & Hierosolymitanus Rex, & alii viri, & milites nobiles, plurimùm sunt contristati, & conturbati. Saraceni in Civitate cum cimbalis, tubis, tamburiis, & vocibus exultantes, laudabant Deum eorum. In illo die, si non adesset Rex Johannes, & Hospitalarii, & Templarii, & Alamanni, omnes Christiani essent decollati, & ducti in captivitatem. *Audite, fratres carissimi, & filii, qualiter Christus recepit Martyres suos Sanctos*. Quidam Theotonicus dicebatur mortuus; nocte sequenti erexit oculos suos, & vidit quemdam virum magnum vestibus albis indutum, & cum magna, & innumerabili multitudine Angelorum super cadavera mortuorum canentes, & dicentes: *Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & laverunt stolas suas in sanguine agni, & contempserunt vitam Mundi, & mortui sunt pro fide, & amore Christi*. Illo die fecit Soldanus capita Sanctorum excoriare, & salare, & misit eas per provincias Babyloniæ dicendo: *si quis vult de Sclavis, veniat, & tollat quantos vult, quia Principes Romanorum mortui sunt, & qui remanserunt, fugere volunt*.

Tunc Soldanus pepigebat cum Domino Legato, & Principibus Christianorum. Sed unusquisque aliud habebat in corde, aliud in ore; quia Christiani in proximo navigio expectabant

bant succursum, & Soldanus recessionem, quia credebat Christianos propter metum recedere.

In Exaltatione Sanctæ Crucis Principes Romanorum, & Episcopus Ungariæ, Comes Guaterius, Comes Oremigius, & bene XX. mille peregrini recesserunt de exercitu, & evacuatus remansit. Unde Christiani omnes sunt perterriti. Pagani, & Saraceni ingenti lætitia sunt gavisi. Interea virtute Domini nostri Jesu Christi Savarixius de Malli vir egregius cum gente, & X. galeæ Januensium, & multi alii peregrini in expeditione venerunt. Hoc ita facto, Soldanus, ut videretur Christianos superasse, & ut Pagani libentiùs ad expeditionem proficisci deberent, nuncios suos per omnes Provincias Paganiæ misit hujusmodi verba proferentes. *Quisquis vult de Christianorum Sclavis acquirere, ad expeditionem accedere debeat, scientes, quia ferè omnes Christiani aut mortui sunt, aut recesserunt. Alii verò, qui remanserunt, fugere, nec à manibus Paganorum evadere, minimè possunt.* Dum hæc agerentur, Soldanus similiter nuncios suos ad Dominum Legatum, & Regem Hierosolymæ direxit dicens: *Soldanus pacem, seu treguam cum Christianis vult componere, & facere.* Habito quoque consilio dixerunt Christiani, ut in scriptis modum, & formam dare deberent: qui tamquam proditores ad castra recesserunt, & sic sæpe & sæpiùs facientes, & ad castra Christianorum venientes, & hæc omnia inquirentes, nil facere voluerunt. Expectabant enim interim auxilium à longinquis regionibus Paganorum; & Christianorum exercitum quotidie diminui debere. Christiani insensati autem ea omnia, quæ proferebant, vera esse putabant.

Quodam die mensis Septembris, Pagani, & Saraceni undique circuierunt Exercitum Christianorum. Tunc Soldanus erigens se, alta voce dicere cœpit: *O Pagani, viri fortissimi, & bellicosi totius Orbis dominatores, verè intellexistis, quia scriptum est in lege nostra: Pagani montes, & maria transibunt, & etiam Romanum Imperium subjugabunt. Nonne videtis vos, quia Christiani ferè omnes mortui sunt, & recesserunt? Pugnate viriliter cum eis, & habebitis omnia temptoria eorum, & aurum, & argentum, & alia omnia, quæ in castris sunt. Præcipio omnibus, ut intretis fossatum, & illud implere debeatis*; & sic in fossatum intraverunt, volentes implere. Dominus Legatus quidem extendens manus suas ad Cœlum plorando, & lachrymans dulci voce dicens:

„ Domine Deus Pater, qui manes in Trinitate, Creator Cœli, & terræ, dominator omnium rerum visibilium, & invisibilium, qui omnia subjecisti sub pedibus tuis, oves, & boves, insuper universa pecora campi, volucres Cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris, & qui pro nobis peccatoribus redimendis à potestate Diaboli in Mundum venisti, & de utero Beatissimæ Mariæ Virginis humanam carnem sumpsisti, mortem quidem, & passionem in Cruce sustinuisti. Adjuva nos Domine, exaudi preces nostras. O Domine quàm admirabile est nomen tuum in universa terra. Ne respicias, Domine, peccata, & iniquitates nostras; & ne permittas nos ab insidiis crudelium Paganorum & Saracenorum perire. Sed concede nobis per tuam sanctissimam gratiam, & misericordiam, ut ipsos Paganos, & Saracenos impios, & crudeles, & qui in te non credunt, superare possimus, & ad veram, & ad rectam fidem eos convertere valeamus, ut nomen tuum sit benedictum in sæcula sæculorum. Amen. Qua Oratione facta Christiani hoc videntes, prœlium magnum cum eis commiserunt, & multi Pagani in ipso prœlio mortui sunt, & vulnerati. Videntes quod incœperant ad finem producere minimè posse, ad castra redierunt, dicentes Soldano: *Domine, isti Sclavi sunt impii, & crudeles, & per vim quatuor manganellos contra nos fixerunt, nos in quantum poterant interficientes.* In ultima hebdomada Septembris venerunt XV. naves peregrinorum ad portum Paganorum, & Pagani renuerunt pactum. Et tunc omnes Babylonenses, Ægyptiaci, parvi & magni, etiam mulieres, venerunt in auxilium Paganorum. Quinto die exeunte Septembri, venerunt Saraceni ante fossatum Christianorum, & quia pauci erant Christiani, per vires explanaverunt fossatum. Christiani optimè prœliabant contra Saracenos, & multos ex illis occiderunt; & de Christianis mortui sunt XII. & nullus Christianorum comedit usque ad noctem. Saraceni adeuntes dixerunt Soldano: *Isti Sclavi valde agrestes & maligni contra nos sunt.*

In Die Festivitatis Sanctorum Cosmæ, & Damiani ante Auroram venerunt Pagani & Saraceni, & direxerunt quatuor Jeremitas ardentes per flumen, coopertas pice & oleo cum stipula, & lignis aridis, & palea comburentes, ac si essent X. Campanæ, & sulphure, & flamma videbantur tangere Cœlum, & credebant ardere pontem, & intrare Civitatem cum frumento, & aliis necessariis; & si hoc contigisset, omnes Christiani essent decollati. Unde maximus timor invasit Christianos. Sed per Divinam gratiam, antequam pervenirent ad pontem, exierunt obviam Jeremitis, & extinxerunt eas. Et illo die non requieverunt Christiani, & non comederunt usque ad noctem. Et tunc duo Pagani divino numine tacti, ad Dominum Legatum venientes ita dixerunt: *O Christiani, estote prudentes, quia ante septem dies venient Saraceni & Pagani, putantes fossatum implere, & vos capere, scientes, si eis firmiter restiteritis, quòd totam Paganiam subjugaveritis.* Pagani verò ad terminum, sicut dixerunt, venientes, in fossatum intrare, & illud implere volentes; Christiani quoque hoc videntes, statim castra lignorum ante eos construxerunt, super quibus Christiani stantes fustibus acutis & lapidibus graviter percutiebant. Ignem, & sulphurem, & trabes super illos projicientes, multos ex Paganis morti tradiderunt. Videntes tamen Pagani quod incœperant ad finem perducere minimè posse, ad castra sua redierunt.

Et dum hæc agerentur, quidam de Christianis numero novem instigati à Diabolo, & tacti maligno spiritu, qui pontem custodiebant, quorum corda auro & argento Soldani erant obcœcati, pontem clam & privatim incidere, & destruere conabantur, Paganos, Saracenos cum galêis in Civitatem ducere volentes, ut eam à Christianis protegere, & defendere possent. Sed Dominus noster Jesus Christus, à quo omnia bona cuncta procedunt, & sine quo nil fieri potest, cui nihil est absconsum, corda omnium sciens, qui est verus Judex, & justus,

Digitized by Google

A justus, noluit tam pessimum, & iniquissimum scelus ad finem perducere. Namque contigit, quòd unus ex prædictis divina potentia & misericordia tactus, ad Dominum perrexit Cardinalem, qui omnia per ordinem ipsi aperuit, & manifestavit; alii verò, hoc scientes ad Paganorum castra fugerunt, & ita liberavit Dominus noster Jesus Christus Crucifixus Christianos ab insidiis inimicorum. Laudemus, & benedicamus Dominum nostrum natum de Virgine Maria. Videntes Pagani nil facere posse, pactum cum Christianis machinare cœperunt.

Nocte proxima fuit captus quidam Januensis traditor, qui debebat incidere catenas, & sarcos, & alia ingenia, quibus postea peractis
B debebant recipere à Soldano VI. mille bisantos.

Alio die fuit captus quidam Hispanus, qui vendebat Saracenis unum panem pro uno bisanto; & isti sunt suspensi ad caudam equorum, & dilaniati sunt per totum exercitum. Sequenti die, & nocte Saraceni paraverunt ligna, & herbas ad implendum fossatum Christianorum; sed Dominus misit nuncium suum Christianis, & ad Baptismum, qui indicavit eis, qualiter Saraceni cupiebant reimplere fossatum eorum, & dixit: *Estote fortes Christiani, quia, si modò habetis victoriam, omnes re-*
C *cedent*. Unde Dominus Legatus fecit remissionem de duobus annis omnibus volentibus portare tabulas, quæ erant circa pontem ad defendenda carbonaria; & sic omnis populus cucurrit; & in ipso die factum fuit munimentum. Christiani, qui erant ab illo latere fluminis, ubi erat Soldanus, interfecerunt, & vulneraverunt plus quingentos, & multa arma eorum habuerunt. Corradinus, qui erat à latere fossati ad prœliandum non venit.

Sequenti enim die usque ad noctem semper sagittando, & balestrando prœliaverant. Videntes itaque Soldanus, & Corradinus, quòd non valebant Christianis resistere, nec succurrere eos, qui in Civitate moriebantur, ut canes reversi sunt cum tristitia, & Christiani cum
D victoria, quia Deus erat cum illis.

In Vigilia Apostolorum Simonis, & Judæ Soldanus fecit custodire turrim cum Jeremitis, propter quod erat signum navibus venientibus Damiatam.

In Festo omnium Sanctorum volebant Saraceni reddere terram Christianis, quia nullo modo poterant eam tenere, quia potentia Dei erat contra eos. Unde venerunt duo Amirarii ad hospitium Legati, & unà cum Rege locuti sunt, & ibi biberunt, & comederunt, & dormierunt nocte illa. Secundo die duo Templarii, & duo Hospitalarii cum Amirariis intraverunt Civitatem. Et die tertio Soldanus, & Corradinus miserunt sexcentos Saracenos
E intraturos Damiatam, qui fortiti fecerunt tres scheras inter se, ita dicendo: *Si quis intraverit, remittat nuntium, ut venientes intremus cum illo*. Sed Dominus, qui jam prœliaverat, & interfecerat quatuor XX. millia hominum, & mulierum, volebat, quòd illa Civitas consecraretur ad honorem suum, & Beatæ Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum, & voluit destruere inimicos Crucis. Saraceni, qui erant inter exercitum, & Civitatem, veniebant tantùm per aquosa loca, & quædam fœmina sentivit eos, & cœpit cridare, *arma arma*; & casu accidit, quòd Templarii, & Hospitalarii surrexerunt ad Matutinum, qui pro Christi nomine, non laborem, non mortem, non jacula aliqua minimè formidantes, cucurrerunt, & interfecerunt, ducentos de Saracenis, & nonaginta capierunt. Alii verò redierunt; & tunc confudit Deus inimicos Crucis; & acceperunt Christiani capita Saracenorum, & projecerunt ea ante Soldanum, & corpora ante fossatum Civitatis, ut magis dolerent. Unde Christiani renuerunt pactum, & fecerunt cochas armare, & miserunt præcones per totum exercitum, & ordinaverunt, qualiter poterat capi Civitas; & diviserunt totam gentem, & præceperunt bene custodire lazias, & carbonaria. Statuentes „ qui priùs à carbonariis discederet suspendatur in eculeo. Secundus verò, si fuisset Miles, equos & arma perderet, & de exercitu expelleretur. Pedites manum, & omnia quæ ibi habuissent perderent. Si mercator, vel fœmina, quæ maneret in exercitu, manum & omnia sua perderet. Si homo vel fœmina sine armis fuisset inventus, si non fuisset infirmus, vel parvulus, qui custodiat papiliones, excommunicatus sit. Qui debebant scalas, cochas, & naves ascendere ad capiendam Civitatem, si redirent, manum & omnia sua perderet. Item qui introivit Civitatem, & invênit aurum, & argentum, & omnia alia, quæ invenerit, adunet in tribus, vel sex domibus, & assignet ea stabilitis; & si quis vult derobare, perdat manum, & suam partem. Item quibus præceptum fuerit jurare, jurabunt punire illos, qui prædicta statuta non observabunt „. Et annuntiata sunt omni populo. *Et in nomine Domini, & Beatæ Mariæ Virginis, faciemus insultum Civitati, & Deo adjuvante capiemus eam*. Et respondit omnis Populus: *fiat, fiat*.

Sed Dominus noluit expectare decreta hominum, nam V. die intrante Novembri, die Martis in Vigilia Sancti Lionardi in media nocte, qua hora Christus exspoliavit infernum, & Christiani muro Civitatis Damiatæ scalas posuerunt, dedit talem victoriam Christianis, qualem nunquam habuerunt. Quia, sicut prædictum est, non fuit bonitas eorum, sed Dei misericordia, quæ sinè ferro, & fame interfecit inimicos Sanctæ Crucis. Misit enim quosdam prudentissimos viros Romanos, & Latinos, media nocte ad murum Civitatis, & apposito ponte, & scala, bene armati ascenderunt murum cum magno tremore, quia nesciebant, sicut Dominus pro eis pugnaverat in Civitate. Postquam ascenderunt murum, supra portam prœliantes cum aliquibus Saracenis adhuc vivis, ceperunt unam turrim, clamantes ad exercitum: *succurrite, succurrite nobis, fratres, quoniam nostra est terra*. Et cœperunt dicere *Kyrie eleison*, & Populus respondit: *Gloria in excelsis Deo*; & Dominus Legatus dixit: *Te Deum laudamus*; & Hospitalarii clamabant, *Sancta Crux, & Sanctum Sepulcrum intercede pro nobis*. Et statim cucurrerunt Christiani ad lazias, alii ad carbonaria, alii ad Civitatem, & combusserunt unam portam, & aliam confregerunt; & ita Dei gratiâ Damiata capta est. Audite, Fratres carissimi, qualiter Dominus pugnavit contra inimicos Crucis. Quia circùm Damiatam inter duos muros fortissimos erat magnum spatium, ubi Saraceni erant sinè numero sepulti;

& per totam Civitatem similiter præceptum erat vivis sepelire mortuos, ubicumque invenirent de mortuis jacentibus per plateas, per domos, in uno lecto, tres, & quatuor, & vivus cum mortuo, non erat numerus; quoniam unus moriebatur circa alium, & vivus non poterat movere mortuum præ nimia infirmitate, & debilitate. Ipse Dominus miserat calamitatem hanc super illos. Jacebant homines & mulieres sinè vestibus, pedibus, & manibus retortis, & corporibus etiam à canibus dilaniatis. Et illi panem, & aquam juxta se habentes, & non poterant comedere, & sic moriebantur ut canes. De vivis inventi sunt plus X. millia hominum, & mulierum. Sed omnes præoccupati valida, & varia infirmitate. Adhuc ostendit Deus fidelibus suis mirabilia sua, quando terra capta est. Flumen per multum tempus ante diminutum fuerat; nocte illa in tantum crevit, quòd omnes foveæ erant plenæ aqua, & fuit tantus ventus, & aqua, quòd Soldanus, & Corradinus non potuerunt succurrere Civitati; sed summo mane venerunt aliquanti Saraceni, & viderunt Christianos bene armatos, & cantantes *Kyrie eleison*, & *Gloria in excelsis Deo*. Unde unus ex Saracenis dixit. *O Christiani, quid est hoc, quòd tantum gaudium habetis?* Responderunt Christiani: *nonne vides tu, quòd Dominus noster Jesus Christus in hac nocte tradidit nobis Civitatem Damiatæ?*

Et statim rediit, & nunciavit Saracenis, qui currentes nunciaverunt Soldano. Soldanus hoc audiens, statim loquelam perdidit, & fecit signum aliis, & imperavit, ut eorum capita truncarentur, & hoc factum est sinè intermissione. Cumque per duas horas in tanta tristitia, & angustia esset, erexit se, & arripuit ferrum, quo cinctus erat; sibi barbam, & trezas, & caudam, & comam sui equi truncavit; & omnes alii ita faciebant; dehinc lamentantes dicebant: *O Damiata usque nunc fuisti lucerna Paganorum inextinguibilis, & obscurata es nobis. Amodo eris lucerna Christianorum. Quid faciam, miser, quare non perii in utero matris meæ? quare non perii, antequam sub meo dominio virgo Damiata à Christianis esset violata?* Et dixit: *pereat dies, in qua natus fui, & non numeretur in diebus anni, quoniam multam obscuritatem obtulit nobis.* Damiata erat duobus muris circumdata, & fossato pleno aqua, per quod galêæ possunt ire, & habet XXII. portas, XLII. Castella de Amirariis circum ea, & CX. Turres inter paucas, & magnas, sinè magnis mansionibus, quæ sunt sinè numero. Invenerunt Christiani in dicta Civitate aurum, & argentum, pretiosos lapides, purpuras, samitos, ornamenta carissima, & vasa aurea, & argentea sinè numero, & inter asinos, & mulos numero CCCC. & granum, hordeum, biscotum, & legumina satis, & omnia fuerunt de Communi.

In his diebus inter Legatum, & Regem, incentiva malorum, filia Diaboli, & regina Inferni, quæ dicitur Discordia, & non tantùm inter ipsos, quàm per totum exercitum, discurrit: Rex enim petebat dominationem Civitatis, & Dominus Legatus volebat, quòd omnes Christiani haberent libertatem ibi; & exinde orta est discordia, quæ ferè inter ipsos interfuit, & bellum movit. Sed signo Crucis muniti ad bonam concordiam reversi sunt.

A B C D E

Anno Dominicæ Incarnationis MCCXVIII. Indictione VI. obsessa fuit Civitas Damiatæ. In medio mensis Madii Christiani omnes in navibus ascenderunt, & in sequenti hebdomada quadam die Martis in terram Ægypti intraverunt, & castrametati sunt apud Civitatem Damiatæ, & ibi steterunt per totam æstatem, & hyemem, & in sequenti anno in MCCXIX. Indictione VII. quinta die intrante mense Novembri, in Vigilia Sancti Leonardi festo veniente ad honorem Domini nostri Jesu Christi capta fuit Damiata à Peregrinis Christianis.

Explicit de obsidione, & captione Civitatis Damiatæ.

De obsidione Castri de Gonzaga, & facta fuit taleata; & captum fuit Castrum Bondeni.

IN MCC. vigesimo anno, Dominus Bereta de Parma, Regiensis Potestas. Et eo anno obsessum fuit castrum Gonzaghæ à Reginis, Parmensibus, & Cremonensibus, quod detinebatur à Mantuanis, & à Comite Alberto de Cassalodo de Episcopatu Brixiæ. Et eodem anno, & sub eodem M. die X. intrante Augusto in festo Sancti Laurentii fuerunt disconficti, & capti Mantuani ab hominibus de Bedullo, qui venerant de Fabricis, & de Campagnola ad Bedullum ad comburendum, & deprædandum. Et eodem anno taleata fuit incæpta cavari, & fuit missus Paudus per dictam taleatam. Et in illo anno . . . . . . Fredericus filius Imperatoris Henrici coronatus fuit à Papa Honorio in festivitate Sanctæ Cæciliæ. Et eodem anno captum fuit Castrum Bondeni à Mantuanis, Veronensibus, & Ferrariensibus, & à Mutinensibus die Martis XV. exeunte Junio.

De Domino Gotescbaldo.

IN MCCXXI. Dominus Gotescbaldus de Bononia Reginorum Potestas.

De destructione fovearum Civitatis Imolæ à Bononiensibus, & Faventinis.

IN MCCXXII. anno. Dominus Bartholomæus de Henzola Regii Potestas. Et eo anno destructæ fuerunt foveæ Civitatis Imolæ à Bononiensibus, & Faventinis.

De Terræmotu magno, qui fuit tempore D. Nicolai Episcopi Regini.

IN MCCXXIII. anno. Idem Dominus Bartholomæus confirmatus fuit Potestas Reginorum. Et in eodem anno in Nativitate Domini nostri Jesu Christi fuit maximus Terræmotus in Regina Civitate, prædicante Domino Nicholao Regino Episcopo in majori Ecclesia, & per aliam Lombardiam totam, & in Civitate Brixiæ. Et plures domus, & Castra, & turres Brixianorum ruerunt ex illo Terræmotu, & hora erat quasi sexta. Et eodem anno MCCXXIII. in Kalendis Madii, Mantuani ceperunt Cremonenses cum sandonibus ferè centum; & devastaverunt eos, ita quòd in fundo Bondeni demersi sunt.

De

Digitized by Google

De obsidione Stratæ in paludibus, & fecerunt zeparias ad comburendum pontem, & naves, quæ erant in Ramfreda, & mortuus fuit Dominus Jacobus de Palude.

IN MCCXXIV. anno. Dominus Gifredus de Pirovolo Reginorum Potestas. Et eo anno venerunt Mantuani cum navibus, & obsederunt Stratam Reginorum in paludibus, & fecerunt ceparias ad comburendum pontem, & naves, quæ erant in Ramfreda. Et tunc mortuus fuit Dominus Jacobus de Palude, & pro eo fuit maxima lis, & discordia inter illos de Palude, & illos de Foliano.

De tregua inter Reginos, & Mantuanos.

IN MCCXXV. Anno Dominus Ravaninus de Belotis de Cremona Potestas Regii, qui fecit fieri treguam inter Reginos, & Mantuanos.

De Consulibus Civitatis Regii, & de combustione Scrineorum, qui erant super Palatium Communis Regii cum Scripturis, & de Clavica Portæ Castelli.

IN MCCXXVI. Anno Domini Parixius Campsorum, Thomax Sclatarivi, Gerardus Ariberti, Guido Robertorum, & Raymundus de Sesso, Consules Communis Regii. Et eo Anno fuerunt mortui Dominus Ugolinus de Foliano, & Dominus Guido de Baysio in contrata Canusiæ; & etiam in ipso Anno voluit comburi domus Communis, & plura scrinea fuerunt combusta cum scripturis, quæ intus erant; & fecerunt fieri Portam de Clavica in Porta Castella.

Eodem Anno sub MCCXXVI. quarto Nonas Octobris transiit Beatus Franciscus Ordinis Fratrum Minorum Institutor, qui abiit ex hujus Mundi naufragio die Sabbati in sero, & sepultus fuit in die Dominico in Civitate Assisii.

De Caristia frumenti, & speltæ, & melicæ, & carnis porcinæ.

IN MCCXXVII. Anno Dominus Bernardus Rolandi Rubei de Parma Reginorum Potestas. Et eo Anno fuit maxima caristia blavis, ita quòd sextarius frumenti vendebatur XII. solidos Imperiales, & XV. & sestarius speltæ X. solidos Imperiales, & sestarius melicæ VIII. solidos Imperiales, & caro porcina XII. Imperiales.

Gregorius Papa Nonus.

GRegorius Papa IX. natione Campanus de Civitate Anania, qui multa strenua aggressus est, moribus & scientia decoratus; & si nobilis genere, est tamen nobilior sanctitate. Cœpit Anno Domini MCCXXVIII. sedit Annis XIV. & dimidio, imperante Frederico Rege Apuliæ, & Ciciliæ. Gregorius iste destinxit V. volumina Decretalium, & fecit inde unum volumen sub nomine cujuscumque Apostolici, & posuit in fine Titulorum de suo ad instar Codicis Justiniani. Iste etiam longo tempore pugnavit cum prædicto Imperatore, qui multa mala fecit Ecclesiæ Dei, quæ eum nutrivit, & coronavit, ita quòd penè navis Petri cecidit in profundum. Supradicto Papa, Hispani recuperaverunt Emerita Metropolim, Providit, suscitavit, & Pacesem Civitatem, & Castrum Equina, & Clavigana in Algarbe, scilicet Elbas, & Rumenia, & Alcasta, & Serpam, & Mauram, & Corduben, & Valentiam, & Regnum Majoricarum, & alias Terras quamplures. Sub eo etiam Ungaria à Cumanis, & Tartaris destructa fuit, & patrimonium Beati Petri ferè totum à prædicto Imperatore occupatum. Ipse etiam excommunicavit Græcos, eo quòd malè sentiunt de processu Spiritus Sancti, & quia noluerunt obedire Capiti suo, scilicet Ecclesiæ Romanæ; & per prædictum Imperatorem multi Christiani Prælati tam in mari, quàm in terra periclitati sunt, etiam Cardinales.

De obsidione Castri Bazani, & quia Bononienses ibi fuerunt cum Carrocio, & Mutinenses, Parmenses, & Cremonenses combusserunt, & destruxerunt Episcopatum Bononiensem, & ab eis captum fuit Castrum Plumacium & ædificata fuit Religio Sanctæ Trinitatis de Campagnola, & fuit magna nix.

IN MCCXXVIII. Anno. Dominus Gerardus de Curviaco Reginorum Potestas. Et eo anno in nocte Sancti Stephani cecidit Turris rotunda magna Ecclesiæ majoris pro tertia parte; & in nocte Sancti Johannis Evangelistæ prope Nativitatem cecidit alia pars Turris dictæ tota, ita quòd neminem læsit. Et in eodem anno venerunt Bononienses cum Carrocio suo circa Castrum Bazani, & contra eos venerunt tunc Mutinenses, Parmenses, & Cremonenses, & combusserunt terras Bononiensium, & destruxerunt, & equitaverunt usque in aquam Reni, & ibi dederunt bibere equis suis, & cùm remearent per stratam, Bononienses obviam venerunt eis in strata Sanctæ Mariæ in strata, & fuit maximum prœlium inter eos, & quamplures mortui fuerunt ex utraque parte. Et in eodem anno stantes Bononienses circa Bazanum, Mutinenses, Parmenses, & Cremonenses ceperunt Castrum Plumacium, & combusserunt. Et eo anno in Festivitate Sancti Christophori cœpit venire nix, quæ fuit valde magna, & usque ad illum diem erat ita pulchrum tempus, & hyems fuit ita calida, quòd pulvis erat per vias, & homines dicebant, quòd hyems transierat. Et eodem anno fuit celebrata prima Missa in Ecclesia Religionis Sanctæ Trinitatis de Campagnola à Domino Ugone Cardinali, qui postea factus fuit Papa, & vocabatur Gregorius Nonus.

Quòd incœpta primò fuit Civitas Regii murari, & factus fuit Pons Portæ Bernonis, & captum fuit Castrum Sancti Cæsarii à Bononiensibus.

IN MCCXXIX. Anno. Dominus Lazarus de Luca Reginorum Potestas, qui fecit fieri Pontem, & Portam de Porta Bernonæ; & tunc primò Civitas Regii cœpit murari, & fecit murare de muro Civitatis C. brachia à dicta Porta inferiùs versùs Portam Sancti Stephani. Et in eodem anno Bononienses obsederunt

Digitized by Google

runt de mense Augusti Castrum Sancti Cæsarii, & ipsum ceperunt, videntibus Mutinensibus, Parmensibus, & Cremonensibus, qui ibi erant cum exercitibus suis; & fuit maximum prœlium quadam nocte inter eos, & Bononienses; & fugerunt de campo; & manganellæ sibi violenter in bello ablatæ, dando terga inimicis, omnia quæcumque habebant dimiserunt; & fuit maxima mortalitas hominum peditum, & militum ex parte Bononiensium; & habebant manganellas in plaustris, & manganabant eas per Carrocium Parmæ, & homines illius partis.

Quòd facta fuit Porta Sancti Nazarii cum barbacanis, & muro Civitatis.

IN MCCXXX. Anno. Dominus Albricus de Piscarola Reginorum Potestas, qui fecit fieri Portam Sancti Nazarii, & barbacanum ad portam Sancti Stephani, & barbacanum de Porta Bernonæ, & barbacanum de Claviga, & barbacanum ad Portam Sancti Petri, & barbacanum de Sancta Cruce, & fecit murari de muro Civitatis juxta alium CC. brachia.

Quòd facta fuit Pusterla de Sancto Cosma & Damiano Civitatis.

IN MCCXXXI. Anno. Dominus Nicolaus de Dovaria Civis Cremonensis Reginorum Potestas, qui fecit fieri Pusterlam de Sancto Cosma, & fecit fieri de muro Civitatis juxta alium CCC. brachia.

De incœptione sturmi in plaza Communis inter Rughieros, & Malagutios, & disconficta Marchionis Cavalcabovis.

IN MCCXXXII. Anno. Idem Dominus Nicolaus fuit Reginorum Potestas confirmatus, qui fecit fieri CC. brachia muri ex muro Civitatis juxta alium, & in suo regimine in anno novo in plaza Communis fuit magnum prœlium inter partem Rugheriorum, & Partem Malaguciorum; & in die Sabbati XVI. exeunte Octobri disconfictus fuit Marchio Cavalcabò à Bonacursio de Palude, & ab illis de Sesso apud Mancasale.

De incœptione Ecclesiæ, Jesu Christi, & Fratrum Prædicatorum, & incœpta fuit Moneta.

IN MCCXXXIII. Anno. Dominus Giliolus Dominæ Agnetis de Parma Reginorum Potestas, qui fecit fieri CC. brachia de muro juxta alium. Et eo anno primò incœpta fuit Moneta Reginorum; & in Festivitate Sancti Jacobi primus lapis Ecclesiæ Jesu Christi fuit consecratus per Dominum Albertum Reginum Archipresbyterum, & Dominum Nicolaum Episcopum; & ad prædictum opus faciendum veniebant homines & mulieres Reginorum, tam parvi, quàm magni, tam milites, quàm pedites, tam rustici, quàm Cives ferebant lapides, sabl nem, & calcinam supra dorsa eorum, & in pellibus variis, & cendalibus; & beatus ille, qui plus portare poterat; & fecerunt omnia fundamenta domorum, & Ecclesiæ, & partem muraverunt. Et Frater Johannes de Bononia fecit magnam prædicantiam inter Castrum Leonem, & Castrum Francum; & tunc Frater Jacobinus superstabat ad laboreria prædicta facienda.

De nivibus, & glaciebus, & de gelatione vinearum, & volucres, & bestiæ silvestres mortuæ fuerunt, & de lupis, qui intraverunt Civitatem, & capti, & mortui, & suspensi fuerunt in platea Communis Regii; & arbores propter gelum scindebantur.

IN MCCXXXIV. Anno. Dominus Raynaldus Melioris Civis Florentiæ Reginorum Potestas, qui fecit fieri CC. brachia ex muro Civitatis juxta alium. Et eo anno nives, & glacies fuerunt magnæ per totum mensem Januarii, ita quòd vineæ, & omnes arbores fructiferæ gelaverunt. Volucres etiam, & bestiæ silvestres mortuæ fuerunt; & lupi intrabant Civitatem de nocte, & capti fuerunt de die, & suspensi in platea Communis Regii; Et arbores scindebantur per gelum à summo usque deorsum, & multæ exsiccaverunt propter dictum gelum. Et fuit magnum prœlium in Episcopatu Cremonæ inter Cremonenses, Parmenses, Papienses, & Placentinos, & omnes ex una parte, & Mediolanenses, & Brixianos cum suis amicis ex altera.

De vento frigidissimo, qui vênit de mense Aprilis, & de brina magna, quæ destruxit vineas VIII. die exeunte Aprili.

IN MCCXXXVI. Anno. Dominus Symon Melioris frater supradicti Domini Raynaldi, Reginorum Potestas, qui fecit fieri CC. brachia ex muro Civitatis juxta alium. Et eo anno quodam die Martii XX., & in nocte exeunte mense Aprilis vênit brina magna, ita quòd vineæ exsiccatæ sunt. Et die VIII. exeunte Aprili vênit alia nix, & brina frigida, ita quòd vineæ penitus brinaverunt. Et fecit fieri Portam de Ponte Lovonæ, & antequam exiret de suo regimine, fecit compleri totum laborerium Fratrum Prædicatorum. Et eo Anno fuit mortuus Dominus Guidoctus Episcopus Mantuæ filius quondam Domini Frugerii de Corrigia ab Advocatis de Mantua die Lunæ XIV. intrante Madio. Et eo Anno iverunt Parmenses, & Cremonenses, Placentini, & Pontremolenses in servitio Mutinæ ad cavandum Scultennam super Bononiam.

Quòd Imperator Fredericus intravit Lombardiam contra voluntatem Lombardorum, & Paduanorum, & aliorum. Et Cremonenses, & Parmenses, Regini, & Mutinenses tenebant partem Imperatoris.

IN MCCXXXVI. Anno. Dominus Ugucius de Caprona Civitatis Pisæ Reginorum Potestas, qui fecit fieri CC. brachia ex muro Civitatis, juxta alium. Et eo anno de mense Septembris vênit Imperator Fredericus filius quondam Imperatoris Henrici, & intravit in Lombardiam contra voluntatem illorum de Padua, & de Vinzenza, & de Trevixio, & de Milano, de Brixia, de Mantua, de Ferraria, de Bononia, de Faventia. Cremonenses verò, Parmenses, & Regini cum exercitibus suis, & CC. milites Mutinenses fuerunt ei obviam,

viam, & conduxerunt prædictum Imperatorem in Episcopatu Mantuæ, & transivit flumen Menzii, & Lollii, & destruxit terram Marcariæ; & Cremonenses robaverunt eam; & statim reædificavit, & posuit Cremonenses ad custodiendum eam. Et ivit cum dictis exercitibus circum Mantuam, & obsedit eam per aliquot dies, & cepit Castrum Mosii, quod est in Episcopatu Brixiæ, & dedit Cremonensibus ad custodiendum. Et tunc illi de Gonzaga reddiderunt Terram Gonzagæ Imperatori, & in eodem ivit Vincentiam, & cepit Civitatem, & destruxit die primo intrante Novembri; & fecit compositionem cum Salinguerra, & Ferrariensibus. Et in eodem anno in Vigilia Nativitatis Domini venerunt Mantuani secretè ad Marcariam, & ceperunt ipsam cum Cremonensibus, qui ibi erant ad custodiendum; & multos ex eis duxerunt Mantuam in captivitatem, & quamplures occiderunt. Et eodem anno fuit celebrata prima Missa ad Fontanam Burgii à Fratre Bartholomæo de Ordine Fratrum Prædicatorum pro Fratribus, qui stabant ad Saldinas; sed non erat posita ibi Crux à Domino Episcopo, die Sabbati V. intrante Julio in Festo Sanctæ Margaritæ Virginis & Martyris.

De obsidione Banzolæ, & Cavazolæ, & de exercitu militum & peditum Reginorum in servitio Imperatoris Frederici transmisso in Episcopatu Brixiæ contra Mediolanenses & Brixienses.

IN MCCXXXVII. Anno. Dominus Manfredus de Cornazano Civis Parmæ Reginorum Potestas, qui fecit fieri CC. brachia de muro juxta alium. Et eo Anno de mense Madii ivit cum exercitu Regino, & obsedit Castrum Banzolæ, & Cavazolæ, cum manganis, & trabucco uno, & destruxit eam; & fuerunt plaustra usque ad montem Grillarum superiùs Cavazolam. Item eodem Anno, & de mense Septembris ivit idem Potestas cum militibus & peditibus Reginis in servitio Frederici Imperatoris; Parmenses etiam, & Cremonenses cum Carrociis suis iverunt in servitio prædicti Imperatoris, & transierunt Flumen Lollii per Castrum de Boso, quod detinebant Cremonenses, & destruxerunt Episcopatum Brixianorum, & ceperunt Castrum Robeldeschi, & Castrum Guizoli Mantuanorum, & Castrum de Goo. Et stando ibi fecit Imperator pacem cum Mantuanis, ita quòd miserunt pedites & balesterios in ejus servitio in obsidione Montis-Clari, & combusserunt, & rupaverunt domos Burgi Montis-Clari. Et die V. intrante Octobri Rexani per se sinè alio exercitu stando ad Carpinentulum ceperunt; & Castrum Casalodoli ceperunt, & combusserunt prædicti Rexani sinè aliquo adjutorio supradicta duo Castra. Item die VII. intrante Octobri obsedit Imperator Castrum Montis-Clari cum exercitu Rexanorum. Hospitati fuerunt inter Montem-Clarum, & Calcinacum super flumen Clesii prope Calcinacum, & die XI. quodam die Dominico prœliati fuerunt illi de Castro Montis-Clari, & die sequenti Regini, & exercitus Imperatoris circumsederunt Montem-Clarum ex utraque parte, & manganaverunt cum manganis, & duobus trabuchis. Et die X. exeunte Octobri quadam die Jovis illi de Castro reddiderunt se Imperatori, & omnes ducti fuerunt in carceribus; & in dicto exercitu idem Imperator habebat Saracenos multos. Item die secundo intrante Novembri cepit dicta Castra, Gambaram, Gotolengum, Pratum Albuinum, & Pavonem, & combusta fuerunt. Et ante Festum Sancti Martini per duos dies vênit cum exercitu apud Castrum Pontis-Vici, & stando apud prædictum Castrum ipse Imperator cum dictis exercitibus, venerunt Mediolanenses cum exercitibus suis contra Imperatorem, & steterunt per longum tempus. Sexto die exeunte Novembri Bononienses ceperunt Castrum Leonem, quod erat Mutinensium, & destruxerunt, & duxerunt lignamina, & lapides, & alias res dicti Castri in Castrum-francum; & omnes homines, quos in dicto Castro Leone invenerunt, Bononiæ in carceribus duxerunt. Et eo Anno die quarto exeunte Novembri Mediolanenses ab exercitu Imperatoris devicti, & mortui fuerunt, & suum Carrocium apud Curtem-Novam amiserunt; & etiam filius Ducis Venetiarum, qui tunc temporis erat Potestas Mediolanensium, & in Civitate Cremonæ in carceribus ductus fuit. Eodem Anno, & in prædicto exercitu habuit prædictus Imperator unum elephantem, & desuper dorsum ipsius bestiæ elephantis erat unum Carrocium bene armatum, & cum uno Confalone in medio ædificio dicti Carrocii, & cum quatuor banderiis, una in quolibet angulo dicti Carrocii, & super dictum Carrocium erant Saraceni, & Christiani bene armati.

De obsidione Civitatis Brixiæ ab Imperatore Frederico cum exercitu Reginorum, Parmensium, Cremonensium, Bergamensium, & Papiensium.

IN MCCXXXVIII. Anno. Dominus Delphinus Marchio Civis Parmensis Reginorum Potestas, qui fecit fieri CC. brachia ex muro juxta alium. Et eo Anno iverunt CC. milites, & mille pedites Regini in servitio Frederici Imperatoris, & obsederunt Brixiam; & etiam Cremonenses omnes erant, & steterunt ibi per longum tempus; & erant Parmenses, Bergamenses, Papienses, & Saraceni, Theutonici, & Apulienses cum Imperatore. Et tunc Imperator fecit fieri castra lignorum ad prœliandum cum Brixiensibus, & posuit super eos homines, qui erant in Castro Montis-Clari, qui erant in carceribus prædicti Imperatoris. Et Brixienses manganabant castra, & homines, qui erant in dictis castris, nec fecerunt aliquod malum prædictis hominibus captis, qui erant super ea castra, & ipsi Brixienses suspenderunt captos Imperatoris pro brachiis extra Palancatum Civitatis.

De obsidione Civitatis Ferrariæ, & captione, & de obsidione Castri Plumacii & Crevacori per Imperatorem Fredericum, & de obscuratione Solis in hora Nonæ, & stellæ apparuerunt in Cœlo.

IN MCCXXXIX. Anno. Dominus Gerardus de Henzola Potestas Reginorum, qui fecit fieri CC. brachia de muro Civitatis juxta alium. Et eo Anno Imperator Fredericus obsedit Castrum Plumacium, & Crevacorum,

rum, quod est in Episcopatu Bononiæ, cum Parmensibus, & Mutinensibus, & cum CC. militibus Reginis, & M. peditibus de mense Junii, Augusti, Septembris; & ea Castra destruxit; & Bononienses venerunt, & combusserunt Burgum Sancti Petri extra Civitatem Mutinæ, & usque ad dictam portam, stante Imperatore cum dicto exercitu juxta Crevacorum. Et eo Anno obsessa fuit Ferraria de mense Februarii, Martii, & Aprilis à Marchione de Este, & à Gregorio de Montelongo Legato in Lombardia, & à Duce Venetiarum; & omnes isti fuerunt cum magno exercitu, & tunc erat Dominus Raymundus de Sesso Potestas ejusdem Civitatis; & Ferrarienses reddiderunt dictam Civitatem cum Domino Salinguerra dicto Domino Gregorio, & dicto Marchioni, & dicto Duci; & stetit dictus Salinguerra in confinibus Venetiarum, & mortuus est ibi, & sepultus; Et tunc erat Papa Gregorius Nonus, & Imperator Fredericus in illis imperabat temporibus. Et in hora Nonæ obscuratus est Sol, & stellæ apparuerunt mense Junii tertio die intrante, & videbatur, quòd esset nox obscura.

De tempore Domini Gerardi de Corrigia Potestatis Regii.

IN MCCXL. Anno Dominus Gerardus de Corrigia Reginorum Potestas, qui fecit fieri CC. brachia de muro Civitatis apud alium, & XL. apud prædictum murum.

De emtione Molendinorum per Commune Reginæ Civitatis, & Burgorum.

IN MCCXLI. Anno. Dominus Opizus de Corrigia Reginorum Potestas, & nepos dicti Domini Gerardi, qui fecit fieri ex dicto muro Civitatis apud dictum CCLX. brachia. Et eo Anno fuit incœpta Communia; & eo Anno capta fuit Cauriana per dictum Potestatem, & captus fuit ibi Symon de Podio, & decapitatus fuit per Potestatem, & Commune Regii. Eodem Anno, & tempore prædicti Potestatis, emptæ fuerunt Molendinæ Civitatis, & Burgorum per Commune Regii, ut in Registro Communis continetur.

De ædificatione stratæ de Razolo, & de cavamento fovearum Castri de Razolo, & de Pontibus supra dictam stratam, & supra Taleatam, & de ædificatione Turris.

IN MCCXLII. Anno. Dominus Lamberteschus de Lamberteschis de Florentia Reginorum Potestas, qui bene & legaliter omnibus hominibus Civitatis, & districtus Reginorum libenter rationem faciebat; & tunc propter ejus bonitatem Consilium Reginorum concessit ei libertatem faciendi quiquid vellet, ita quòd quasi omnes fuerunt in hoc concordes, & fecit in illo anno fieri stratam de Razolo, & Pontes super Taleatam, & cavari foveas Castri Razoli, & exstruere Turrim dicti Castri in altitudine XXX. brachia, & fieri fecit CC. brachia ex muro Civitatis juxta alium.

Cœlestinus Papa Quartus.

COelestinus Papa Quartus natione Mediolanensis cœpit Anno Domini MCCXLII. sedit diebus XVII. Imperante Frederico. Cessavit Episcopatus XXII. mensibus, & diebus XIV. Hic Episcopus Sabinensis vita laudabilis, senex, & infirmus citò moritur, & in Ecclesia Sancti Petri sepelitur.

De morte Domini Muschæ de Lamberteschis de Florentia, & de morte Domini Jacobi Judicis de Luca Reginorum Potestatis, & de electione Domini Mazæ de Oldevrandis de Cremona in Potestatem Regii, & de morte Domini Nicolai Episcopi Reginorum, & de electione Episcoporum Domini Guizoli Albriconum, & Domini Guilielmi de Foliano.

IN MCCXLIII. Anno Dominus Musca de Lamberteschis de Florentia Reginorum Potestas, qui obiit V. die exeunte Januario quadam die Martis, & sepultus ad Ecclesiam Fratrum Prædicatorum; & postea fuit electus Dominus Jacobus Judicis de Luca Potestas Reginorum, qui etiam obiit de mense Septembris, & sepultus fuit ad Ecclesiam Sancti Johannis Baptistæ de Platea. Et tunc electus fuit Dominus Maza de Oldevrandis de Cremona Potestas Reginorum. Mortuo jam Domino Nicholao Regiensi Episcopo in Curia Domini Frederici Imperatoris, & sepulto in terra Melfi, tunc electus fuit Dominus Guizolus Albriconum Præpositus Sancti Prosperi de Castello Episcopus Reginus; & Dominus Guilielmus de Foliano, fuit postulatus in Episcopatum; & propter hoc fuit maxima discordia inter Albricones, & illos de Foliano, & Potestatem de mense Septembris. Et postea supradicta electio fuit cassata, & dicta postulatio tunc non fuit admissa; sed procedente illo tempore dictus Dominus Guilielmus factus fuit Episcopus; & Potestas fecit CC. brachia ex muro Civitatis juxta alium, & fecit murari Rezetum de Razolo, & fecit fieri Pontem super Taleatam.

De discordia inter Potestatem, & illorum de Sesso, & de mortalitate Christianorum, qui mortui fuerunt ultra mare.

IN MCCXLIV. Anno. Idem Dominus Maza confirmatus fuit in Potestatem Reginorum; & tunc de mense Octobris ivit Potestas ad Pigognagam ad guastandum Dominum Rodulfum de Panzano pro quodam maleficio per eum facto in terra Herberiæ in Castro; & quia non permittebat se guastare, ideo misit dictus Potestas pro Populo Regino, & pro militibus; & omnes iverunt. Et cùm venissent Razolum, illi de Sesso fecerunt percuti fortiter cum spata Dominum Robertum de Lupicinis, qui erat Potestas Mercatorum; & propter hoc fuerunt secuti à Populo Regino, & habuerunt magnum dedecus. Et fuit ibi unum sturmum, & veniendo Reginus Potestas condemnavit eos in D. libras Rexanorum, & propter hoc fuit maxima discordia inter Potestatem, & illos de Sesso. Et fecit fieri CC. brachia de muro Civitatis apud alium, & finiri dictum Pontem de Razolo. Et eodem anno fuit magna mortalitas Christianorum ultra mare.

„ Ego

Digitized by Google

A ,, Ego Robertus Patriarcha de Jerusalem ,, licèt indignus notum facio cunctis, qui ,, Christiano censentur nomine, quòd in Anno ,, Domini MCCXLIV. XV. Kal. Octubris, ,, hoc est in Vigilia Sancti Lucæ Euangelistæ ,, facta fuerunt bella, & traditiones multæ ,, apud nos. Hoc est videlicet in Terra Sancta. Prima destructio, quæ facta fuit in ,, mense Augusto, quando Civitas Hierusalem destructa fuit à Colosininis. Secunda ,, destructio, quæ facta fuit in Vigilia Sancti ,, Lucæ secundùm quod supra diximus. In planicie de Gadara, hoc est Sabulo albo, ,, quando de domo Templi fuerunt occisi ,, CCC. & XII. Fratres milites, & CCCXXIV. ,, Turropoli penitus occisi, de domo Sancti ,, Johannis CCCXXV. Fratres milites, & ,, CCXXIV. Turropoli similiter occisi sunt. ,, De domo Alamannorum non remanserunt ,, nisi tres fratres, alii omnes occisi, videlicet ,, CCCC. de eadem domo. De domo Sancti ,, Lazari milites leprosi, & sani, omnes fuerunt occisi. Dominus Cayphas cum tota ,, gente sua fuit occisus. Comes Gualterius ,, de Zaphes captus fuit, & omnes homines ,, ejus interfecti. Milites Principis Antiochiæ, ,, qui erant CCC. fuerunt occisi. Milites Regis Cypri, qui erant CCC., similiter occisi. ,, Archiepiscopus Tyri cum tota gente sua ,, fuit occisus. Episcopus de Rama fuit occisus. Insuper, quod pejus est, XVI. millia ,, Francorum, & tantus numerus aliorum, ,, qui pro Christo sanguinem proprium effuderunt, quòd quasi sine numero possunt ,, enarrari: Et notandum, quòd Soldanus de ,, Damasco, & Soldanus de Camele, & quidam magnus Saracenus, qui vocatur Nas, ,, & omnis militia domini de Allap, qui nobiscum vinculo sacramenti, & fidelitate ,, erant astricti, in quorum numero erant ,, plusquam XXV. millia Saracenorum, qui ,, traditores nostri in fine belli fuerunt, quorum nomina maledicantur in secula seculorum. Amen.

Innocentius Papa Quartus.

INnocentius Papa Quartus natione Januensis de Comitibus Lavaniæ cœpit Anno Domini MCCXLII. sedit annos XI. mens. VI. Hic Sedes Cardinalium multo tempore vacuas de personis ex diversis partibus Mundi sibi prælatis restauravit. Hic post magnum tractatum cum Imperatore de pace, dum ipsius adversùs Ecclesiam contumaciam perpendisset, cum Januensium auxilio devênit in Gallias, & celebrans Concilium in Lugduno, ipsum velut hostem condemnavit Imperio privandum, procuravitque Lantgravium Turringiæ in Regem Alamanniæ eligi, mortuo ipso Comite Hollandiæ. Hic Lugduni canonizavit Sanctum Emundum Confessorem Cantuariensem Archiepiscopum. Ipse etiam canonizavit Perusii Beatum Petrum Ordinis Prædicatorum Veronensem natione, quem Hæretici propter ipsius contra ipsos prædicationem inter, Cumas, & Mediolanum occiderunt. Canonizavit etiam Assisii Sanctum Stanislaum Cracoviensem Episcopum, qui ab iniquo Principe fuerat interfectus. Innocentius, mortuo Frederico Imperatore, Apuliam cum magno exercitu ingrediens post paululum Neapoli moritur, & sepelitur. His temporibus floruit vita, & scientia Venerabilis Dominus Ugo Cardinalis Frater Prædicatorum Ordinis, qui Doctor eximius doctrina sana, & prælucida totam Bibliam postillavit; Concordantiarum Bibliæ primus auctor fuit. Quem propter vitæ, & scientiæ famam Papa Innocentius Sanctæ Sabinæ instituit Presbyterum Cardinalem, in quo statu, licèt esset de Ordine Prædicatorum, omnibus tunc Religiosis, ac etiam Secularibus prælucidus extitit.

B *De sturmo, quod fuit ante domum Scazani inter Robertos, & illos de Sesso, & de combustione domus Petriboni Calegarii, & de introitu, quem fecerunt Dominus Maravonus, & Dominus Symon de Manfredis cum exercitu, quem secum habebant, & combustione Portæ Sancti Petri.*

IN MCCXLV. Anno. Dominus Joldus de Ursonibus de Cremona Reginus Potestas fuit electus in die anni novi. In Dominica die fuit maximum sturmum ante domum Scazani, & die Lunæ sequenti inter Robertos, & illos de Sesso; & dedecus habuerunt tunc illi de Sesso; & domus illorum de Callegariis fuit combusta, cùm sturmum erat; & propter hoc fuerunt pulsi de Civitate Gibertus Tarasconum, & Ascherius de Ascheriis, & Vivianus Meliorati, qui dicebantur combuxisse, vel C consensisse, & fuerunt graviter condemnati. Et quadam die Lunæ tertio die intrante Julio, vênit Dominus Symon de Manfredis, & Dominus Maravonus de Bonicis cum multis peditibus, & balestariis Regium, & combusserunt Portam Sancti Petri, & intraverunt in Civitatem, per vim; & illa die Lunæ, & die Martis sequenti, fuit maximum sturmum per Civitatem; & pro illo facto fuerunt pulsi de Civitate per Imperatorem omnes Roberti, & illi de Foliano, & Lupisini, & filii Domini Johannis Bonifacii, & Manfredus de Palude, & Canini, & quamplures dictæ partis de Parma, & quamplures de Regio fuerunt ducti cum Imperatore.

D Et eo Anno Innocentius Papa ivit ultra montes in terra Leonis supra Rhodanum; & dictus Imperator bannivit Papam, Cardinales, atque Legatos; & tunc Imperator de mense Octubri ivit contra Mediolanenses super Ticinum flumen; & Enzus ejus filius supra Taleatam Addæ cum Reginis, Cremonensibus, & Parmensibus, & ceperunt Gorgunzolam, ad cujus assedium fuit captus Rex, & recuperatus per populum Reginum, Parmensem, & alios burgos Mediolanensium. Et fecit fieri murum Civitatis in quadra Castelli, & Pallancatum circa Civitatem, & axamplari vias circa murum Civitatis extra foveas.

E *De obsidione Filinæ, & Rosenæ, & captione.*

IN MCCXLVI. Anno. Dominus Ubertus Marchio de Pellavicinis Reginorum Potestas per Imperatorem; & cepit Rosenam, & Filinam per concordiam, & fecit fieri stratam in circuitu Civitatis.

Digitized by Google

De destructione Berselli, & de captione Navilii Mantuanorum.

IN MCCXLVII. anno Dominus Bosus de Dovaria Reginorum Potestas; & tenuit Reginos duobus mensibus cum Rege Henzo apud Guastallam; & tunc banniti intraverunt Parmam, & Imperator obsedit eam. Tunc Dominus Rex cum Izolino ceperunt Dominum Ugonem de Robertis cum multis aliis apud Fanum Villa in Episcopatu Regino prope flumen Linciæ; & destruxerunt Bersellum, & Berostum, & totum Episcopatum Parmensium à Lincia citra; & fecit Castrum Berselli & Pontem, quem Mantuani ceperunt. Et eodem Anno captum fuit navigium Mantuanorum apud Bersellum ...... postea ad Gramignacium, & multi mortui, & .... de Mantuanis fuerunt. Et tunc Mantuani combusserunt totum Episcopatum Cremonensium à Turrexella inferiùs; & apud Luzariam steterunt Mediolanenses, Brixienses, Ferrarienses, Bononienses, & Venetici duobus mensibus. Et Patriarcha Antiochenus mortuus fuit apud Laudunum qui fuit de Robertis. Et tunc banniti Imperatoris intraverunt Parmam, & expulerunt partem Imperatoris. XV. die intrante Junio.

Et eo anno Dominus Gerardus de Corrigia cùm bannitis Imperatoris de Parma venerunt Parmam per forciam, & fecerunt magnum prœlium cum Potestate Parmæ, & cum militibus Parmæ ad Burghettum de Tauro, & ibi interfecerunt Potestatem Parmæ, scilicet Dominum Henricum Testam Civem Civitatis de Arecio, & militem suum, & Dominum Manfredum de Cornazano, & Dominum Albertum Manclaretum, & plures alios. Et fuit ibi vulneratus & Dominus Bertolus Taberierius, qui fugit ad Costam Mezanam cum quibusdam suis Amicis. Et tunc Theotonici Imperatoris dixerunt bannitis Imperatoris: *venite ad Parmam, & capiatis Civitatem*. Qui incontinenti venerunt ad dictam Civitatem, nemine contrastante, & eam ceperunt, & tenuerunt. Et consilium, & concionem congregaverunt Parmenses, & elegerunt Dominum Gerardum de Corrigia in Potestatem Parmensium. Et hoc fuit die Dominico XVI. intrante mense Junii; & die Lunæ tempestivè dicti Parmenses miserunt Ambaxatores Communi Regii Dominum Armanum Scotum, & alium cum eo, qui petebant prexoneros Parmæ sibi dari; & tunc Dominus Bosus Potestas Reginorum noluit eos audire. Hoc audito à Domino Rege, qui erat cum Cremonensibus in absedium Castri Quinzani, vênit cum Cremonensibus apud flumen Tauri in exercitu. Postea vênit Imperator cum Domino Izolino cum magno exercitu, & cum prædicto Rege, & Cremonensibus, & posuerunt se in absedium prænominatæ Civitatis Parmæ in Contrata, quæ dicitur Grola; & ibi in ea contrata Dominus Imperator statuit, & constituit unam Civitatem undique fundatam, & nomen ejus vocabatur *Victoria*. Et quadam die Martis XVIII. die intrante Februario stando dictus Imperator in Victoria, Parmenses, & omnes milites, & populares armata manu exierunt de Parma, & per forciam cazaverunt Imperatorem de Victoria, & omnes suos milites, & pedites; & multi fuerunt ibi mortui & vulnerati, & totum Carrocium Cremonensium ibi stellaverunt, & destruxerunt, & in Parmam duxerunt. Qui Imperator fugiendo vênit Cremonam, & pervênit ad Bersellum, & taliter fuit perterritus exercitus, & absedium finitum est Parmæ.

Eodem anno, & eodem millesimo vênit Comes Rizardus de Sancto Bonifacio de Verona Pater Domini Lodovici, qui fuit strenuus miles, & probus valde. Quando Parma rebellata fuit Imperatori Frederico Secundo, ipse etiam fuit, qui dedit succursum Parmensibus. Qui veniens per terram Guastallæ cum multis armatis, ingressus est Parmensium Civitatem. Et Parmenses cognoscentes hoc servitium, dederunt ei Palatium Imperatoris, quod est in Arena ad habitandum, ita quòd esset Dominus cum suis successoribus. Sequenti die vênit militia Placentinorum, & custodiebant Civitatem. Tertia die post introitum Comitis Sancti Bonifacii vênit Dominus Gregorius de Montelongo Legatus Domini Papæ, & Dominus Bernardus Rubeus cognatus dicti Innocentii Quarti cum mille militibus de Mediolano. Et hi custodiebant Civitatem in glara ....

De captione omnium Castrorum, quæ habuerunt banniti Imperatoris, & de recuperatione quorumdam Castrorum, quæ habuerunt Parmenses, & de mortalitate, & de combustione Civitatis Victoriæ per Parmenses.

IN MCCXLVIII. anno. Dominus Bonatacca Civis Civitatis Senæ, qui fuit Reginorum Potestas; & stetit per tres menses. Et suo tempore ceperunt banniti Imperatoris omnia Castra de montaneis partibus. Et postea fuit electus in Potestatem Reginorum Dominus Bernardinus de Rubeis de Parma, & stetit tribus mensibus, & mortuus est, & sepultus fuit ad Ecclesiam Fratrum Minorum, & modò stat apud Sorores Minores. Et postea successit, & electus fuit in Potestatem Reginorum Dominus Zavaranus de Strata Civis Papiæ, qui fecit fieri molendina in navilio. Et Parmenses recuperaverunt Bibianellum, & Curviacum, & Guardasonem, & Rivaltam. Et mortalitas magna hoc anno fuit, & mortuus est Abbas Sancti Prosperi. Et eodem anno recuperavit Dominus Imperator Vercellum; & Dominus Bonacursus de Palude mortuus fuit; & Dominus Rex fecit cavare in scalopla usque Padum. Et Dominus Episcopus Tripolitanus de Robertis mortuus fuit Parmæ; & Dominus Bernardus Rolandi Rubei mortuus fuit ad Collecta per Imperatorem. Et Parmenses ceperunt, & combusserunt Victoriam XII. die exeunte Februario.

De captione Regis à Bononiensibus, & de obsidione Civitatis Mutinæ, & combustione Burgorum Mutinensium, & Reginorum, & Pontium.

IN MCCXLIX. captus fuit Rex Henricus, seu Encius à Bononiensibus; & tunc Dominus Osbertus de Dovaria Civis Cremonæ Potestas erat Regii; & Parmenses cum bannitis Regii combusserunt Pontem Sancti Stephani, & de Porta Bernonæ; & Crustuneum inun-

inundavit, & destruxit Pontes suos, & ivit Mutilenam; & etiam combusserunt Burgum omnium Sanctorum. Et decimo die intrante Junio, & de Augusto, Dominus Symon Bonifacii cepit Terram de Novis, & Arolem, & Sanctum Stephanum. Et de mense Septembris inter Nonam & Vesperam terræmotus magnus fuit. Eodem anno Bononienses, & Banniti Mutinæ, & Romaniæ obsederunt Mutinam, & Burgos combusserunt, & manganaverunt eam per mensem Septembris. Et Yzolinus cepit Estem, & Terras Marchisii; & Parmenses fecerunt Castrum Berselli. Et Mutinenses inierunt fœdus cum Bononiensibus, & habuerunt duas Potestates, & recuperaverunt omnes suos captivos, & Regem in vinculis dimiserunt, & Rex captus fuit à Bononiensibus, & de militibus Cremonensibus, & Theotonicis, qui erant secum die V. exeunte Madio.

De Mercato dato Parmensibus, & de Carrocio Parmæ capto à Cremonensibus, & de morte Domini Frederici Imperatoris.

IN MCCL. anno. Regini non potuerunt concordari de Potestate, & miserunt ad Yzolinum, & dedit eis Dominum Ugolinum de Sancta Juliana, & venire distulit usque ad Cathedram Sancti Petri; & interim Dominus Johannes de Serento tenuit Potestariam. Eodem anno de mense Junii in Festo Sancti Viti fecerunt vastum Reginis Bononienses, Mutinenses, Banniti Regii, Parmenses, Romagnoli, & Tuscani, & Ferrarienses à Strata superiùs usque Circas. Et Mercatum Parmensibus dederunt. Et Regini iverunt ad Novem, & combusserunt terram, & vangaverunt undique, & ceperunt multos homines, & jumenta, & ceperunt Campagnolam cum CCLX. hominibus. Postea die Jovis post Festum Beatæ Virginis Cremonenses, & Parmenses, qui erant extra Parmam, ex parte Imperatoris ceperunt Carrocium Parmensium in loco, qui dicitur Agrola, XIV. die exeunte Augusto, & tria millia pedites, & multos milites ibi ceperunt. Et obiit Fredericus Imperator in Festivitate Sanctæ Cæciliæ Virginis in Apulia.

Impedimenta Romani Imperii.

ROmanum Imperium, sive post mortem, sive post depositionem Frederici Secundi ab Imperio, cœpit vacare; nam post depositionem ipsius Papa Innocentius IV. qui eum deposuerat, per Principes Alamanniæ Electores plures eligi ad Imperium procuravit. Videlicet Lantgravium Thuringiæ, & Comitem Hollandiæ successivè, qui antequam ad Imperialem benedictionem pervenissent, vitæ terminum exegerunt. Post mortem verò prædicti Frederici Electores se in duo dividentes, quidam verò Regem Castellæ, quidam verò Comitem Cornubiæ fratrem Regis Angliæ ad Imperium elegerunt: quod schisma multis annis perseveravit. Et quia plurima notabilia in diversis partibus Mundi tempore hujus vacationis evenerunt, titulo ea per ordinem, pro ut breviùs potero, explicabo. Eodem anno MCCL. In Dacia Ericus Rex Danorum inclytus ab Abel fratre suo juniore, ut regnaret pro eo, in mari suffocatur. Qui parum honoris, & commodi ex hoc est assecutus; nam sequenti anno Regni sui cùm Frisones subjugare voluisset, à Frisonibus est occisus. Eodem millesimo & anno Conradus Rex filius Frederici, ut mortuo patre Siciliæ Regnum susciperet, per mare in Apuliam pervênit, & capta Neapoli muros funditus destruxit. Sed cùm sequenti anno Regni sui in Apulia infirmari cœpisset, clistere, quod à Medicis judicabatur fieri ad salutem, veneno immisso intulit sibi mortem.

De captione Castri de Castellarano à Forensibus, & de concordia Placentinorum, & de adventu Domini Innocentii Papæ Quarti à Terra Leonis, & de captione Civitatis Laudi, & de captione Tortonensium ab Alexandrinis, & Mediolanensibus.

IN MCCLI. anno. Dominus Ugo Boterus de Parma Reginorum Potestas. Et eo anno captum fuit Castrum Castellarani à Forensibus de mense Madii, & Dominus Umbertus Marchio de Pallavicinis ivit Placentiam, & fecit fieri concordiam cum populo Placentinorum, & Cremonensium; & milites exiverunt de Placentia cum discordia populi, & steterunt per Castra Placentinorum de mense Madii; & Dominus Umbertus de Nequitia fuit Potestas populi Placentinorum.

In hoc anno congregata est innumerabilis multitudo pastorum in Francia, & dicebatur, quòd debebat transfretare ad interficiendos Saracenos, & Regem Franciæ vendicandum.

Et eo anno vênit Dominus Innocentius Papa Quartus à Terra Leonis, ubi steterat pluribus annis, ad Civitatem Januæ de mense Madii, & postmodum ivit Mediolanum, & stetit ibi per mensem & ulteriùs. Et dum esset ibi, Mediolanenses venerunt ad Civitatem Laudi, & intraverunt ipsam Civitatem; & cùm Dominus Umbertus Marchio Pallavicinus hoc intellexisset, vênit cum magno exercitu Cremonensium, & cum parte Placentinorum, & intraverunt dictam Civitatem Laudi similiter, & præcipuè in Castrum Domini Imperatoris, quod erat ibi ædificatum, & steterunt ibi bene per mensem. Et de mense Julii, & Augusti ambæ partes, scilicet Cremonenses cum suo exercitu, & Mediolanenses cum suo exercitu, & stando ibi Cremonenses combusserunt quamplures contratas Civitatis, & explanaverunt partem de muro, & foveas Civitatis; & Cremonenses redierunt, & dimiserunt Civitatem sinè aliquo conflictu. Et Mediolanenses steterunt ibi, & Dominus Papa postmodum vênit Brixiam, deinde Mantuam, postea Sanctum Benedictum de Larione, deinde Ferrariam, & à Ferraria Bononiam, & à Bononia Perusiam. Et eo anno captum fuit Castrum Berselli à dicto Marchione, & Cremonensibus de mense Octubris.

Et eodem anno vênit Rex Corradus in Lombardiam, primò Veronam, & postmodum vênit Cremonam, & à Cremona rediit Veronam, & vênit in Apuliam; & hoc fuit de mense Novembris. Et eodem mense captum fuit Castrum de Laude. quod erat in dicta Civitate, & qui erant in dicto Castro. Et illi, qui erant de Papia, dimiserunt ire. Et eodem anno capti fuerunt Tortonenses ab Alexandrinis, & Mediolanensibus, major pars hominum dictæ Civitatis.

De Pace facta, & jurata inter Robertos, & illos de Sesso, & de brina quæ fuit de mense Madii.

IN MCCLII. Anno. Dominus Johannes Metalia de Cremona Reginorum Potestas. Et eo anno fuit magna brina XIII. die exeunte Madio, die Dominico, quæ destruxit vineas de Saliceto. Et eodem anno facta fuit pax inter Robertos, & illos de Sesso, & de Foliano, & de omnibus aliis bannitis, qui expulsi fuerant de dicta Civitate Regii, in XV. die exeunte Augusto in Octava Sancti Laurentii, per Fratrem Egidium Religionis de Campagnola, qui fuit de Civitate Veronæ, & per Dominum Guilielmum de Foliano Episcopum Regii. Et fuerunt eo anno facti Anciani pro bono statu Civitatis Reginæ, & electi ad sortem in Consilio; & in primis fuerunt XII. Et eodem anno prædicti Anciani die Sabbati XV. exeunte Augusto, voluntate & parabola Consilii communis, more solito in Palatio Communis Regii congregati, juraverunt pacem, & concordiam cum Domino Guilielmo prædicto Episcopo, & cum Reginis de foris pro eis, & Reginis intus Civitatem Regii, ad honorem Dei, & Beati Prosperi, & Sancti Grixanti, & ad bonum statum Civitatis Regii.

De introitu, quem fecerunt Roberti, & alii de Foliano in Civitate Regii, pro bono statu pacis, & concordiæ cum Domino Episcopo.

IN MCCLIII. Anno. Dominus Ravaninus de Bellotis Cremonæ Reginorum Potestas. Item in eodem anno fuit factus Dominus Guido de Zente Civis Parmensis Potestas Reginorum per Dominum Gibertum de Zente ejus fratrem tunc Potestatem Parmæ in concordia partis de foris, & in concordia partis intus. Et eodem anno die Martis quarto exeunte mense Octubris in festo Beatorum Apostolorum Symonis & Judæ Dominus Gibertus de Zente Potestas Civitatis Parmæ, & Communis cum Ancianis Consortii Sanctæ Mariæ Virginis Parmensis Civitatis, & cum aliis bonis hominibus ejusdem Civitatis, iverunt ad Portam Sanctæ Crucis cum omnibus hominibus Civitatis Regii, & duxerunt Dominum venerabilem electum Guilielmum de Foliano Episcopum Reginorum cum aliis omnibus hominibus de parte de foris in Civitatem cum magna lætitia, & cum Crucibus, & Confalonibus, & Sacerdotibus, & Religiosis personis. Et die Mercurii tertio exeunte dicto mense, prænominatus Gibertus Potestas Parmæ in plena concione per tubas & campanas in platea Communis coadunato populo, fecit sententiam inter partes intus, & de foris, quæ sententia scripta est in Statuto Communis Regii. In qua die tertio exeunte mense Octubri factus fuit Dominus Guido de Zente frater Domini Giberti de Zente Potestas Regii per dictum Dominum Gibertum Potestatem Parmæ.

De morte Domini Guidonis de Zente Potestatis Regii.

IN MCCLIV. Anno. Dominus Guido de Zente Reginorum Potestas frater dicti Domini Giberti de Zente. Et eodem anno obiit in Civitate Regii, & sepultus fuit ad locum Fratrum Minorum, & modò est Sororum Minorum.

De expulsione Domini Giberti de Zente cum familia sua de Civitate Regii, & de electione facta in Dominum Jacobum de Sesso in Potestatem, & de captione Rochæ de Canossa.

IN MCCLV. Anno fuit data Potestaria Domino Giberto de Zente, qui semper erat Potestas Parmæ, & posuit per suum Vicarium pro eo in prædicto Regimine Dominum Guidonem de Angelis. Et prædictus Dominus Gibertus de Zente, & prædictus Dominus Guido Vicarius fuerunt expulsi de Regimine Civitatis Regii per Collegium Judicum, qui Judices sine consilio & campana elegerunt in Potestatem Dominum Jacobum Penacium filium quondam Domini Gilioli de Sesso die Lunæ ante Carnisprivium tertio intrante Marcio, & propter hoc fuit magna discordia inter Dominum Gibertum de Zente Potestatem Parmæ, & Commune Regii.

Et eodem anno Bonifacius filius quondam Domini Johannis de Canossa, stando, & retinendo Rocham dictam de Canossa, & eam robando, & deprædando, & thesaurum & vasa sacra Monasterii abstulendo, agebat contra voluntatem Potestatis, & Communis Regii. Unde Potestas, & Commune Regii fecerunt magnum exercitum de Montanariis ad ipsam Rocham, & obsederunt eam, & ibi fecerunt trabuchum, & manganos ad voluntatem partis de foris; & de hoc fuit Capitaneus Dominus Albertus de Canossa; & fuit capta, & destructa dicta Rocha. Causam, propter quam cepit dictus Bonifacius dictam Rocham, talis fuit, quia filius ejus Tarisendus robaverat stratam Communis Regii.

Alexander Papa Quartus.

ALexander Papa Quartus natione Campanus cœpit anno Domini MCCLV. sedit annis VII. & cessavit Episcopatus menses III.

Hujus tempore Manfredus filius quondam Frederici Imperatoris, gerens se pro pædagogo Corradini nepotis Frederici, ipso Corradino mendaciter publicato mortuo, sibi ipsi Coronam assumpsit; quo facto, quia in præjudicium Domini Papæ fuit, primò excommunicatus, post contra ipsum magnus exercitus, sed in nullo proficiens, mittitur. Hic canonizavit Anagniæ Sanctam Claram Ordinis Sancti Damiani. Hujus temporibus Principes Alamanniæ Electores Imperatoris, in duo se dividentes, quidam Regem Castellæ de partibus Hispaniæ, & quidam Richardum Comitem Cornubiæ ad Imperium elegerunt: quod schisma duravit multis annis. Hic reprobavit duos pestiferos libellos, quorum unus dicebat, quòd omnes Religiosi, & verbum Dei prædicantes de eleemosynis vivendo salvari non possent. Alter verò continebat multas falsitates contra doctrinam Abbatis Joachim, quas Abbas non scripserat, videlicet quòd Evangelium Christi, & doctrina novi Testamenti ad perfectum duxit, & evacuanda erat. Item MCCLX. debebat inchoari doctrina Abbatis Joachim, qui dividit Mundum in triplicem statum. Nam in primo statu seculi proprietate Mysterii opera-

tus est Pater in Patriarchis, & filiis Prophetarum, quamquam indivisibilia sint opera Trinitatis. In secundo statu operatus est Filius in Apostolis, & Apostolicis viris. De quo ait Filius in Evangelio Johannis: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor*: In tertio statu operabitur Spiritus Sanctus in Religiosis. Ita scribit Abbas Joachim, qui fuit de Ordine Floris. Quem statum inchoatum dicunt in illa verberatione, quæ facta est MCCLX. Indict. III. quando qui verberabant se, clamabant Dei voces, & non homines. Nam multi laudes Dei, & Beatæ Mariæ Virginis tempore illo inveniebant, & eas nudi, processionaliter eundo per Ecclesias, devotè cantabant. Alexander Viterbii moritur, & in Ecclesia Sancti Laurentii tumulatur.

De electione, & confirmatione Potestatis supradicti Jacobi de Sesso in Potestaria Reginorum.

IN MCCLVI. Anno. Fuit supradictus Dominus Jacobus de Sesso electus, & confirmatus in Potestaria Regii ad vocem Populi, & Ancianorum.

De obsidione, & captione Castellarani.

IN MCCLVII. Anno. Dominus Sinibaldus de Anzellis Civis Pistoriæ Reginorum Potestas. Et eodem anno captum fuit Castrum de Castellarano, & obsessum per Commune Regii, & per vim captum per Reginos.

De Caristia rerum victualium.

IN MCCLVIII. Anno. Dominus Loderengus de Andalois Civis Civitatis Bononiæ Reginorum Potestas. Et eo tempore vendebatur sestarium frumenti V. solidos, & dimidium Imperialium, & VI. solidos, & VII. solidos, & VIII. solidos, & X. solidos Imperialium, & XII. solidos Imperiales privatim.

De guerra facienda Domino Yzolino de Romano, & de morte ipsius.

IN MCCLIX. Anno. Dominus Peregrinus de Baysio Civis Civitatis Bononiæ Reginorum Potestas. In quo anno Cremonenses, Mantuani, Ferrarienses, Marchisius de Este, & Comes de Sancto Bonifacio una voluntate, & communi concordia juraverunt facere guerram inter se contra Dominum Yzolinum de Romano. Et eodem anno dictus Dominus Yzolinus fecit magnum exercitum contra Cremonenses in ripa Addæ fluminis, & ibi fuit disconfictus, captus, & vulneratus à Cremonensibus, & mortuus, & sepultus fuit in Castro Suncini.

De verberatione hominum, & de inceptione Turris de Razolo ultra Taleatam, & de ædificatione Arengheriæ Communis Regii.

IN MCCLX. Anno. Dominus Ubertinus Robaconti de Mandello Civis Mediolanensis Reginorum Potestas. Et eo Anno venerunt Verberatores per universum Orbem; & omnes homines tam parvi, quàm magni se ad invicem verberabant. Et die Lunæ in Festo omnium Sanctorum omnes illi de Mutina venerunt Regium tam parvi, quàm magni; & omnes de Comitatu, & Potestas, & Episcopus cum Confalonibus omnium Societatum, & verberaverunt se per Civitatem, & iverunt Parmam pro majori parte: & hoc fuit die Martis post Festum omnium Sanctorum. Et die altera omnes Regini fecerunt Confalones cujuslibet visinanciæ, & fecerunt processiones circa Civitatem; & Potestas noster similiter venit se verberando. In quo Anno incœpta fuit Turris de Razolo ultra Taleatam, & fuit facta Arengheria Communis. Et eodem Anno intravit Dominus Gregorius de Bonicis in Monasterio Sancti Prosperi Abbas. Et Terra, & Civitas Regii fuit absoluta, quæ steterat interdicta per sex Annos, & excommunicata.

De ordinatione Regulæ Militum Beatæ Virginis, & de ordinatione gabellæ Communis.

IN MCCLXI. Anno. Dominus Nicholaus de Bazelerio Civis Bononiæ Reginorum Potestas. In quo Anno obiit Dominus Symon de Manfredis de mense Martii. Et eodem Anno composita & ordinata fuit Regula Militum Beatæ Mariæ Virginis per honorabilem virum Dominum Loterengum de Bononia, qui Prior extitit, & Prælatus inter eos, & Dominum Gruamontem, & Dominum Ugolinum Capretum de Bononia, & per Dominum Bernardum de Sesso, & Dominum Egidium ejus fratrem, & Dominum Fyzaimonem de Baratis, & Dominum Sclacam de Liazaris de Regio, & per Dominum Raynerium de Aëlardis de Mutina. Et eo Anno facta fuit gabella salis Communis Regii. Et Alexander Papa obiit.

Urbanus Papa Quartus.

URbanus Papa Quartus, natione Gallus, cœpit Anno Domini MCCLXII. & fuit de Civitate Trecensi. Sedit Annos IV. mense I. dies IV. & cessavit Episcopatus menses V. Hic duas ordinationes fecit. Exercitum Saracenorum, quem Manfredus in patrimonium Ecclesiæ miserat, per Cruce-signatos fugavit. Comiti Provinciæ Karolo fratri Regis Franciæ Regnum Siciliæ, ut à Manfredo detentore ejus recuperaret, contulit. Moritur Perusii, & ibidem sepelitur.

De tempore Domini Azolini de Lambertaciis, & de morte Domini Bernardi de Sesso.

IN MCCLXII. Anno. Dominus Azolinus de Lambertaciis de Bononia Reginorum Potestas. In quo Anno obiit Dominus Bernardus de Sesso die Lunæ penultimo Februarii.

De tempore Domini Anselmi de Rivolà, & de Urbano Papa, qui abstulit Regnum Siciliæ Manfredo, & Karulo tradidit.

IN MCCLXIII. Anno Dominus Anselmus de Pergamo de Rivola Reginorum Potestas. In quo Anno Urbanus Papa Quartus Regnum Siciliæ, quod Rex Manfredus violenter detinebat, Domino Karulo Comiti Provinciæ, ut illud ab eo reciperet, contulit.

De

De expulsione facta in Civitate Mutinæ per Dominum Jacobinum Rangonum, & omnes Amicos de parte sua, qui expulerunt omnes illos de Gorzano cum Amicis suis, & de stella cometa, quæ apparuit, & de morte prædicti Urbani Papæ.

IN MCCLXIV. Anno. Dominus Thomasius Marinonum de Pergamo Reginorum Potestas. In quo anno Marchisius de Este cum militibus & peditibus de Ferraria in magna quantitate venerunt Mutinam; & ducenti milites Guelphi similiter venerunt Mutinam ad petitionem & voluntatem Dominorum Jacobini Rangonum, & Manfredi de Rosa, & totius partis suæ, scilicet Ecclesiæ, & Potestatis Mutinæ, qui erat de Orveto, scilicet Dominus Manaldus, die Dominico XI. exeunte mense Decembris, & expulerunt de Civitate partem de Gorzano Imperialem. Et tunc fuit mortuus Dominus Thomasius de Gorzano, & duo de Bastardis, & destruxerunt Gorzanum, & alia plura mala fecerunt, de quo Regini multùm timuerunt.

Eo anno die septimo Augusti Stella Cometes, quæ habebat caudam, tam mirabilis apparuit, qualem nullus tunc vivens ante viderat; in Oriente magno fulgore fulgens usque ad medium Emispherii versus Occidentem comam prælucidam protrahebat; & licèt in diversis partibus Mundi fortè multa significaverit, hoc tamen unum pro certo compertum est, ut plus quàm tres menses duraverit. Ipsa quoque apparente, Papa Urbanus cœpit infirmari, & eadem nocte, qua Papa exspiravit, Cometa disparuit.

De Confirmatione Domini Karoli in Regno Siciliæ, & Apuliæ, & erat Senator Urbis Romæ; & de expulsione illorum de Sesso cum Amicis suis extra Civitatem Reginorum; & de electione Domini Jacobini Rangonum in Potestaria Regii.

IN MCCLXV. Anno. Dominus Marcus Grandonicus Civis Venetiæ Reginorum Potestas. In quo anno fuit Dominus Papa Clemens Quartus apud Perusium, & eodem anno vênit Karolus frater Regis Franciæ ad Urbem Romam, & factus fuit, & confirmatus in Regem Apuliæ, & Siciliæ; & erat Senator prædictæ Civitatis Romæ. In quo anno vênit Legatus in Lombardiam pro accipiendis militibus Domini Karoli. In quo anno die Veneris sexto intrante Marcio, venerunt Mutinenses, & Guelphi, qui erant in Civitate Mutinæ ad Civitatem Reginorum; & illi de Foliano, & Roberti ruperunt per vim portam Castelli, quæ erat murata; & tunc intraverunt Civitatem dicti Mutinenses, & Guelphi & inceperunt prœlium in Civitate cum illis de Sesso, & expulerunt eos extra Civitatem Reginorum cum exterminato furore. Et illi de Sesso iverunt cum illis de parte sua Razolum, & quasi omnes de populo partis de Sesso fuerunt positi in confinibus prope Civitatem per tria milliaria desuper ad Civitatem, & omnes affidati fuerunt præter illos de Sesso. Item Roberti incontinenti fecerunt Dominum Jacobinum Rangonum de Mutina Potestatem, & deposuerunt Dominum Marcum Grandonicum, qui stetit per duos menses; & Dominus Jacobinus Rangonus stetit post eum per X. menses. In quo anno ceperunt Domini de Sesso Castrum de Canulis, & postea pars recuperavit eum. Et eo anno facta, & ordinata fuit tregua inter intrinsecos, & extrinsecos, à Festo Sancti Petri usque ad Festum Sancti Michaëlis, & fuit facta & ordinata per Fratres Prædicatores, scilicet per Fratrem Fredericum de Mandra Priorem prædictorum Fratrum, & Fratrem Peregrinum Lectorem, & Fratrem Petrum de Fulconibus, & quosdam Fratres Minores, ex qua tregua magnam utilitatem habuerunt homines Civitatis Regii, tam intrinseci, quàm forenses.

Sub eodem anno MCCLXV. prædictus Dominus Rex Karolus, qui pro recuperatione Siciliæ per Urbanum Papam vocatus fuerat Romam, ubi in Senatorem electus fuerat, navigio vênit, deinde Apuliam intrans, bello campestri habito, prædictum Manfredum, & vita, & Regno privavit.

In quo anno Dominus Umbertus de Pellavicinis Potestas Civitatis Cremonæ, cum Cremonensibus, & cum toto suo posse voluit vetare passum Comiti Flandræ Capitaneo militiæ, & hosti Domini Karoli; & prædictus Comes per vim transivit Olium flumen juxta Palazolum, & destruxit Castrum Caurioli; & interfecti omnes fuerunt de dicto Castro tam viri, quàm mulieres, & pueri, eo quòd suspenderant unum de militibus dicti Comitis. Et dictus Comes transivit juxta Civitatem Brixiæ cum prædicto exercitu suo, & cepit, & destruxit Montem-Clarum, & posteà vênit Mantuam.

Clemens Papa Quartus.

CLemens Papa Quartus natione Provincialis de Villa Sancti Egidii cœpit anno Domini MCCLXVI. sedit annis III. mensibus IX. diebus XXI. & cessavit Episcopatus annos III. menses II. dies X. Iste Clemens uxorem, & liberos habens, primùm fuit famosus Advocatus, & Regis Franciæ Consiliarius. Deinde mortua uxore, propter vitam bonam, & scientiam laudabilem, primò Podensis Episcopus, & post Narbonæ Archiepiscopus, tamdem Sabinensis Episcopus, & Cardinalis efficitur; & post in Angliam propter pacis reformationem à Papa Urbano Quarto Legatus missus, absens à Cardinalibus Perusii in Papam electus; sic vigiliis, jejuniis, & orationibus, ac aliis bonis operibus intentus fuit, quòd multas, quas Ecclesia tunc sustinebat, deordinationes Deus suis meritis creditur extinxisse. Hic cùm Corradinus nepos Imperatoris Frederici Regem Karolum, cui Papa Regnum Siciliæ contulerat, debellaturus intraret, & plurimi Fratrum Regem pro desperato haberent, tum propter Corradini exercitus multitudinem, tum propter Regni Siciliæ penè totius rebellionem, prædixit in publico sermone tamquam fumum transiturum, & ipsum tamquam ad victimam Apuliam intraturum: quod & rei postmodum probavit eventus. Nam Corradinus post fugam captus, decollatus fuit, & nomen ejus paucis diebus post tamquam fumus evanuit. Hic etiam supradictus Papa canonizavit Viterbii in Ecclesia Fratrum Prædicatorum Edidigam quandam Ducissam Poloniæ miræ Sanctitatis viduam. Iste

Iste Clemens mortuus est Viterbii, & ibidem sepultus in Ecclesia Fratrum Prædicatorum.

Eodem anno quamplurima multitudo Saracenorum ex Africa per mare transiens in Hispanias vênit, & adjuncti sunt Saracenis, & in Hispania magnam plagam in Christianos exercuerunt, intendentes, quam olim perdiderant, recuperare Hispaniam. Sed illarum partium adunati Christiani, & Cruce-signati ex diversis partibus adjuncti, licèt cum multo Christianorum damno, de Saracenis triumphaverunt.

De transitu, quem fecit Dominus Rex Karolus cum exercitu suo ultra Pontem de Ciperano, & transivit Pontem de Sancto Germano, & habuit terram Sancti Germani, & Capuam; & de victoria, quam habuit de prædicto Rege Manfredo, & de exercitu suo, & de morte ipsius Manfredi, & cepit uxorem supradicti Manfredi cum duobus filiis, & de thesauro, quem habuit in Civitate Manfredonia; & de Civitate Brixiæ, quæ rebellis facta fuit Domino Uberto de Pellavicinis, & de captione Castri Montis Vallarii.

IN MCCLXVI. anno. Dominus Jacobus de Rubeis de Parma filius quondam Domini Rolandi Rubei Reginorum Potestas; qui stetit per quatuor menses. Et postmodum fuit Dominus Bonacursus Bellenzonum de Florentia, qui stetit per Potestatem Reginorum per octo menses. Et eo anno Dominus Karolus transivit Pontem de Ziperano cum exercitu suo contra Manfredum filium quemdam Domini Frederici Imperatoris Principem Apuliæ, & Siciliæ; & postea prædictus Dominus Karolus transivit Pontem de Sancto Germano cum prædicto exercitu suo, & per vim intravit in Sancto Germano, & habuit Capuam die IX. intrante Februario. In quo disconfixit prædictum Manfredotum cum exercitu suo apud Beneventum; & mortuus fuit ibi cum tribus millibus militum, & cum Comite Galvano, & Domino Anniballo nepote Cardinalis Ricardi, & Marchione Henrico de Scipione nepote Domini Umberti de Pellavicinis, & cum multis aliis Baronibus. Et sepultus fuit apud Pontem Beneventi prædictus Manfredotus die Veneris tertio exeunte Februario. Et capta fuit uxor prædicti Domini Manfredoti cum duobus filiis suis, & cum toto thesauro suo in Civitate Manfredonia; & captus fuit Comes Zordanus, & Petrus Asinus de Ubertis de Florentia, & multi alii, & multi fuerunt mortui in dicto campo. Et eodem anno Civitas Brixiæ, quæ detinebatur à Domino Umberto Marchione de Pellavicinis, rebellis facta est contra prædictum Marchionem. Et Cives fecerunt pacem cum extrinsecis Brixiensibus, & cum Civitatibus Mediolani & Pergami de mense Februarii. Et eodem anno Mutinenses extrinseci occupaverunt Castrum Montis Vallarii, quod quidam Nobilis de Comitatu Mutinensium, scilicet Dominus Ugolinus de Guilia, factus de amico fideli Mutinensium intrinsecorum, scilicet Ugonum, qui parti Ecclesiæ favebant, repente inimicus, & prædator, & illis factus est rebellis, qui ipsum multipliciter honorabant, tradidit eisdem, scilicet illis de Gorzano, & aliis de parte sua, qui dictum Castrum tenentes Episcopatum Civitatis Mutinæ multipliciter flagellabant. Quamobrem præfati Mutinenses intrinseci unà cum Reginorum militum, & magna Populi quantitate, & aliquibus Parmensibus, accesserunt ad obsidionem dicti Castri viriliter, & potenter, ibique per totum mensem Junii permanentes, tanta fuit in dicto Castro sitis & fames propter hominum, & animalium multitudinem, quæ ibi vivere non poterant, & tantus erat ibi fœtor, quòd dictum Castrum, dum ipsius Palancatum die tertio Julii per violentiam perdidissent, jam ad extrema deducti habito personarum affidamento reliquerunt Julii die quarto. Tunc præfactus proditor Ugolinus de Guilia, dum infirmus ad mortem de dicto Castro portaretur, populari iræ, & voci suppositus in campo fuit crudeli morte peremptus, & dictum Castrum destructum fuit in totum.

De Pace facta inter illos de Sesso, & Robertos; & de pace facta inter Guelphos, & Ghibellinos de Florentia; & de expulsione, quam fecerunt Guelphi de Ghibellinis, & de obsidione Ponzibonici per Dominum Regem Karolum.

ITem sub eodem Millesimo & eodem anno fuit supradictus Dominus Bonacursus Bellenzonum de Florentia Reginorum Potestas, qui stetit Potestas per octo menses, videlicet de mense Madii, usque ad Kalendas Januarii proximi venturi. Et eo anno die tertio Septembris facta fuit pax inter partem extrinsecam illorum de Sesso, & partem intrinsecam Robertorum; & fuit prædicta pax utilis pro Pauperibus, & mala pro Nobilibus; & ideo expulerunt eum Nobiles, quia bene recuperabat jura Communis à prædictis Magnatibus, & ab omnibus aliis personis.

Et eo anno facta est pax Guelphorum de Florentia, qui redierunt in dicta Civitate Florentiæ; & postmodum expulerunt dicti Guelphi Ghibellinos extra dictam Civitatem. Et eodem anno Dominus Rex Karolus obsedit Poza-bonizum, & stetit per magnum tempus, & per vim cepit dictum Castrum, & ibi obiit Uxor ejus.

De exitu, quem fecit Dominus Bossius Dovaria cum parte sua de Civitate Cremonæ; & de obsidione Rochetæ & de adventu Corradini filii quondam Domini Regis Corradi; & de captione Besmantuæ per Dominum Jacobinum de Palude; & de obsidione, & captione Corvariæ, & de recuperatione Castri de Razolo.

IN MCCLXVII. Anno. Dominus Henriguccius de Galuciis de Bononia Reginorum Potestas, qui stetit per VI. menses, videlicet à Kalendis Januarii usque ad Sanctum Petrum. Et eo anno fuit pax facta, & concordia inter Cremonenses extrinsecos, & intrinsecos per Legatum Domini Papæ. Et eodem anno exivit Dominus Bossius de Dovaria cum parte sua de Civitate Cremonæ, & fuit obsessus in Rocheta cum quibusdam de parte sua.

Eodem anno Dominus Umbertus Pelavicinus perdidit dominium Cremonæ, & aliarum Civitatum, & ivit ad habitandum in Castris suis, quæ habebat in Episcopatu Placentinorum, quorum vocabula Laudesium, & Ghisalerium. Et mirabatur ipse Pelavicinus, quomodo unus

Sa-

Sacerdos eum blandis verbis expulerit de dominio suo. Et hoc fuit in MCCLXVII.

Et eodem anno in tempore Domini Manfredi de Saxolo Reginorum Potestatis post Sanctum Petrum usque ad annum novum, exercitus absentavit se à Rocheta dicti Domini Bossii propter timorem Corradini, & Veronensium, qui Corradinus filius fuit quondam Regis Conradi filii quondam Frederici Imperatoris. Et eodem anno venerunt illi de Verona cum maxima militia Theotonicorum de mense Octubris. Item eodem anno de mense Julii Dominus Jacobinus de Palude intravit Besmantuam furtivè de nocte, & mortuus fuit ibi Dominus Turchus de Besmantua. Et eo anno obsessa fuit Corvaria per Reginos, & Parmenses. Et Regini habebant in dicto exercitu tres trabuchos, & Parmenses habebant unum trabuchum; & de mense Augusti fuit habitum per pactum dictum Castrum Corvariæ, & Besmantua restituta fuit Communi, & dedit obsides Communi Regii, quòd non offenderet Commune Regii. Et eodem anno de mense Decembris nono die recuperatum fuit Castrum Razoli, quod tenebant Cremonenses; & ipsum habuerunt à Dominis de Sesso, qui eum tenebant per guerram, & redemptum fuit à Cremonensibus pro pretio de tribus millibus Librarum Rexanorum absque aliis expensis in Ambaxatoribus, militibus, & peditibus, qui iverunt in servitio Cremonensium.

De Transitu, quem fecit Corradinus ad Rochetam Domini Bossii, & juxta Brixiam, & Papiam, & juxta terram Marchionis de Carretto, & per Tuscanam, & Episcopatum Pisanum, & ivit Romam, & de disconficta, & captione dicti Corradini, & mortalitate omnium Nobilium, quos secum in dicto exercitu habebat, & de morte ipsius Corradini; & de captione Castri Brandulæ; & de captione, & destructione Antiochiæ, & Armeniæ à Saracenis, & Soldano Babiloniæ.

IN MCCLXVIII. Anno. Idem Dominus Manfredus de Saxolo confirmatus fuit in Potestaria Reginorum per alios sex menses usque ad Sanctum Petrum. Et eodem anno Dominus Corradinus transivit Rochetam Domini Bossii, & juxta Brixiam, & transivit per flumen Addam, & transivit per Tixinum ad Papiam, & ibi stetit per multos dies, & ivit Pisas per terras Marchionis de Carretto per mare, & militia sua ivit per terras Pisas. Postmodum illorum ...... & eodem anno ivit apud Romam per terras ...... contra voluntatem partis Guelphorum de Toscana, & fecit exercitum super terram Luchæ. Item sub eodem Millesimo, & eodem anno post Sanctum Petrum fuit Reginorum Potestas Dominus Guido de Polenta Civis Ravennas, qui stetit in dicta Potestaria per sex menses à Sancto Petro usque ad Kalendas Januarii. Et eodem anno in Vigilia Sancti Bartholomæi fuit disconficta supradicti Corradini, & fuit ibi maxima mortalitas, & multi Barones, seu Proceres, & milites capti fuerunt ibi. Et postmodum captus fuit Corradinus cum Duce Asturichæ, & cum pluribus aliis, & deductus fuit ad Pellæstrinam in carceribus; & Domnus Henricus frater Regis Castellæ tunc Senator Urbis Romæ similiter captus fuit ad dictam disconfictam cum Galvagno Lanza, qui Galvagnus mortuus fuit apud Romam cum duobus filiis, & quamplures alii Barones proditores de Apulia, tunc Romæ mortui cùm eodem Galvagno. Et eodem anno Brandula capta fuit per Mutinenses, & Reginos, & destructa.

Et eo anno in Festo Beati Luchæ Uxor Domini Regis Karoli vênit Regium cum maxima multitudine militum, & peditum, & cum aliis multis hominibus, & cum balesteriis, & stetit super Palatium Episcopi, & ibi hospitata fuit. Et eodem anno infra mensem vênit Comes Flandræ cum Uxore sua filia dicti Domini Regis Karoli Regium cum maxima gentium multitudine, qui omnes ad Regem Karolum iverunt in Apuliam post disconfictam prædictam Corradini, & aliorum suorum. Et eodem anno Dominus Rex Karolus fecit eidem Corradino, & Duci de Asturica in Regno Apuliæ, & Comiti Gerardo de Pisis, judicium, & apud Civitatem Neapolis fecit eos decapitari. In disconficta prædicti Corradini captus fuit Corradus Antiochiæ, nepos Imperatoris Frederici, qui evasit de carcere Regis pro Domino Jacobo Neapoleonis, & sociis, qui erant in Castro Saraxinesci. Et dicta disconficta fuit in campo Palentino apud flumen Marchiæ prope flumen Albam. Et eo anno destructa fuit Terra de Burgo Sancti Donnini, & exsplanatæ fuerunt fossæ, & muri dictæ Terræ per Commune, & homines Civitatis Parmæ. Facta item pax inter partes Parmæ. Et eo anno de mense Novembris tertio die exeunte obiit Papa Clemens; & quinto die intrante Decembri obiit Dominus Manfredus de Robertis Electus Episcopus Veronensis; & Dominus Petrus de Vicco Præfectus Urbis Romæ obiit in prædicto mense. Et eo anno capta, & vastata fuit Antiochia una de famosioribus Civitatibus Orbis à Soldano Babyloniæ, & à Saracenis, & tam viris, quàm mulieribus occisis; & eam redegit in solitudinem, & alios, qui remanserant, viros & mulieres duxerunt secum in Saracenea captivos; & hoc fuit XVI. die exeunte Madio in Vigilia Ascensionis, & devastavit Armeniam.

De nive magna, quæ vênit in medio mensis Aprilis; & de brina magna, quæ destruxit vineas; & de captione, & destructione Castri Pizegoli; & destructione Castri de Thoano; & de Levatione Tyburii Ecclesiæ majoris; & de destructione Rochetæ Domini Bosii; & de Nuceria Civitate Saracenorum, quæ vênit ad præcepta Domini Regis Karoli, & de Moneta Reginorum, quæ incœpta fuit ad battendum eodem Anno.

IN MCCLXIX. anno Dominus Raymundus de Taradello de Provincia, miles Domini Regis Karoli, Reginorum Potestas.

Et eo anno in medio mensis Aprilis vênit nix maxima, quæ duravit in plano per duos dies, & duas noctes, & incœpit nix venire in media nocte veniente die Dominico, nec cessavit nix venire per totum illum diem fortiter circa vesperas; & sequenti nocte vênit brina magna, & in alia nocte vênit brina maxima, quæ destruxit vineas. Et Castrum Pizegulum destructum fuit per Reginos, & Thoanum similiter fuit derupatum. Et Tyburium Ecclesiæ majoris fuit levatum, videlicet illud, quod est supra plateam. Et eodem anno fuerunt magni venti, & obiit Umbertus Marchio de

de Pelavicinis. Et stetit prædictus Dominus Raymundus in dicta Potestaria, scilicet à Kalendis Januarii usque ad Sanctum Petrum per sex menses.

Eodem Millesimo & anno post Sanctum Petrum Dominus Oddo de Oddonibus Civis de Perusio Reginorum Potestas; & stetit per sex Menses à Sancto Petro usque ad Kalendas Januarii. Et eodem anno de mense Julii iverunt Cremonenses in obsidione Rochetæ Domini Bosii de Dovaria; & dicta Rocheta vênit ad præcepta Communis Cremonæ, & concordaverunt se cum Commune Cremonæ, & fuit destructa dicta Rocheta.

Et eodem Anno Nuceria Civitas Saracenorum de Apulia vênit ad mandata Domini Regis Karoli. Et eodem anno de mense Septembris ducentum pedites de montanea, cum militibus, & peditibus de Episcopatu Mutinæ, iverunt in Fregnanum pro Communi contra Dominum Guidinum de Montecuculi, fratrem quondam Domini Bonacursi, occasione rectificandi Castrum unum in servitio de Seraphinellis de eadem contrata Fregnani. Et tunc vênit Comes Maginardus cum maxima quantitate militum de Bononia, & de Episcopatu, in subsidio dicti Domini Guidini; & ibi fuit magnum prœlium, & ibi fuerunt mortui capti, & suspensi quasi omnes illi de Episcopatu Reginorum. Et tunc Dominus Guido de Mandra, qui erat Capitaneus illorum de Episcopatu Reginorum pro Communi, fuit ibi mortuus, & unus suus Notarius. Et eodem anno de mense Novembris Rocha de Bardi vênit ad mandata Communis Placentiæ; & incœpta fuit Moneta Regina ad laborandum, faciendam, & battendam in domo quondam Gerardi Maxi.

De emtione, & destructione domus Ravani, & fratris; & de emtione, & destructione domus Domini Ugonis Speciarii pro Communi pro ædificatione Palatii Communis; & de Curia Domini Jacobi de Rodilia, & de pactis Domini Guidonis de Suzaria; & de morte Bonifacii de Foliano, & de destructione Castri de Sesso, & de morte Regis Franciæ cum aliis suis Baronibus juxta Terram Carthaginensem.

IN MCCLXX. anno. Supradictus Dominus Oddo de Oddonibus fuit confirmatus in Reginorum Potestaria in Kalendis Januarii usque ad Sanctum Petrum. Et eodem anno die Veneris, primo die Martii, destructa fuit domus Domini Ravanini, quæ emta erat pro Communi, quæ domus erat in confinibus plateæ à latere de supra. Et die Lunæ sequenti fuit destructa domus Domini Ugonis Specialis, & postea fuit ibi ædificatum pro Communi omni die cum aliis Casamentis ibi prope positis, & emtis pro Communi, Palatium novum Communis. Et eodem anno de mense Aprilis, die Dominica Olivarum, vênit Dominus Imperator Constantinopolitanus in Civitatem Reginorum, qui ibat ultra mare. Et eodem die fecit Dominum Jacobinum de Rodilia militem in domo Fratrum Minorum, qui Dominus Jacobinus tenuit magnam Curiam in Kalendis Madii; & omnes milites, & quasi omnes donzelli induerunt se de novo de Civitate Reginorum, & donaverunt ipsas robas. Et eodem anno in die Ascensionis fuit Dominus Guido de Suzaria Doctor Legum in Civitate Reginorum in Consilio generali, & juravit cum ambabus manibus, & osculo oris, esse perpetuus Civis Reginorum, & sui hæredes; & Commune Reginorum ei dedit tres Mansos terræ in Curia Argini, & unum Molendinum de illis Communis, scilicet melius, quod eligere voluit apud Portam Sanctæ Crucis. Et eodem anno die Jovis, quinto exeunte Junio, obiit Dominus Bonifacius de Foliano Archidiaconus Reginus, & Archipresbyter Plebis de Campigiola ad Sanctum Salvatorem, ubi stabat; & fuit sepultus ad Ecclesiam majorem.

Et eodem millesimo & anno Dominus Guilielmus Putagius de Parma fuit factus Potestas Reginorum, scilicet per sex menses à Sancto Petro usque ad Kalendas Januarii. Eodem anno de mense Augusti fuerunt derupatæ fortilitiæ, & Castra, & domus illorum Dominorum, & partis de Sesso de Episcopatu Regii; & de mense Septembris fuerunt licentiati illi de Sesso, & viginti quatuor eorum amici de Episcopatu Regii ultra Civitatem Bononiæ, & Terdonam, & Veronam. Et eodem anno de mense Septembris fuit mortuus Dominus Arverius de Palude cum duobus filiis suis, & multis aliis à Domino Jacobino de Palude. Et eo anno tempore prædicti Potestatis mortuus est Dominus Lodovicus Rex Franciæ morte naturali cum multis aliis militibus & peditibus in Regno Saracenorum, scilicet prope portum Carthaginis in partes Tunicii. Prædicto Rege Lodoico mortuo, Rex Philippus, filius dicti Regis Lodoici, deportari eum fecit in una capsa; & Tristanus frater dicti Regis Philippi, & filius dicti Domini Regis Lodoici, & hospitatus fuit cum exercitu suo in Civitate, & super Palatium Domini Episcopi; & posita fuit dicta capsa juxta Altare Sanctæ Helenæ, ubi erat corpus prædicti Regis; & semper ardebant cerei accensi magni ante dictam capsam; & sequenti die cœpit iter cum militia exercitus sui, quia redibat in Franciam.

De morte Domini Regis Franciæ, & de aliis Baronibus, qui morte naturali mortui sunt in terra Tunicii juxta portum Carthaginis; & de pactis factis inter Dominum Regem Karolum, & Regem Tunicii, & de promissione census, & tributi, quos Dominus Karolus recipere debebat à Rege Tunicii; & de impedimento transitus ultra mare ad recuperandum Terram-Sanctam.

ITem sub eodem millesimo & anno Dominus Lodoicus Rex Franciæ Christianissimus non territus laboribus, & expensis, quas olim fecerat ultra mare, iteratò cum filiis duobus, adjuncto sibi Rege Navarræ, & quampluribus Ecclesiarum Prælatis, & Baronibus, pro recuperatione Terræ-Sanctæ iter assumpsit. Verùm ad hoc ut faciliùs Terram-Sanctam recuperarent, incidit eis consilium, ut Regnum Tunicii, quod in medio existens non modicum dabat transfretantibus impedimentum, primum Christianorum subjacerent potestati. Et cùm portum, & Carthaginem, quæ est prope Tunicium, potenti manu cepissent, infirmitas, quæ in illo anno maximè contra confinia maris ingruit, in eorum Christianorum exercitu nimis invaluit. Et primò quidem

dem è filiis Regis unum post Legatum Domini Papæ Dominum Albanensem Cardinalem, deinde ipsum Regem Lodoicum Christianissimum cum pluribus Comitibus, & Baronibus, necnon & aliis simplicibus, de medio substulit. Quomodo autem prædictus Rex terminaverit diem suum, non est tacendum. Nam in infirmitate sua laudare nomen Domini non cessans, illam Orationem quandoque interserebat: *Fac nos Domine prospera Mundi despicere, & nulla ejus adversa formidare*. Orabat pro populo, quem secum adduxerat, dicens: *Esto Domine plebi tuæ Sanctificator, & Custos*. Et cùm appropinquaret ad finem, suspexit in Cœlum, dicens: *Introibo in domum tuam, adorabo ad Templum Sanctum tuum, & confitebor nomini tuo Domine*; & hoc dicto obdormivit in Domino. Et cùm de morte pii Regis Christianorum exercitus turbaretur, & Saracenorum exultaret, Karolus Rex Siciliæ & Apuliæ, pro quo adhuc vivens Rex Franciæ frater suus miserat, cum magna militia advênit, de cujus adventu Christianis gaudium, Saracenisque molestia occurrit. Et cùm plures viderentur, quàm Christiani, nullatenus audebant bello generali cum Christianis congredi; sed per quasdam alias astutias multa eis incommoda inferebant, de quibus hoc unum fuit. Est enim Regio illa multùm sabulosa, & tempore siccitatis pulverosa; unde Saraceni statuerunt multa millia hominum super unum montem Christianis vicinum, ut cùm ventus flaret ad partem Christianorum, sabulum moventes, pulverem suscitarent: qui pulvis Christianis multam molestiam intulit. Sed tamdem pulvere per pluviam sedato, Christiani paratis machinis, & variis instrumentis, Tunicium per mare & per terram oppugnare intendebant. Quod videntes Saraceni, timore compulsi, pacta cum Christianis inierunt. Inter quæ dicuntur fuisse præcipua, ut omnes Christiani captivi in illo liberi dimitterentur, & quòd in Monasteriis ad honorem Christi nominis in omnibus Civitatibus Regis illius constructis Fides Christi per Fratres Prædicatores, & Minores, & per alios quoscumque liberè prædicetur; & volentes baptizari, liberè baptizentur; & solutis expensis, quas ibi fecerant, Rex Tunicii Regi Siciliæ, scilicet Regi Karulo, tributarius est effectus. Plura alia pacta fuerunt, quæ hìc longum fuisset ponere. Et cùm ex adventu Domini Oduardi Regis Angliæ, & multitudine Frisonum, & aliorum peregrinorum in tantum crevisset exercitus Christianorum, quòd contra CC. millia pugnatorum crederetur resistere posse, & sperarent, quòd non solùm Terram Sanctam, sed etiam totum Saracenismum subjugare debuissent, peccatis exigentibus, absque utiliori utilitate est dispersus. Nam Legatus, qui ipsos dirigere debuerat, per mortem subtractus erat. Terra etiam Sancta, ad quam iter ire debuerant Gubernatores peregrinorum, carebat Patriarcha; qui Legatus in Terra Sancta fuit, defunctus erat. Sedes etiam Apostolica, quæ utrobique providere debebat, tunc vacabat. Rex etiam Navarræ, qui infirmus de Africa processerat, in Siciliam veniens est defunctus.

De transitu Regis Philippi filii quondam Domini Lodoici Regis Franciæ cum exercitu suo, & Comitis Flandræ cum gente sua per Civitatem Reginorum; & de obsidione Castri Corvariæ; & destructione, & de exercitu Bononiensium super Episcopatum Mutinensium; & de magna caristia de rebus victualibus, & de divisione Cardinalium, & de vacatione Sedis Apostolicæ.

IN MCCLXXI. Anno. Dominus Ugolinus de Savignano Civis Mutinæ, Reginorum Potestas à Kalendis Januarii usque ad Sanctum Petrum, & stetit per sex menses.

Et eo anno die ultimo mensis Martii transivit per Civitatem Reginorum prædictus Philippus Rex Franciæ cum fratre, & exercitu suo; & hospitatus fuit in Palatio Episcopi Regiensis: qui Rex ibat in Franciam cum prædicto corpore Patris sui Regis Lodoici Franciæ, quod deportaverat de Africa, qui Rex obierat in terra Carthaginis prope Civitatem Tunicii; & deportabat eum in una capsa conditum cum aromatibus; & in una alia capsa portabat Tristanum fratrem suum, & filium quondam prædicti Regis Lodoici, qui ibidem in dicta Terra Carthaginis obierat cum multis aliis Baronibus, qui ibant ad recuperandum dictam Terram-Sanctam de ultra mare. Et post octo dies transivit per dictam Civitatem Comes Flandræ cum gente, & exercitu suo.

Et eodem anno de mense Madii Cremonenses iverunt in exercitum Castri Malgrati; & ibi in dicta obsidione steterunt tantùm, donec ipsum habuerunt pro concordio, & ipsum Castrum destruxerunt, & derupaverunt.

Et eo anno devastata fuit Crema de mense Junii usque ad foveas dictæ Terræ à Mediolanensibus; & tunc erat Potestas Mediolani Dominus Robertus de Tripolis.

Et eodem anno facta fuit in Civitate Bononiæ quædam Societas, quæ vocabatur Societas Justitiæ; & erat valde magna Societas de bonis, & melioribus de Populo dictæ Civitatis; & posuerunt octuaginta de militibus in confinio propter bonum statum Bononiæ. Et toto tempore prædicti Potestatis fuit magna caristia blavæ, ita quòd vendebatur de mense Madii & Junii sestarius fabæ VI. solidos Imperiales, & melica III. solidos Imperiales, & spelta vendebatur II. solidos Imperiales, & dimidium pro communi sestarius, & privatim X. solidos Rexanos, & sestarius frumenti vendebatur pro communi XX. solidos Rexanos, & privatim VIII. solidos Imperiales, & IX. solidos Imperiales.

Et eodem millesimo, & anno Dominus Detus de Canzeleriis de Pistorio fuit Potestas Reginorum per sex menses à Sancto Petro usque in Kalendas Januarii.

Et eo anno dictus Potestas ivit in obsidionem Castri de Corvaria cum militibus & peditibus quarterii de Castello, & de Sancto Nazario, die XXII. Julii. Et unus quarterius Civitatis Parmæ vênit ad dictam obsidionem; & Commune Regii duxit tres trabucos, & illi de Parma tres trabucos; & Commune de Mantua misit in dicta obsidione XXV. balesterios; & Commune de Castigiono de Tuscana eodem modo misit balesterios in servitio Communis Regii ad dictam obsidionem. Et ste-

steterunt ad dictam obsidionem dicti quarterii de Castello de Sancto Nazario per XVII. dies. Et postea iverunt milites & pedites de quarteriis Sancti Petri, & Sancti Laurentii ad dictam obsidionem, & steterunt ibi per XXIII. dies. Et postea redierunt illi quarterii de Castello, & de Sancto Nazario, & steterunt per XIV. dies. Et iterum redierunt illi de Sancto Petro, & de Sancto Nazario, & steterunt per XI. dies, & habuerunt dictum Castrum, & Terram de Corvaria pro concordio, destruendo, & derupando dictum Castrum, & Terram ad voluntatem Communis Regii; & illi, qui erant intus Castrum, fuerunt affidati in avere, & personis, & remanserunt in bannis, & condempnationibus Communis Regii. Et dictum Castrum & Terram habuit Commune Regii die Sabbati XIX. Septembris. Et Dominus Jacobinus de Palude habuit pro dicta Terra reddenda quatuorcentum libras Imperiales. Et eodem Anno de mense Augusti venerunt Bononienses in exercitum super Episcopatum Mutinæ, & obsederunt Savignanum, & montem Umbrarum, & habuerunt eos, & dirupaverunt, propter pactum, quod erat inter Commune Bononiæ, & Mutinæ, eo quòd non debebant tenere aliquod Castrum ultra aquam Scoltennæ, & ideo dirupaverunt eos.

Et eodem anno factus fuit quidam Papa Romanus, qui vocabatur Hesenbardus de Vescontibus de Placentia, & vocatus fuit Gregorius Decimus Papa; & steterunt Romani, & omnes Christiani propter divisiones, quæ erant inter Cardinales, per tres annos sinè Pontifice Romano. Et tempore prædicti Potestatis pro istis sex mensibus fuit magna caristia de rebus victualibus, ita quòd vendebatur sestarius frumenti VIII. solidos Imperiales, & IX. solidos Imperiales privatim, & sestarius speltæ IV. solidos Imperiales, & sestarius melicæ IV. solidos Imperiales, & sestarius fabæ V. solidos Imperiales, & sestarius fari IV. solidos Imperiales, & libra grossa de carnibus porcinis XIV. & XVI. & XVIII. Imperiales, & libra grossa olei olivæ duos solidos Imperiales, & XIV. ficus siccæ I. Rexanum, & quatuor cavedellos de aliis ulnas V. I. Rexanum, & XX. castaneæ cum gussis I. Rexanum, & XIV. amigdalæ I. Rexanum, & omnia alia victualia fuerunt in maxima caristia.

De morte Regis Henzi filii quondam Domini Frederici Imperatoris, qui erat in carceribus Bononiæ; & de morte Domini Octaviani Cardinalis; & de emptione domorum, quam fecerunt Fratres Minores; & de exercitu Bononiensium contra Mutinenses; & de Dompno Guilielmo Abbate Sancti Prosperi; & de adventu Domini Odoardi Regis Angliæ cum uxore, & de inceptione Palatii Communis novi, & de carestia.

IN MCCLXXII. Anno. Dominus Tiberius de Rusticis de Eugobio, fuit Reginorum Potestas per sex menses, scilicet à Kalendis Januarii usque ad Sanctum Petrum.

Et eodem anno die Lunæ quarto decimo Martii obiit Rex Henzus filius quondam Frederici Imperatoris, qui erat in Carceribus Bononiæ, & sepultus fuit ad Ecclesiam Fratrum Prædicatorum, & fecit Commune Bononiæ eum imbalsamari; & fecerunt Commune, & homines Bononiæ ad mortem suam ei magnum honorem. Et de dicto mense Martii obiit Dominus Octavianus Cardinalis. Et eodem anno Fratres Minores emerunt plures domos, & solverunt in magna quantitate denariorum in dictis domibus, & expulerunt plures familias de dictis domibus per vim, & contra eorum voluntates, & amplificaverunt locum suum, & fecerunt Viam novam per directum domus Domini Arduini de Taculis, eundo recta linea ante Ecclesiam Sancti Jacobi. Et eodem anno de mense Aprilis Bononienses cum suis amicis concordaverunt se, & fecerunt Consilium generale, & Consilium Populi, & arengum, & multa statuta de volendo venire super Episcopatum Mutinensium in exercitum cum Carrocio suo occasione accipiendi Communi & Civitati Mutinæ totum Episcopatum, quod erat ultra aquam Scoltennæ versùs Bononiam. Et de hoc fecerunt Bononienses facere fieri unum lapidem sculpitum de literis, sicut Commune Bononiæ erat firmatum facere prædictum exercitum. Et prædictus lapis erat muratus, & positus in Palatio Communis Bononiæ, ita quòd Potestas, & Capitaneus Populi Bononiæ videbant dictum lapidem quotidie, quando stabant in Palatio; & Bononienses denuntiabant dicto Potestati, & Capitaneo quotidie, ut facerent prædictum exercitum, cùm Commune Bononiæ de hoc firmatum esset, & dictus Potestas, & Capitaneus jurassent prædicta facere. Et Civitas, & Commune Mutinæ noluit dare dictum Episcopatum, nec terram ultra aquam Scoltennæ dictis Bononiensibus. Et ideo Mutinenses requisiverunt amicos suos contra Bononienses ad defendendum ab eis. Et in servitio Mutinensium iverunt centum milites, cum tribus equis quilibet, de Cremonensibus; & de Parmensibus duo millia peditum, & multi milites. Et Dominus Marchio de Este de Ferraria, & multi milites de Civitate Reginorum majores, & potentiores, & nobiliores de Civitate Reginorum pro honore suo, & non pro Commune Regiensi, iverunt in servitio Mutinensium. Et Bononienses duxerunt Carrocium suum in platea Civitatis Bononiæ; & quando dicti Bononienses debebant venire ad dictum exercitum, pars de Zuiminis de Bononia nolebant venire contra Mutinenses, & stabant bene armati, & parati ad domos eorum. Et si venissent contra Mutinenses, pars de Zuiminis faciebat venire Bononiam Marchionem de Este cum sua gente, & Parmenses, & Cremonenses, & Reginos, & Mutinenses, qui erant Mutinæ, & multos Toscanos, & Romagnolos, & expulissent de Civitate Bononiæ partem de . . . .; & ita steterunt Bononienses, quòd non venerunt contra Mutinenses. Item die ultimo exeunte Madio obiit Dominus Gerardus de Tripolis, & sepultus fuit die Mercurii primo Junii in Vigilia Ascensionis ad Monasterium Sancti Prosperi. Et toto tempore prædicti Potestatis fuit maxima caristia de omnibus rebus victualibus, ita quòd sestarius frumenti vendebatur VIII. & IX. & X. solidos Imperiales, & sestarius speltæ vendebatur IV. solidos Imperiales, & XIII. & XIV. grossos; & sestarius melicæ IV. solidos Imperiales, & XIII., & XIV. grossos; & sestarius milii XII. solidos Rexanos, & XIII. & XV. & XVI. & sestarius fabæ V. solidos Imperiales, & sestarius cicerum VIII. solidos Imperiales, & IX., &

Digitized by Google

libra grossa de carne porcina XVIII. Imperiales, & XX., & XXII. Imperiales; & libra olei duos solidos Imperiales, & pondus casei VIII. & IX. solidos Imperiales; & omnia alia victualia fuerunt in maxima caristia per totum dictum tempus, & duravit per duos annos; & sextarius de faxiolis VII. solidos Imperiales, & XX. grossos.

Sub eodem millesimo, & eodem anno Dominus Stoldus Domini Jacobi de Rubeis de Civitate Florentiæ factus fuit Potestas Reginorum per Artes Civitatis Reginorum, sive per Societates Mesteriorum; à Sancto Petro usque ad annum novum, & stetit per sex menses. Et eodem anno de mense Julii Dompnus Guilielmus de Luisinis factus fuit Abbas Monasterii Sancti Prosperi, & confirmatus per Dominum Legatum, qui erat Placentiæ, & positus fuit in Cathedra dictus Abbas die Mercurii XIII. Julii, & in illa die dictus Dominus Abbas fecit fieri magnum convivium, in quo fuerunt omnes Religiosi, & Clerici, & omnes boni homines de Civitate Regii. Et die Sabbati secundo exeunte Julio obiit Dominus Bonifacius de Canusio, & sepultus fuit ad Sanctum Leonardum. Et eodem anno die XX. mensis Madii vênit Dominus Odoardus Rex Angliæ in Civitatem Reginorum cum uxore sua, qui veniebat de ultramarinis partibus, & hospitatus fuit in Palatio Domini Episcopi Regini; & sequenti die reversus fuit versùs partes suas, & incœptum fuit Palatium novum Communis Regii super Trebium illorum de Sesso, & aliorum casamentorum, scilicet Domini Ugonis Spetialis, & aliorum casamentorum cohærentium eidem Trebio. Et obiit Dominus Guido Gajus quondam Domini Ugonis de Robertis, & sepultus fuit ad Ecclesiam Fratrum Minorum.

Gregorius Papa Decimus.

GRegorius Papa Decimus natione Lombardus de Civitate Placentiæ, qui ante vocabatur Hesenbardus de Vescontibus, cœpit anno Domini MCCLXXII. ab electione sua sedit annis quatuor, & diebus X. & cessavit Episcopatus X. diebus.

Hic cùm Archidiaconus esset Leodionensis, & devotionis causa ivisset ultra mare, ibidem existens, in Palatio Viterbiensi in Papam à Cardinalibus est electus. Hic fecit unam ordinationem, videlicet ipsorum Cardinalium, quamplurimum laudabilem, qui honestas, & valentes personas assumpsit. Hic tertio sui Pontificatus anno pro utilitate Terræ Sanctæ, quam personaliter visitare intendebat, Lugduni solemne celebravit Concilium, in quo Græcorum, & Tartarorum solemnes Nuncii interfuerunt, Græci ad unitatem Ecclesiæ reditum promittentes, in signum cujus Sanctum Spiritum confessi sunt à Patre Filioque procedere, Symbolum solemniter in Concilio decantando. Nuncii verò Tartarorum, qui fuerunt in Concilio, infra Concilium baptizati ad propria redierunt. Numerus autem Prælatorum, qui fuerunt in Concilio, sunt quingenti Episcopi, LX. Abbates, & alii Prælati bis mille. Hic in Concilio multa bona constituit, videlicet pro subsidio Terræ Sanctæ, pro electione Summi Pontificis, & pro statu Ecclesiæ universalis. Hujus tempore Rodulfus Rex Romanorum, & Rex Francorum cum multis Baronibus pro subsidio Terræ Sanctæ Crucesignati fuerunt. Hic Papa fuit miræ experientiæ in secularibus, nec intendebat pecuniarum lucris, sed pauperum eleemosynis. Mortuus est Aricii, & sepultus ibidem.

De muratione Palatii novi usque ad summitatem, & de vegete murata de Foliano, & de adventu Papæ Gregorii Decimi in Civitate Regii.

IN MCCLXXIII. Dominus Zaldus de Canzelleriis de Pistoria fuit Potestas Reginorum, & incœpit Potestariam in Kalendis Julii, & finivit eam ultima die Decembris. Et eo anno muratum fuit Palatium novum dictum Communis Regii usque ad summitatem in illis sex mensibus; & facta fuit veges murata de Foliano. Et eodem anno in XXVII. die mensis Septembris, scilicet in Festivitate Sanctorum Cosmæ & Damiani, vênit Dominus Papa Gregorius Decimus in Civitatem Reginorum cum Cardinalibus, & hospitatus fuit ad Monasterium Sancti Prosperi extra Civitatem Reginorum, & sequenti die ivit Parmam, & postea ivit ad terram Lugduni.

De emtione campi, ubi fit fera, sive mercatum Communis Regii, de denariis pedagii salis, & mercationum; & de Concilio facto per Dominum Gregorium Papam Decimum in Terra Leonis; & electione Comitis Rodulfi ad Imperialem dignitatem; & de discordia Bononiensium, & de expulsione Lambertaciorum de Bononia.

IN MCCLXXIIII. Dominus Leonardus de Amatis de Cremona Reginorum Potestas, qui stetit per sex menses in dicta Potestaria, scilicet à Kalendis Januarii usque ad Sanctum Petrum. Et eodem anno Bononienses cum Lombardis, & aliis Romagnolis obsederunt Furlivium.

Et eodem anno emptum fuit per Commune Reginorum campum, ubi fit fera, & Mercatum pro Commune Reginorum de denariis pedagii salis, & mercationum, pro sexcentum sexaginta libris Imperialibus: quod Campum positum est extra Portam Sancti Petri juxta foveas Civitatis à latere superiori stratæ Regalis, & tenet ad pontem Lovonem, & viam, quæ vadit ad Domum Fratrum Humiliatorum, & fovea Communis mediante strata.

Et eodem anno factum fuit Concilium Generale per supradictum Papam Gregorium ad Civitatem Lugdonis, & fuerunt Græci ad prædictum Concilium, & venerunt ad Fidem Catholicam, & Ecclesiæ Romanæ.

Et eodem anno ad dictum Concilium electus fuit Comes Rodulfus de Alamannia in Imperatorem Romanorum. Et eodem tempore Civitas Bononiæ fuit in magna discordia, & per Bononienses fuit combusta pro parte; & pars Imperialis fuit expulsa de dicta Civitate in Festivitate Beati Johannis Baptistæ, scilicet pars Lambertaciorum. In quo anno, & die Sabbati, secundo intrante Junio, in mane, pars Imperialis Bononiæ rumore succursus, qui veniebat parti Ecclesiæ dictæ Terræ contra eosdem Imperiales, absque ullo bello & violentia aufugit de Bononia Faventiam. In quo anno factum fuit Generale Concilium per dictum Dominum Papam Gregorium, & in-

Digitized by Google

incœptum fuit prima die Madii in terra Lugdonis.

Eodem millesimo & eodem anno. Dominus Catelanus de la Tonsa de Florentia Reginorum Potestas, qui stetit per sex menses; scilicet à Sancto Petro usque ad Kalendas Januarii. Et eodem anno obsessa fuit Civitas Faventiæ à Bononiensibus intrinsecis, qui erant de parte Ecclesiæ, cum certa quantitate militum, & peditum, & Balesteriorum Civitatis Mutinæ, Reginorum, & Parmensium, & Cremonæ; & fuit guastata circumquaque. Et factum, & ædificatum fuit, & cavatum Navilium novum à latere de sero stratæ Regalis usque ad alium. Tunc & completum fuit Palatium novum Communis Regii, & factum fuit Consilium, & Ratio super prædictum Palatium die, & superstans dicti Palatii fuit Dominus Guilielmus Bereterius ad ipsum Palatium fieri faciendum; & ipse in principio incœpit, & bene complevit.

De disconficta Bononiensium intrinsecorum per Bononienses extrinsecos, & per Faventinos; & de mortalitate apud Pontem Sancti Proculi; & de inundatione aquarum, quæ fuerunt in planitie; & de nive magna, quæ fuit in montanis, & mortalitate porcorum propter famem.

IN MCCLXXV. Anno. Dominus Scolagius de Cavalcantis de Florentia Reginorum Potestas per sex menses, & incœpit Potestariam in Kalendis Januarii, & stetit usque ad Sanctum Petrum.

In quo anno, & mense Aprili die septima dicti mensis exeuntis milites Bononiæ unà cum Niculutio Balugani Potestate Bononiæ Cive Esisii, & Malatesta de Virulo Cive Arimini Capitaneo Populi Bononiæ, equitaverunt contra Faventinos, & extrinsecos de Bononia, qui erant Faventiæ; & cùm essent ante portam Faventiæ Civitatis, Faventini, & extrinseci Bononiæ equitaverunt ad quædam Castra, quæ detinebantur per Bononienses; & redeuntes Faventiam invenerunt militiam Bononiæ, & cum eis tamquam in periculo constituti viriliter cum eis bellum incœperunt, & sicut Deò placuit Bononiæ militia fuit totaliter disconficta, & quidam ex iis mortui, quidam capti, quidam mortiferè vulnerati; & hoc fuit juxta pontem Sancti Proculi, qui est prope Faventiam per duo milliaria. In quo anno, & mense Junii die Jovis XIII. dicti mensis Bononienses, convocato auxilio Lombardiæ exercitum fecerunt contra Faventinos, & Furlivenses ad vastandum eos, ad quorum auxilium iverunt milites Ferrariæ, & Balestarii Mutinensium, & Reginorum, & Parmensium, & castrametati fuerunt citra Pontem Sancti Proculi prope Civitatem per duo milliaria; in quorum exercitu infinita erat multitudo militum & peditum, qui eam dicta die devastantes, Faventinos, & Pontem transissent. Guido Comes Montis-Feltri Capitaneus Guerræ Faventinorum, & Forliviensium, & partis extrinsecæ de Bononia, misit ad Malatestam Capitaneum Bononiæ, qui volebat bellum omnino; & illico Faventia exivit cum tota gente sua, & acies suas designavit ad bellandum; & idem Malatesta suas acies ordinavit, qui suis omnibus designatis, Guido Comes in Bononienses irruit viriliter & competenter, eosdem totaliter expugnando, persequendo milites, & interficiendo, & capiendo; quibus omnibus militibus fugatis, cæsis, & diro submissis gladio, reduxit se dictus Guido Comes contra Populum, qui erant sine numero, ultra quatuor millia, qui erant adhuc in campo in una massa ad vexillum Carrocii; qui Populus absque ullo prœlio reddidit se Domino Comiti ut captivus; & ductus tunc fuit in Faventiam, & carceri addictus cum victoria & triumpho. Item Faventini incontinenter iverunt ad locum, ubi requiescebant exercitus, & continuò habuerunt sine ulla diminutione omnia exercitus, paviliones, & tendas, currus, & alia necessaria ad exercitum. Item multi Milites potentes & Nobiles mortui fuerunt in dicto bello, scilicet Dominus Nicholaus de Bazaleriis, & Dominus Henriguzius de Galuciis de Bononia, & alii inter Milites, & pedites bene tria millia CCCXXV. de Bononia. Item de Regio mortui fuerunt Dominus Johannes Roxellus de Robertis Capitaneus tunc militum Reginorum, & Dominus Prinzivallus de Minozo, & Dominus Guido Briga filius quondam Domini Bernardi Corradi, & portati fuerunt quilibet in una capsa; & primi duo scilicet Dominus Johannes & Prinzivallus sepulti fuerunt ad locum Fratrum Prædicatorum, quilibet in sepultura sua; & positi fuerunt in bara, quilibet in sua, ad Ecclesiam S. Barnabei extra Portam S. Petri, & omnes de Civitate exierunt extra Civitatem obviam eis. Dominus verò Guido Briga postea ductus fuit ad locum Fratrum Minorum. Item mortuus fuit ibi in dicto campo Dominus Nicolaus quondam Domini Philippi Episcopi, qui erat Judex tunc cum Potestate Bononiæ.

Eodem anno, & Millesimo, post Sanctum Petrum electus fuit Dominus Nicolaus Brochus Civis Luchæ Reginorum Potestas; & stetit per sex menses à Sancto Petro usque ad annum novum. Et eo anno incœpit pluvia venire inter paludes de sera Sancti Mauricii; & ante Nativitatem Domini vênit diluvium maximum aquarum, & duravit per plures dies, & inundationes aquarum magnæ fuerunt, & flumina sparserunt, & exiverunt de locis suis, & sparserunt per Episcopatum Reginorum. Et hyems tota fuit pluviosa eo anno, & sequenti in planicie; & in montaneis partibus fuerunt nives magnæ ultra modum; & fuerunt in quibusdam locis per montaneas partes altæ per quinque brachia, & in quibusdam majores per VI. brachia. Et duravit prædicta nix per plures menses per prædictum annum. Et sequenti fuit maxima mortalitas porcorum, & aliarum bestiarum in prædictis partibus montaneæ propter pestilentiam famis, quia non habebant aliquod, quod darent prædictis bestiis, & coquebant fœnum, & pistabant pro porcis pascendis. Et eodem anno vênit Regium Papa Gregorius X. qui fuit de Placentia, cum Curia & Cardinalibus à Civitate Leonis in Civitate Regii die V. Decembris in Festo Sancti Nicolai, & hospitatus est apud Dominum Guilielmum Reginorum Episcopū, & alia die recessit, quia ibat Romam, & infirmatus fuit in Civitate Aricii, & stetit ibi infirmus multis diebus.

De

Digitized by Google

De morte Domini Gregorii Papæ Decimi, & de electione Domini Innocentii Papæ Quinti; & de stationibus Palatii novi datis ad pensionem Mercatoribus; & de diluvio fluminum, & aquarum multarum, quæ destruxerunt blavas, & alia victualia; & de morte Domini Innocentii Papæ; & de electione Domini Papæ Adriani V. & de morte ejus; & de electione Domini Joannis Papæ Vigesimi Primi.

IN MCCLXXVI. Anno electus in Reginorum Potestaria Dominus Joannes de Piscarola Civis Cremonæ per sex menses, scilicet à Kalendis Januarii usque ad Sanctum Petrum. Et eodem anno obiit Gregorius Papa Decimus in Civitate Aricii X. die Januarii in Festo Sancti Pauli primi Heremitæ. Et eodem anno, & eodem mense, electus fuit in Papa Frater Petrus de Ordine Prædicatorum de Burgundia de Civitate Trezana, & vocatus fuit Papa Innocentius V. die XXI. Januarii, & obiit IX. die exeunte Junio.

Et eodem anno inventum fuit Corpus B. Venerii Confessoris in Ecclesia S. Prosperi de Castello in Altare ipsius Sancti, die XIX. mensis Aprilis, & in eodem Altari reconditum cum honore per Nicolaum S. Reginæ Ecclesiæ Archipresbyterum in præsentia Populi per præconem solemniter congregati, & Clericorum, & Religiosorum ipsius Civitatis.

Et eodem anno datæ fuerunt ad pensionem mercatoribus stationes Palatii novi Communis prope Pascha Resurrectionis. Et fuit Pascha V. die intrante mense Aprilis. Et eodem anno die Martis exeunte Junio in Vigilia Sancti Johannis Baptistæ venit diluvium maximum aquarum, ita quòd Crustuneum crevit sic, quod à Rivalta citra usque ad Bagnolum terra tota erat in aqua. Et plures personæ necatæ fuerunt, & mortuæ. Et bladæ, quæ erant in campis, portatæ fuerunt de loco ad locum per loca campestria illa occasione, & pontes destructi fuerunt, & domus devastatæ, & segetes mirabiliter submersæ. Et strata de Razolo juxta Bagnolum dirupta. Et glara super strata posita portata fuit in campis, & fossatis, ita quòd tale diluvium auditum non fuerit in illis partibus, & nulla antiquitas hominum memoraretur. Et segetes mirabiliter submersæ. Et Crustuneum (*adeò*) crevit, & sparsit alio modo juxta Sanctum Stephanum extra portam, quòd inundationes aquarum ascenderunt super stratam in Burgo omnium Sanctorum, & impletæ fuerunt domus de prædicto Burgo ab utraque parte stratæ de aqua, quæ veniebat de Crustuneo, & tota strata, ita quòd navis poterat ire per dictam stratam super aquam, & totum Hospitale Sancti Geminiani similiter plenum fuit aqua; & totum Hospitale Sanctæ Caterinæ erat plenum aqua, ita quòd tota strata videbatur esse navigium magnum; & maximum damnum recepit dictum Hospitale Sancti Geminiani de blavis, & aliis, quæ ductæ fuerunt per dictum diluvium; & tota strata de Mutilena videbatur esse navigium; & juncta fuit aqua Mutilenæ cum aqua Crustunei, & ibant dicta flumina per campos, & domos, ita quòd videbatur quòd esset ibi mare. Et plures bestiæ necatæ fuerunt, scilicet pecudes Hospitalis Sancti Petri, & aliæ multæ bestiæ; & nec audita, nec visa fuerunt talia diluvia, & tales inundationes aquarum ab antiquis non recordabantur. Et ista diluvia fuerunt per totum Mundum, & duraverunt prædictæ pluviæ, & prædictum diluvium per totam æstatem, & per totum autumnum, ita quòd boni homines non poterant seminare. Et per Villam Crustunei prope Masenzaticum impletæ fuerunt domus aqua de fluvio Rodani. Et Rodanus, & alia flumina sparserunt per Episcopatum Regii; & prædictus fluvius Rodani sparsit super stratam S. Mauritii, & super stratam inglaratam, & super stratam Gavassiæ; & impletæ fuerunt domus de aqua de Pinizo, & per totam terram Pinizi; & à ponte de assidibus supra Rodanum versùs Regium non videbantur loca campestria, quia omnia erant plena aqua; nec aliquo loco videbatur terra, nisi aqua tantùm. Et duravit prædicta pluvia per XIV. menses.

Eodem millesimo & anno post Sanctum Petrum electus fuit in Potestaria Regii Dominus Maffeus Mazi Civis Brixiæ, & stetit per sex menses à Sancto Petro usque ad annum novum. Et eodem anno obiit Innocentius Papa Quintus. In quo anno factus fuit Papa Dominus Ottobonus de Flisco Civis Januæ, & vocatus fuit Adrianus Papa V. die XI. Julii, & obiit XVII. die mensis Augusti. Et eodem anno electus fuit in Papam Magister Petrus Hispanus, & vocatus fuit Papa Joannes XXI. die XVII. Septembris. Et magnæ pluviæ, & diluvia fuerunt eodem tempore, ita quòd homines non poterant seminare, & tales inundationes aquarum fuerunt tales, quòd ab antiquis non recordabatur.

Innocentius Papa Quintus.

INnocentius Papa Quintus natione Burgundus de Civitate Trenzana, Petrus ante dictus, de Ordine Fratrum Prædicatorum, cœpit anno Domini MCCLXXVI. Sedit mensibus V. & duobus diebus; & cessavit Episcopatus diebus XVIII. Hic à pueritia in Ordine Fratrum Prædicatorum, ex tunc de cetero in sacra Scriptura eximius efficitur, deinde in Archiepiscopum Lugdunensem, & post in proximum Ostiensem, tamdem in Summum Pontificem assumitur. Hic licèt multa proposuisset facere, morte præventus nil notabile fecit. Mortuus est Romæ, & in Ecclesia Lateranensi sepelitur.

Adrianus Papa Quintus.

ADrianus Papa Quintus natione Januensis, Ottobonus ante dictus, cœpit anno Domini MCCLXXVI. sedit mense I. & diebus IX. Romæ eligitur in Palatio Lateranensi, & Viterbii moritur, & sepelitur, & cessavit Episcopatus diebus XXVIII. Iste Adrianus nepos Innocentii Papæ Quarti, & ab ipso in Cardinalem est Sancti Adriani promotus à Domino Clemente Quarto Legatus in Angliam pro guerra, quæ ibidem inter Regem, & Barones orta fuerat, sedanda missus. Hic Papa factus Constitutionem, quam Papa Gregorius Decimus in Concilio Lugdunensi de restitutione Cardinalium post electionem Summi Pontificis ediderat, suspendit, proponens eam aliter ordinare; sed morte præventus Constitutionem sic suspensam reliquit.

Jo-

Digitized by Google

Johannes Papa XXI.

JOhannes Papa XXI. natione Hispanus cœpit anno Domini MCCLXXVI. sedit menses VIII. diem I. Cessavit Episcopatus mensibus VI. diebus VII. Hic Pontifex Johannes Petrus Annedens * vocatus, in diversis scientiis famosus, primò Tusculanus Episcopus, tamdem Romanus Pontifex efficitur, qui scientialem florem, & Pontificalem dignitatem quadam stoliditate despicabat, adeò ut naturam industria pro parte curare videretur. In hoc tamen plurimùm laudabilis fuit, quòd se tam pauperibus, quàm divitibus communem exhibuit; multos egentes studium Literarum amplectentes fovit, & in Beneficiis Ecclesiasticis promovit; & cùm vitæ spatium in annos plurimos extendere crederetur, & hæc etiam coram multis assererentur, subitò cum camera nova, quam pro se Viterbii intra Palatium construxerat, solus corruit, & ibidem in Ecclesia Sancti Laurentii est sepultus.

Nicolaus Papa III.

NIcolaus Papa III. natione Romanus cœpit anno Domini MCCLXXVII. sedit annis III. circa Festum Sancti Andreæ Apostoli fuit electus Indictione V. Hic vocabatur Dominus Johannes Cajetanus de Ursinis de Civitate Romana, Diaconus Cardinalis S. Nicolai de Carcere. Pulcher Clericus fuit, nobilis literatus, & bene multis annis steterat Cardinalis, quem Papa Innocentius Quartus fecerat. Hic fuit Cardinalis Ordinis Fratrum Minorum, & Ordinis Sanctæ Claræ, & habebat curam super Inquisitores Hæreticæ pravitatis, qui etiam in aliqua Provincia erant ex Ordine Minorum, in aliqua ex Ordine Prædicatorum. Toto tempore, quo Cardinalis fuit, numquam voluit dona suscipere, sicut alii Cardinales; sed semper de patrimonio vixit. Quidam Anglicus Cisterciensis fuit Cardinalis, qui recipiebat, sed omnia dabat pauperibus. Hic, scilicet Dominus Nicolaus, multùm erat morosus homo ad expediendum aliquos de negotiis suis. Quinque mensibus cessaverat Episcopatus à morte præcedentis Papæ, antequam eligeretur iste. Anno primo Pontificatus sui, idest MCCLXXVIII. in mense Martii electus Papa die quatuor Temporum in majori Quadragesima in Festo Sancti Gregorii Papæ. Fecit novem Cardinales, quo die fuit terræmotus circa horam nonam. Duos fecit Cardinales ex Ordine Fratrum Minorum, scilicet Fratrem Hieronymum de Marchia Anconitana Generalem Ministrum, & Fratrem Benintendi Episcopum Tudertinum amicum suum; & multos fecit de parentela sua. In mense Augusti obiit ex hac vita in Octava Assumtionis Beatæ Mariæ Virginis. Nihil memorabile fecit, excepto, quòd Regulam Fratrum Minorum, quorum Cardinalis fuerat, solemniter exposuit, & Palatia juxta Ecclesiam Sancti Petri fecit ædificari. Multas summas collegit pro succursu Terræ-Sanctæ, quas postea habuit Papa Martinus Quartus, & eas expendidit in guerris factis, maximè contra Romagnolos, & præcipuè contra Furlivienses. Item dictus Papa Nicolaus abstulit Rocham de Suriano, Comitibus dictæ Terræ & Rochæ, quia imputata eis fuerunt multa delicta; & hac de causa abstulit eis, & dedit dictam Rocham cum territorio dictæ Rochæ in feudum Domino Ursoni de Ursinis fratri suo pro Ecclesia Romana. Et obiit ibi dictus Papa Nicolaus, & sepultus fuit in Civitate Romana apud Sanctum Petrum.

De expulsione, & captione Domini Neapulionis de la Turre cum aliis de Turre de Civitate Mediolani; & de carcere eisdem facto in Civitate de Como, & de morte Domini Francisci de la Turre; & de mortalitate, & pestilentia, & de caristia magna; & de morte Domini Johannis Papæ XXI., & de electione Nicolai Papæ Tertii; & incœptum fuit claudi flumen Taleatæ.

IN MCCLXXVII. anno. Dominus Brexanus de Sala Civis Brixiæ fuit Rexanorum Potestas à Kalendis Januarii usque ad Sanctum Petrum, & stetit per sex menses. Et eodem anno de mense Januarii die Jovis XI. exeunte in festo Sanctæ Agnetis Dominus Neapulionus de la Turre perpetuus Antianus Populi Civitatis Mediolani turpiter est remotus à dicta Antianaria, quia captus est cum VI. vel VII. de domo sua per partem extrinsecam de Mediolano, & per illos de Como, & in dicta Civitate de Como, seu in Castellis suis detinentur in carceribus, videlicet in Castro, quod vocatur Baratellus; & tres cabiæ factæ sunt, in quibus prædicti detinentur, scilicet duo in qualibet cabia, ut dicebatur. Et dicta captio facta fuit in quodam Burgo posito in Episcopatu Mediolanensi, qui vocatur Dexe. Et rustici dicti Burgi tunc interfecerunt Dominum Franciscum de la Turre, & quosdam alios de Turre, & de aliis eorum amicis. Et Dominus Caxonus filius Domini Neapolionis, hoc audito, in quodam Castro, in quo erat, cum quadringentis militibus ivit ad Civitatem Mediolanensem, & intravit dictam Civitatem cum dictis militibus; & invênit, quòd domus sua, & aliorum de domo sua derobabantur, & portæ dictæ Civitatis erant clausæ, & Populus in maxima quantitate erat armatus in Broleto dictæ Civitatis. Et fecit ibi dictus Dominus Caxonus ad domos suas maximum prœlium, & multos ibi interfecit. Et videns, quòd non bene adjuvabatur, dereliquit Civitatem Mediolanensem, & exivit foras cum militibus suis, & vênit ad Civitatem Laudi, quæ eum intrare non permisit, sed jacuit in Burgis dictæ Civitatis. Et sequenti die vênit remam cum sequacibus suis; & Dominus Archiepiscopus Mediolani unà cum omnibus de parte extrinseca venerunt ad Civitatem Mediolanensem, & intraverunt eam cum magno gaudio, seu lætitia. Et Populus Mediolanensis ipsum Dominum Archiepiscopum elegerunt, & de voluntate ipsius Domini elegerunt Dominum Simonem de Locara Capitaneum dictæ Civitatis per unum annum; & Dominum Guilielmum de Pusterla Potestatem Mercatorum, & Dominum Ricardum Comitem de Languscho Potestatem dictæ Civitatis. Et obiit Dominus Johannes Papa XXI. de mense Madii, & sedit in dignitate sua mensibus VIII. die I.

Et eodem millesimo & anno Dominus Fredericus de Vallungo de Brixia fuit Reginorum Potestas, & stetit per sex menses à Sancto Petro usque ad annum novum. Et eo anno die Lunæ

Lunæ VII. Julii obiit Dominus Ugolinus de Foliano, & die sequenti sepultus fuit ad Sanctum Spiritum. Et eo tempore exercitus Reginorum ivit ad Besumantuam, & venerunt Besumantini ad præcepta Communis Regii de mense Augusti. Et illo mense Guastalla fuit capta ab inimicis; sed incontinenti fuit recuperata per aliam partem; & mortui, & capti fuerunt omnes, qui eam ceperunt. Et eodem anno tempore Domini Brexani, & dicti Domini Frederici, steterunt magnæ infirmitates pestilentiæ, & mortalitates hominum & mulierum per universum Orbem, quammaximè in Italia; & magna pluvia fuit, ita quòd homines non potuerunt colligere melicas de campis, nec eas siccare, nec potuerunt bene seminare.

Et Dominus Mastinus, qui erat Dominus Veronæ, fuit mortuus per quatuor Assaxinos. Et eo anno fuit magna caristia de rebus victualibus, quia aliquando venditus fuit sestarius frumenti IX. solidos Imperiales, & decem solidos Imperiales, & sestarius fabæ XVIII. solidos Rexanos, & XVII. & XIX. solidos Rexanos, & sestarius melicæ V. solidos Imperiales, & XIII. & XIV. solidos Rexanos, & sestarius speltæ IV. solidos Imperiales, & XIII. solidos Rexanos, & libra olei XXI. Imperiales, & XXII. Imperiales. Et de omnibus aliis rebus victualibus magna carestia fuit. Et electus fuit in Papam Dominus Nicolaus Tertius, Johannes ante dictus Gaëtanus de Ursinis. Hic, dum esset Cardinalis, erat Ordinis Fratrum Minorum Gubernator, & Protector, & Corrector. Postmodum factus Papa Regulam eorum exposuit, & declaravit quædam, quæ intellectu difficilia videbantur. Et nota, quòd omnes Cardinales, qui fuerunt Ordinis Minorum Gubernatores, Protectores, & Correctores, postmodum facti sunt Summi Pontifices, videlicet D. Papa Gregorius Nonus, & Papa Alexander Quartus, & D. Papa Nicolaus Tertius. Et hoc factum credimus divina gratia favente, & B. Francisco adjuvante, & eorum bona vita non impediente. De cetero quid futurum sit, Dominus novit. Nunc est Cardinalis Ordinis Fratrum Minorum D. Matthæus Rubeus, quem Papa Nicolaus dedit, eo quòd esset de parentela sua; sed priùs elegerant D. Hieronymum, qui fuerat de Ordine suo.

Et flumen Taleatæ inceptum fuit claudi de voluntate Consilii Generalis Cremonæ de mense Novembris, & Decembris.

De Præcepto, & prohibitione, quam fecerunt Cremonenses, & Marchio Cavalcabos, & Commune Cremonæ contra Commune Regii, ne flumen Taleatæ clauderent, & de expensis, quas fecit Commune Regii, & de Caristia.

IN MCCLXXVIII. Anno. Dominus Rex Civis de Pistoria fuit Reginorum Potestas à Kalendis Januarii usque ad Sanctum Petrum per sex menses. Et prohibitum fuit claudi supradictum flumen Taleatæ à Cremonensibus, & à Marchione Cavalcabò, & à toto Commune Cremonæ, cùm ante esset firmatum consilium Cremonæ, ut Regini, & Commune Regii eam clauderent, & cùm jam esset expensum pro Commune Regii in ea claudenda duo millia librarum Imperialium, & plus, sinè aliis laboribus, & operibus, & expensis factis per homines Episcopatus, & districtus Reginorum. Et dicti Cremonenses, & Marchio, omnia, quæ promiserant, & confirmaverant dicto Communi, eas promissiones & omnia retraxerunt. Et Commune Regii in magnis expensis, & debito dimiserunt. Et eo anno & tempore vendebatur sestarius frumenti VIII. solidos Imperiales, & IX. & decem, & sestarius speltæ XIV. solidos Rexanos, & V. solidos Imperiales, & sestarius melicæ XIV. solidos Rexanos, & V. solidos Imperiales, & omnia alia victualia in magna caristia fuerunt.

De Tractatione Capitanei.

ET tempore dicti Potestatis primò tractatum fuit de Capitaneo Populi faciendo. Et factus fuit tunc Capitaneus in aliis sex mensibus sequentibus Dominus Ugolinus filius quondam Domini Jacobi Rubei de Parma per Dominum Episcopum Reginorum, cui data fuit potestas eligendi eum. Et capta fuit Civitas Laudensis, & per Dominum Caxonum de Turre de Mediolano.

De officio primi Capitanei populi Regiensis, & de captione castri Fornovi; & de pace Bononiæ; & de victoria, quam habuit Imperator de Rege Boëmiæ; & illi de Besumantua evitaverunt præcepta Potestatis, & Communis Regii.

ITem sub eodem Millesimo, & eodem anno, Dominus Giliolus de Marano de Parma Judex fuit Reginorum Potestas à Sancto Petro usque ad Kalendas Januarii, & stetit per sex menses. Et tempore dicti Potestatis illi de Besumantua evitaverunt mandata Potestatis, & Communis Regii. Et Dominus Ugolinus de Rubeis supradictus, & primus Capitaneus Populi primò intravit ad officium Capitanariæ, & intravit à Kalendis Augusti, & stetit per sex menses usque in Kalendis Februarii. Et stetit primò super domo quondam Domini Guidonis Gagii de Robertis. Et captum fuit Castrum Fornovi à Cremonensibus; & multæ Terræ à Patriarcha de Aquileja, qui erat de parentela illorum de Turre, & ab illis de Turre de Mediolano; & dictæ Terræ captæ fuerunt in districtu Mediolani, & magna multitudo hominum. Et eodem anno pax Bononiæ facta fuit per Fratrem Latinum Nepotem Domini Nicolai Papæ Tertii Legatum, & Cardinalem in Lombardia, & Thuscia.

Et Imperator Romanus, Rodulfus nomine, devicit Regem Boëmiæ, & mortuus fuit in exercitu prædicti Imperatoris.

De captione Lapidis de Besumantua à Domino Thomaxino de Gorzano, & ab illis de Banzola, & reddiderunt eam Communi Regii; & de pace illorum de Turre; & de Laude cum Mediolanensibus; & de parentelis factis inter Robertos, & illos de Foliano, & de Canusia, & Dominum Jacobinum de Rodilia; & de illis de Besumantua, qui furtivè ascenderunt super Lapidem Besumantuæ, & postea reddiderunt eam Communi Regii; & de miraculis Beati de Cremona.

IN MCCLXXIX. Anno. Dominus Leazarius de Lambertinis Civis Bononiæ Reginorum Potestas à Kalendis Januarii usque ad San-

Sanctum Petrum, & stetit per VI. menses. D. Brexanus de Sala Civis Brixiæ electus fuit Capitaneus Populi & Communis Reginorum, & stetit per sex menses, scilicet à Kalendis Februarii usque ad Kalendas Augusti. Et de mense Februarii Dominus Thomasinus de Gorzano, & illi Domini de Banzola furtivè ceperunt Lapidem Besumantuæ, & expulerunt illos de Besumantua, & habuerunt totam robam, & omnia victualia, quæ super dictum Lapidem erant. Et eodem mense restituerunt prædicti invasores in manibus militis dicti Potestatis pro Communi Regii pro mille libris Rexanis, quas solvit eis. Et de mense Martii obiit Dominus Aymericus de Palude in Civitate Parmæ. Et pax illorum de Turre, & de Laude cum Mediolanensibus facta fuit de mense Februarii, seu Martii in principio dicti mensis. Et parentelæ factæ, & juratæ fuerunt inter illos de Foliano, & Dominum Antonium de Robertis, & inter Dominum Jacobinum de Rodilia, & Dominum Guidonem de Tripolis, & Dominum Guidonem de Bibianello, & Dominum Guilielmum de Canusio de mense Aprilis. Et postmodum de mense Aprilis, vel Madii, illi de Besumantua redierunt super Lapidem Besumantuæ; & certa quantitas militum, & peditum de Civitate Reginorum cum tota montanea, & cum certa talia militum & peditum de Bononia, & de Parma, & cum Balesteriis de Mutina iverunt circumquaque, obsiderunt Besumantuam, & steterunt fortè ibi per XV. dies, & erant ibi illi de Banzola cum gente sua. Et per concordiam de Besumantua dimiserunt Terram Communi Regii, & recesserunt.

Et dicto tempore apparuerunt miracula Beati Alberti, qui stabat Cremonæ, & qui fuerat unus portator, in dicta Civitate, & in multis aliis Civitatibus, & locis. Et eodem tempore rupta fuit pax Mediolanensium, quia Marchio Montis-Ferrati decepit illos de Turre, & prodidit, quando Patriarcha in Civitatem intravit, qui erat de illis de Turre.

Eodem anno, Indict. VII. in Festo Apostolorum Philippi & Jacobi in Kal. Maji factus est terræmotus adeò magnus in Marchia Anconitana, quòd duæ partes Camerini submersæ sunt, & multi homines utriusque sexus perierunt. Fabrianum, Matellica, Callium, S. Severinum, & Cingulum, omnia ista Castra sunt dirupta. Similiter Nuceria, Fulignum, & Spellum, & breviter omnia illa Castra, quæ sunt in illis partibus montaneis, multa sunt damna perpessa.

De pace facta inter Bononienses intrinsecos, & extrinsecos, & postea prædicti Bononienses dictam pacem inter se fregerunt, & exiverunt prædicti extrinseci, scilicet Lambertacii, de dicta Civitate, & mortui fuerunt plures ex utraque parte, & plures domus combustæ, & derobatæ fuerunt per intrinsecos de dicta Civitate; & Fratres Prædicatores exiverunt de Parma, & diruptæ fuerunt domus eorum.

IN eodem Millesimo, & sub eodem anno Dominus Armannus de Sasso-Ferrato fuit Reginorum Potestas à Kalendis Julii usque ad Kalendas Januarii, & stetit per sex menses. Et eodem tempore facta fuit pax inter Bononienses intrinsecos, & extrinsecos, per Fratrem Latinum Cardinalem, & Legatum in Lombardia, & Thuscia, & nepotem Domini Nicolai Papæ Tertii, & redierunt in Civitatem Bononiæ de mense Septembris. Et eodem anno & tempore fuit Capitaneus Populi Reginorum Dominus Thomasius de Henzola de Parma à Kalendis Augusti usque ad Kalendas Februarii, & stetit per VI. menses. Et tregua, seu pax Brixiæ facta fuit cum Mantuanis. Et eodem anno Fratres Prædicatores omnes, qui erant in Civitate Parmæ, recesserunt, & venerunt Regium, quia Parmenses contra eos insurrexerunt occasione cujusdam mulieris, quæ dicebatur quòd erat Gazara, & comburi eam fecerunt. Et illa occasione Parmenses fuerunt excommunicati per supradictum Fratrem Latinum, & Cardinalem, qui erant in Civitate Florentiæ. Et die Veneris decimo, exeunte Decembri, fracta fuit pax inter Bononienses intrinsecos & extrinsecos, & multi eorum ex utraque parte fuerunt occisi. Et innumerabiles quasi domus eorum Lambertaciorum, & amicorum suorum, qui erant de parte sua, & aliorum hominum, fuerunt incontinenti combustæ, & diruptæ, & robatæ per illam partem intrinsecam; & dicti Lambertacii exiverunt de dicta Civitate propter timorem partis intrinsecæ.

De emtione domorum Domini Accursii & aliarum domorum, & earum diruptione propter Palatium Communis, & Populi faciendum & murandum; & de caristia seminis canipæ, & de ædificatione Castri, & cavatione fovearum dicti Castri per Parmenses in contracta Zellæ; & de ponte Brazoli facto per Mantuanos in loco, ubi dicitur Brazolus.

IN MCC.octuagesimo. Indictione VIII. Dominus Albertus de Asenellis Civis Bononiæ Potestas Reginorum à Kalendis Januarii usque ad Kalendas Julii. Et Dominus Mapheus Mazi Civis Brixiæ fuit Capitaneus Populi Reginorum à Kalendis Februarii usque ad Kalendas Augusti. Et eodem anno emtæ, & diruptæ fuerunt pro Communi domus Domini Accursii, & aliorum, propter Palatium Capitanei Populi Reginorum incipiendum de mense Februarii, & in magna quantitate factum fuit dictum Palatium, & muratum per illos sex menses. Et venditus fuit sestarius seminis canipæ XVI. solidos Imperiales, & XX. solidos Imperiales. Et Parmenses incœperunt cavare & ordinare unum Castrum, & cavaverunt foveas dicti Castri in contrata Zellæ justa Burgum Domus Dei inter Parmam, & Regium, in strata publica, quod appellaverunt Castrum Crucis. Et eodem anno Mantuani fecerunt unum Pontem in contrata, ubi dicitur Brazolus.

De Domino Rubeo de la Tosa Cive Florentiæ Potestate Reginorum; & de Domino Dego Capitaneo Populi; & de discordia Decimarum; & de obitu Papæ Nicolai; & de proditione Faventiæ, & aliis gestis; & de restitutionibus Carrociorum Parmensium, & Cremonensium, quas fecerunt inter eos.

EOdem anno, & sub eodem Millesimo Dominus Rubeus de la Tosa Civis Florentiæ Potestas Regii, & stetit per sex menses, scilicet à Kalendis Julii usque ad Kalendas Janua-

nuarii. Et eodem anno Dominus Degus de Canzelleriis de Pistorio fuit Capitaneus Populi Reginorum à Kalendis Augusti usque ad Kalendas Februarii, & stetit per VI. menses. Et eodem anno de mense Augusti obiit Dominus Papa Nicolaus Tertius in Octava Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis. Et eodem anno circa Festum Beati Martini Episcopi Tebaldellus proditoriè dedit Faventiam his, qui erant ex parte Ecclesiæ, scilicet Bononiensibus, & Manfredi, & expulit suos, & observavit tempus, quando maxima multitudo suorum erat in obsidione cujusdam Castri. Et eodem anno restituerunt Parmenses Carrocium Cremonensium, quod eis abstulerant, cum magno honore, & lætitia. Et Cremonenses fecerunt similiter de Carrocio Parmensium, quod eis abstulerant, restituerunt Parmensibus; & hæ restitutiones factæ fuerunt in Vigilia Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis in die Dominico. Et iverunt ambæ Civitates, scilicet milites, & pedites, in adjutorium Laudensium contra Mediolanenses, & contra Marchionem Montis-Ferrati, qui venerant cum omnibus aliis Lombardis ad destruendum Civitatem Laudensem.

Et eodem anno de mense Septembris pars Imperialis recessit de Civitate Vercellis. Item eodem anno de mense Octubris orta fuit magna discordia inter Dominum Guilielmum Episcopum Reginum, & Clericos Civitatis Reginorum, & de Episcopatu suo ex una parte, & Dominum Degum Capitaneum Populi, & Populum Regii ex altera occasione Decimarum, ex eo quòd Clerici nimis videbantur velle accipere ab hominibus Populi, & totius Civitatis. Et propterea Dominus Capitaneus unà cum XXIV. Defensoribus Populi quædam Statuta fecerunt contra Laicos collectores dictarum Decimarum, occasione quorum Statutorum Dominus Episcopus excommunicavit dictum Capitaneum, & XXIV. Defensores, & totum Consilium generale Populi. Et insuper Civitatem totam posuit sub Interdicto. Et iratus Populus de prædictis elegerunt alios XXV. de Populo. Inter quos fuerunt VII. Judices, & in dictis XXIV. erant quatuor Judices, & fecerunt multa Statuta prava contra Clericos. Primò ut nullus deberet solvere eis aliquam Decimam, nec dare eis consilium, adjutorium, vel favorem, nec cum eis ire ad comedendum, nec cum eis stare ad serviendum, nec cum eis facere aliquas mercationes, nec loqui eis, nec stare in domibus eorum, nec super mezadris eorum, nec eis dare bibere, vel comedere, & alia quamplura; & in quolibet casu prædictorum maximam pœnam imposuerunt, nec etiam eis maxenare, nec infornare, nec barbam radere, nec aliquod magisterium facere eis, assumentes sibi dicti sapientes auctoritatem propriam dicendi, statuendi, & ordinandi ad eorum arbitrium, & voluntatem, quidquid voluerint super prædictis: quæ postea eis confirmata fuerunt per Consilium generale Populi, & jura omnia supradicta firmata, & servata sunt tam per Populum, quàm per milites, & omnes alios bonos viros. Et illa occasione multi mulinarii condemnati fuerunt in quinquaginta libris Rexanis quilibet, ex eo quòd in molendinis Clericorum steterunt contra dicta ordinamenta ultra terminum. Et etiam aliæ personæ multæ condemnatæ fuerunt. Et eodem anno de mense Novembris capta fuit Faventia per Ravennates, & XXV. Soldaërios Reginos, qui erant in Civitate Ymolæ pro Communi Reginorum in servitio Bononiensium, & per quosdam milites Comitis, & per Bononienses, qui postea ibi accurrerunt, & post eos tota militia Parmensium, & Reginorum, qui iverunt usque ad Ymolas. Et multi Bononienses fuerunt ibi capti, & fuerunt ultra XLV. de bonis, & multi mortui. Et quidam magnus & potens dictæ Civitatis Faventiæ, qui vocabatur Dominus Tebaldellus de Zambrasinis, qui non legitimus erat, dictam Terram dedit in manibus prædictorum Bononiensium, sive Faventinam Civitatem. Eo tempore, quo intraverunt in Civitatem Faventiæ prædicti Bononienses intrinseci, media pars Civitatis Faventiæ erat cum Bononiensibus exterioribus ad obsidionem cujusdam Castri.

Et pons de Brazolo destructus fuit per plenitudinem aquarum; & inundationes diluvii ita venerunt magnæ & maximæ, quòd dictum pontem destruxerunt, & inferiùs conduxerunt, ut dicebatur.

Et eodem anno de mense Novembris facta fuit concordia inter Dominum Episcopum, & Clericos, sive Prælatos ex una parte, & Capitaneum Populi, & ipsum Populum, & Commune Regii ex altera, super Decimis in hunc modum: quòd nemo debet compelli ad solvendum Decimam, nisi secundùm conscientiam suam, & alia multa, quæ scripta fuerunt in dicta concordia. Et eo anno Civitas Senogallia prodita, & data fuit Comiti Guidoni de Monte-feltro, qui in dicta terra occidit, & occidi fecit mille D. personas.

De Domino Corradino de Savignano, & de Domino Bazalerio de Bazaleriis de Bononia Capitaneo Populi Reginorum, qui primò habitavit super Palatium novum Communis & Populi, & de gestis, quæ fuerunt suis temporibus.

ANno Domini MCCLXXXI. Indictione IX. Dominus Corradinus de Savignano civis Mutinæ fuit Potestas Reginorum per VI. Menses à Kalendis Januarii usque ad Kalendas Julii. Et eo anno D. Bazalerius de Bazaleriis de Bononia fuit Capitaneus Populi Reginorum à Kalendis Februarii usque ad Kalendas Augusti pro VI. mensibus, & primò habitavit & stetit super Palatium novum Communis & Populi Reginorum. Et stationes dicti Palatii novi Communis datæ fuerunt ad pensionem pro Communi merzadris; & fuit facta volta super stratam à Palatio novo Communis usque ad alium Palatium Potestatis & Communis Regii.

Et eo anno Dominus Caxonus de la Turre de Mediolano mortuus fuit in prœlio cum multis aliis de Laude per Mediolanenses; sed & Potestas Laudensium in illo prœlio mortuus fuit, scilicet Dominus Scurra Pelicia de Porta Civis Parmensis.

De

Digitized by Google

De Domino Rubeo de Bondemonte Potestate Reginorum; & de Domino Anselmo de Robeldescho Capitaneo Populi Reginorum; & de quatuor Bobulcis terræ emtis pro Communi à Domino Episcopo; & de electione Papæ Martini, & aliis gestis eodem tempore.

A EOdem Millesimo & anno Dominus Rubeus de Bondemonte Civis Florentiæ per VI. menses fuit Potestas Regii, scilicet à Kalendis Julii usque ad Kalendas Januarii. Et eodem anno fuit factus murus super foveas Civitatis inter Portam Sancti Petri, & Pontem Lovonem, & fuit centum perticas rationis. Et eodem anno fuerunt emtæ quatuor bobulcæ juxta campum de Brayda Domini Episcopi Reginorum à Domino Guilielmo Episcopo Regino pro quatuorcentum libris Rexanis, & ibi factæ fuerunt duæ fornaces pro Communi, occasione murandi residuum muri dictæ Civitatis, & complendi usque ad Sanctum Marcum, & pusterlam, & à dicta pusterla Sancti Marci usque ad alium conjunctum cum Porta Sanctæ Crucis, & dum completus fuerit murus usque ad Portam S. Crucis. Et eodem anno Dominus Anselmus de Robeldesco Civis Brixiæ fuit Capitaneus Populi & Communis Regii à Kalendis Augusti usque ad Kalendas Februarii, & stetit per VI. menses. Et eodem anno fuit electus Papa Martinus Quartus natione Gallicus de Corbeliaco, quod est Castrum prope Parisius ad VII. leucas. In mense Februarii fuit electus in Cathedra Sancti Petri; de Collegio Cardinalium fuit assumtus; primò dicebatur Dominus Symon, Thesaurarius fuerat Ecclesiæ Sancti Martini de Turonis, & amicus Fratrum Minorum, quos etiam tenebat secum, & cum eis confitebatur; quibus dedit optimum Privilegium de Prædicationibus, & Confessionibus audiendis, & promisit se adhuc majora daturum. Pluries misit exercitum contra Furlivium, & malè cessit parti Ecclesiæ, quia debellati sunt, & capti, & mortui, & fugati. Inter quos cecidit Tebaldellus, qui bis fuit proditor Civitatis suæ, scilicet Faventiæ, & submersus est in fovea Civitatis Liviensis, & suffocatus cum dextrario suo. Mortuus est etiam ex parte Ecclesiæ Comes Thadæus, & Comacius frater Anselmi de Corradinis de Ravenna, & multi alii. Ex altera verò parte mortuus est Dominus Guido de Acarisiis de Faventia, & plures alii digni relatu, tam de Bononia, quàm de aliis partibus.

De Domino Alberto de Boscolis de Arecio; & de Domino Leazaro de Liazaris Capitaneo Populi Reginorum; & de magna multitudine erucarum; & de exercitu Marchionis Montis-Ferrati, & de gestis, quæ fuerunt eodem tempore.

ANno Domini MCCLXXXII. Indictione X. Dominus Albertus de Boscolis de Civitate Aricii Potestas Reginorum per VI. menses, scilicet à Kalendis Januarii usque ad Kalendas Julii. Et eodem anno Dominus Leazarus de Leazaris Civis Bononiæ fuit Capitaneus Populi Reginorum pro VI. mensibus, scilicet à Kalendis Februarii usque ad Kalendas Augusti. Et eodem anno fuit tanta multitudo erucarum, quantam nullus meminit in diebus nostris, & destruxerunt omnes arbores pomiferas, tam flores, quàm frondes; & sic apparebant arbores sicut in media hyeme apparere solent, cùm priùs optimè floruissent. Et postquam in arboribus pomiferis non inveniebant quod comederent, transibant ad cimas, sive pullulationes salicum, & illa similiter corrodebant; & processu temporis cadebant de arboribus, & moriebantur. Nec fuerunt istæ erucæ ortonales, sed aliud genus erucarum fuit. Et eodem anno in istis VI. mensibus fuit magna carastia bladi, scilicet frumenti, speltæ, melicæ, & fabæ, & de omnibus leguminibus, & rebus. Et eodem anno in Festo Beatorum Apostolorum Philippi & Jacobi restitutum fuit Officium Ecclesiasticum Parmensibus, quo privati fuerant pluribus annis occasione Fratrum Prædicatorum, qui combusserant quamdam Mulierem Hæreticam in Civitate Parmensi, quarum una dicebatur Haliria, altera verò pedissequa fuerat. Et voluntariè exierunt omnes Fratres Prædicatores de prædicta Civitate cum Cruce & processione, quia quidam stulti irruerunt in locum eorum, & aliquos vulneraverunt; sed graviter fuerunt puniti prædicti malefactores à Parmensibus, qui Prædicatores offenderant. Et eodem anno & tempore multæ paces factæ fuerunt in Civitate Reginorum in illis VI. mensibus. Et eodem anno iverunt Parmenses, & Cremonenses cum suis societatibus ad destruendum segetes illorum de Sunzino, pro eo quòd Dominus Bosus de Dovaria ibi residebat, & sperabat intrare Cremonam, si potuisset; sed non fuit sibi permissum.

Et eodem anno vênit Marchio Montis-Ferrati, & stetit in Episcopatu Laudensium cum Mediolanensibus, & Carrocio suo, & cum Papiensibus, & Carrocio suo, & ut breviter dicam, & me expediam, cum omnibus Civitatibus illis, quæ erant de parte sua, scilicet cum Vercellensibus, & Novariensibus, Alexandrinis, Cumanis, & cum omnibus aliis amicis suis, & dicebat, quòd volebat ponere totam Lombardiam in pace. Et non crediderunt ei qui erant ex parte Ecclesiæ; sed omnes uno animo contradixerunt, & præparaverunt se ad resistendum ei, & ad pugnandum contra eum. Et statim egressi sunt Cremonenses cum Carrocio suo, ut venirent, & custodirent Cremonam, & sic fecerunt. Et quando sperabatur pugna futura, miserunt Parmenses, & Cremonenses, ut venirent Ferrarienses, Bononienses, Mutinenses, Regini, Brixienses, & Placentini, & optimè venerunt. Et timuit Marchio supradictus cum eis pugnam committere, & insalutato hospite divertit ab eis; & reversi sunt omnes ex utraque parte ad Civitates suas sinè belli conflictu. Sed cùm adhuc in Cremona consisterent, mirabilem honorem omnes, qui erant ex parte Ecclesiæ, exhibuerunt Parmensibus, & super omnes Bononienses, qui sunt Nobiles milites, circa Carrocium Parmensium fecerunt hastiludium in platea Civitatis Cremonæ, & voluerunt placere Parmensibus ostendendo se amicos. Nam tunc tempori Parmenses diligebantur à Papa Martino, & habebant gratiam Romanæ Curiæ, & Regis Ka-

Digitized by Google

Karoli, quia semper parati inveniebantur ad succursum Ecclesiæ. Insuper Cardinalem unum habebant in Curia, qui erat natione Parmensis, sive de quadam Villa Episcopatus Parmæ, quæ appellabatur Gainacum. Hunc Papa Nicolaus fecit Cardinalem, & dicebatur Dominus Gerardus Albus. Hunc misit Papa Martinus in Siciliam ad revocandum Siculos ad præcepta Ecclesiæ. Siquidem Siculi rebelles fuerunt Regi Karulo, & in Civitate Panormitana interfecerunt omnes Gallicos, viros & mulieres, & parvulos alliserunt ad petram, & prægnantes aperuerunt. Quidam verò Justitiarius Gallicus, dum vellet exire ad sedandum populum, rogatus fuit à quodam sapiente Viro, ne se immitteret in populum, sed fugeret per fenestram, & salvaret vitam suam. Et fecit sic, vadens ad quoddam Castrum, ut tueretur ibi. Et iverunt post ipsum Panormitani, & ceperunt Castrum, & Justiciarium ad plateam Civitatis ducentes, membratim diviserunt. Illi verò de Civitate Messana non tantam crudelitatem exercuerunt in Gallicos, sed nudaverunt eos armis & bonis suis, & remiserunt ad Dominum suum, qui in diebus illis retrocesserat, timens, ne Neapolim perderet, quia Rex Aragoniæ ex parte illa Siciliam invaserat, qui adjutores Regem Castellæ, & Paliologum habebat. Erat autem Paliologus quidam, qui in Constantinopolitana Urbe dominium super Græcos tenebat, qui etiam interfecerat filium Vatacii prætendentis Græcorum dominium, ut loco sui super Græcos dominaretur, & timebat ne Rex Karulus Constantinopolim vellet invadere cum Papa Martino. Papa verò Martinus priùs volebat se expedire de Furlivio, quod totam Romagnolam occupatam tenebat. Est autem Romagnola quædam parva Provincia, sed bona, & fertilis, ac populosa, inter Marchiam Anconitanam, & Bononiam Civitatem. Hanc Ecclesia Romana dono obtinuit à Domino Rodulfo, qui tempore Gregorii Papæ Decimi ad Imperium fuit electus; semper enim Romani Pontifices de Republica aliquid volunt emungere, cùm Imperatores ad Imperium assumuntur. Igitur propter prædictas causas missus fuit Cardinalis supradictus à Domino Papa ad Siculos. Cui responderunt quòd mandatis Ecclesiæ obedire volebant, sed superfluum dominium Gallicorum penitus recusabant. Hac ergo causa ibant Gallici navali exercitu & terrestri in maxima multitudine, ut succursum Regi Karulo exhiberent. Quid futurum sit, illi videre poterunt, qui superepsint. Et eodem anno coram Papa, & Cardinalibus in Consistorio lectæ fuerunt literæ, quòd Paliologus in Constantina Urbe ex Græcis Papam fecerat, & Cardinales. Item eodem anno Perusini præparaverunt se, ut irent ad devastandum Fulignum. Et misit Papa dicendo, quòd nullo modo irent; alioquin excommunicaret eos. Erat enim Fulignum ex horto Sancti Petri. Et non dimiserunt Perusini propter hoc quin irent. Iverunt igitur, & destruxerunt totum Episcopatum illius Civitatis usque ad foveas; excommunicati fuerunt; sed indignati ex hoc, fecerunt Papam & Cardinales de paleis, & traxerunt eos per totam Civitatem opprobriosè, & traxerunt eos ad quemdam montem, & in cacumine montis combusserunt Papam indutum de Rubeo, & Cardinales combusserunt similiter, dicendo: *Iste est talis Cardinalis, & iste talis*. Item eodem anno juxta Festum Sancti Martini de mense Novembris quidam homo de Sulzino, (*sive* Soncino) qui vocatur Rubeus de Infonditis, fecit proditionem de Terra de Sulzino, quam Terram proditoriè dedit Cremonensibus, qui sunt modò in Civitate Cremonæ, & qui sunt de parte Ecclesiæ; & de dicta proditione Castri Sulzini ipsi Rubeo dederunt CCCC. millia librarum Imperialium. Et eodem anno emta fuit pro Communi domus ab herede quodam Alberti Gualdrati juxta scalam Palacii Communis, & factus fuit ibi carcer Communis.

Item eodem anno in fine Maji tantus extitit calor quatuor diebus, vel quinque, quòd si fuisset in Julio, superfluus videretur; & dixerunt agricolæ, quòd nocivus valde fuit frumento; nam, ut dicitur in libro Job, *frumentum desiderat nubes, & requirit maximè, quando florescit, vel granescit*. Et non fuit isto anno plenitudo annuæ messis, quantùm ad frumentum; sed quantùm ad eas segetes, quas agricolæ minuta appellant, maxima fertilitas fuit, scilicet de panico, de milio, de milica, de saxiolis & de rapis. Vinum abundanter fuit; sed in multis locis tempestas vineas devastavit. Item eodem anno tempore æstivo facta & audita sunt horribilia & terribilia tonitrua, ut quasi visibilia, & palpabilia viderentur, ita ut multi timidi caderent, in hora vespertina, & sequenti nocte fuerunt similiter.

De Domino Lodoico Comite Veronæ Potestate Reginorum, & de Domino Barono Capitaneo Populi Reginorum de Sancto Miniato; & de Domino Petro fratre Regis Franciæ, & de Comite Artesio, & de aliis gestis, quæ fuerunt eodem tempore.

ET eodem Millesimo & anno Dominus Lodoicus Comes Sancti Bonifacii de Verona fuit Potestas Regii, scilicet à Kalendis Julii usque ad Kalendas Januarii. Et eodem tempore & anno Dominus Baronus de Sancto Miniato fuit Capitaneus Populi Reginorum à Kalendis Augusti usque ad Kalendas Februarii in illis VI. mensibus. Et in Festo Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis in Civitate Parmensi fuit facta nobilissima Curia, quæ duravit quasi per mensem; & facti sunt ibi duo milites de Casali illorum de Rubeis. Item eodem anno in Festo Beati Michaëlis, & Beati Francisci, in Civitate Ferrariensi facta est nobilissima Curia, quia filius Marchionis Estensis duxit Uxorem filiam Domini Gentilis filii Domini Bertoldi de Ursinis & fratris quondam Domini Nicolai Papæ Tertii de Civitate Romana, & factus fuit miles. Item eodem anno & tempore, anno Pontificatus II. Martini Papæ venit Dominus Petrus frater Regis Franciæ, & Comes Artesius cum maxima multitudine Gallicorum, & ibat in subsidium Karuli Regis Siciliæ patrui sui contra Regem Aragoniæ; & in Festo Sancti Hilarionis Abbatis, fecit in Civitate Regina tres milites, duos de Foliano, scilicet Dominos Bertolinum, & Simonem, & Rondanellam de Taculis; & statim recessit eadem die, quia festinabat ad succursum Domini Karuli dicti; sed priùs volebat videre Papam Martinum. Item sequenti die Dominico VIII. Kalendas Novembris facta est pax illorum de Strusis cum Visis, & Salustiis, in loco Fratrum Minorum de Regio. Item his diebus erat in Civitate Parmensi quidam pauper

Digitized by Google

per homo operans de opere cerdonico, faciebat enim futellares. Erat illiteratus, fed illuminatum valde intellectum habebat in tantum, ut intelligeret fcripturas illorum, qui de futuris prædixerunt, fcilicet Abbatis Joachim, Merlini, Methordii, & Sibillæ, Ifaiæ, Jeremiæ, Ofeæ, Danielis, & Apocalypfis, nec non & Michaëlis Scoti. Et multa audita fuerunt ab eo, quæ poftea evenerunt, videlicet quòd Papa Nicolaus in menfe Augufti mori debebat, & quòd Papa Martinus erat futurus, & multa alia, quæ expectamus videre, fi fuerit vita comes, nam

Ratio præteriti fcire futura facit.

Item eodem anno & tempore factum fuit, & muratum unum canaletum aquæ per mediam plateam Communis, & ducebatur ad cameras Palatii novi Capitanei Populi Reginorum, & conductum fuit per ftratam Regalem ante domos Dominorum de Lupicinis, & ductum fuit in canale de Cantono, qui vadit ad Sanctum Nazarium.

De Domino Rolando de Adegheriis Poteftate Regii, & de Domino Ubertino de Adelmariis Capitaneo Populi Reginorum; & de adventu filiæ dicti Domini Comitis, & de morte ipfius, & de mortalitate boum, & aliis geftis.

ANno Domini MCCLXXXIII. Indictione XI. Dominus Rolandus de Adegheriis de Parma fuit Poteftas Reginorum à Kalendis Januarii ufque ad Kalendas Julii, qui ftetit per VI. menfes. Et eodem anno de menfe Februarii in Kalendis Februarii Dominus Ubertinus de Adelmariis Civis Florentiæ fuit Capitaneus Populi Reginorum à Kalendis Februarii ufque ad Kalendas Augufti, & ftetit per VI. menfes. Eodem Millefimo & anno Dominus Lodoicus Comes Sancti Bonifacii de Verona, egreffus de Poteftaria Reginorum, habitavit in eadem Civitate juxta Ecclefiam Sancti Jacobi, & locum Fratrum Minorum, & juxta domos Dominorum de Novis in domo Domini Bernardi de Gipfo, & ibi eft turris. Et filius fuit dictus Comes quondam Domini Rizardi Comitis Sancti Bonifacii de Verona, qui fuit ftrenuus miles, & probus valde, qui vênit cum gente fua in fervitio, & adjutorio Parmenfium, & Civitatis, quando Imperator Fredericus Secundus erat in Victoria, & primus fuit, qui dedit fuccurfum dictæ Civitati. Revertamur ergo ad Hiftoriam Domini Lodovici filii quondam dicti Domini Rizardi Comitis Sancti Bonifacii de Verona. Et eodem anno vênit de Lendenaria ad eum in Civitate Reginorum, & filia fua, Domina Mabilia pulcherrima virgo, & fuit defponfata in eadem domo dicti Domini Bernardi, ubi habitabat dictus Comes, & eadem die, quo vênit ad patrem, à Domino Savino de la Turre de Mediolano, ditiffimo, & potentiffimo valde. Et ftatim poft defponfationem audivit Miffam de Beata Maria Virgine in loco Fratrum Minorum. Et fuerunt ibi præter Reginos, de Mutina, & de Parma milites multi, & flos Dominarum de Regio. Et ftatim iverunt ad comedendum, auditâ Miffâ, erat enim præparatio ciborum facta non modica in domo prædicta, & in loco Sancti Jacobi. Hæc facta funt in fupradicto Millefimo & anno in fexta Feria ante Dominicam Septuagefimæ XII. die intrante Februario. Et in fequenti die Sabbati fummo mane arripuerunt iter, & iverunt Parmam. Et ibi habitabat Sponfus cum Sponfa juxta Baptifterium. Item ille Comes uxorem habuit Theotonicam, de qua genuit filiam fupradictam, & tres filios, qui fuunt pulcherrimi pueri, curiales, & docti, quorum primogenitus appellatur Vincinguerra. Item eodem Millefimo & anno in Octava Pafchæ, quæ fuit in Fefto Sancti Marci Evangeliftæ, Comes fupradictus in fero Fefti Sancti Marci laborabat in extremis, & in morte fua, & in teftamento fuo omnes filios fuos commifit, & commendavit in manu Domini Marchionis Eftenfis; & ipfe curialiter fufcepit eos, & tractavit ut filios, cùm priùs Marchio Comitem non diligeret. Et reftituit prædictus Marchio filios dicti Comitis in Terra de Lendenaria. Et fequenti nocte poft Feftum Sancti Marci mortuus eft, præfentibus Fratribus Minoribus, cum quibus confeffus fuerat; & optimè ordinavit de anima fua. Et Cives Regini optimè & nobiliter curarunt de corpore fuo. Nam fecerunt expenfas funereas larga manu, tamquam homini Nobili, & qui fuerat eorum Poteftas, & qui erat extra poffeffiones fuas occafione Ecclefiafticæ partis. Et in fuis exequiis fuerunt omnes Religiofi de Regio, & multæ Religiofæ, nec non & tota Civitas Regina cum multis Forenfibus, & nobiliores de Regio fuerunt corporis portitores; & in loco Fratrum Minorum fuit fepultus; & indutum erat dictum corpus ejus de bono drappo de fcarleto cum pulchra pelle vara, & cum una capellina vara de fcarleto cum pulchro pallio; & ita ornatè indutus, ficut nobilis & potens Comes; & fepultus fuit fequenti die Lunæ poft Feftum Sancti Marci in pulchro Maufoleo, quod fecit fieri Commune Regii expenfis Communis. Et dictus Comes reliquit dextrarium & arma fua prædicto loco Fratrum Minorum. Eodem anno & Millefimo in Fefto Sancti Valentini mortuus eft Maza Tabernarius; & murata, & allongata, & completa fuit Ecclefia Sancti Blafii, & Sanctæ Crucis extra Civitatem juxta Portam Sanctæ Crucis, & deftructæ fuerunt cortinæ dictæ Ecclefiæ, & Altaria dictæ Ecclefiæ remota fuerunt de loco, ubi fuerant antiquo tempore; & conducta fuerunt in aliis locis, ubi meliùs ftant, & ubi placuerunt Parochianis, & fuperftantibus dicti laborerii dictæ Ecclefiæ, tempore Domini Fredaldi Sacerdotis dictæ Ecclefiæ. Et fuperftantes dicti laborerii fuerunt Dominus Albertus de Vinea, & Frater Gerardus, qui dicitur Pantegacius; & prædictum laborerium prædictæ Ecclefiæ incœptum & completum fuit eodem. Et eodem anno fuit maxima boum mortalitas per totam Lombardiam, Romagnolam, & Italiam.

De Domino Bernardo Lamfredo de Lucha Poteftate Reginorum; & de Domino Leucio Capitaneo Populi Reginorum de Prato.

ET eodem Millefimo & anno Dominus Bernardus Lamfredus Civis Civitatis Luchæ fuit Poteftas Reginorum à Kalendis Julii ufque ad Kalendas Januarii, & ftetit per VI. Et eodem anno Dominus Leucius de Prato fuit Capitaneus Populi Reginorum à Kalendis Augufti ufque ad Kalendas Februarii, & ftetit per VI. menfes. Et tempore dicti Poteftatis multa ho-

Digitized by Google

homicidia, & mala facta fuerunt in Civitate Reginorum, & in districtu; & in uno puteo, qui erat in Platea Communis ante gabellam, suffocatus, & mortuus fuit, & ibi sepultus est in dicto puteo quidam homo, qui vocabatur Daynesius, & ibi est suffocatus, & jacet, qui in dicto puteo intraverat ad disgomberandum, & remundandum; & cecidit puteus super eum; & hoc fuit in Vigilia Sancti Laurentii; & cooperta fuit, & facta super volta, quæ est inter Palatium novum Communis, & Palatium Capitanei Populi Reginorum.

De discordia Regis Karoli, & Petri Aragonensis super facto Regni Siciliæ, & de prœlio constituto inter eos, & aliis gestis.

ET eodem anno de mense Junii debebat esse prœlium inter Regem Karulum, & Petrum Regem Aragonum. Et hæc sunt gesta Karuli Regis Jerusalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, qui & almæ Urbis Senator, Princeps Achajæ, Andegaviæ, Provinciæ, Folchalcherii, & Torvodori Comes. Cùm Petrus Rex Aragonum Præpositum Massiliensem cum suis literis de credentia ad præfatum Regem Karulum destinasset causâ matrimonii contrahendi inter unum de liberis dicti Petri, & unam de filiabus filii prædicti Regis Karuli, non post multos dies à prædicto tractatu illius matrimonii, de quo magnam voluntas ipse Petrus habere dicebatur, secundùm quod dicebat ille Præpositus, & etiam in suis literis dicebatur, & alia multa verba amicabilia ex parte illius Petri dicta per dictum Præpositum ipsi Domino Regi Karulo, ipse Petrus Regnum Siciliæ sub specie pacis & parentelæ contrahendæ inter ipsum, & Regem Karulum abstulit fraudulenter. Et cùm idem Petrus Aragonum præparasset naves, ad navigandum per mare, Rex Francorum sibi misit solemnes Ambaxatores, & Nuncios speciales, dicentes, quòd ipse Petrus nullo modo deberet ire contra Regem Karulum, nec contra filium suum, nec intrare modo aliquo Regnum suum, quia si eidem Regi Karulo, vel heredi suo aliquam inferret injuriam, vel heredi suo, reputaret suæ personæ propriæ fore factam. Qui Petrus prædictis Ambaxatoribus curialiter & benignè respondit, quòd Domino Regi Karulo, vel heredi suo, in aliquibus injuriari minimè cupiebat; sed intendebat ire ultra mare contra perfidos Saracenos, & quidquid terræ posset aquirere, vel lucrari filio suo, qui haberet prædictam filiam filii Regis Karuli, traderet, & donaret. Requisivit insuper à Summo Pontifice decimas terræ suæ in subsidium itineris sui, quod volebat facere ultra mare contra Saracenos ad exaltationem & gloriam Fidei Christianæ. Et rogavit ipsum Summum Pontificem, quòd terram ipsius Petri in suam custodiam susciperet, & tutelam. Rex verò Karulus audiens, quòd idem Petrus tali deceptione Regnum Siciliæ intravisset, mandavit eidem Petro per literas & Nuncios speciales, quòd de terra sua recederet, & eam nullo modo impediret. Qui Petrus confidens de fortitudine sua, & Siculorum gente, de dicto Regno Siciliæ dixit se nullatenus exiturum, quamdiu posset dictam terram sub suo dominio retinere. Quo audito, idem Rex Karulus tunc temporis existens in Apulia innumerabilem gentem tam equitum, quàm peditum congregavit, & per mare contra eum cœpit cum immenso navigio proficisci. Sapientes verò milites utriusque partis, scilicet Regis Karuli, & Petri Aragonum, nolentes, quòd tam magna multitudo gentium deperiret, inter ipsos bellum in hunc modum fieri statuerunt. Videlicet quòd electi sunt ex utraque parte VI. probi milites, & discreti, qui ordinent, & disponant, in quo loco, quo modo, qua forma, quando, & qualiter fieri debeat bellum istud. Qui omnes concorditer ordinaverunt, & statuerunt pro meliori, quòd bellum istud fieri debeat in Civitate Burdegalensi sita in Guasconia, sub potestate, & dominio Regis Angliæ. Et dicti milites inviolabiliter firmaverunt, quòd uterque, Rex Karulus, & Petrus Aragonum, centum ex suis militibus, quos voluerunt eligere meliores, & iidem Reges personaliter cum prædictis ducentis militibus prima die Junii esse debeant in loco prædicto in MCCLXXXIII. Indictione XI. & in eodem loco, & Civitate, fieri debeat quidam campus clausus undique, ita quòd nullus intrare valeat, vel exire, & per ipsum Dominum Regem Angliæ utriusque partis amicum debeat fideliter custodiri, quòd nullus præter dictos Reges, & ducentos milites, possit eques, vel pedes intrare. Quæ omnia dicti Reges Karulus & Petrus juraverunt ad Sancta Dei Evangelia firmiter observare, & in præfixo termino ad prædictum locum absque impedimento corporis cum prædictis ducentum militibus penitus se ituros, & contra se ipsos corporaliter pugnaturos. Item juraverunt ad Sancta Dei Evangelia, quòd ille, qui non esset in loco prædicto in termino ejus superiùs constituto, non Rex, sed falsus, & proditor infidelis appellari debeat toto tempore vitæ suæ, nec umquam de cetero honorem aliquem in hoc Mundo consequi, & habere possit, sed se falsarium, proditorem, & infidelem debeat appellare. Et si ab aliquo interrogatus fuerit, nemini neget, sed unicuique, omnibus, & singulis fateatur publicè. Serenissimus verò Rex Karulus, & Illustris Sacrosanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ, & Fidei Christianæ clypeus, secundùm pacta, & conventiones superiùs prælibatas, in præfixo termino coram Domino Johanne de Grilli milite, & Senescalco Illustris Regis Angliæ, & aliis quampluribus Justitiariis, & Officialibus dicti Regis Angliæ locum ipsius in Guasconia, & specialiter in Civitate Burdegalensi tenentibus, in dicta Civitate cum suis centum militibus ad prædictum bellum faciendum se corporaliter præsentavit, eodem die, termino statuto, ipsum Petrum è mane usque ad vesperas expectando. Qui Petrus, licèt à pluribus fide dignis visus fuisset sanus corpore ante dictam diem primam Junii, & ita Civitatis prædictæ propinquus, quòd se, si vellet, in Civitate prædicta, & in die prædicto poterat præsentare, non tamen vênit, nec comparuit, nec ipse, nec aliquis pro eo se aliquatenus excusavit.

Cùm verò dictus Petrus Aragonum propter rationes, & jura superiùs allegata ab omni honore Regio spoliari debeat, & privari, & semper in ignominia ducere vitam suam: Dominus Legatus de mandato Summi Pontificis dedit Regnum Aragonum Illustri Regi Franciæ pro filio suo; & ipse Rex Franciæ illud recepit, & misit gentem suam ad invadendum Re-

Regnum prædictum ex partibus Navarræ. Et ordinavit facere statim in Catalognia exercitum generalem. Dominus Rex Karolus vadit in Franciam, & debet esse ad parlamentum cum Domino Rege Alamanniæ. Rex Franciæ, & Rex Angliæ mittunt gentem suam in subsidio Regis Castellæ contra filios suos, in quo succursu vênit Boysses Rex Muroæ cum decem millibus militum, & jam multas Terras recuperavit; & facta est concordia, quòd Nepotes Regis Franciæ debent habere Regnum post mortem ipsius Regis Castellæ. Rex Portigalii, & Algarbii, scripsit Regi Franciæ, & Regi Angliæ, & misit Nuncios speciales, dicendo, quòd dolet de fatuitate Domini Petri Cognati, & quòd paratus est facere quidquid volunt. Rex Angliæ subtraxit filiam suam, quam dare debebat filio Domini Petri prædicti. Et Rex Majoricæ misit solemnes Ambaxatores, & literas dicendo, quòd negotiis Fratris sui non vult se intromittere, & quòd pro firmo creditur, quòd pacta secreta sint inter ipsum, & Regem Franciæ. Datum Moysaci XXVII. mensis Junii XI. Indictione.

De Domino Barnaboë de Pallastrellis de Placentia Potestate Reginorum; & de Domino Leucio de Ugonibus Capitaneo Populi Reginorum, & de gestis, quæ fecit, & fuerunt suo tempore, & de captione Principis filii Regis Karuli, & aliis gestis.

ANno Domini MCCLXXXIV. Indictione XII. Dominus Barnabas de Pallastrellis de Placentia fuit Potestas Reginorum à Kalendis Januarii, & stetit per VI. menses usque ad Kalendas Julii. Et eodem anno Dominus Johannes de Ugonibus de Pistorio fuit Capitaneus Populi Reginorum, & stetit per VI. menses à Kalendis Februarii usque ad Kalendas Augusti. Et dictus Potestas destruxit multos malefactores, & robatores suo tempore occidi fecit in suo regimine. Et eodem Millesimo, anno, & eadem Indictione, die Lunæ quinto Junii, cùm Princeps filius Domini Regis Karoli esset prope Neapolim per medium milliare, vênit Amiragius Siciliæ cum multis galêis, & aliis navibus sequentibus ipsum Amiragium, & prædictum Dominum Principem requiri fecit, ut exiret cum eo navali prœlio tentaturus. Qui Dominus Princeps tamquam vir fortis, strenuus, magnanimus, & bellicosus, & de probitate sua nimis confidens, cum suis, & gente sua sinè consilio, consensu, & contra voluntatem Domini Gerardi Albi Cardinalis, nec non & Apostolicæ Sedis Legati natione Parmensis, improvidè, & inconsultè subitò exivit, & contra prædictum Amiragium, & galêas suas viriliter insultavit. Decem & octo galêæ de illis dicti Principis se viliter & turpiter habuerunt, dictum Principem in prœlio totaliter relinquentes; & ut breviter loquamur, dictus Dominus Princeps ferè cum tota gente sua, & maximè cum infrascriptis Principibus, scilicet Domino Jacobo de Bresione Amiragio, & Comite de la Cerra, & Domino Rodulfo suo fratre, & Domino Raynaldo Gallardi, & Domino Frendardo, & multis aliis Principibus, & Baronibus, & cum quatuor galêis de Neapoli, & duabus de Gaëta, & una de Salerno, & cum una de Schia, & una de Vico, quæ omnes cum dicto Principe, & dictis Baronibus fuerunt viriliter prœliatæ, captus est, & cum prædictis omnibus ab inimicis ejus perfidè carceratus. Duravit tamen dictum prœlium à mane usque ad Nonam; & dictus Princeps cum illis paucis, qui secuti fuerunt eum, fortissimè ac viriliter diu pugnavit, licèt propter multitudinem inimicorum fortunam belli nequiverit tolerare. Post dicti Principis captionem robaria, & præda, & interfectio ab hominibus Civitatis Neapolitanæ tam à Civibus, quàm intrinsecis in Francigenas, & gentem Principis maxima facta fuit, quæ duobus diebus integris, & eo ampliùs dicitur durasse. Siciliani autem, & omnes faventes Petro Aragonum, incontinenti de ipsorum victoria plurimùm exultantes, Nuncios, & Legatos ad quoddam Castrum ex parte Principis direxerunt, ubi quædam filia quondam Domini Regis Manfredi sub custodia tenebatur, ut dicta filia sinè ullo remedio laxaretur, quæ statim fuit antedictis Legatis, & Nunciis restituta.

Die Jovis VII. Junii Dominus Rex Karolus, cujus longævam vitam Dominus noster Jesus Christus prorogare dignetur, cum triginta septem galêis optimè præparatis pervênit Neapolim, ubi cum ingenti gloria, & triumpho ab omnibus est receptus. Et cùm Dominus Karolus esset Gaëtæ, & audiens quòd Princeps ejus filius captus fuisset, in nullo in exteriori habitu est turbatus, capturam filii quasi pro nihilo extimando, dicens: *Qui stultum, seu follum, amittit, se nihil extimat amisisse*. Idem verò Rex Dominus Karolus justus & rectus Dominus per totam terram Neapolis fieri fecit edictum, ut omnes, qui prædati fuerant, seu alios spoliaverant, in integrum sub magna pœna restituant aliena, & quòd aliquis Francigena alicui Neapolitano, sive alii, violentiam aliquam, sive læsionem inferre, modo aliquo non præsumat.

De Gestis & factis Tartarorum de ultramarinis partibus.

ET eodem anno MCCLXXXIV. dicunt veridici relatores, qui de ultramarinis partibus venerunt, scilicet Fratres Minores, & Prædicatores, inter Tartaros, & Saracenos, fore factam maximam novitatem. Ajunt enim, quòd filius Regis Tartarorum defuncti surrexit in prœlium contra patruum, qui regnabat, & adhæserat Saracenis, & occidit eum, & Saracenorum multitudinem nimiam interfecit. Insuper mandavit Soldano Babiloniæ, ut fugiat in Ægyptum; alioquin occîdet eum, si eum ceperit, cùm venerit ad partes suas, ad quas intendit festinanter venire. Proponit enim, ut dicitur, esse in Sabbato Sancto in Jerusalem; & si viderit ignem descendentem de Cœlo, ut asserunt Christiani, promittit se occisurum omnes Agarenos, quos poterit invenire. Nam cùm iret ad prœlium jam præfatum cum Georgianis, & ceteris Christianis, quibus adhæsit, fecit fieri monetam, & ex una parte Sepulchrum, & ex alia hæc verba; *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Fecit etiam vexilla, & arma, Crucis signaculo insigniri, & in Crucifixi nomine de Saracenis, & Tartaris sibi contrariis duplicem stragem fecit. Hoc autem audientes Soldanus Babiloniæ, & Agareni sibi subjecti, qui festinabant in adjutorium Tartarorum, recesserunt velociter fugiendo, ne & ipsi malè perirent cum inimicantibus Christianis.

De

Digitized by Google

De Domino Thobia de Rangonibus de Mutina Potestate Reginorum; & de Domino Rubeo quondam Domini Stephani de Civitate Castelli Capitaneo Populi Reginorum; & de guerra, & discordia Mutinensium, & aliis gestis, quæ fuerunt eodem tempore, & de guerra, & destructione, & captione, & mortalitate Pisanorum, & Januensium.

A ET eodem anno post Sanctum Petrum electus fuit in Potestaria Reginorum à Kalendis Julii Dominus Tobias de Rangonibus de Mutina Potestas Reginorum, & stetit in suo Regimine per duos menses parum plus, vel minus; & postea dederunt ei salarium suum, & licentiaverunt eum, ut iret Mutinam Civitatem suam propter guerram, discordiam, quæ in dicta Civitate erat. Et eodem anno de mense Augusti Dominus Rubeus quondam Domini Stephani Civis Civitatis Castelli fuit Capitaneus Populi Reginorum, & stetit per VI. menses à Kalendis Augusti usque in Kalendis Februarii. Et tunc elegerunt Regini dictum Dominum Rubeum Capitaneum, & Potestatem Reginorum, & amplificaverunt sibi salarium, eo quia esset homo sapiens, & bonæ fidei; & tenuit utrumque dominium Capitanariæ, & Potestariæ Civitatis Reginorum bene fideliter, & legaliter usque ad finem sui Regiminis. Et tempore ipsius, vacante sede Episcopali, facti fuerunt quatuor Procuratores de Populo, qui deberent colligere, & servare bona Episcopatus; & propter potentiam Communis Procuratores Capituli sublati fuerunt. Et in Civitate Mutinæ orta erat maxima divisio, & litigium, & magna guerra inter Magnates, ac Potentes ejusdem Civitatis, qua de causa quædam homicidia extiterunt in dicta Terra, quæ malitiosè, & turpiter, & disconvenienter facta fuerunt in dicta Civitate, de quibus nulla fuerat punitio, vel justitia observata. Et habitaverunt extra Civitatem illi de Rosa, sive de Saxolo, & illi de Savignano, & Graxones cum suis amicis tam popularibus, quàm militibus. Et possidebant Saxolum, & Savignanum, & Montem Baranzonem, & breviter loca à strata superius occupabant. Et fortificaverunt Saxolum includendo omnes domos Terræ illius, & faciendo foveas circum circa. Et discurrebant per Episcopatum Mutinensem, destruendo, comburendo, & deprædando, eo quòd illi de Civitate nollent eos in Civitate recipere. Et miserunt Parmensibus, dicendo, quòd acciperent claves Castrorum suorum, & omnium fortitudinum, quas habebant, ut essent domini sui. Illi verò de Civitate Mutinæ licentiaverunt Potestatem, quem habebant Dominum Barnaboëm de Pallastrellis de Placentia, dando ei salarium suum, & fecerunt Potestatem quemdam hominem Pistoriensem, & diruerunt domos, & Palatia partis exterioris. Venientes Ambaxatores Parmenses ad Civitatem Mutinæ, volentes eos ad pacem reducere, dum irent per Civitatem rogando eos, ut facerent ea, quæ ad pacem pertinebant, stabant Mutinenses armati per contratas ante ostia domorum suarum, & nolebant dictos Ambaxatores audire, neque obedire de bono statu suo, nec in aliquo obedire, nec consentire de pace facienda. Causa destructionis Civitatis Mutinæ fuerat ista: Guerra, quæ erat inter Boschetos, & illos de Savignano, & majores, qui erant in Civitate Mutinæ, & Capitanei fuerunt, & sunt Rangones, & Boscheti, & Guidones. Et in principio quando guerra ista inchoata est, fecerunt Mutinenses intrinseci magnum apparatum armorum, & omnium rerum victualium, quæ ad pugnandum necessaria erant, & oneraverunt plaustra victualibus, balistis, & armis, & duxerunt exercitum copiosum contra Mutinenses exteriores, credentes eos delere, & vincere. Et venerunt versùs Saxolum cum omni isto apparatu, & cæperunt pugnare cum hominibus de Saxolo. Cùm autem Dominus Manfredinus de Saxolo audivisset, quia suis inferebant bellum, & quòd cum

B hostibus viriliter dimicabant, auxilium expectando, provocatus animo, dixit his, qui ex parte sua erant: *Si quis est meus amicus, jungatur mihi, & modò ostendat, & pugnemus viriliter hodie pro animabus nostris, & amicorum nostrorum*. Secuti sunt eum omnes à parvo usque ad maximum, qui apti erant ad prœlium, exceptis custodibus Savignani, & irruerunt viriliter, & acriter super Mutinenses interiores, & percusserunt eos, & interfecerunt in ore gladii, & multos ceperunt, & abstulerunt eis omnia victualia, & arma bellica. Sed & ipsi, cùm vidissent insultum, & audaciam inimicorum, & Concivium suorum, conversi

C sunt in fugam, projicientes arma bellica, & vestes, & omnia, quæ habebant, animas suas salvare cupientes. Tunc Parmenses audientes hæc omnia, miserunt Reginis solemnes Ambaxatores in Civitate Reginorum, qui rogabant Reginos ex parte Communis Parmæ, ne stultizarent, sicut stultizaverunt Mutinenses, & ne vellent Civitatem suam destruere; & fuerunt Regii diebus non paucis. Quibus responderunt, dicentes: quòd de Parma Civitate sua curam haberent, & solicitudinem custodiendi eam, quia bene custodirent Regium Civitatem suam, ne destrueretur. Videntes itaque Regini, & cognoscentes, quòd non curialiter responderant Parmensibus in

D Ambaxatoribus suis, pœnitentia ducti, nec non coacti necessitate, elegerunt Ambaxatores, & miserunt eos Parmam, & obtinuerunt à Parmensibus quidquid petere voluerunt; & fecerunt eos jurare per animam suam, quòd observarent omnia, quæ petebant, quæ sunt hæc: Videlicet, *si aliqua pars de Regio expelleret aliam, semper juvarent partem injustè expulsam*; & multa alia, quæ ad pacem conservandam efficaciter pertinebant. Reversi sunt itaque Ambaxatores Regini, & custodiebant se, & Civitatem suam. His diebus istæ Civitates magno fœdere amicitiæ, & amoris vinculo copulatæ erant, atque conjunctæ, scilicet Placentia, Parma, Cremona, Regium,

E Mutina, Bononia, Ferraria, Brixia; nam omnes erant ex parte Ecclesiæ: Mantua verò contrariæ partis erat propter Dominum Pinamontem, qui dominabatur in ea.

Supradictæ Civitates audientes omne malum, quod Mutinensibus accidisset, elegerunt ex se ipsis solemnes Ambaxatores, quos miserunt Regium, ut ibi facerent parlamentum, ad hoc ipsum, ut Civitatem Mutinam ad pacem reducerent, si aliquo modo possent; & nullo modo potuerunt, cùm multis diebus super eos laborassent. Tamdem Ambaxatores hoc decreverunt, & ordinaverunt, & statuerunt, ut nulli parti consilium darent, nec suc-

cur-

Digitized by Google

A cursum, nec adjutorium, nec favorem, tum quia noluerunt eis consentire pro bono suo, & pace habenda, tum etiam quia non poterant offendere aliquam partem ex Mutinensibus, quin offenderent suos, eo quia omnes de Ecclesiastica parte fuissent, tum etiam ut removerent spem à Regio, & aliis Civitatibus suæ partis, non habendi adjutorium ab eis, si similiter stultizarent. Sic Mutinenses videntes se derelictos in manu consilii sui ab omnibus suis amicis, in quibus habebant fiduciam, miserunt Florentiam, & ad alias Thusciæ Civitates, ut conducant Soldaërios ad congregandum exercitum opportunum, & una pars aliam dissipet, & confundat. Talia sunt hodie in Octava Nativitatis Beatæ Virginis. Finis ignoratur istorum.. Verumtamen, si fuerit vita comes, finem videre poterimus. Et eodem anno Pisani, & Januenses bello marino tribus vicibus mutuò sunt congressi. Semel MCCLXXXII. & bis MCCLXXXIV. Et in primis duobus conflictibus inter mortuos & captivos computantur VI. millia Pisanorum, inter quos Comes Facius ductus fuit ad Carcerem Januensium, & etiam multi alii digni relatu. Et dum adhuc inter ipsos in mari pugna valida ageretur intravit quidam Januensis quamdam navem Pisanam, & multis laminis argenteis oneravit se ipsum, & cùm esset ferro armatus, & laminis oneratus, & navem suam denuo vellet ascendere, attingere non potuit, immo cecidit, & descendit in profundum quasi lapis cum argento, & ferro, & fortè cum sceleribus multis. Et hoc dixit quidam Lector Ravennæ, qui Frater Minor erat, & de Civitate Januæ, & noviter veniebat. Et nota mirabile, atque considera, quia eodem tempore, & mense, & die, & loco capti sunt Pisani à Januensibus, quo ceperant ipsi Prælatos tempore bonæ memoriæ Gregorii Papæ Noni.

Item eodem anno MCCLXXXIV. videntes Pisani omne malum, quod eis à Januensibus erat inflictum, volentes suam injuriam vindicare, multas naves, & galêas, & vasa marina fabricaverunt in flumine Arni, & instructo navigio ordinaverunt, & statuerunt, quòd nullus à viginti annis supra, & à sexaginta infra, remaneret, qui non iret ad pugnam. Et discurrebant per totam marinam Januensem, destruendo, comburendo, occidendo, capiendo, & deprædando. Et discurrerunt per totam contratam illam, qua itur Januâ in Provinciam, transeundo omnes maritimas Civitates, scilicet Nolam, Albenganam, Savonam, Vinctimilium, volentes Januenses invenire, ut cum eis pugnam committerent. Januenses verò ordinaverunt, ut nullus ex suis domi remaneret à decem & octo annis, & supra, & à LXX. infra, sed cum suis Civibus iret ad bellum; & sic discurrebant per mare cupientes invenire Pisanos.

Tamdem repererunt se inter caput Corsicæ, & Gorgonum, & ligaverunt naves simul, secundùm modum illorum, qui pugnant in mari. Et ibi tanta cæde ab utraque pugnatum est, ut etiam Cœlum videretur compati, & plorare. Et multi ex utraque parte sunt interfecti, & plures naves submersæ. Cùmque jam Pisani victores existerent, supervenerunt alii Januenses cum multis galêis, & irruerunt super Pisanos jam fessos; & nihilominus ab utrisque acriter est pugnatum. Tamdem Pisani, dum se inferiores esse conspicerent, se Januensibus tradiderunt. Qui vulneratos occiderunt, alios ad carcerem servaverunt. Et qui meliùs habuit, gloriari non potest, quando utrisque fuit adversa fortuna. Et tantus fletus, & ploratus fuit in Janua, & in Pisis, quantus numquam in illis duabus Civitatibus fuit auditus à die conditionis earum usque ad dies nostros. Quis enim sinè tristitia, & magno fletu referre potest, vel etiam cogitare qualiter illæ duo nobiles Civitates, ex quibus nobis Italicis omnium Doctorum copia veniebat, mutuò sunt destructæ, ex ambitione tantùm, & pompa, & vana gloria, qua una aliam superare volebant, quasi mare navigantibus non sufficeret? Inde consuevit dici:

B *Injuriam latam sibi numquam vindicat aptè,*
Qui ruit in pejus, quo decoratur apertè.

Facta sunt hæc à XIII. die mensis Augusti in Dominica die in Festo Sanctorum Martyrum Hippolyti, & Cassiani. Numerum captivorum & interfectorum ex utraque Civitate scribere nolui, quia diversimodè referebatur. Verumtamen Archiepiscopus Pisanus Episcopo Bononiensi, cujus frater germanus est, certum numerum in suis literis designavit, quem similiter scribere nolui, quòd expectarem Fratres Minores de Janua, & de Pisis, qui mihi certum numerum meliùs declararent. Et nota, quòd ista pugna & strages, quæ facta est inter Januenses, & Pisanos, prænosticata fuit, &
C demonstrata, antequam fieret, diu; nam in Villa Sancti Rufini in Episcopatu Parmensi mulieres, quæ de nocte linum purgabant, viderunt duas magnas stellas mutuò prœliantes; & retrahebant se mutuis vicibus, & iterum atque iterum mutuis congressibus dimicabant. Item in Millesimo suprapposito, post bellum, quod Pisani cum Januensibus habuerunt, multæ mulieres Pisanæ pulchræ Dominæ, & nobiles, divites, & potentes, congregatæ simul, aliquando XXX. aliquando XL. de Pisis Januam pedestres ibant, ut suos captivos requirerent, & visitarent; nam aliqua habebat ibi virum, aliqua filium, vel fratrem, vel consanguineum, quos non dedit Deus in conspe-
D ctu omnium, qui ceperunt eos. Cùmque à custodibus carcerum supradictæ mulieres suos captivos requirerent, respondebant eis custodes: *heu mortui sunt XXX. & hodie XL. quos in mare projicimus; & sic quotidie facimus de Pisanis*. Cùm autem Dominæ de caris suis talia audirent, & eos invenire non possent, præ nimia angustia consternatæ cadebant, & præ nimia anxietate, & cordis dolore vix poterant respirare. Post paululum verò resumto anhelitu, cum unguibus facies suas dilacerabant, & disternebant crines, & elevata voce ejulatu magno plorabant, donec intro lachrymæ defecissent. Nam inedia, & fame, & penuria,
E & miseria, & angustia, & tristitia Pisani in carceribus moriebantur, quia dominati sunt eorum, qui oderunt eos, & tribulaverunt eos inimici eorum, & humiliati sunt sub manibus eorum, nec digni habiti sunt sepulchris patrum suorum, sed privati sunt sepulturis. Cùm autem prædictæ mulieres Pisanæ domi fuissent reversæ, inveniebant illos mortuos, quos dimiserant in domibus sospites. Gladius enim furoris dominici interfecit Pisanos, quia rebellaverunt contra Ecclesiam longo tempore, & quia in mari ceperant Prælatos, qui ad Concilium veniebant, vocati à bonæ memoriæ Gregorio Papa Nono. Porrò inter Florentinos, & Pi-

Pisanos, idcirco odium habebatur, quia quando Florentini Pisas veniebant pro mercimoniis emendis, nimis in accipiendo passagium à Pisanis in portarum exitibus gravabantur. Audientes ergo Florentini, & Lucenses, qui magno vinculo amicitiæ, fœderati sunt simul, omne malum, quod à Januensibus Pisanis erat illatum, & cognoscentes, quòd Christus eos juvat, ordinaverunt exercitum contra Pisanos Millesimo suprapósito in mense Decembris, & parum ante Nativitatem Christi, cum quibus venire debebant Parmenses, & illi de Prato, & Corneto. Illi de Corneto, ut residuos involverent, & funditus, si possent, destruerent, atque de terra delerent.

Cùm Pisani taliter plorassent, impleta est scriptura, quæ dicit: *necesse est divinum adesse auxilium, ubi cessat humanum*. Nam incidit Pisanis consilium bonum, ut claves portarum Civitatis Pisanæ mitterent ad Papam Martinum, ut eos defenderet ab inimicis. Qui suscepit eos gratanter, & compescuit insurgentes. Sic audivimus, sic scripsimus. Talia sunt hodie. Finis ignoratur istorum. Illi, qui superant, poterunt videre futura. Totus Mundus in perturbatione est, & positus in maligno. In fine sumus Millesimi ducentesimi octuagesimi quarti Anni.

Item Millesimo suprapósito insonuerunt rumores, quòd Fredericus Secundus, qui quondam fuerat Imperator, in Alamannia viveret, quem sequebatur Theotonicorum maxima multitudo, quibus larga manu faciebat expensas. Et adeò invaluerunt, & divulgati fuerunt isti rumores, quòd plures Civitates Lombardiæ miserunt speciales Nuncios ad videndum, & cognoscendum, utrum ita esset, nec ne. Etiam Marchio Estensis misit Nuncium specialem. Aliqui etiam Joachitæ aliquam adhibebant fidem, quòd possibile esset, pro eo quòd Sibilla dicit: *Oculos ejus morte claudet abscondita, scilicet Gallicana gallina, supervivetque, & sonabit in populis. Vivit, & non vivit, uno ex pullis, pullisque pullorum superstite*. Merlinus etiam de eo dicit: *Bis quinquagenarius lene tractabitur*: quod exponebant Joachitæ hoc modo: Bis quinquaginta faciunt centum; quasi volentes, quòd centum esset annorum. Sed nihil fuit; processu enim temporis repertum est, quòd quidam Baratator, & Trufator erat, qui talia simulabat ad lucrum; & sic tam ipse, quàm sui sequaces ad nihilum sunt redacti.

Item eodem anno, & eodem Millesimo Mutinenses intrinseci, qui Civitatem Mutinæ tenent, cum Mutinensibus extrinsecis, qui habitant in Saxolo, apud Montale XII. die exeunte mense Septembris, in die Martis ante Temporalia, iterum sunt congressi, & pugnatum est ab utrisque; & facta est magna strages. Verumtamen Mutinenses, qui habitant in Saxolo, sicut in primo conflictu, qui fuit die Lunæ in initio guerræ, sic & in isto, qui fuit die Martis apud Montale, semper superiores, & victores fuerunt: Et in istis duobus conflictibus inter mortuos, & captivos fuerunt bene quingenti, qui ceciderunt in bello, & in ore gladii, qui sunt prostrati; aliqui verò in compedibus ad carceres sunt perducti, & ibidem detenti. Parmenses verò audientes omne malum, quod Mutinensibus accidisset, miserunt Ambaxatores ad eos duodecim, volentes eos ad invicem concordare; sed in vanum laboraverunt, quia non crediderunt eis, nec audierunt eos.

Item eodem anno, & Millesimo Parmenses faciebant venire pro se multa plaustra salis de Cervia, sive de Romagnola. Et irruerunt Mutinenses intrinseci super bubulcos apud Bazanum, & abstulerunt eis plaustra, & salem, & boves in odium Parmensium, quia videbantur favere Mutinensibus extrinsecis, quòd antequam inter eos, & concives suos, inchoaretur guerra, & destructio Civitatis eorum, poterant similiter facere, quòd omnia mala cessassent, quæ venerant postea super eos. Et hoc attribuebant maximè Domino Matthæo de Corrigia, & Domino Guidoni fratri suo, qui in regimine suo cesserunt Domino Jacobo de Benzola, qui obiit ante terminum Potestariæ suæ completum. Item quia Parmenses vitabant stratam publicam, & usitatam, in qua passagium solvebatur. Item in odium illorum de Saxolo, qui permiserant Parmensibus transire eos per viam superiorem sinè solutione passagii: quod quidem fecissent si nuncius ivisset ad eos, quando bubulci cum Sale ad Castrum Bazani pervenerunt, sed ex quadam stoliditate eundo ad inimicos, & dimittendo amicos, Mutinam Civitatem intravit. Tunc Parmenses ex hoc indignati sunt, & miserunt Mutinensibus, ita dicendo: *Noveritis, quòd magnam rusticitatem fecistis exasperando Parmenses amicos viros antiquos; insuper magnam fecistis stultitiam acquirendo vobis inimicos gratis, lædendo, & provocando Parmenses; quia bene sufficiebat vobis guerram habere cum Concivibus vestris, qui habitant in Saxolo. Quapropter mandamus vobis dicendo, quòd significetis nobis, utrum de damno, & injuria nobis illata, facere vultis emendam, & satisfactionem, nec ne, quia tam carum & gratum habebimus, si dixeritis sic, quàm si contrarium dicere volueritis. Eligatis ergo, quod dicere magis placet*. Qui contemserunt eos audire, & etiam exaudire. Quod audientes illi de Saxolo, gavisi sunt, non de injuria illata Parmensibus, sed quia contra inimicos suos adjutores sperabant habere Parmenses. Audientes etiam Bononienses, Parmensibus miserunt dicendo, quòd in eorum servitium ex una parte Mutinam expugnare volebant; & ipsi eam expugnarent ex altera, veteri etiam moti odio, quod contra Mutinenses habebant, & quia multos bubulcos de suis habuerant, in conductu Parmensium, quos læserant Mutinenses. Parmenses verò Bononiensibus non aquieverunt, ut de Mutinensibus ultionem expeterent, tum quia instabat Christi Nativitas celebranda, tum etiam quia veteris amicitiæ recordabantur, quam cum Mutinensibus habuerant quondam. Parmenses itaque octingentas libras Imperiales tempore illo dederunt bubulcis pro recompensatione plaustrorum suorum, & boum. Damnum verò salis æquanimiter portaverunt.

De Marchione Montis-Ferrati.

Eodem anno & Millesimo Guilielmus Marchio Montis-Ferrati maritavit filiam suam, & dedit eam filio Palialogi defuncti, qui in Constantinopolitana Urbe habet dominium super Græcos, & dedit ei in dotem pro filia sua Regnum Thessalonicæ, quod Regnum Casale Marchionum Montis-Ferrati habuit à diebus antiquis, scilicet tempore magni Imperatoris Fre-

Digitized by Google

Frederici Primi, quando Manuhel Imperator Constantinopolitanus misit ad Marchionem Montis-Ferrati, ut mitteret ad eum unum de filiis suis, quia volebat ei dare filiam suam uxorem. Et factum est ita. Et dedit ei Kyra Mariam filiam suam, & Regnum Thessalonicæ. Et ex illo tempore factum est Regnum illud Marchionum Montis-Ferrati. Cùm ergo Marchio, de quo dictum est supra, propter Græcorum dominium de Regno Thessalonicæ nullam utilitatem haberet, dedit illud in dotem filiæ suæ, quam Palialogi filio maritavit anno Domini MCCLXXIV. Filius verò Palialogi multa millia Byzantiorum Socero suo dedit; insuper promisit, quòd pro Socero suo toto tempore vitæ suæ teneret in Lombardia suis expensis quingentos stipendiarios milites ad faciendum guerram. Marchio verò tali adjutorio fretus, ivit, & cepit Civitatem Terdonæ, & multos homines occidit, & multos incarceravit tam de Civibus, quàm de militibus stipendiariis, qui venerant aliunde. Episcopus verò de Civitate illa fuerat oriundus. Cui Marchio dixit: *Dicatis mihi, Domine Episcope. Sunt isti Terdonenses servi vestri, & sub vestro dominio?* Cui respondit Episcopus: *Non Domine*; Cui Marchio dixit: *quare ergo displicet vobis, si volunt se tradere mihi?* Cui Episcopus: *Quia positus sum super Populum Civitatis istius, Pastor, Rector, & Custos; & vos contra partem Ecclesiæ dimicatis*. Cui Marchio dixit: *Domine Episcope, si volueritis esse meus amicus, ego ero vester: alioquin furorem meum super vos effundam. Mittam ergo exercitum cum tribus Capitaneis ad Castra vestra, & vos ibitis cum eis; & taliter cum Custodibus faciatis, quòd Castrorum dominium mihi tradant*. Cui Episcopus dixit: *Domine, fideliter laborabo, ut Castra vobis tradant*. Cùmque pervenissent ad Castra, Episcopus vocavit Custodes, & rogavit eos diligenter, quòd traderent Castra sub dominio Marchionis. Responderunt autem Episcopo Custodes Castrorum, audientibus Capitaneis, quasi uno ore dicentes: *Domine Episcope, notum sit vobis, quòd Castra, quæ ad honorem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ custodimus, non dabimus in manus illorum, qui partem Ecclesiasticam impugnare non cessant, nec etiam vobis ipsis, qui diu in vestro dominio non fueritis*. Simili modo responderunt omnes Custodes Castrorum, ad quos dicebat Episcopus. Quod Capitanei audientes, ad Marchionem Episcopum reducebant; cùmque essent in media via, dimisso Episcopo, in aliqua parte viæ mutuò loquebantur, qualiter Episcopum interficerent. Quod Episcopus ex conjectura cognoscens, dixit eis: *Ecce ego in manibus vestris sum. Facite mihi, ut bonum & rectum est in oculis vestris. Verumtamen scitote, & cognoscite, quòd si occideritis me, sanguinem innocentem tradetis contra vosmet ipsos, & contra Civitatem istam, & habitatores ejus*. Et addidit Episcopus, dicens uni ex Capitaneis, qui erat consanguineus ejus: *Noveris, quòd aliquando fuisti sub dominio meo, & poteram tibi mala inferre; sed pepercit oculus meus*. Quod audiens iste insanus, statim cum cultro suo, sive cum darda, percussit Episcopum, & perforavit corpus ejus dicens: *De cetero sub dominio vestro non ero*. Secundus verò Capitaneus cerebrum percussit Episcopi, graviter cum ense perforans, & vulnerans caput ejus. Tertius verò Capitaneus super humerum cum ense Episcopum graviter vulneravit. Et sic Episcopus cecidit, & mortuus est gladio impiorum occisus. Audiens autem Marchio, quòd mortuus esset Episcopus, misit, & tulit corpus ejus, & congregans omnes Religiosos, & Clericos, qui in Civitate Tortonæ erant, fecit ipsum honorificè sepeliri; & ipsemet causâ honoris erga Episcopum feretri fuit portator, volens etiam ostendere, quòd non actum esset ab eo, quòd Episcopus fuerit interfectus. Custodes verò Castrorum Episcopi cum omni diligentia custodierunt ea, nec dominium aliquod in eis Marchioni dederunt. Qui habitabat in Terdona, & congregabat exercitum volens tempore opportuno cum Mediolanensibus dimicare. Quod audientes milites stipendiarii, qui in Saxolo erant, ad Marchionem iverunt.

De fulgure, & tonitruo, qui fuit in Venetiis, & Cluza.

Item eodem Millesimo & anno. In Festo Sancti Thomæ Apostoli in V. Feria, & sequenti nocte in VI. Feria circa horam matutinalem, factæ sunt coruscationes, & audita sunt tonitrua magna, quod erat insolitum, ut tali tempore tonitrua audirentur. Et tunc in Venetiis factæ sunt inundationes magnæ maris, & fluctuum, quales non fuerunt, ut dicunt antiqui, ex quo Civitas illa fuit fundata super aquas, usque ad dies nostros. Et submersæ sunt naves, & necati sunt homines; & mercationes, quæ in solariis domorum non erant, penitus sunt destructæ. Simile infortunium fuit in Civitate Clugina, scilicet Cluza, quæ est in lacunis marinis, ubi fit sal. Et dicebat Cardinalis Romanæ Curiæ Dominus Bernardus Legatus, qui in Bononia habitabat, quòd ideo accidit hoc infortunium Venetis, quia excommunicati erant ab eo, quòd contra Petrum Aragonum Regi Karulo succursum dare volebant, cùm de voluntate Martini Papæ procederet. Item in Vigilia Nativitatis Domini, quæ in Dominica fuit, quando dicebatur Matutinum, Luna fuit totaliter obscurata. Talia sunt hodie, finis ignoratur istorum. Qui autem supererunt, poterunt videre futura.

De Domino Alberto de Bostolis de Arecio Potestate Reginorum, & de Domino Tega de Bondemontibus de Florentia Capitaneo Populi Reginorum; & de morte Regis Karoli & Papæ Martini; & de electione Honorii Papæ; & de introitu Regis Franciæ, quem fecit in Regno Petri Aragonensis; & de mortalitate, & strage, quæ facta fuit ibi; & de mortalitate, quam fecerunt Tartari in Regno Ungariæ de Religiosis & aliis personis.

Anno Domini MCCLXXXV. Indictione XIII. Dominus Albertus de Bostolis de Arecio Potestas Reginorum, qui stetit per VI. menses, scilicet à Kalendis Januarii usque ad Kalendas Julii, & de Domino Tega de Bondemontibus de Florentia Capitaneo Populi Reginorum, qui stetit per VI. menses à Kalendis Augusti usque ad Kalendas Februarii.

Et eodem anno Rex Karolus fecit Principem, & dimisit Principatum Karlino Tertio, & eum fecit Regem, & Principem Siciliæ & Apuliæ ad voluntatem Ecclesiæ Romanæ. Et iste Karlinus filius erat Karli Secundi, qui captus,

tus, & in carceribus erat filius Regis Karoli. Et infirmus stetit Rex Karolus in Civitate Foziæ in Apulia, & obiit die quinto mensis Januarii in vigilia Epiphaniæ, & sepultus fuit in Festo Epiphaniæ in Civitate Neapoli. Item eodem anno Papa Martinus Quartus cantavit Missam in Civitate Perusina in Ecclesia majori dictæ Civitatis, scilicet in Ecclesia Sancti Laurentii, & Herculiani; & fuit Pascha in mense Martii in Annunciatione Beatæ Mariæ Virginis VII. die exeunte dicto mense, & infirmus fuit die Lunæ sequenti Feria secunda, & obiit die Mercurii nocte quarta Feria, & sepultus fuit die Jovis quinta Feria ad supradictam Ecclesiam dictæ Civitatis; & cessavit Episcopatus quatuor dies Martii.

Et eodem anno electus fuit in Papam secundo die mensis Aprilis Honorius Papa Quartus natione Romanus, & Dominus Jacobus Sabellus ante dictus. Item eodem anno Rex Franciæ cum toto suo posse intravit, & occupavit Regnum Petri Aragonensis, & destruxit Civitates, & Castra dicti Regni; & maxima mortalitas ibi fuit ab utraque parte dicti Regis Franciæ, & Petri Aragonum. Sicut audivimus, sicut scripsimus. Talia sunt hodie. Finis ignoratur istorum. Illi, qui supererunt, poterunt videre futura. Item eodem Millesimo & anno Tartari intraverunt in Regno Ungariæ, & interfecerunt multos Religiosos, & Sanctimoniales personas.

De Domino Andriolo de Golferamis de Cremona Potestate Reginorum qui stetit per VI. menses, scilicet à Kalendis Julii usque ad Kalendas Januarii; & de Domino Jacobo de Arcellis de Placentia Capitaneo Populi Reginorum, qui stetit pro VI. mensibus, scilicet à Kalendis Augusti usque ad Kalendas Februarii; & de morte Regis Franciæ; & de colta, quam inter se posuerunt Clerici Civitatis Reginæ in subsidio dando Communi Reginorum pro strata inglaranda, qua itur Parmam; & de Puteo facto apud Palatium vetus Communis Regii; & de compromisso, quem fecerunt Mutinenses pro pace inter se facienda in Dominum Guidonem, & D. Matthæum de Corrigia; & aliis gestis.

EOdem Anno & Millesimo prope Sanctum Petrum, scilicet in Kalendis Julii usque ad Kalendas Januarii Dominus Andriolus de Golferamis de Cremona Potestas Regii, & stetit per menses sex. Et Dominus Gibertus de Arcellis de Placentia Capitaneus Populi Reginorum, qui stetit per VI. menses, scilicet à Kalendis Augusti usque ad Kalendas Februarii; & in dicta Civitate fecit satis bonum regimen.

Anno Domini MCC. octuagesimosexto. Dominus Bonifacius Lupus de Civitate Parmæ factus fuit Potestas Civitatis Regii per sex menses à Kalendis Januarii usque ad Kalendas Julii; & fuit homo satis modici valoris. Et eodem Millesimo Dominus Guido de Foliano de Limisina factus fuit Capitaneus Populi per sex menses, scilicet à Kalendis Februarii usque ad Kalendas Augusti. Et in ipso tempore die quinto Aprilis mortui fuerunt Dominus Guido de Bianello, & Bonifacius frater ipsius, in pratis de Templo, dum irent ad Castrum Bianelli per Scarabellum de Canosa. Et Azolinus filius Guidonis de Bareto, & multi alii mortui fuerunt. Et dictus Dominus Guido fuit detentus per Potestatem, eo quòd dicebatur, quòd fecit fieri illud maleficium; & fuit intra paucos dies relaxatus. Eodem Millesimo die tertio Julii in die Pentecostes Bonifacius Bojardus cum quibusdam de illis de Bismantua, & aliis sbanditis de Civitate, & cum multis aliis de Civitate Mutinæ intravit Monasterium Sancti Prosperi, quod sibi datum fuit per Procuratorem quorumdam Monachorum dicti Monasterii; & nisi Dominus Guilielmus de Lupicinis Abbas ipsius Monasterii aufugisset, dicitur quòd interfecissent. Qui cùm non possent ipsum habere, ipsum locum derobaverunt, & ad Civitatem Mutinæ perrexerunt, propter quod in Civitate fuit magna turbatio, ita quòd tota Civitas ad arma cucurrit; & XL. stipendiarii Communis in ipso negotio valde se bene habuerunt, non permittendo aliquem de Magnatibus ascendere plateam Communis. Sed Dominus Bernardus de Foliano Præpositus Carpineti fuit locutus cum Domino Bartholino de Foliano ante januam Majoris Ecclesiæ in platea Communis; & ille rumor per Dei gratiam, & opere illorum sedatus est. Et Bononiam est missum, ut certam quantitatem militum ad custodiam Civitatis mitterent. Eodem Millesimo Dominus Henricus de Mezunlanis de Bononia factus fuit Potestas pro VI. mensibus, scilicet à Kalendis Julii usque ad Kalendas Januarii, & fuit homo satis communis, & bonus inter ipsas partes Civitatis, quæ erant valde discordes. Et Dominus Guido de Thumba Civis Cæsenæ factus fuit Capitaneus Populi pro VI. mensibus, scilicet à Kalendis Augusti usque ad Kalendas Februarii.

Eodem Millesimo, quarto die Augusti pars illorum de Saxolo, & de Savignano cum suis Amicis, quæ de Civitate Mutinæ expulsa fuerat, ut pra continetur, facta pace per Commune Parmæ, rediit in Civitatem Mutinæ, & omnia Castra per ipsum Commune Parmæ dirupta fuerunt pro bono pacis. Die quarto exeunte mense Novembri facta fuit pax inter Lupicinos, Mutos, & Sturgidos ex una parte, Bojardos, Roglerios, & Flordebellos ex alia.

Anno Domini MCCLXXXVII. Dominus Minacius de Cortesiis Civis Cremonæ factus fuit Potestas pro VI. mensibus, scilicet à Kalendis Januarii usque ad Kalendas Julii. Et eodem Millesimo Dominus Rufinus Rizardi de Parma factus fuit Capitaneus Populi pro VI. mensibus, scilicet à Kalendis Februarii usque ad Kalendas Augusti. Eodem Millesimo, die quarto Aprilis in die Jovis Sancto obiit Dominus Honorius Papa IV. Jacobus Sabellus antedictus Civis Romanus, apud Sanctam Sabinam intra Urbem, in quo loco habitant Fratres Prædicatores; & ibidem fecit fieri magnum Palatium, & ædificia, & sepultus est in Basilica Sancti Petri infra Dominum Nicolaum Papam III. in arca multùm pulchra. Et quia Cardinales tunc temporis non potuerunt concordare de Summo Pontifice eligendo, in illa æstate Romæ sunt commorati, & aliqui ex eis graves infirmitates incurrerunt, propter quod aliqui diem ultimum signaverunt. Et vacavit Sedes XI. mensibus, minùs tribus vel quatuor diebus.

Eodem Millesimo, die VIII. Aprilis filii Domini Ugolini de Foliano Domini Matthæus, Bartholinus, & Nicolaus per forciam acceperunt consortibus suis, scilicet Domino Bernardo de Foliano Præposito Carpineti, & Domino

no Francisco fratri ipsius, Rocham de Carpineto, Castrum de Paule, & de Monte, quæ erant communia inter ipsos, & Gissum de Malapresis Domino Bernardo de Gisso. Die verò sequenti prædicti Domini Præpositus, & Franciscus, cum filiis ipsius, Panceriis, & aliquibus de Malatachis, cum quibusdam eorum amicis de Civitate Regii expulsi fuerunt; & domus illorum de Canossa posita juxta plateam ipso die combusta fuit, & dirupta ex toto, in qua se reduxerant supradicti cum suis amicis, exceptis Lupicinis, qui usque ad ipsam diem credebantur eorum amici, & pro eis, & ab ipsis descenderat quasi tota discordia Civitatis; sed prædictos expulsos noluerunt in aliquo adjuvare. In quo negotio prædicti Rectores malè, & debiliter se habuerunt, & creditur, quòd fuerint conscii & participes dictæ expulsionis. Die verò sequenti tota militia Civitatis Bononiæ vênit ad Civitatem Regii, in quam intrare non potuit, propter quod infecto negotio Bononiam rediit. Quibus Rectoribus, Potestate, & Capitaneo supradictis de Civitate Regii recedentibus, per eos, qui remanserant in Civitate, electi fuerunt VIII. Rectores, scilicet Domini Bartholinus de Foliano, Guido de Tripoli, Thomaxius de Robertis, Parisius de Campsoribus, Hugo de Rogleriis, Albertus Pilisguerræ, Johannes de Marchisiis, Johannes de Gavasia, qui omnes maximi robatores fuerunt averis Communis; unde cùm malè facerent publicam utilitatem, & sua marsupia procurarent extendere, factus fuit Potestas Dominus Guido de Viana de Lunexana, & Dominus Conradus de Boschetis de Mutina factus fuit Capitaneus Populi. Supradicti expulsi reduxerunt se cum illis Dominis de Canossa, qui cum eis erant, de una parte ad Gissum de Crustuneo, & multa alia Castra infra paucos dies habuerunt, scilicet Bismantuam, quam reædificaverunt, & omnia Castra Abbatis de Canossa, scilicet Castrumnovum, Filinam, Sarzanum, Canossam, Paternum, Mozatellas, & Monte Cavulum, & infra modicum tempus cœperunt per violentiam Castrum de Monte, capiendo, & interficiendo eos, qui intus erant, & illud ex toto diruerunt. Deinde cùm per aliquos dies Castrum de Paule obsedissent, & aquam accepissent intrinsecis dicti Castri, illud per concordiam habuerunt, & quosdam pedites, qui ibant de Civitate in auxilium dicti Castri, quadam die juxta illud Castrum cœperunt, & interfecerunt. Tempore præcedente diruptis domibus ipsorum extrinsecorum Dominus Matthæus de Foliano ex lapidibus, & lignamine ipsarum, super mazelum de Platea fecit fieri quandam pulcherrimam domum, quæ vocata fuit Alta-bella, & Nicolaus frater ipsius fecit fieri unam aliam, quæ per Dei gratiam completa fuit super Casamento Masonis, & Ravanorum, quæ iverunt postea, sicut debebant. Eodem Millesimo de mense Julii Dominus Bernardus de Foliano Præpositus Carpineti, & Dominus Rolandinus de Canossa, cum multis militibus, & peditibus de sua parte, & ferè centum stipendiariis tam Ultramontanis, quàm Lombardis, per Reginos intrinsecos, scilicet cum tota militia tam Forensium, quàm Civium, & per duos de quarteriis Civitatis, & bene C. militibus de Civitate Mutinæ, obsessi fuerunt in Rocha Tumburga, & alii quidem de dictis extrinsecis, qui remanserant apud Gissum, & Mozatellam, & ad alia Castra, quæ tenebant, venerunt ad Burgum de Porta Bernonis, & Rostam, & alia fortilitia, quæ ibi erant, per violentiam ceperunt, & multas domos dicti Burgi combusserunt. Et in ipsis diebus Dominus Albertus de la Scala cum tota militia Civitatis Veronensis, & cum duobus filiis Domini Pinamontis, & maxima quantitate militum de Civitate Mantuæ, & cum illis Dominis de Sesso ad instantiam Domini Francisci de Foliano, vênit in adjutorium dictorum obsessorum, & cepit Castrum Sancti Stephani juxta paludes, sed Dominus Gerardus de Jossano Civis, & item Potestas Civitatis Bononiæ cum XX. Ambaxatoribus de Civitate Bononiæ vênit ad ipsam Rocham; & facta quadam pactione inter intrinsecos, & extrinsecos, dum de ipsa Rocha exirent, factis insidiis per illos de exercitu interfici voluerunt; & facto insultu per insidiantes, aliqui de Forensibus fuerunt graviter vulnerati; sed redeuntes in ipsam Rocham multos de exercitu, qui illuc iverant, causâ videndi locum, credentes pacem esse factam ceperunt, & aliqui vulnerati fuerunt. Tunc audito rumore ab Ambaxatoribus de Bononia, qui erant apud Saxolum, quod distat ab illo loco per duo milliaria, accesserunt illuc, & duxerunt Bononiam Dominos Præpositum Rolandinum, & Bartholomæum de Panceriis, omnibus aliis, qui debebant ire Bononiam, insalutatis dictis Ambaxatoribus, ad propria redeuntibus, dubitantes de ipsa pace; nam publicè dicebatur quòd dictus Dominus Gerardus faciebat eis fieri pessima pacta, sicut postea apparuit manifestè per promissiones factas eidem per Reginos intrinsecos, & specialiter de faciendo . . . . sicut fuerunt . . . . . . prædicti Dominus Albertus de la Scala . . . . . . Sancti Stephani comburi fecit.

Eodem Millesimo, die VI. Septembris Dominus Thomaxinus de Saxolo cepit Portam Bazoariam Civitatis Mutinæ, & omnes Grasulfi de Civitate Mutinæ cum multis Lambertaciis de Civitate Bononiæ, morantes apud Mantuam, & Veronam, & cum maxima multitudine militum de dictis Civitatibus tam Civibus, quàm stipendiariis, & Theotonicis missis à Comite de Tirollo, venerunt ipso die ad ipsam Civitatem; & quia dicta Porta non potuit aperiri ex toto, Civitatem habere minimè potuerunt, & cum dicto Domino Thomaxino, qui fuerat tractator totius negotii, reduxerunt se apud Saxolum; & multi per Civitatem, & Burgos capti fuerunt, & interfecti. Militia verò Civitatis Regii perrexit in auxilium Mutinensium, intrinseci cum intrinsecis, extrinseci cum extrinsecis; & euntes versùs Saxolum audiverunt prædicti extrinseci falsa relatione, contra ipsos venire militias Civitatis Bononiæ, Parmæ, Cremonæ, & totius partis Ecclesiæ, de ipso loco omnes discesserunt, & per Episcopatus Reginorum, & Mutinensium, multi capti fuerunt. Quod audientes prædicti Mutinenses, & Regini, omnes de Saxolo discessisse, accesserunt ad locum, & totum combusserunt. Quibus ad Civitatem Mutinæ redeuntibus cum militia Civitatis Bononiæ . . . . illuc accesis . . . suspensi fuerunt ad dictam Portam propter illud negotium multi Nobiles, & potentes, tam de Civitate Mutinæ, & unus de Lambertis de Ferraria, quàm plures alii per Dominum Bernardinum de Polenta de Ravenna

venna Potestatem Civitatis Mutinæ: quod fuit in maximam superbiam, & stultitiam reputatum.

Eodem Millesimo cùm dicti Domini Præpositus de Carpineto, & Rolandinus de Canossa fuissent, datis obsidibus, de fortia Communis Bononiæ die primo Decembris relaxati, facto in Commune Bononiæ compromisso, lata fuit quædam Sententia pacis inter ipsos intrinsecos, & extrinsecos Civitatis Regii de parte Ecclesiæ: quæ cùm fuisset iniqua, & retractata per dictum Gerardum de Josiano, non fuit observata.

Post aliquos verò dies ejusdem mensis illi de Dallo, qui amici erant intrinsecorum, cum toto posse ipsorum venerunt ad Castrum Filinæ, & quamplures domos de Curia ipsius Castri derobaverunt, & combusserunt: quod audientes extrinseci prædicti constituti ad sua Castra, scilicet Gissum, Mozatellam, & alia, cum maxima multitudine equitum, & peditum, Terras illorum de Dallo intraverunt, comburendo, derobando, & destruendo, & ceperunt Dominum Saladum de Dallo, & Paulucium, & multos, quorum nomina, & numerus ignoratur.

Anno Domini MCCLXXXVIII. supradictus Dominus Gerardus de Josiano Civis Cremonæ factus fuit Potestas per VI. menses, scilicet à Kalendis Januarii usque ad Kalendas Julii, sicut promissum fuerat per dictos intrinsecos apud Rocham Tumbergam, ut fertur.

Eodem Millesimo Dominus Henrigetus de Martinengo de Brixia factus fuit Capitaneus Populi pro VI. mensibus, scilicet à Kalendis Februarii usque ad Kalendas Augusti; & cùm dictus Dominus Gerardus electus fuit in Capitaneum Civitatis Florentiæ, habuit licentiam, & in locum ipsius subrogatus fuit quidam frater ipsius.

Anno Domini Millesimo ducentesimo octuagesimo octavo, die septima exeunte Februario, in Cathedra Sancti Petri, Dominus Frater Hieronymus Cardinalis de Ordine Minorum Civis Esculanus electus fuit in Summum Pontificem, & vocatus est Nicolaus IV. Hic æstate veniente apud Reate sex Cardinales fecit, & hyeme rediens Romam apud Sanctam Mariam Majorem, ubi satis magna palatia compleri fecit, est conversatus. Æstate subsequenti reversus est Reate. In Sancto Pentecoste ibidem, me præsente, Dominum Carolum filium quondam Regis Caroli, & ejus Uxorem, coronavit in Regem Jerusalem, & Siciliæ, concedendo eidem omnes Terras, & possessiones, quas quondam pater ipsius tenebat ab Ecclesia Romana.

Eodem Millesimo de mense Junii omnes intrinseci Civitatis cum tota militia, & duobus quarteriis, & cum C. militibus stipendiariis Civitatis Mutinæ, iverunt in obsidionem Castri de Monte Calvolis, stando ibi duobus diebus. Tunc omnes extrinseci constituti ad alia Castra, insimul convenerunt ad Castrum de Mozatella, & die XV. Junii in Festo Sancti Viti Martyris insultum fecerunt in dictum exercitum, omnesque de exercitu fugaverunt, capiendo de magnis & bonis Civitatis, à quibus multam pecuniam extorserunt, & multos in ipso conflictu interfecerunt, & in tali puncto, quòd ipsi intrinseci ab illo die in antea ante ipsos non fuerunt ausi ampliùs apparere. Verùm cùm dicti intrinseci multos in processu temporis in suos Rectores elegissent per Lombardiam, qui omnes respueruut venire ad ipsos, elegerunt in suum Potestatem Dominum Guilielmum Catellanum Conteftabilem XL. stipendiariorum ipsorum. Dicti verò extrinseci habebant in suum Potestatem, & Rectorem Dominum Gilocham de Marianis de Cremona, virum nobilem, & potentem.

Die XXIII. Julii sæpe dictus Dominus Bernardus de Foliano Præpositus Carpineti, & .... Plebis de Baysio in Festo Sanctæ Mariæ Magdalenæ cum maxima multitudine equitum, & peditum ascendit Montem Castri Baysii, & illud incastellavit. Quod audientes intrinseci Civitatis, illuc ire voluerunt, & usque ad Montem de Visignolo perrexerunt. Dictis, qui dictum Castrum reædificabant, usque ad Caniculam veterem obviam venientibus, propter hoc dicti intrinseci ad Civitatem sunt reversi.

Die primo Augusti subsequente illi Domini de Sesso, cum auxilio & consilio Dominorum Alberti de la Scala de Verona, & Pinamontis de Bonaccursis de Mantua, intraverunt locum Sancti Stephani, & ibi Castrum reædificaverunt, ducentes de Mantua, & Verona butifredos, & machinas, & palanchatum; & Episcopatum Reginorum ex parte inferiori comburebant, & derobabant pro ut ex parte superiori factum fuerat. Videntes intrinseci Civitatem sic se undique debellari per Communia Civitatis Parmæ .... compromisso in Ambaxatoribus dictarum Civitatum inter ipsos intrinsecos, & extrinsecos de parte Ecclesiæ, omnibus illis de Sesso, & de parte Imperii exclusis, verbo & corde pax fuit celebrata. In Festo Sancti Michaëlis Judex Potestatis Parmæ, & Miles Capitanei venerunt Regium, & vice, & nomine dictarum Civitatum acceperunt Regium, & dominium Civitatis. Dicti Ambaxatores, seu Arbitri, in quibus compromissum factum fuerat, elegerunt in Potestatem pro VI. mensibus Dominum Matthæum de Corrigia de Parma, & Dominum Puncinum de Puncinardis de Cremona in Capitaneum, qui intraverunt in Regimine Civitatis de mense Octubri. Octavo die exeunte dicto mense, dicti Domini extrinseci in Civitatem sunt reversi cum omnibus amicis, qui secum expulsi fuerant, & à Porta Sancti Stephani quædam fortilitia facta fuit pro custodibus Civitatis Parmæ, & una alia pro Bononiensibus ad Portam Sancti Petri fieri debebat.

Anno Domini MCCLXXXIX. Dominus Marchio Estensis factus fuit Dominus .... generalis Civitatis, & Episcopatus Mutinæ.

Eodem Millesimo Dominus Torellus de Torello Civis Bononiæ factus fuit Potestas Civitatis Regii pro VI. mensibus, & Dominus Andreas de Marano Civis Parmæ Capitaneus Populi, scilicet à Kalendis Julii usque ad Kalendas Januarii, & antequam prædicti Rectores, scilicet Domini Matthæus de Corrigia, & Puncinus discederent de Civitate Regii, cùm ante exitum sui regiminis incœpissent tractare pacem illorum Dominorum de Sesso, qui guerram apud Sanctum Stephanum faciebant, dictamque pacem compleverunt inter ipsos de Sesso, Mantuanos, & Veronenses ex una parte, & Reginos intrinsecos ex alia, ita quòd illi de Sesso debebant per VI. annos stare extra Civitatem, & bonis suis gaudere.

Die

Digitized by Google

Die VII. Augusti rumor quidam fuit excitatus in Civitate Regii, propter quem Populus currens ad arma, omnes potentes utriusque partis fecit detineri, & compediri in Palatiis Communis, & Populi; & maxima pars dicti Populi domos quorumdam derobaverunt, & aliqualiter destruxerunt; qui tempore expulsionis supradictorum dicebantur fuisse culpabiles. Die sequenti militia Civitatis Parmæ cum Potestate ipsorum, & cum duabus de portis venit Regium, apprehendendo dominium Civitatis, & burgorum; & cùm essent omnes Parmenses in Palatio Episcopatus cum omnibus Rectoribus congregati, contra D. Torellum rumor insonuit: *moriatur, moriatur*. Quo protecto, & defenso à Domino Andrea, clamavit Populus Parmensis: *ad domos, ad domos*; & cum maximo impetu, & furore Altabellam, & alias domos illorum Dominorum de Foliano juxta plateam Communis positas incenderunt, & diruerunt in Festo Sancti Laurentii. In Vigilia Beatæ Mariæ Virginis dictos Nobiles & potentes Parmam duxerunt, & multos de majoribus & potentioribus Populi, alios in diversis partibus miserunt ad confinia, & acceperunt dominium quasi omnium Castrorum, & dictum fuit, quod ipsa diruere volebant. Sed quædam non potuerunt habere, scilicet Hyrberiam, Castellaranum, Borzanum, & Razolum, quod Dominus Guido de Tripoli acceperat Custodibus Parmensium, de quibus combuxit unum super unam de Turribus, qui se noluit reddere, & quia dictus Dominus Guido noluit venire ad præcepta Potestatis Parmæ, scilicet Domini Thomaxii de Curinis de Venetiis, cui data erat Potestas, & dominium Civitatis, & Episcopatus per Populum Civitatis Regii, domus ipsius Domini Guidonis valde pulchra, & magna per ipsos Parmenses dirupta fuit. Verùm cùm prædicti Nobiles, & alii de Civitate Regii, per multos dies stetissent in carceribus Parmensibus, Dominus Graxendonius de Lupicinis ibidem mortuus est, & portatus Regium, & sepultus in domo Fratrum Minorum. Facta verò pace & concordia inter ipsos Reginos, operatione & procuratione Potestatum Cremonæ, & Bononiæ, & Ambaxatorum, omnes relaxati fuerunt, & Regium sunt reversi, insimul comedentes, & conversantes. Post aliquos verò dies Dominus Bernardus de Gisso accepit Castrum Gissi, quod ei datum fuit per Custodes Parmæ; & multa incendia, & derobationes fiebant per Episcopatum, tam inferiùs, quàm superiùs.

Eodem Millesimo, die XVI. mense Decembri mortuus fuit Petrinus Carbonius cum multa vi: propter quod utraque pars cucurrit ad arma, & prœlio incœpto in hora Completorii, cùm pars superior haberet totam plateam, & Palatia Communis, & Turrim unà cum Palatio Episcopatus, & aliqui ex utraque parte mortui fuissent, & vulnerati, misit pars inferior Fratres Minores superiori dicens, quòd ei non placeret destruere Civitatem: quod ipsi exclamantes super ipsos facere recusarent. Propter quod ipsi inferiores per ignem, & alia ingenia, ceperunt Palatium Communis, & ex ipso Dominum Torellum Potestatem, qui cum superiori parte erat, violenter ejecerunt cum omnibus suis; & combusto Palatio Episcopatus, & omnibus domibus à latere sero Palatii Communis, contra ipsos superiores inferiores se viriliter erexerunt, & de Platea Communis expulerunt, vulnerando, capiendo, & interficiendo prædictos. Propter quod ante horam Matutinorum ipsi in fugam conversi, per pontem Levonem, quem aperuerunt, aufugiendo cum dicto Domino Torello, & ad sua Castra, scilicet Hyrberiam Sanctum Martinum, Castrum Arianum, & ad multa alia, quæ habebant, se reduxerunt; & Dominus Nicolaus de Canossa factus fuit Potestas Reginorum . . . . . & omnes illi de Sesso . . . . dictorum intrinsecorum, scilicet Domini Præpositi illorum de Canossa, & aliorum parentelis, & amicitiis nimiùm colligati.

Anno Domini MCCXC. Dominus Gerardus Guazonus Civis Cremonæ factus fuit Potestas Civitatis per dictos intrinsecos, & intravit Regimen in Kalendis Januarii. Infra medium Januarii dicti intrinseci unanimiter & concorditer fecerunt Dominum Marchionem Estensem suum Potestatem usque ad tres annos, qui dictam Potestariam non acceptavit nisi per unum annum, retinendo alios duos in suo arbitrio, & intravit dictam Civitatem cum maxima multitudine militum, equitum, & peditum.

Eodem Millesimo, die . . . . . Februario dictus Dominus Marchio dedit pro suo Vicario in Rectorem Dominum Bernardum de Rufis de Florentia, dicto Domino Gerardo Guazono cum toto suo salario, & CC. libris ulteriùs sibi donatis à Communi, licentiato. Die verò . . . . dicti mensis dictus Dominus Marchio reduxit dictos extrinsecos in Civitatem, & accepit fortilitias Civitatis, & Castrorum de Razolo, Hyrberiæ, & Albieneti, & post aliquos dies rediit Ferrariam, ducens secum quosdam de Magnatibus utriusque partis. Dictus Dominus Bernardus fuit valens homo, & bene se habuit in ipso regimine, & fecit reparari Turrim, & Palatia Communis, quæ combusta fuerant in expulsione supradictorum, & campanam Populi cum duabus aliis fecit poni super ipsam Turrim; & fecit fieri apud Portam Sancti Petri magnam, & pulchram fortilitiam, in qua stabant Custodes dicti Domini Marchionis, & stetit in ipso regimine usque ad Kalendas Julii bene & legaliter faciendo; & tempore Aprilis ordinata fuit gabella omnium rerum.

Eodem Millesimo Dominus Mundinus . . . . . de Vicecomitibus de Pisis factus fuit Vicarius per ipsum Dominum Marchionem pro VI. mensibus, scilicet à Kalendis Julii usque ad Kalendas Januarii hic fuit . . . . . & in ipso regimine non bene se habuit; & fecit fieri Arengheriam ad fenestras Palatii veteris, & destruxit illam, quæ erat in Platea Communis juxta dictum Palatium; & propter sua opera fuit depositus de suo regimine ante Kalendas Januarii per X. dies.

FINIS.

Alio

(Alio Charactere.)

COmmunia Vicariatus Suzariæ dudum emissa per Episcopatum Reginum, recuperanda per futuros Dominos Episcopos dante Deo concedente, quorum Communium apprehensa fuit possessio nomine dicti Episcopatus tempore Reverendi Patris Domini Thebaldi de Sesso Episcopi Regini.

Comune Suzariæ habet MMMCXXVI. bobulcas; XLIX. tabulas.

& pro Domino DCXXV. bobulcas; L. tabulas.

Comune Petebelani DCCCL. bobulcas; VI. tabulas.

Item pro Domino CXX. -------- tabulas.

Comune Sancti Laji DXXXIV. bobulcas; XLVI. tabulas.

Pro Domino CVII. bobulcas; L. tabulas.

Comune Ripæ CCCCXLVI. bobulcas; LXXIX. tabulas.

Pro Domino LXXXX. bobulcas.

Comune Bruxatassii DXLIV. bobulcas.

Pro Domino CIX. bobulcas.

Comune Sancti Prosperi CCCLX. bobulcas.

Item pro Domino LXXII. bobulcas.

Comune Ulinetæ LI. bobulcas; VI. tabulas.

Pro Domino X. bobulcas.

Summa bobulcarum MMMMMMDCCCCLXXXXIV. tabularum XIV.

Et istud Territorium est totum feudum Episcopatus Regini.

Sub Millesimo tercentesimo septuagesimo primo, die ultimo mensis Aprilis intus venerunt gentes Domini Nicolai Marchionis Estensis in Civitate Regii per Portam Sancti Petri, & incontinenti habuerunt dictam Portam, & in supradicta die habuerunt Portam Castelli, & Portam Sanctæ Crucis, & Dominus Feltrinus de Gonzaga tenebat Castrum, & Portas, & dicta die scilicet ultimo Aprilis vênit Comes Lucius de Lando de Alamannia, qui erat Capitaneus generalis magnæ Societatis, cum dicta Societate in auxilio dicti Domini Marchionis, & posuit se extra & prope portam Sancti Nazarii juxta Ecclesiam Sancti Prosperi .... ad custodiendum, ne aliquis intraret in dicto Castro. Dictam Societatem dictus Dominus Marchio conduxerat per viginti dies, & dedit omni die dictæ Societati mille Florenos auri dictus Dominus Marchio; Sed audiens dicta Societas quòd Gentes ejusdem Marchionis derobabant Civitatem prædictam, dixit Capitaneus dicti Domini Marchionis, quòd intrare volebat, & si dictus Capitanus volet sibi dare intratam bene haberet à dicto Domino Feltrino per Castrum Civitatis Regii. Qui audiens dictus Capitaneus dicti Domini Marchionis dixit, quòd volebat habere consilium super prædictis, & sibi responderet; & habito consilio respondit, quòd sibi daret entratam, sed non libenter. Et ceteri nobiles Regini, qui erant ad provisionem prædicti Domini Marchionis intraverunt cum dictis gentibus Domini Marchionis prædicti in dictam Civitatem. Qui nobiles erant Dominus Guido de Manfredis miles; Dominus Feltrinus de Manfredis miles frater prædicti Domini Guidonis; Franciscus de Manfredis, frater prædictorum duorum Guidonis, & Feltrini, & factus fuit miles in introitu; Dominus Philippus de Robertis miles; Guido de Robertis, qui fuit factus miles; Dominus Salvaticus de Bojardis miles; Feltrinus de Bojardis, qui factus fuit miles; Aldigerius de Foliano, qui factus fuit miles, & Guido Savena de Foliano.

Sub dictis Millesimo, die Veneris secundo mensis Maji intravit dictus Comes Lucius de Lando cum dicta Societate in dictam Civitatem Regii, & stetit per viginti dies, & totam dictam Civitatem derobaverunt & omnes Cives ipsius Civitatis cum filiis & uxoribus & omnes fratres, & Plebs ipsius Civitatis recesserunt, & quod plus fuit, oportuit Dominum Episcopum Reginum, qui vocatur Dominus Laurentius, recedere à dicta Civitate, & ire Corrigiam Regiensis Diœcesis, qui receptus fuit cum magno honore à nobilibus de Corrigia, & infra istos XX. dies Dominus Ambrosius Vicecomes receptus fuit in Castro Regiensi per dictum Dominum Feltrinum de Gonzaga, & ipsum Castrum fulcivit pro Domino Bernaboe Vicecomite Domino Mediolani, & habuit dictus Dominus Feltrinus de dicto Castro, & de Portis, quas tenebat à dicto Domino Bernabove LX. mille Florenos similiter de Porta Sancti Stephani, & Sanctæ Crucis.

Item sub dictis millesimo die dominica XVIII. mensis Maji recesserunt gentes dicti Marchionis de dicta Civitate Regiensi, & cum eis illi de Manfredis, qui se reduxerunt super portam Castellum, & ipsam tenuerunt contra voluntatem dictorum Comitis Lucii, & Societatis.

Item sub dicto millesimo, die Jovis XXII. mensis Maji recesserunt Comes Lucius, & societas de dicta Civitate Regiensi, quam vendiderunt dicto Domino Bernabovi, & habuerunt centum quadraginta millia florenorum auri. Qui ipsam Civitatem dictus .... nomine ipsius Domini Bernabovis fulcivit, & etiam dominium ipsius Civitatis apprehendit. Et quando ipsam fulcivit non erant in ipsa Civitate viginti homines ipsius Civitatis.

Item sub dictis Millesimo & die Nobiles de Manfredis, qui tenebant Portam Castelli, concordaverunt similiter cum Domino Bernabove & dictam Portam sibi dederunt, & remanserunt amici dicti Domini Bernabovis.

Digitized by Google

INCIPIUNT VERSUS MERLINI

Futura præsagia Lombardiæ, Thusciæ, Romagnolæ, Marchiæ Anconitanæ, Apuliæ, Marchiæ, Franciæ, Alamanniæ, Provinciæ, Hispaniæ per Merlinum declarata.

Venient in Mundo, & duo erunt sinè utendo A
Gravia condura multa sunt inde futura.
In Lombardia tunc errabit Philosophia,
Superbia regnabit cum ventis tota volabit.
Ipsa Toscana dicetur à gentibus vana
Peregrinando ibit diffusa peccando.
Romandiola sub jugo teneatur à Stola,
Quo in perpensum tallionem reddit immensum.
Marchia Anconitana sub Ecclesia stabit Romana,
Quæ semper lanam evellet sibi cotidianam.
Apulia verò tota erit plena veneno.
Multi morientur Troges pro auro delentur.
Marchia detenta plorabit in sanguine fusa
Et curabit sub dura potestate durabit.
Francia durabit, & pluribus ponderabit, B
Et non defecerit, effusio sanguinis erit.
Alamannia imperabit, zizania Mundi fugabit,
Qui retinet gentes Imperium non diligentes.
Provincia sola diu stabit sub arida Stola,
Quæ relevata dicitur cum tan . . . .
Ab Hispanianis multus erit sanguis in terra diffusus,
Lombardos natos volens sibi ligatos.
Ecclesia plorabit cùm superbia tanta regnabit,
Et non providebit, in dura servitute manebit.
Florentia florebit, in Mundo tota lucebit.
Lilium depictum in campis erit à Senis devictum,
Sed cùm velasset lilii victoria lucescet
Ineptè peccando semper vivit dissimulando. C
Mediolanum sibi turrim firmabit in vanum.
Aquila videbit turrim ipsam totam delebit,
Adducet gentes de longe sunt venientes
Quo dabunt duram delinquentibus in vano jacturam.
Parma patietur multo languore repletur.
In malum recidet, quam medicus sanare non valet.
Sed relevatur unguento coronæ sanatur.
Quod erit antiquum per exemplum præbet iniquum.
Mutina perversa tota erit in fine demersa,
Volens dominari potentioribus æquiparari.
Regium Regina Civitas erit ipsa supina
Et non providebit in defensione multa manebit.
In ipsa Cremona sibi acquiret Cremona,
Et devastabit, ut Aquila ipsa vorabit
Pacis decepta à sponsa accepta
Et repensata Lombardia erit cremata.
Ferraria testatur, quòd multa subire paratur
Propter peccata, quæ diu erant in ea patrata,
In servitute stabit, donec peccare cessabit,
Et ejiciet illum, quòd peccatum commisit indignum.
Mantua pugnabit in fine terga Veronæ dabit
Fugabit serpentes eam sub cauda tenentes.
Bononia regnabit, cùm integra longè durabit
Ejiciet unam ——— ad mane partem victura
In brevi veniendo per ———— ejiciendo
Quæ non rejicietur donec tota sordes lavetur.
Faventia oppressa multociens erit obsessa,
Indicat scriptura, quòd mala sint in ea futura,
Et tamen favet, quòd in ea pars Bononiæ cadet.
Quæ dabat dorsum super eundo deorsum.
Gravia quamplura sustinebit Imola dura
Quæ re pensata citò erit à languore sanata.

Nomina omnium Abbatum Sancti Prosperi.

Martinus, primus.
Johannes, secundus.
Landulphus, tertius.
(*Alio charactere.*)
MLVII. tempore Stephani Papæ IX. & Imperatoris Henrici III. D
Petrus, quartus.
Giselbertus, quintus.
(*Alio charactere.*)
MLXXIII. tempore Gandulfi Episcopi Regiensis, & Gregorii Papæ VII.
Senaldus, sextus.
Pacificus, septimus.
Johannes, octavus.
Atinulfus, nonus.
Amizo, decimus.
(*Alio charactere.*)
MCXLIV. tempore Alberi Episcopi Regiensis.
Guido de filiis Manfredi, undecimus.
Benedictus, duodecimus. E
Johannes, tertius decimus.
Prosper, quartus decimus.
Gerardus de Sesso, quintus decimus.
Gregorius de Bonicis, sextus decimus.
Guilielmus de Lupicinis decimus septimus.
(*Alio charactere.*)
Albertinus de Levalossis.
Zifredinus de Mutis.
Petrus de la Gazata.
Franciscus de Rubertis. Commendatarius est.
Vanuzius de Bismantua.
Philippus de Zobolis.
(*Alio charactere.*)
Post cujus mortem Monachi Sancti Benedicti per aliquos menses ipsam Abbatiam obtinuerunt, quæ postea fuit à Summo Pontifice impetrata per D. Alphonsum Zobolum præfati D. Philippi nepotem, qui vi, & armis possessionem abstulit de manibus præfatorum Monachorum, & eam adhuc obtinet, licèt sub judice lis sit, 1500. decimo septimo Kalendas Majas, & millesimo quingentesimo primo præfati Monachi in ipsam Abbatiam reversi sunt.

Digitized by Google

Nomina omnium Episcoporum, qui fuerunt in Civitate Regii.

A Protasius, primus.
Cromatius, secundus.
Antoninus, tertius.
Helyas, quartus.
Sanctinus, quintus.
Carosius, sextus.
Helpicius, septimus.
Sanctus Prosper, octavus.
Thomas, nonus.
Stephanus, decimus.
Deusdedit, undecimus.
Laurentius, duodecimus.
Theodorus, tertius decimus.
Donumdei, quartus decimus.
Adrianus, quintus decimus.
B Benenatus, sextus decimus.
Paulus, decimus septimus.
Lupianus, decimus octavus.
Mauricius, decimus nonus.
Constantinus, vigesimus.
Johannes, vigesimus primus.
Sixtus, vigesimus secundus.
Geminianus, vigesimus tertius.
Apollinaris, vigesimus quartus.
DCCCXVI. Adduxit Corpus B. Venerii in Civitatem Regii tempore Lodovici Imperatoris primi.
Adelmus, vigesimus quintus.
Vitalis, vigesimus sextus.
Norpertus, vigesimus septimus.
C Sigifredus, vigesimus octavus.
Arnon, vigesimus nonus.
Rotfredus, trigesimus.
Paulus trigesimus primus.
Aaron, trigesimus secundus.
Azo qui interfectus à Paganis, trigesimus tertius.
Petrus, trigesimus quartus.
Fredulphus, trigesimus quintus.
Gerardus, trigesimus sextus.
Aribertus, trigesimus septimus.
Adelardus, trigesimus octavus.
Armenaldus, trigesimus nonus.
Teuzon Parmensis, quadragesimus.
Sigefredus Parmensis, quadragesimus primus.
Condelaudis, depositus fuit, quadragesimus secundus.
D Adelbertus, quadragesimus tertius.
Wlmanus, quadragesimus quartus.
Gandulfus, quadragesimus quintus.
Eribertus, quadragesimus sextus.
Bonussenior, quadragesimus septimus.
Adelmus, quadragesimus octavus.
Alberius, quadragesimus nonus.
Albriconus, quinquagesimus.
Petrus de Albriconibus, quinquagesimus primus.
Nicolaus Vicentinus quinquagesimus secundus.
Guilielmus de Foliano, quinquagesimus tertius.

(*Alio charactere.*)

Guilielmus de Bobio, quinquagesimus quartus.

(*Alio charactere.*)

Millesimo tercentesimo primo; III. Septembris Frater G. Regiensis Episcopus mortuus est Bobii, & statim omnes illi, ad quos de jure, & de consuetudine pertinet eligere, ad petitionem Domini Azonis Marchionis Estensis, & Domini Civitatis Regii, in concordia electus est Frater Johanninus de Meloxelis de ordine Minorum, & quia minister Generalis noluit dare licentiam, petita fuit à Domino Bonifacio Papa VIII., qui etiam noluit dare, sed cassavit quod factum est, & dedit Domino Matthaeo de Vicecomitibus de Mediolano, qui renuntiavit. Tandem MCCCII. tertio Aprilis in Consistorio privato Dominus Rizardus de Senis utriusque Juris professor Sancti Eustachii Diaconus Cardinalis nominavit pro Episcopo Regino quemdam Dominum Henricum de Casalorciis de Cremona, Decretorum Doctorem, Canonicum Cremonensem, & Papa, & multi Cardinales, qui eum cognoverant propter librum quem fecit *de Potentia Papae*, probando ipsum esse Dominum in spiritualibus, & temporalibus per totum Mundum, consenserunt; postea die ultimo Aprilis Romae Laterani publicatus est, & in festo Beatae Mariae Magdalenae subsequenti consecratus Anagniae de mandato Domini Papae per venerabilem Patrem Dominum Fratrem Matthaeum Portuensem Episcopum assistentibus sibi quinque Episcopis, scilicet Laudensi, Imolensi, Hortanensi, Albiganensi, & quodam Hispano, & venit Regium septimadecima die Augusti tempore Domini Bonifacii Papae VIII. anno octavo Pontificatus ejus in praedicto anno & mense.

(*Alio charactere.*)

D. Bartolomeus de Enurea.
D. Laurentius de Pinotis de Regio.
D. Seraphinus de Trino.
D. Ugolinus de Sesso. MCCCLXXXVII.
D. Thebaldus de Sesso. MCCCLXXXXIV.
D. Jacobus Antonius de la Turre. MCCCC. XXXIX.
D. Baptista de Palavicinis de Gibello. MCCCC. XLV.

(*Alio charactere.*)

D. Antonius de Trombettis de Ferraria 1465.
D. Bonfranciscus de Arlottis de Regio. 1477. fuit electus die 9. Julii: decessit autem anno Domini 1508. die 7. Januarii.
D. Johannes Lucas Pontremulensis.
D. Ugo Rangonus Comes Mutinensis: fuit electus in Episcopum Regii MDX.
D. Marcellus de Corvinis Presbyter Cardinalis, electus fuit Episcopus Regiensis 1540. Idibus Octobris.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX GENERALIS
RERUM, ET NOMINUM,
Quæ continentur in hoc Tomo VIII.
RERUM ITALICARUM.

A

Abealardus Humfridi Comitis filius contra Robertum Guiscardum patruum bella gerit. Col. 776. B.
Abel Danorum Rex à Frisonibus occisus. 1118. A.
Achilles de Taculis Archidiaconus Regiensis Ecclesiam S. Jacobi Zebedei condit, & magnificè dotat. 1074. A.
Adelardus de Marchesella potentissimus Ferrariæ Civis. 481. C.
Adelardi potentissima olim Familia Ferrariensis. 480. C.
Adelasia uxor Rogerii Siciliæ Comitis. 777. A.
Adeleita uxor Eccelini Monachi. 172. D.
Ejus mors. 173. C. 174. E.
Adeleyta Alberici de Romano filia, nupta Raynaldo Principi Atestino. 227. D.
Quàm suo parenti cara. 233. C.
Adrianus V. Papa electus, ejus res gestæ. 1140. B. & D.
Aegidius Card. & Legatus Apostolicus Dominus Bononiæ. 656. D.
Agnes soror Azonis VI. Marchionis Estensis, nupta Eccelino Monacho. 171. B.
Alardus de Valberò sapienti consilio Carolum Siciliæ Regem contra Conradinum munit. 1013. D.
Albericus senior proavus Eccelini de Romano. 9. B.
Albericus de Romano frater Eccelini. 7. B.
Ejus majores. 9. B.
Filius Eccelini Monachi. 173. A.
Patri succedit. 24. C.
Ad eum literæ patris. 195. B.
Beatricem uxorem ducit. 26. B.
Potestas Vicentiæ constitutus. 28. B. 188. D.
Contra eum nonnulli conjurant. 31. C.
Baxiani dominus. 32. A.
Cum Tarvisinis contra Patavinos acies ducit. 34. D.
Friderico II. Augusto occurrit. ibid. A.
Pro eo literæ ejusdem Augusti. 35. A.
Paduanos fortiter repellit. 36. C.
Filiam spondet Raynaldo filio Azonis Marchionis Estensis. 38. C. 227. D.
Cum eodem Marchione reconciliatur. 42. A.
Patavinorum copias fugat. 48. A.
Monturfio castro potitur. 49. A.
Castrum Sancti Bonifacii obsidet. 50. C.
Tarvisium eripit Friderico II. Aug. 83. E. 228. C. 678. C.
Ferrariæ obsidioni interest. 233. C. 631. D.
Ejus calliditas in prœlio contra Patavinos. 241. E. 307. C.
Parmensibus obsessis fert opem. 249. B. 634. A.
Castrum Zigoti ei se dedit. 3?2. E.
Ficta ejus inimicitia cum Eccelino fratre, 99. B. 303. A.
Ejus crudelitas in Tarvisinum populum. 325. D.
Cum Eccelino fratre pacem statuit. 637. C. 697. B.
Tarvisinis à se deficientibus, locum tutum quærit. 354. D.
Fugit in castrum Sancti Zenonis. 355. A. 706. D.
Fuga ista defenditur. 61. B.
Ejus allocutio ad filios. 357. B.
A fœderatis cum filiis & uxore dilaceratus. 102. A. 358. C. 377. C. 638. D. 712. A. 720. B.
Ejus nominis inepta interpretatio. 51. C.
Ejus laudes rythmicis versibus à Thadæo Notario digestæ. 55. B.
Alberti Comites Mangonæ nobilissimi in Tuscia. 907. C. 925. A.
Albertinus de Carraria contra Eccelinum militat. 2?2. A.
Albertus Rodulphi Romanorum Regis filius, Dux Austriæ. 1?18. C.
Albertus de la Scala Capitaneus Veronæ. 112. B. 382. C. 385. D. 641. C.
Contra Regienses militat. 1170. A. 1172. B.
Patavii dominatur. 414. A. & D.
Venetias captivus ducitur. 416. D. 444. A. 651. B.
Cani Grandi in dominatione Veronæ succedit. 646. E.
Libertati restituitur. 652. A.
Naturæ debitum solvit. 392. A. 653. E.
Albertus de Baone Patavinus civis, Vir Clarissimus & potens. 172. D.
Ejus mors. 179. C. 185. A. 263. C.
Albertus Episcopus Tarvisinus. 354. C.
Albertus Regiensis Episcopus. 1075. A.
Albertus Vercellensis Episcopus, Hierosolymitanus Patriarcha. 1080. E.
Albertus Comes filius Ugutionis Comitis. 15. E.
Albertus Comes Vicentinus. 172. D.
Albertus Beatus Vir Cremonensis miraculis fulget. 1145. C.
Alboinus I. de la Scala Capitaneus & dominus Veronæ. 641. D.
Albrico Regiensis Episcopus. 1075. D. 1076. B. & D.
Aldrevandinus Marchio Estensis. 124. C.
Adversùs eum Paduani bellum gerunt. 179. D. 668. D.
A Patavino populo mandata facere coactus. 6. & 23. B. 180. C.
Cum Bonifacio Marchione concordiam init. 24. A.
Sua donat Paduanis. 385. C.

Potestas Veronæ. 623. D.
Fratrem fœneratoribus obligat, ut rebelles Ecclesiæ Romanæ debellet. 722. E.
Ejus acta in Marca-Anconitana. 182. C.
Et mors immatura. 183. A. 194. C.
Ipsius laudes, & virtutes. 669. B. 675. A.
Alexander III. Papa, ejus gesta. 1074. B.
Alexander IV. Papa electus. 541. B. 689. B. 754. B. 978. B.
Ejus exercitus contra Manfredum. 563. A.
Ad eum Legati Germani pro Conradino. 571. D.
Res gestæ ab eodem. 1120. D.
Protector fuit Ordinis Minorum. 1143. C.
Ejus obitus. 588. B. 689. B. 715. D. 803. A. 997. A.
Alexander Comes Sancti Bonifacii. 122. B.
Alexander Comes ex Comitibus Albertis. 985. D.
Alexandrinorum victoria de Terdonensibus. 1118. E.
Alexius Græcorum Imperator contra Robertum Guiscardum copias ducit. 770. B.
Sed fugâ vitæ consulit. 771. B.
A Boamundo superatus. 773. B.
AlKeruccius Comes de Sancto Eustachio se jungit Conradino Regi. 843. C.
Alphonsus Hispaniæ Rex electus Rex Romanorum. 586. D. Vide Castellæ.
Amalfitani se Roberto Guiscardo regendos tradunt. 766. B.
Amedeus Comes Sabaudiæ socer Manfredi Siciliæ Regis. 787. E.
Anconitana Marchia ab Ottone IV. Augusto regenda committitur Azoni Marchioni Estensi. 21. A. & B.
Eidem præficitur ab Apostolica Sede Azo VI. Marchio Estensis. 178. C.
A factionibus scissa. 800. C.
Andreas Hungariæ Rex Beatricem Atestinam sibi jungit. 206. C. 675. A. 717. E.
Ejus obitus. 676. A.
Andrensis civitas rebellis compescitur à Manfredo Principe Tarentino. 500. B.
Stabilis in ejus fide. 575. A.
Angelus Malabranca Nobilis Romanus captus ab Henrico Senatore Urbis. 835. A.
Angliæ Rex à suis Principibus in carcerem conjectus. 723. E.
Anglici milites in exercitu Alexii Græcorum Imperatoris. 770. E. 771. E.
Anoale & Mestre deditionem faciunt Eccelino de Romano. 245. C.
Anonymi Vaticani Historia Sicula heic edita. 741.
Ansedisius de Widotis, filius sororis Eccelini, Potestas Paduæ, ejus vitia. 255. A.
Crudelia illius opera. 261. A. & seqq. 267. A. & seqq.
In defensione Patavii cæcus. 286. C.
Ejus concio ad Populum. 289. A. 693. A.
Fugâ salutem quærit. 297. A. 694. A.
In vincula conjectus ab Eccelino. 695. B.
Antiochia capta & vastata à Saracenis. 1128. C.
Antonius Ord. Min. per Marchiam Tarvisinam verbum Dei voce melliflua prædicat. 198. D.
Ejus laudes, & inanis accessus ad Eccelinum de Romano. 202. B.
Ejus beata mors. 674. A.
Et canonizatio. 203. A.
Antonius Scaliger Veronæ Dominus. 660. A.
Apulia Normannis fratribus sensim se subdit. 751. C.
Aquilæ Civitas Manfredi potentiæ se submittit. 582. D.
Pervicax flammis datur. 585. C.
Manfredi Siciliæ Regis mandata contemnit. 799. C.
Archerius Dux Barensium. 764. B.
Arcis Rocha Carolo I. Regi Siciliæ subjicitur. 601. B. 820. D.
Aretini à Florentinis profligati. 934. B.
Inde pulsi, & restituti Gibellini. 983. B.
Cortonam capiunt, ejusque mœnia dejiciunt. 985. B.
Argelatus (Philippus) laudatus. 69. 155. 663.
Argenta Castellum Ecclesiæ Ravennatis. 475. C.
Ariani Civitas à Manfredi copiis capta ac desolata. 582. A.
Ariminenses bello impetiti à Bononiensibus. 1083. D.
Arioli Eccelino cari. 692. C. 705. B.
Arnaldus Abbas Sanctæ Justinæ Patavii. 672. D. 675. C.
Ab Eccelino vexatus Patavio fugit. 218. A. 676. D. 677. C.
Dona Friderico II. Imperatori offert. 678. B.
Ab eodem Imperatore suo Cœnobio restituitur. 226. A.
Ejus ordinatio. 667. C.
In vincula ab Eccelino conjectus. 682. C.
Ejus pius obitus. 689. D.
Attila Florentiam flammis tradit. 895. D.
Avellini Civitas rebellis expugnata à Bertholdo Marchione de Honebruch. 503. B.
Aversana Civitas à Manfredo Principe Tarentino in fide confirmata. 503. C.
Eum amplectitur. 580. E.
Augusta Siciliæ Civitas à Carolo I. Rege recepta. 854. B.
Austriæ & Stiriæ Dux præ ceteris familiaris Friderico II. Aug. 244. A.
Austriæ Duci se dedunt Paduani. 643. B.
Aydone Civitas in Sicilia rebellis. 551. B.
Azo VI. Estensis Marchio Anconitanæ Marchiæ Præfectus. 5.
Cum sua factione expulsus de Ferraria à Salinguerra. 16. C. 18. B.
Veronæ, Ferrariæ, ac Vicentiæ dominatur. 17. B. & D.
Eccelino Monacho primò amicus. 12. E.
Tum ab ipso de Prætura Veronensi dejectus. 15. D.
Ipsum, ejusque factionem de Verona expellit. 16. B.
Ejus dissidia cum Eccelino Monacho agitata coram Ottone IV. Aug. 19. A.
Qui eum reconciliare nititur eidem Eccelino 20. C.
Curiæ Venetiis habitæ interest. 193. E.
Anconitanæ Marchiæ ab eodem Imperatore præficitur. 21. A.
Ab Eccelino fugatur. 22. E.
Amicus familiæ de Campo Sancti Petri. 175. B.
Vicentinos ad Carmegnanum profligat. 177. A
Potestas Veronæ constitutus. 665. A. 666. B.
Hinc repellitur à Monticulis. 177. C. 1081. B.
Urbem deinde recipit. 623. A. & B.
Eccelinum Monachum capit. 178. A.
Anconitanus Marchio à Sede Apostolica creatur. Ibid. C.
Friderico II. favet. 124. C.
Eumdem potenter in Alemanniam ducit. 179. A. 668. A.

Digitized by Google

Ab ipso Friderico laudatur. 224. D.
Potestas Paduæ. 367. D.
Marchiæ Anconitanæ investituram recipit ab Innocentio III. Papa. 370. C.
Suzariam obsidens inde recedere cogitur. 1081. C.
E Ferraria depellitur. *Ibid*. D.
Ejus gesta. 122. C. & *seqq*.
Immatura ejusdem mors. 23. A. 179. B. 668. B.
Illius laudes. 187. A. 722. D.
Azo VII. Marchio Estensis, sive Novellus, filius Azonis VI. 179. D.
Cum Rizardo Comite de Sancto Bonifacio fœderatus. 33. B.
Patruo Aldrevandino succedit. 669. C.
Raynaldo filio despondet Adeleytam filiam Alberici de Romano. 38. B.
Vicentiæ Potestas eligitur. 40. D.
Bellum infert Alberico de Romano. 41. B.
Veronam capere molitur. 42. D.
Vicentinos societati Longobardorum jungit. 44. A.
Contra Fridericum II. Augustum insurgit. 43. C. 82. A. 84. A.
Tisoni de Campo Sancti Petri libertatem procurat. 183. A.
Ejus contentiones cum Salinguerra. 482. A.
E Ferraria pulsus à Salinguerra eam obsidet. 184. D. 484. D.
Obsidione rursus eam fatigat. 185. E.
Ea potitus ad regimen illius adsumitur. 485. D. 631. C. 679. C. 1119. A.
Frattæ castrum expugnat. 186. C.
De eo querelæ Salinguerræ. 187. B.
Beatricem fratris filiam tradit in uxorem Andreæ Regi Hungariæ. 206. C.
Vicentiæ Prætor inde pellitur. 207. C. 629. B
Friderico II. Augusto adhæret. 212. D.
Eidem in Lombardia occurrit. 218. D.
Eripere Paduam Eccelino frustra tentat. 219. D. 630. C.
Fugâ salutem quærit. 221. A.
Contra eum literas Eccelinus scribit Friderico II. Imp. 223. C.
Se sistit Friderico eidem. 225. E. 679. A.
Obsidem filium unicum ei tradit. 227. C. 678. D.
Militat Friderico II. Augusto. 229. C.
Ab eo cautè recedit. 230. B.
Sua castra recuperat. 231. C.
Cum fœderatis Ferrariam obsidet & capit. 233. C. 631. C.
Montagnanæ oppidum ei ab Eccelino ereptum. 238. D.
Parmensibus à Friderico II. obsessis fert opem. 249. B. 634. A.
Eccelinus Estense oppidum ei capit. 258. D. 259. B.
Et plura alia castra. 1117. A.
Estense oppidum recuperat. 222. E.
Summum Pontificem urget contra Eccelinum. 283. A.
Sua castra recipit. 303. C. 677. D.
Cum Paduanis multa infert damna Veronensibus. 624. E.
Tarvisinos in prœlio affligit. 626. A.
Montem-Silicem, & Calaonem recipit. 636. E
Leniaco, & Colonia potitur. 637. A.
Et aliis terris. 639. A.
Eidem multa Castra à Friderico II. erepta. 684. D.
Fœdera contra Eccelinum contrahit. 691. C.
In Patavini populi subsidium accurrit. 306. C.
Capitaneus Cruce-signati exercitus constituitur. 307. B.
Uti majori, & nobiliori personæ Marchiæ Tarvisinæ ei traditum vexillum Paduæ. 209. A.
Totam potentiam suam pro tutela Paduæ movet. 313. D.
Brixiam ad partem Ecclesiæ componit. 698. A. & C.
Ejus pugna cum Teutonicis ad Baxanum. 330. C. 699. B.
Lombardos in Eccelinum conjungit. 338. C. & E.
Contra eumdem cum Ferrariensibus acies movet. 345. C. 348. C.
Eccelinum insequitur, & capit. 351. B. 1121. D.
Ad obsidionem castri Sancti Zenonis, ubi Albericus de Romano est, convolat. 356. C.
Eidem se se commendat Albericus. 358. A.
Gibellinos è Mutina pellit. 1123. A.
Cur Obizonem nepotem tantopere dilexeri 718. D.
Beneficia ei misericorditer à Deo collata. 719. B.
Ejus ante mortem allocutio ad Obizonem. 722. D.
E vivis eripitur. 723. C.
Ejus liberi. 486. E.
Ipsius funus æmuli quoque lachrymis prosequuntur, & inimici virtutes laudant. 471. C. 487. C.
Azo VIII. Marchio Estensis, ejus bellum cum Paduanis. 385. B.
Pax inter eos statuta. 387. A.
Ferrariæ Dominus. 488. D.
Ejus obitus. 392. D.
Azo de Corrigio intimus Mastini Scaligeri amicus. 651. E.
Eidem Parmam surripit. 653. A.
Fregnano Scaligero in rebellione adhæret. 654. A.
Azo Vicecomes Bergomo potitur. 457. A.
Tum Placentia. 458. E.
Tum Brixia. 651. E.

B

Babylonus Sultanus Tartaris devictis ipse interimitur. 731. B.
Balduinus Latinus Constantinopolis Imperator à Græcis Imperio spoliatus. 716. D.
Balduini I. nepos. 1018. C.
Comes Flandriæ Imperator Constantinopolitanus. 941. E.
Baluzius (Stephanus) Historiam Sallæ, sive Sabæ Malaspinæ evulgat. 783.
Barolum Civitas rebellis à Manfredo Principe Tarentino obtemperare cogitur. 502. A.
Eum recipit. 541. C.
Barum Civitas à Roberto Guiscardo obsessa. 763. A.
Et denique capta. 764. D.
Bartholomæus Episcopus Vicentiæ. 102. B. 104. A.
Bartholomæus Pignatellus Archiepiscopus Messanensis. 832 D.
Bartholomæus de la Scala Episcopus Veronensis à Mastino Scaligero interfectus. 651. E.
Bartholomæus de la Scala Capitaneus & dominus Veronæ. 641. D. 660. A.
Bavariæ Dux Legatos ad Pontificem pro Conradino nepote mittit. 571. D.

Digitized by Google

Baxianum Eccelino Monacho subjectum. 13. E. 79. A. 191. C.
Ab eo protegitur contra Azonem Marchionem Estensem. 18. A.
Eccelinus de Romano cum Baxianensibus Vicentinos vincit. 25. E.
Ejus jurisdictio & Comitatus spectans ad Albericum Eccelini fratrem. 32. A.
A Paduanis & Vicentinis afflictum. 36. B.
A Paduanis possessum. 102. B.
Curia ibi habita ab Eccelino Monacho. 176. A.
Ibi Palatium Eccelini de Romano. 192. D.
A Vicentinis exulibus præda inde ingens abacta. 322. A.
Tum ab Azone Atestino & Paduanis. 330. B.
Camera specialis Eccelini. 340. D.
Deditionem facit Paduanis. 353. D.
Bazanum Mutinensium obsessum à Bononiensibus. 1176. C.
Beatrix I. soror Azonis VII. Marchionis Estensis, Mundo contemto, se ad cœlestia transfert. 720. D.
In Jemulæ Monasterio virtutibus clara vitam agit Beatæ titulo donata. 721. A. & *seqq.*
Beatrix II. filia Azonis VII. Marchionis Estensis, & ipsa Monasticam vitam amplexa, Beatæ titulum Ferrariæ promerita. 721. E.
Beatrix Aldrevandini Marchionis Atestini filia, nupta Andreæ Regi Hungariæ. 206. C. 675. A.
Stephanus ejus filius. 717. E.
Virili animo ex Hungaria fugit. 676. A.
In Italiam virili veste induta se recipit. 1010. A.
Beatrix Sabaudica nupta Manfredo Siciliæ Regi. 787. E.
Ejus mors. 8 2. E.
Beatrix, quæ & Regina, Mastini Scaligeri filia, nupta Bernabovi Vicecomiti. 653. B. 658. A.
Beatrix uxor Alberici de Romano. 26. B.
Ejus laudes. 54. B.
Bela Rex Hungariæ. 675. A. 676. A.
A Tartaris vix evadit. 680. A.
Ejus bellum cum Rege Bohemiæ. 714. C.
In prœlio devictus. 715. B.
Contra Stephanum fratrem immisericors. 718. A.
Bellunensis Episcopus factus Civis Paduanus. 183. D.
Bellunum sub Paduanis. 37. B.
A Tarvisinis invasum. 196. B.
Restitutum Episcopo suo. 198. B.
Ab Eccelino captum. 251. A.
Benedictus XI. Papa electus. 649. B.
Benedictus XII. Papa electus. 457. D.
Beneventum Carolus I. Siciliæ Rex victor intrat, ac depopulatur. 8 8. C.
Misera illius Urbis facies. 829. A.
Benintendus Episcopus Tudertinus Cardinalis. 1141. D.
Bergomates pro Eccelino contra Paduanos militant. 313. A.
Pro Friderico II. Aug. militant. 1110. D.
Bergomum Azoni Vicecomiti se dedit. 457. A.
Bernabos Vicecomes uxorem ducit Beatricem filiam Mastini Scaligeri. 653. B.
Veronam frustra invadit. 654. B.
Vicarius Mediolani. 655. B.
Regiensem Urbem emit. 1176. C.
Mantuanos bello petit. 656. A.
Adversus eum fœdus ineunt alii Principes. *Ibid.* E.
Filiam Leopoldo Austriaco jungit. 657. E.
Bernardus S. R. E. Cardinalis, & Legatus Bononiæ. 1166. C.
Bernardus Episcopus Vicentinus. 108. A.
Bernardus Rubeus Parmam eripit factioni Imperiali. 248. D.
Bertholdus Patriarcha Aquilejensis factus Civis Patavinus. 183. C.
Bertholdus Marchio de Honebruch. 499. C.
Civitatem Avellini rebellem expugnat. 503. B.
Conrado Regi carus. 506. D.
Regni Siciliæ Bajulus constitutus. 507. A.
Manfredum Principem Tarentinum deserit. 511. D.
Ad Curiam Papæ accedit. 514. B.
Manfredo resurgenti adhærere se fingit. 534. A.
Capitaneus Papalis exercitus. 572. C.
Callida ejus consilia, ac tergiversatio. 574. C.
Acies illius fractæ à Manfredo. 576. B.
Captus in carcerem truditur. 577. D.
Ubi vitæ reliquum miserè ducit. 578. C.
Bertholdus de Ursinis Nicolai III. Papæ nepos, Comes Romandiolæ. 1023. A. 1025. D.
Bertrandus Cardinalis Ostiensis & Legatus Pontificius debellatus ab Obizone Marchione Estensi. 648. A.
Expulsus à Bononiensibus. 649. A.
Bethogar, Sultano Babylonis necato, Ægyptum aliaque Regna sibi subdit. 731. C.
Biaquinus de Camino adhæret Friderico II. Aug. 227. C.
Contra eum pugnat. 249. B.
Feltro exuitur. 250. E.
Pro Paduanis militat. 313. D. 318. D.
Interest obsidioni Ferrariæ. 631. D. 634. A. 637. E.
Bisca, & Biscazza *ludum publicum Alearum significabat olim*. 1051.
Boamundus Roberti Guiscardi filius contra Græcos pugnat. 770. D.
Eos in prœlio frangit. 773. B.
Bohemiæ Rex, ejus bellum cum Rege Hungariæ. 714. D.
Quem prœlio vincit. 715. B.
Bonaventura Archiepiscopus Ragusinus. 737. C.
Boncompagnus Florentinus Literalis Scientiæ Magister Bononiæ. 314. B.
Bondelmontium & Donatorum simultates, origo factionum Florentiæ. 945. B.
Bonifacius Marchio Estensis, ejus diffidia cum Azone Marchione. 15. D.
Vicentiam se recipit. 22. C.
Cum Aldrevandino Marchione concordiam init. 24. A.
In prœlio occisus. 1081. B.
Bonifacius de Sancto Bonifacio Comes fœderatus cum Azone Marchione Estensi. 16. E. 76. A.
Unà cum eo Veronæ dominatur. 17. B.
A Vicentina Prætura pulsus. 21. D.
Ejus mors. 23. A. 122. C. 179. C.
Bonifacius Comes filius Sancii de Sancto Bonifacio pugnat cum Monticulis Veronæ. 623. A.
Unà cum Azone VI. Marchione Estensi Veronæ dominus. 666. B.
E vita decedit. 668. B.
Bonifacius Comes de Panico Rector Veronæ. 628. C.
Ab Eccelino ultimo supplicio damnatus. 633. B.
Bonifacius Comes de Redaldesco Potestas Veronensis. 28. E.
Bononiæ moneta cudi incipit. 1077. C.
Bononienses Paduanis opem ferunt. 100. D. 307. B.

Digitized by Google

In eos singulare odium Friderici II. Augusti. 207. B.
Ferrariæ obsidioni intersunt. 233. C. 484. D. 679. C.
Entium Sardiniæ Regem, & Friderici II. filium capiunt. 634. D. 684. C. 971. C. 1116. E.
Qui apud eos in carcere diem claudit extremum. 1018. A.
Ad Eccelini adventum pavitant. 308. A. 695. E.
Ab exercitu Cruce-signatorum abeunt. 314. A.
Apud eos scientia literalis. Ibid. B.
Legatum Pontificium expellunt. 649. A.
Eorum exercitus à Mutinensibus & fœderatis profligatus. 624. C.
Contra Veronenses bella gerunt. 626. D.
Castrum Hostiliæ ipsis commendatum. 627. C.
Mutinenses in prœlio fundunt. 620. 634. D.
Bononienses Guelphi Gibellinos ex Urbe pellunt. 1020. B.
Forum-Livii, & Faventiam obsidentes, à Gibellinis magna cade prostrantur. Ibid. E.
Fœderati cum Regiensibus. 1081. C.
Contra Mutinenses. 1082. D.
Contra Ariminenses. 1083. D.
Imolæ foveas æquant. 1104. D.
Eorum ager à Mutinensibus vastatus. 1106. C.
Sancti Cæsarii Castrum Mutinensibus eripiunt. 1107. A.
Tum Castrum Leonis. 1110. A.
Agrum Mutinensem vastant. 1111. A.
Mutinam obsident, tum ineunt fœdera cum Mutinensibus. 1117. A.
Contra eos pro Triniano pugnant. 1129. B.
Societatem Justitiæ efformant. 1132. C.
Savignanum Mutinensium diruunt. 1133. B.
Eorum decretum contra Mutinenses, ac intestina dissidia. 1134. A.
Forum-Livii obsident. 1136. C.
Gibellinos ex Urbe pellunt. Ibid. E.
Faventiam obsident. 1137. A.
Contra Forolivienses & Faventinos exercitum ducunt. Ibid. C.
A quibus magna clade profligantur. 1138. A.
Pax inter Cives resarcita. 1144. D. 1145. E.
Sed brevì fracta. 1146. B.
Faventiam proditione capiunt. 1147. A. 1148. A.
Opem ferunt Cremonensibus. 1150. D.
Frustra Parmenses contra Mutinenses incitant. 1184. D.
Se turbis Regiensium immiscent. 1170. A.
Bonromæus (Fridericus) Cardinalis, Archiep. Mediolan. & Ambrosianæ Bibliothecæ parens. 1052.
Bontraversus de Maltraversis Eccelini amicitiam sibi quærit. 237. D.
Filiam Beatricem ei connubio jungit. 257. B.
In carcerem truditur. 283. C.
Bosius de Dovaria Eccelino militat. 100. C.
Tum contra eum bella gerit. 101. B. 701. C. 704. B.
Cremonensibus carus, Eccelino suspectus. 335. A.
Contra eum insurgit. 338. B.
Captus à Bononiensibus. 634. D.
Eccelinum personaliter capit, & Suncinum ducit. 638. B.
E Cremona pulsus. 112. E.
Ejus Rocca à Cremonensibus obsessa. 1129. A. 1150. C.
Brandeburgensis Marchio opem fert Cani Grandi Scaligero. 655. A.
Brixellum ab Eccelino captum. 249. A.
Captum à Cremonensibus. 1118. E.
Ab Entio Rege & Eccelino destructum. 1115. A.
Sub Parmensibus. 1117. A.
Brixia Mastino Scaligero tradita. 647. C.
Ab Azone Vicecomite capitur. 651. C.
A Friderico II. Aug. frustra obsessa. 677. D.
Rizardi San-Bonifaciani funus à Civibus curat. 686. C.
Ibi civiles discordiæ. 691. A.
Ad Ecclesiæ devotionem se convertit. 697. A.
Gebellinos expellit. 698. A.
Deditionem Eccelino facit. 638. A. 700. D.
A terræmotu afflicta. 185. D. 1104. E.
Brixienses cum Azone Marchione Estense fœderati. 22. D.
Adversantur Friderico II. Aug. 207. D.
A Friderico II. Imp. exagitati. 219. A.
Contra Paduanos cum Eccelino militant. 313. A.
A facie Eccelini ejusdem fugiunt. 332. C.
Deditionem eidem Eccelino faciunt. 333. A.
Eccelino militant. 346. A.
Tum eum deserunt. 350. D.
Veronensibus damna inferunt. 626. D. 627. D.
Castrum Gazi cum fœderatis capiunt. 632. E.
Pelavicino Marchioni se subjiciunt. 710. A.
Ab eo recedunt. 727. C.
Prœlium pro Mediolanensibus ineunt. 1108. B.
Eorum ager à Friderico II. Aug. vastatus. 1109. D.
Et Civitas ab eo obsessa. 1110. D.
A Marchione Pelavicino deficiunt. 1125. D.
Brixiensis Episcopi pro præcedentia certamen cum Vercellensi. 1051.
Brundusienses Neritonensem Terram capiunt, ac destruunt. 545. D.
Eorum Civitas à Manfredo obsessa. 546. B.
Manfredo Principi se dedit. 581. E.
Burrellus Dominus Anglonis contemtor Manfredi Principis Tarentini. 513. B.
Interemtus ab ejus satellitibus. 515. C.

C

Cacca Regiensis, mira ejus fortitudo. 996. D.
Cæcilia uxor Eccellini Monachi. 171. C.
S. Cæsarii Castrum Mutinensium à Bononiensibus captum. 1107. A.
Caliphus Papa Saracenorum. 1093. E.
Camerini Urbs à Percivallo Vicario Regis Manfredi in solitudinem redacta. 801. C.
A terræmotu dejecta. 1145. D.
De Camino Familia clara in Marchia Tarvisina. 169. B.
Facti Cives Patavini. 205. D.
De Campo Sancti Petri Familia per Marchiam Tarvisinam clara. 169. B.
Inter eam, & Eccelinum Monachum simultates. 171. D.
Canis Grandis Scaliger Vicarius Imperialis Civitatis Vicentiæ. 114. C. 394. B.
Ejus bella cum Paduanis. 396. A. 431. A. 462. B. & seqq.
Qui tamdem se ei dedunt. 412. A. 440. B.
Capitaneus & Dominus Veronæ constitutus. 641. D.
Vicentiam contra Paduanos tuetur. 642. B.
Eos vario bello impetit. 643. A.
Ejus magnificentia Mediolani. 645. A.
Patavio potitus solemnem Curiam habet. Ibid. D.

Tarvisio in deditionem accepto, naturæ debitum solvit. 441. D. 646. C.
Canis Grandis II. Scaliger Veronæ natus. 647. E.
Uxorem ducit Elisabetham Ludovici Bavari Imp. filiam. 653. C.
Patri in dominatione Veronæ succedit. Ibid. D.
Veronam recipit, extincto Fregnano fratre. 654. B.
Populum variis oneribus gravat. 655. C.
A Cansignorio fratre interficitur. 656. B.
Cansignorius de la Scala nascitur. 652. D.
Cane fratre occiso, Dominus Veronæ constituitur. 656. B.
Morte naturali decedit. 659. A.
Canossæ Castrum à Regiensibus solo æquatum. 1120. C.
Capuani, defuncto Friderico II. Augusto, rebellant. 499. C.
A Manfredo Principe Taranti obsessi. 503. E.
Ei denique se tradunt. 580. D.
Cardinalibus in electione Papæ quid terroris, & incommodi intulerit Carolus I. Siciliæ Rex. 871. D.
Carinthiæ Duci se dedunt Paduani. 643. C.
Carmegnanum Castrum Vicentinorum. 176. D.
A Patavinis debellatum. 177. B.
Carmelitarum Ordini cur S. Thomas Aquinas num sese apponere voluerit. 879. & 880.
Carolus Regis Bohemiæ filius magnificè Veronæ exceptus. 648. C.
Ducis Carentani heres. 649. E.
Feltro potitur. 651. A.
Rom. Imperator electus Italicas coronas accipit. 655. A.
Carolus Andegavensis, Provinciæ Comes, ab Urbano IV. ad Regnum Siculum invitatus. 806. D. 997. D.
Perpetuus Senator Urbis à Romanis electus. 592. B. 724. E. 808. B.
Romam nave ductus proficiscitur. 597. B. 725. A. 814. E. 999. D.
Illuc per medios hostes & procellas appellit. 815. C. 1124. B.
Ibi Rex Siciliæ coronatur. 600. A. 819. A. 1001. A.
Arcis Rocham sibi subdit. 820. D.
Sancti Germani castrum adoritur. 602. A. 821. D.
Eoque potitur. 822. C.
Opponitur Manfredo Siciliæ usurpatori. 1122. D. & E.
Ejus allocutio ad milites. 603. C. 823. B.
Prœlium cum Manfredo. 1125. C.
Manfredum in prœlio superat, & vita spoliat. 607. B. 639. D. 726. B. 827. C. 1004. B. 1124. B.
Regno post victoriam potitur. 1005. A.
Beneventum victor ingreditur ac depopulatur. 608. B. 828. C.
Regni Siculi habitatoribus gravis. 609. A. 780. B. 832. A.
Acies movet contra Conradinum. 845. A.
De eo victoria, ejusque captivitas. 848. B. 851. D. 1014 B. 1127. E.
Eum capite truncandum jubet. 852. A. 1128. B.
Ob ejus necem redargutus. 1015. A.
Denuo Urbis Senator. 853. A.
Saracenos Lucerienses debellat. 731. E. 858. C.
In Africam Ludovico Regi fratri opem laturus classem ducit. 859. D. 1131. B.
Magnificentiæ, ac tripudiis lora laxat. 862. A.
Vicarius Generalis in Thuscia pro Imperio constituitur. 863. D.
Ad Guelphos Thuscos subsidia mittit. 1008. E.
Gibellinos atterit. 727. D. 864. D.
Florentiam se confert. 1010. D.
Pisanis bellum infert. 1011. A.
Ejus Marescallus in Thuscia profligatus. 1012. B.
Podium-Bonizi obsidet, & capit. 1126. D.
Affinitatem respuit cum Nicolao III. Papa. 1022. D.
Expeditionem contra Palæologum parat. 1024. B.
De Nicolai III. morte exultat. 1025. B.
Ab eo Siculi deficiunt. 1029. B. 1151. A. 1155. B.
Messanam obsidet. 1031. A.
In excessus enormes illius avaritia prorumpit. 867. B.
Ecclesiarum quoque jura lædit. 868. B.
A Gregorio X. Papa deterretur, ne talia agat. 870. A.
Cardinalium Collegium in electione Papæ ad angustias redigit. 872. B.
Regnum novis angariis affligit. 873. A.
Ejus literæ ad Petrum Aragonensem. 1033. D.
Eum ad certamen provocat. 1038. A.
Ira in Neapolitanos exardet. 1041. D.
Naturæ debitum solvit. 1031. A. 1167. A.
Carolus Caroli I. Siciliæ Regis primogenitus, Princeps Salerni. 863. B. 1030. A. 1037. E.
Ab Aragonensi classe capitur. 1041. A. 1157. C.
Ejus filii. 1042. E.
Rex Siciliæ coronatur. 1171. D.
Carolus III. Siciliæ Rex à Carolo I. Avo constitutus. 1166. E.
Carolus Martellus Hungariæ Rex. 1042. C.
Carolus Rex Navarræ in Orientem transfretat. 732. B.
Carolus Valesius secundogenitus Philippi Francorum Regis. 1038. E.
Carrariensis Familiæ excidium. 740. A.
Carrochium Florentinorum, ejus descriptio. 987. D.
Patavini Populi quale. 300. B.
Restauratur. 379. A.
Carrocium ad modum Lombardorum in obsidione Damiatæ. 1093. B.
Carusius (Johannes Baptista) editor Historiæ Siculæ. 743.
Castellæ Rex. 697. C.
Saracenos in prœlio vincit. 724. C.
Electus Rom. Imperator. 1117. E. 1120. D.
Castri-Johannis Civitas in Sicilia. 550. A.
Rebellis Manfredo Principi. 583. D.
Deditionem facit. 584. A.
Castonus de la Turre. Vide Caxonus.
Catharina filia Regis Alberti Ducis Austriaci. 430. B.
Cavalcabò Marchio de Cremona. 254. C.
